Therapeutice specialis ad febres periodicas perniciosas / [Francesco Torti].

Contributors

Torti, Francesco, 1658-1741
Muratori, Lodovico Antonio, 1672-1750

Publication/Creation

Venetiis : L. Basilius, 1769.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/ezt7ye9v

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

F. III
31775/B
18/t
Hoepli
Mayo 3

42. g 9482


AVIA PERVIA

FRANCISCI TORTI

MUTINENSIS PHILOSOPHIÆ,
& Medicinæ Doctoris;

IN PATRIO LYCÆO PROFESSORIS PRIMARII;

SERENISSIMI RAYNALDI I.

MUTINÆ, REGII, MIRANDULÆ, &c.
DUCIS MEDICI;

A Consiliis QUATUORVIRORUM *Publicæ Valetudinis, & Societatis Regiæ Londinensis Sodalis:*

THERAPEUTICE SPECIALIS

Ad Febres Periodicas Perniciosas,

CUI SUBNECTUNTUR RESPONSIONES JATRO-APOLOGETICÆ ad Clarissimum RAMAZZINUM: ADDITA in hac SEXTA EDITIONE AUCTORIS VITA A LUDOVICO ANTONIO MURATORIO conscripta, atque aliis ejusdem Opusculis.

VENETIIS, MDCCLXIX.
APUD LAURENTIUM BASILIUM.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

LECTORI TYPOGRAPHUS.

Clarissimi Viri FRANCISCI TORTI *Opera Omnia hacusque impressa tibi sisto, Lector Benevole: Therapeuticen quidem Specialem Sexto editam, Responsiones Jatro-Apologeticas ad Cl. Ramazzinum quarto, Dissertationes vero Epistolares, tertio. Editionem secundam Mutinensem Therapeutices hic illic ab Auctore locupletatam in hac mea secutus sum, adjectis solummodo Epistola Dedicatoria, & Præfatione, ex prima impressione anni* 1712. *desumptis, quibus te carere nolui, cum eas citet Auctor in sua Prolusione ad Responsiones Jatro-Apologeticas. Utilitati insuper tuæ ac commodo studens, ubicumque Clar. Auctor in suis Responsionibus primam suæ Therapeutices editionem notatis paginis, ac Historiis proferebat, ad hanc meam accommodavi; eamque prioribus ampliorem reddidi additis tum Dissertationibus quas a Clarissimo, nec unquam satis laudando Ludovico Antonio Maratori, benigne communicatas ab oblivione & interitu vindicandas censui; tum Auctoris Vita ab eodem pro sua humanitate, ac ergà litteras amore, me deprecante, conscripta. Vale.*

FRANCISCI TORTI
MEDICI MUTINENSIS
VITA.

NON ea fortaſſe poſtrema laus fuit regionis illius, cui dominantur Sereniſſimi Duces Ateſtini, egregios noſtris potiſſimum temporibus procreaſſe viros, qui Medicam Artem editis Libris aut illuſtrarunt, aut novis ſubſidiis juvarunt. In Chirurgicis præcipue verſatus eſt *Dionyſius Andreas Sancaſſanius* Scandianenſis, Magati viri celebris diſcipulus; in Anatomicis *Antonius Pacchionus* Regienſis. Præter alia ad praxim Medicam, ac regimen ſanitatis ſpectantia, adverſus Pharmacopœæ impoſturas ſcripſit *Fulvius Gherlius* Mutinenſis. Utilem inſuper Tractatulum de Potu Vini calidi, aliaque Opuſcula nobis reliquit *Joannes Baptiſta Davinius* Garfanienſis, Raynaldi Ducis Medicus. Præterea ad curandas Febres Malignas & Contagioſas Methodum habemus traditam a vivente *Joanne Baptiſta Monreali* Medico Saxolenſi, quæ utinam aliorum quoque experientia probetur; nihil enim moror Theoriam, ſine qua Remediorum utilitas conſiſtere poteſt. Neque reticendus eximius vir *Antonius Leprotus* Medicus Corrigienſis, cujus curæ antea Clementis XII. Pontificis Maximi, nunc Benedicti XIV. valetudinem (utinam diutiſſime feliciſſimam) commendatam novimus. Sua quoque laude minime fraudandus *Hieronymus Vandellius* Medicus Mutinenſis, nunc in Academia Patavina Cathedram Chirurgicam tenens, & longe lateque ob feliciſſimam Chirurgiæ praxim expetitus. Sed qui præcipue magnam ſibi celebritatem nominis in Phyſicæ & Medicinæ ſtudio ubique conquiſierunt, fuere *Bernardinus Ramazzinius* Carpenſis in Lyceo Mutinenſi, ac demum in Patavino primarius Medicinæ practicæ Profeſſor, cujus Vitam *Bartholomæus Ramazzinius* Medicus ex Fratre Nepos concinnavit; & deinde *Antonius Valliſnerius* Regienſis Eques, in eadem Patavina Academia nunquam delendæ memoriæ Profeſſor, cujus Vitam literis conſignavit, atque univerſa Opera collegit *Antonius Valliſnerius* junior ejus Filius & Eques, publicus & ipſe in eadem Academia Philoſophiæ Profeſſor. Tertius accedat nunc *Franciſcus Tortus* Medicus Mutinenſis, cujus Vitam mihi delineandam propoſui tum ad præſtantiſſimi Viri, Patriæque decus, tum ad excitandos in æmulationem ejuſmodi exemplo Medicinæ Tirones.

Inter antiquos ac nobiles Mutinenſis Urbis Cives *Tortorum* familia recenſetur, & vel ipſo Sæculo XV. & duobus ſubſequentibus quoſdam ex ea illuſtres noſtræ Urbis Conſervatores reperio. Parentibus autem *Franciſco Torto*, Tribuno militum (nunc *Colonello*) & Columba Marcheſia, natus eſt Mutinæ *Franciſcus Tortus*, de quo nunc agimus, pridie Kal. Decembris Anno 1658. & in S. Johannis Evangeliſtæ ſacro Fonte regeneratus, paterno nomine donatus fuit. Latinæ Linguæ, atque Humanioribus Literis in Patria operam dedit. Philoſophiam quoque aggreſſus, abſoluto curriculo, ejus Theſes publice propoſuit, ac pro iiſdem propugnavit Anno Ch. 1675. Ad Juriſprudentiæ ſtudium deinde ſe contulit; at quum in illius agro nihil amænitatis conſpiceret, plurimum tœdii ſentiret, ad Medicorum caſtra convolavit, exemplo etiam ductus Alexandri Torti Doctoris Medici, cujus nomen occurrit in veteri matricula adjecta ſtatuto Collegii Medicorum Mutinenſium. Deſiderabatur tunc publica Medicinæ Cathedra in hac Urbe. Quare editi Medicinæ Libri in præſidium adſciti fuerunt, eorumque ope factus ſibimet ipſi Magiſter *Tortus*, Theoricam inde ſibi parabat. Neque diu poſt ſe in diſciplinam tradidit Antonio Fraſſonio, magni nominis eo tempore apud Mutinenſes Medico, ut Practicæ Medicinæ compos fieret. Erat *Torto* elegans vividumque Ingenium, tenax Memoria, perſpicacia Judicii ſupra ætatem. Proinde tantæ ſpei diſcipulo delectatus Fraſſonius; eum ſine mora ad ſcrutandum ægrotorum pulſum admiſit. Neque pluribus opus fuit, ut *Tortus* ſententiis ac præceptis Medicinæ jam non leviter imbutus, in Bononienſi Gymnaſio lauream Doctoralem Philoſophiæ

ſophiæ & Medicinæ Anno 1678. conſequeretur. In Patriam regreſſus, dum non ſegnia plura Artis ſuæ documenta ſibi procurat, ad eandem aliis tradendam repente adigitur, vix annos XXIII. natus. Iiſdem nempe temporibus Franciſcus II. Dux, utpote Literarum amantiſſimus, & patrii decoris avidus, Mutinenſe Gymnaſium reſtaurandum curavit, delectis ſcientiarum & Artium Magiſtris, ne quid doctrinæ ſupereſſet, quod in poſterum alienis in Urbibus ſtudioſæ juventuti conquirendum foret. Geminæ Cathedræ ad tradendam Medicinam, præter alias inſtitutæ fuerunt; altera *Bernardino Ramazzino* viro doctiſſimo, nuper mihi memorato, commendata, altera *Franciſco Torto*; & uterque frequenti Auditorum concurſu, multaque cum laude ſuo munere fungi cœpit. Amborum quoque ſtudio & cura factum eſt, ut abrogata dominante a tot annis Galeniſtarum methodo, tutior medendi ratio in Urbe noſtra ſuccederet, indignantibus fruſtra antiquioribus Medicis, & Pharmacopolis, quorum pleriſque pixidibus exitium grande illatum fuit. Parum; proſpera valetudine interea conflictabatur Franciſcus Dux, quamquam in juvenili ætate conſtitutus: propterea que *Tortus*, ac deinde *Ramazzinius*, ordinariis illius Medicis tamquam ſubſidiarii adjuncti fuerunt, ut inito ſimul conſilio concorditer, quum opus foret, illius morbis mederentur. Angebatur interdum præmatura podagra optimus Princeps; nullum ei tunc erat præſentius levamen, quam Literatorum virorum lecto ſuo adſidentium colloquio frui, inter quos potiſſimum emicabat Ramazzinii multiplex eruditio, & *Franciſci Torti* feſtivitas, qui non minus ad ſeria, quam ad leporem compoſitus, ingenii ſui alacritate omnibus præſtabat. Is præterea in amorem Poeſeos ab ineunte ætate ferebatur, & in Latina æque atque in Italica elegantibus ſæpe verſibus ludebat, idcirco in aliquot Academicorum Cœtuum catalogum inlatus. Quum vero Ateſtinus Princeps ſuavitate Muſices in primis oblectaretur, quam in rem ſelectiſſimos omnium Cantores ex Italia conquiſitos alebat, aliquot ſacra Dramata (nos *Oratorj* appellamus) *Tortus* juvenis compoſuit, quæ typis tunc tradita, & Muſicis modis illigata, non mediocrem eidem plauſum peperere.

De Mercurii motibus in Barometro difficilis quæſtio tunc inter Philoſophos fervebat. *Ramazzinio* in mentem venit, ejuſmodi motuum Ephemerides contexere, ſuamque ſententiam de illorum occultis hactenus cauſſis publici juris facere. Ad eandem quoque ſpartam exornandam invitavit ille *Johannem Baptiſtam Boccabadatum* Mathematicum Ducalem, & *Franciſcum Tortum*, invenitque obſequentem utrumque. Nemini vel ex ipſo vulgo nunc ignotum eſt, ſub nebuloſo Cœlo Mercurium in Barometro deprimi, ſub ſereno aſcendere. Contrarium forte viſum fuerat *Johanni Alphonſo Borellio* Philoſopho clariſſimo, reluctante tamen omnium experientia, & præſertim *Ramazzini*, qui per complures menſes ſingulis diebus Mercurii varios motus diligentiſſime ſpectatos in commentarium ſuum retulerat. Nihilo ſecius deſperatam rem ingenii exercendi cauſſa *Tortus* ſuſcepit, videlicet oſtendere, poſſe excuſari, immo & quodammodo defendi errorem facti, in quem *Borellius* prolapſus fuerat, & ratiocinationem ab eo adhibitam conſiſtere poſſe. Paradoxa hæc Diſſertatio locum habuit inter *Ephemerides Barometricas Mutinenſes Ramazzinii* Anno 1694. typis Capponii editas. Quo Anno quum *Franciſco II.* Mutinæ Duci a morte ſine liberis ſublato ſucceſſiſſet *Raynaldus* S. R. E. Cardinalis ejus patruus, delectus eſt *Franciſcus Tortus* novi Ducis Medicus pari honoris gradu cum *Davinio* mihi nuper memorato, quo ad tuendam valetudinem ſuam idem Princeps uti prius cœperat. Inter laudanda ſui regiminis primordia, hortante potiſſimum & inſtante *Torto*, curavit Dux ipſe *Raynaldus*, ut Mutinenſis Reſpublica Theatrum Anatomicum in publico Palatio excitaret, ac decenti honorario doctum quempiam virum conduceret, cujus eſſet Medicinæ Tirones ad perfectam Anatomes cognitionem perducere. Ad id muneris advocatus *Tortus* Anno 1698. nulli diligentiæ pepercit, ut Civium deſiderio & expectationi reſponderet, tum publicis lectionibus, tum univerſi Corporis humani ſectione membratim identidem expoſita. Antea vero, hoc eſt Anno 1695. Mutinæ prodierat Inſtitutio Phyſico-Aſtronomica Auctore P. D. *Cajetano Fontana* Clerico Regulari Mutinenſi, in qua is obiter inſurrexerat adverſus *Ramazzinii & Torti* ſententias de variis Mercurii motibus in Barometro. Simili conatu contra eaſdem pugnavit *Jacobus Camerarius* Gottingenſis. Verum quia neuter ex iis adverſariis Hypotheſim aliquam ſtatuerat de hujuſmodi abſtruſo Philoſophiæ arcano, & dumtaxat

in impugnando Mutinenſium ſyſtemate tota res ſteterat ; nihil eis repoſitum fuit . Majoribus animis deinde in controverſiam iſtam invaſit *Guntherus Chriſtophorus Schelamerus* Kilenienſis Diſſertatione edita , in qua poſt multa in Mutinenſium opiniones congeſta , ſolutionem demonſtrativam, ut is ajebat , ſibique perſuadebat , Problematis Barometrici expoſuit . Calamum tunc rurſus arripuit *Ramazzinius* , nulloque negotio oſtendit, *Schelamerii* demonſtrationem in leves auras reſolvi , quippe quæ immani æquivocatione laborabat , & certiſſimis Hydroſtatices regulis aperte adverſabatur . Qua occaſione *Tortus* quoque ſcholaſtico ſtylo non ſolum ad dejicienda male jacta *Schelameri* fundamenta ſe contulit , ſed etiam propoſitis a P. *Fontana* & Camerario difficultatibus viriliter occurrit . Idcirco una cum *Ramazzinii* nova lucubratione Anno 1698. edita fuit *Torti Diſſertatio Epiſtolaris altera triceps circa Mercurii motiones in Barometro* .

Italicis Poetis parum æquum ſe præbuerat *P. Bouhourſius* e Soc. Jeſu Gallicus Scriptor. Iſtorum autem tutelam ſuſceperat *Joannes Joſeph Urſius* Marchio Clariſſimus Anno 1703. edito Libro , cui titulus *Conſiderazioni* &c. Pugnam poſtea redintegraſſe viſi ſunt Trevoltienſes PP. Soc. Jeſu . Quamobrem Urſius altero Libro Gallicorum inſultum repreſſit , & pro communi cauſſa commilitones etiam habere decrevit quoſdam ex Amicis ſuis . Tunc *Tortus* quoque expetitus in aciem deſcendit , & quendam Torquati Taſſi inſignis Epici Poetæ locum a Gallica cenſura vindicavit , eum ſimul oſtendens cum honeſta Poetarum licentia recte componi , & Philoſophicis placitis Ariſtotelis , Carteſii , & Gaſſendi omnino reſpondere . Legitur etiam in Tomo II. pag. 175. Operum ejuſdem Urſii a Bartholomæo Soliniano Mutinæ typis traditorum Epiſtola Latina ſub nomine *Lazari Auguſtini Cottæ* . Ejus auctor *Tortus* fuit , ut ex autographo adhuc exiſtente , & ex Præfatione ad Urſii Opera , conſtat . Verum levia hæc fuerunt , ne dicam nulla , experimenta doctrinæ , qua *Tortus* pollebat . Quod ei famam deinde comparavit , eamque grandem ac perennem , uti ſperandum eſt , fuit illius *Therapeuticæ Specialis* , Opus videlicet , cujus pretium ſi ex utilitate metiaris , vix æſtimare poſſis . Febres quaſdam Periodicas jamdiu animadverterat vir ſolertiſſimus , & in medicam praxim intenſiſſimus , miti aſpectu primo procedere , dein repente per teterrimum dolum in malignas converti , ac poſtremam ægris perniciem adferre . Tunc aut nullum ex Chinæ Chinæ uſu præſidium petebant ſtupentes ac deluſi Medici , aut miniſtrata hæc vulgari methodo , viribus deſtituta deprehendebatur ad ſubigendum lethale venenum . Ineluctabilis proinde mors conſequebatur . Verum *Torto* in mentem venit , ex quo ejuſmodi Febres Intermittentium typum primo acceperant , etiamſi in Pernicioſarum pomœria erumperent , Peruviani Corticis virtute poſſe expugnari , dum tamen inopinato febrilis maligni fermenti augmento uberior vis & copia Corticis ejuſdem opponeretur . Egregii viri conſilium e veſtigio ſelix probavit eventus . Complures deinde ſublimis atque infimi ſubſellii homines certæ mortis faucibus hac methodo erepti fuerunt ; eoque res perducta eſt , ut *Tortus* tot exemplis fretus pronunciare potuerit ; Quemcunque hominem a Periodicis Febribus in Malignas delapſis correptum , dummodo xxiv. horæ vitæ ægrotanti ſuperſint , oblatione Chinæ Chinæ ſuper memorata Methodo , etiam frigidus , anheloſus , ac fere cadaveroſus appareat , periculum omne evaſurum , & brevi etiam priſtinæ ſanitati reſtitutum iri . Vulgata jam erat , Civibus noſtris gratulantibus , utiliſſima hæc Methodus ; ſed minime fines ipſius Urbis excedebat . Quamobrem *Tortus* , ut bene de omnium ſalute mereretur , eandem literis conſignare , illuſtrare , publicique juris facere in animum tandem induxit . Prodiit Anno 1709. Libri ipſius *Synopſis* , tum An. 1712. typis Bartholomæi Soliani Liber ipſe cum hocce titulo : *Franciſci Torti* Mutin. &c. *Therapeutice ſpecialis ad Febres quaſdam Perniciosas , inopinato ac repente lethales , una vero China , China peculiari Methodo miniſtrata , ſanabiles* &c. Multa ibi de Corticis Peruviani uſu , multa de natura ac varietate Febrium Periodicarum , quæ hominem produnt Theorices non minus , quam Praxeos Medicæ ſcientiſſimum ; ſed hæ diſputationibus obnoxia . Non illud certe , quod potiſſimum Libro originem dedit , hoc eſt lethalium Febrium feliciſſima ac certa curatio . Hoc autem beneficium in univerſam Rempublicam collatum tanti ponderis reputabat interdum *Tortus* , ut in Literis ad me datis , quas poſt hanc Vitam Lector accepturus eſt , pluris faciendum ſuum Librum diceret , quam innumeros alios de re Medica tractantes . Quod ſane ille ajebat non ad oſtentationem ingenii ſui , non

cæco

cœco ſui amore præreptus, quippe modeſtiſſimus homo ſemper fuit, & de ſe nunquam gloriabundus loquebatur; ſed quia rem, uti erat, contemplatus, plus utilitatis e Libro ſuo agnoſcebat emanaturum, quam ex tot aliis Jatroſophiæ Libris de Morborum qualitate, & cura multa tradentibus, ſed nihil certi remedii adferentibus. Quid enim aliud Medicorum Ars præcipuum ſibi ſcopum finemque ſtatuit, niſi lætam hominis ſanitatem reparare, atque ægros, quantum fieri poteſt, ab interitu arcere? An id præſtent tot ſyſtemata, tot diſputationes; tot de rebus Medicis atque remediis Commentarii, probe ii norunt, qui Medicinam intime norunt. Atque utinam nemo unquam periret Medicorum & Medicinæ ipſius vitio, qui ſine Medicis, Natura ipſa curante, fortaſſe convaluiſſet. Chirurgiæ propterea major aliqua ex parte laus eſt, quod homines certe morituros vitæ non raro reſtituat; hoc autem de Medicis tot lethales morbos curantibus vix affirmes, ſi ſapis. Hinc habes quanti faciendus ſit *Torti* Liber.

Atque is profecto omnium plauſu non in Italia tantum exceptus fuit, ſed per Germaniam quoque, Galliam, Hiſpaniam, atque Britanniam. In Galliis celeberrimus *Hecquetus* viſo Libro ſibi amicitiam *Torti* conciliavit, illiuſque nomen non ſemel in ſuis Libris commendavit; eum Rega Academia Londinenſis in ſuum Socium adlegit: ſunt etiam nobis Literæ Clariſſimi *Lancifii*; ſunt celeberrimi in Germania Medici *Friderici Hoffmanni*; ſunt Medicorum in Valentina Hiſpaniæ Academia degentium, qui *Torto* tamquam *Pippocrati Mutinenſi* gratulantur. Atque ut multos præteream, qui in editis ſuis Operibus honorificam *Torti* mentionem fecerunt, hoc eodem Anno 1741. doctiſſimus vir *Paulus Valcarengus*, Medicus Cremonenſis, eidem Obſervationes ſuas *de Aorte Aneuriſmate* dicavit, qui Liber Mutinam delatus *Tortum* jam poſtremo fato ſublatum invenit. Repetitæ inſuper editiones *Therapeutices* ipſius tum Mutinæ, tum Venetiis ejus utilitatem luculentius confirmarunt. Attamen, quod ſæpe inter Literas uſuvenit, non defuit, qui adverſus laudes a *Torto* contributas Cortici Peruviano in Arenam deſcendit. Atque is fuit Cl. *Ramazzinius*, antea non ſemel a me laudatus, qui tunc in Lyceo Patavino Cathedram primariam Medicinæ practicæ ſuo nomine illuſtrabat, & An. 1714. (quo etiam vivere deſiit) Diſſertationem edidit *De abuſu Chinæ Chinæ ad Bartholomæum Ramazzinium Nepotem*. Ita vero in Remedium hoc tanti uſus, tantæ celebritatis apud Medicos, vires ingenii ſui exercuit vir ille doctiſſimus, ut majora inde incommoda, quam beneficia, effluere inde contenderet, ac pœne videretur prorſus ejus uſum a praxi Medica proſcribere. *Torti* nomen in ea lucubratione minime legebatur: ille tamen præſertim ſe ibi impetitum ab amico viro facile intellexit. Ægre autem ferens ejuſmodi Remedium, quo nihil præſtantius habemus inter pauca, immo pauciſſima, quæ hactenus ad expugnandas Febres Periodicas Medicina, ſeu ut melius loquar, divina beneficentia, ſuppeditavit, tanto conatu deprimi, tanta invidia onerari, ejuſque abuſum unis ferme Mutinenſibus Medicis probro dari: ſibi ſilentium imperare nequivit. Jam in ſua Therapeutica ſatis ipſe eos improbarat, qui febri correptis immature nimis Chinam Chinam miniſtrant, Naturæ induſtriam prævertentes, intentam nempe ad noxios humani Corporis humores febrili æſtu expurgandos; tum qui ſine ulla Febrium diſtinctione Corticem quoque offerunt, quum Febres ab exordio ſuo Continentes & acutæ ejus indolis ſint, ut numquam ab illo ſeſe edomari ac ſiſti patiantur. Ceterum non ſemel inculcarat, Febrifugum hoc ex diuturna experientia ſibi notiſſimum, ſuapte Natura innoxium eſſe, & tunc etiam quum non prodeſt, minime nocere. Hæc latius exponere, hæc novis rationibus atque experimentis uberius confirmare, ſuum duxit *Tortus*, prælo traditis Mutinæ Anno 1715. *Reſponſionibus Jatro Apologeticis* ſuis *ad Criticam Diſſertationem Ramazzinii*. Certamini finis jam factus videbatur, quum ex Vita ejuſdem *Ramazzinii* 1717. publicis typis evulgata, & ex *Johannis Jacobi Mangeti V.* Cl. *Ramazzinio* patrocinantis ſiniſtro de Medicis Mutinenſibus judicio, ſopiti ignis ſcintillæ aliquot eruperunt. Hiſce primo nonnullis volantibus foliis occurſum fuit; deinde Libro edito, cui titulus: *Mutinenſium Medicorum Methodus Antipyretica vindicata, ſive ad nonnullorum Scriptiones eidem Methodo ſuccenſentes &c. Notæ Ferrantis Ferrarii Mutinenſis Medici, collegarum juſſu exaratæ. Mutinæ Anno* 1719. Nullus deinde hiſcere eſt auſus. Ipſe etiam Mangetus An. 1720. literas ad *Tortum* dedit excuſatorias & ſummi erga ipſum obſequii teſtes.

Porro

Porro optandum erat, ut aliis etiam ſcriptis Medicinam juvandam *Tortus* ſuſciperet; quid enim expectandum non foret ab homine acerrimi ingenii, incomparabilis judicii, & per tot annos in praxi Medica exercitato? Ad hoc idem ego ipſemet amicum virum non ſemel ſolicitaveram; & quum ille infirmitatem Artis, & abſtruſas morborum cauſſas, & Medicamentorum ineptiam identidem objiceret: reponebam ego, bene etiam mereri poſſe de Medicina, qui eoſdem defectus prodat, viamque tradat, qua Medicus ſi non ſanare ægrum ſuis pharmacis certo poteſt, ei ſaltem opituletur, & minime obſit. Et ille quidem pollicitus mihi fuerat Tractatum *de Febribus continuis acuti generis*, earumque methodica cura principiis ſimplicibus Naturæ & diuturnæ Praxis Obſervationibus innixa: cujus etiam fragmenta quædam poſt ejus mortem deprehenſa fuerunt. Sed ſive negotiis & cura ægrotantium præpeditus, ſive rei difficultate, atque adverſa valetudine territus, ſpem ille meam fraudavit. Fateri quippe non pudet, *Torto* in more fuiſſe (quod & aliis eximiis Medicis familiare eſt, immo ne verus quidem Medicus eſſe quiſquam poteſt, qui ſecus ſentiat) Artis ſuæ incertitudinem atque impotentiam præcipue in gravibus pleriſque morbis arguere, & nonnumquam etiam ridere. Agnoſcebat & ille circulatorii aliquid ineſſe cuivis Medici munere fungenti, dum ad morbos curandos accitur, quorum vim & pericula fortaſſe novit, Remedia non novit; & fingere interea cogitur, ſe naturæ periclitanti ſuccurrere, quum tamen ab ipſa una natura, ſi vires adſint, non a ſuis medicamentis, Medicus vitæ neciſque incertus, ægrotantis levamen expectet. Præterea quam parum fidendum ſit tot Pharmacis, quibus integra volumina ſaturantur, & ægrorum crumenæ, fortaſſis etiam ſaluti, interdum officitur, omnium maxime is intelligebat. Temperare mihi non poſſum, quin huc inferam *Torti* ipſius Carmen in cujuſdam Equi ſui mortem.

Il mio Cavallo è morto. Il poverino
Per ſoverchia bravura è alfin crepato;
E ſol nel ſuo morir m' ha ſconſolato
La perdita di lui, non il quattrino.
Egli era bravo come un Paladino,
Spiritoſo, galante, e ben formato,
Veloce, agile, docile, garbato,
Che parea giuſtamente un Barbarino.
Un dolor gli ſi moſſe. Il Mariſcalco
Gli diede un beverone. Allor diſs' io:
In ſedia io più non vò, nè più cavalco.
Ipſo facto crepo; Gridai: per Dio:
Le Medicine alfin (col ſuo diffalco)
Fanno nel tuo meſtier, come nel mio.

Hæc *Tortus* ludens; vix enim alium inter Medicos reperiſſes, qui ipſum æquaret, nedum ſuperaret, doctrina, perſpicacia, & circumſpectione præſertim in præſcribendis medicaminibus, ne incautus unquam perimeret, quos juvare vellet. Propterea Mutinenſes Medicos ſigillatim deſcribens, de ſe lapide ajebat;

Lancetta, e China China,
O almen poc' altro. Il ſuo più forte ſta.
Nella gran Panacea del Paſſerà.

Neque hoc obſtitit, quominus in praxi Medica apud nos præſertim excellentiſſimus haberetur. Nam quamvis quid ſua Ars poſſit, & non poſſit, probe teneret, ejuſque imbecillitatem rotundis verbis non raro fateretur: attamen ad ægros accitus tam accurata conſideratione pulſum, ſymptomata, habitum corporis, oculorum, vocis, & vel minutiſſimas præſentis rei circumſtantias metiebatur, ut fere ſemper indolem morbi detegeret, & in præſagiendo vix falleretur, & ſi qua erat ratio ſanandi, hanc impigre adhiberet. Qua in re præſto ei ſemper fuit admiranda ingenii ac memoriæ velocitas; nam ubi perſpexerat, quali morbo decumbens premeretur, & quæque ad propoſitum caſum ſpectantia animadverterat, ſingulari agilitate mentis illico recolebat, quid in paribus ægrotorum caſibus aut ſecundi aut ſiniſtri legiſſet, aut ſibi vel ante annos plures ſucceſſiſſet, ut quid in præſentia agendum vide-

videretur, decerneret. Hinc *Torto* fama ingens parta non in Urbe noſtra tantum, ſed & in aliis regionibus; eaque latius aucta, ex quo illius Therapeutice apud exteros quoque rari viri meritum virtutemque celebriorem effecit. Vacabat ab aliquot annis primaria Medicinæ practicæ Cathedra in Patavino Lyceo. Ad eam Anno 1720. per *Bernardinum Zendrinum* V. Cl. a ſapientiſſimis illius Moderatoribus invitatus eſt *Tortus*, nihilque præmiorum omiſſum, ut ad conſenſum illius animus traheretur. Hæc ſane ſpecioſa; ſed longe majora oblata ei fuerant Anno 1717. & ſubſequentibus a Taurinenſi Aula. Erat in ea Urbe perquam illuſtre *Torti* nomen, amici non pauci, inter quos potiſſimum eminebant aut ex editis Libris, aut ex multa doctrina *Blancus*, *Fantonus*, *Gagna*, *Richa*, *Cicogninus*. Quum vero Victorius Amedeus Sardiniæ Rex, immortalis nominis Princeps, nobilem Academiam illam a ſe excitatam celebri aliquo viro primario Medicinæ practicæ Profeſſore ornare vellet, conjectis in *Tortum* oculis, cujus tum in Theorica, tum in Praxi Medica ſatis perſpectam habebat peritiam, per *Franciſcum Simonium*. Medicum Bononienſem præſtantiſſimum curavit, ut eumdem ad Cathedram hujuſmodi adduceret. Neque tantummodo offerebatur magnificum Exedræ illi adnexum emolumentum, ſed & præclarum Protophyſici munus, cujus longe lucroſior auctoritas per univerſam ditionem Subalpini Regis excurrit, & cujus eſt Regis ipſius valetudini præeſſe. Sed hic tantus lucri & honoris proſpectus, uti nequaquam prælaudatum *Simonium* a Bononia, ita neque *Tortum* a Mutina diſtrahere potuit. Patriam iſte ſuam amabat, in qua non minus quam ruri commodas ædes & fortunas poſſidebat. Carus erat Duci Raynaldo, Benedictæ Viduæ Duciſſæ Brunſvicenſi hic degenti, ampliſſimo Collegio Nobilium juvenum, & præcipuis Religioſorum Civiumque familiis, quibus omnibus multo cum honore medicinam faciebat. Major profecto alibi captandi lucri ſpes; ſed hic major quies. Proinde *Tortus* nutantem valetudinem ſuam, aliaque impedimenta cauſſatus, oblata munera recuſavit, patriumque Cœlum hilaris Patavino ac Taurinenſi prætulit. Et is quidem ne ejuſmodi tentamenta reſcitentur, ſolicite caverat, veritus indignationem Principis, ac Civium querelas. Sed quum ne ſic quidem impedire potuerit, quominus res vulgaretur, ejus conſtantiæ fideique erga Patriam nemo fuit qui non plauderet, gratique animi ſigna præberet. Tunc ei Sereniſſimus Dux nobile immunitatis Privilegium ſponte conceſſit, tunc ipſum Mutinenſis Reſpublica in Medicum Conſultorem Magiſtratus ſanitati publicæ præfecti, delegit, decenti ſalario eidem conſtituto. Tunc ejus Cathedræ duplicatum honorarium fuit; atque is emeritus Profeſſor pronuntiatus cum facultate ſubſtituendi; ſubſtituitque *Ferrantem Ferrarium* Medicum, inter diſcipulos ſuos ingenii & doctrinæ laude florentem.

Tanto publicæ beneficentiæ favore recreatus *Tortus*, quum non uni valetudinis incommodo jam obnoxius foret, tremulæque præſertim manus exactam, dum ad ægrotantes accederet, pulſum ſenſationem impedire ſibi viderentur: ferme dimiſſo quotidianæ practicæ exercitio, honeſtum otium reliquæ vitæ deſtinavit. Erat illi in Villa Curli ampla domus, aer ſaluberrimus. Ibi per aliquot anni menſes conſidebat, otioſam tamen vitam numquam paſſus. Venatione plurimum vel ab adoleſcentia delectabatur, corporis etiam exercendi cauſſa. Hanc in ſenectute quoque continuavit, mirantibus interdum ſociis, quod tremente manu is leppores & coturnices explоſo tormento conficere poſſet. Sed quod potiſſimum tam in Urbe, quam ruri, *Tortum* occupabat, copia fuit conſulentium de variis hominum morbis. Per univerſam nempe Italiam vulgata inſignis viri peritia in rebus Medicis effecerat, ut ad eum undique veluti ad noſtri temporis Æſculapium ægrorum & Medicorum Quæſita confluerent. Complures hinc natæ *Torto* Medicæ Conſultationes, pars Latinis, pars Italicis literis conſignatæ. Inſtabam ego, ut ſaltem haſce in omnium utilitatem publici juris faceret. Quibus de cauſſis morem mihi minime gerendum arbitratus fuerit, immo heredibus, ne ederentur, in mandatis reliquerit, ex Literis ad me datis, quas ſubjiciam, Lector accipiet. Anno 1731. quum ex multis laboribus, atque itineribus juſſu Principis Parmam ſuſceptis, ut Henrichettæ Eſtenſi; Duciſſæ Parmenſi Viduæ adſiſteret, gravem contraxiſſet æſtum, improviſa paralyſi correptus fuit in Tem-

plo

plo Mutinenſium Servorum Deiparæ . Delatus in ædes ſuas , quamquam ſubtracta vox eſſet , & offuſcatæ nimium mentis vires , tantum tamen ſibi cognitionis reliquum fuit , ut oblatum a Medicis ſpeciale illud medicamentum , quod *Goccie d' Inghilterra* appellant , nutibus rejecerit . Convaluit deinde , & quoniam relictum nervorum torporem in dextera corporis parte , Saxolenſis Salſæ luto diſjecit , vegetus ut antea apparuit . Æque ac Raynaldo Duci , acceptiſſimus poſtea fuit Franciſco III. Duci ejus Filio & Succeſſori , atque ab eo inſignitus eſt titulo & munere *Protomedici , & Præſidis Collegii Medicorum* . Eo tamen dumtaxat eſt uſus ad tollendos cum ſociorum conſenſu abuſus quoſdam ab adoleſcentibus Medicis & Pharmacopolis invectos .

Jam ſupra monui , *Tortum* a natura compoſitum fuiſſe ad Poeſim . Magna vis in illo ingenii , mira phantaſiæ vivacitas . Juvenis multis Carminibus luſit , in poſtremis etiam vitæ annis , quum otio frueretur , in Muſarum contubernium rediit , uſque adeo ut vel poſtremo morbo decumbens , vigore mentis numquam interrupto , verſus , eoſque laudabiles , effunderet . In ſeriis nihil ex eo vidi , quod mediocritatem ſuperet . At in Satyrico lepidoque ſtilo cum celebrioribus quibuſvis certare poterat . Multa ego id genus vel ab eo audivi , vel ſcripta legi , in quibus peregrina inventio , crebri ſales , & invidenda verſuum & rhythmorum facilitas . Verum ex his nonnulla vivens ipſe flammis dedit . Reliqua Carmina , & quædam Latinæ lucubrationes , aut Epiſtolæ in Satyram inclinantes , qualis inter cæteras fuit ſcripta adverſus Librum quemdam riſu plane dignum , quod Sanguinis circulationem in meridie poſitam inficiaretur , minime quidem perierunt , ſed cauſſæ ſunt , cur ſuis relinquenda ſint tenebris . Attamen ne Lectori deſit aliquod ſpecimen facetorum illius Carminum , unum juvat adponere , in quo tamen te audire Poetam vera narrantem ne arbitrator .

Erano paſſati già due meſi interi ,
Che (ſcacciati i Franzeſi) era tornato
Il noſtro Duca a' Stati ſuoi primieri ;
E l' avevan di già complimentato
Sin gli Oſti , i Cuochi , e il Ghetto degli Ebrei ,
E Brugna , ch' aria in Corte ha di Privato :
Nè ancor comparſo era a incenſar gli Dei
Il Collegio de' Medici , ma fatto
L' aveano a tu per tu ſol quattro o ſei .
Quando il Prior conſiderando il fatto ,
Si miſe in arme ed in cavalli , intento
A corregger l' error con pubblic' atto .
E depoſto il biſunto veſtimento ,
Aſſunſe il nuzzial , che ſuol portare
Per Paſqua , ſe non fa pioggia , nè vento .
Ed ecco ſi comincia a raſſettare
La triforme parucca , il braghier ſtorto ,
Le groſſe ſcarpe , e il picciolo collare .
Diſtende poi ſotto il mantel , che è corto ,
Una veſte ben lunga , che ſul petto
Sta ribaltata in ver l' occaſo e l' orto ,
Perchè un boccon di fodra di raſetto
Si vegga accompagnar la ſottoveſta ,
Che fu velluto , ed ora è raſo ſchietto .
Sopra di cui ſtan come i fichi in reſta
Alcuni bottoncelli arſicci d' oro ,
Caccianti fuor la rubiconda teſta .
Per dar poſcia al ſuo volto aria e decoro ,
Ricuopre di farina il crin poſticcio ,
E uguaglia il pel biondo , caſtagno , e moro .
Benchè il Conte Ugolin , birbo maſſiccio ,

Con

Con scusa di nettarlo per istrada,
Gliel' andasse sbattendo a riccio a riccio.
Così pulito il bel Prior non bada
D' esser privo (qual suol) de' manizzini,
Perchè lograrli molto non gli aggrada.
Ma presi i Consiglieri a se vicini,
Risolve andar con essi dal Padrone
A tributar i Collegiali inchini.
A questo fin compose un' Orazione
Che sotto voce andava recitando
Là verso San Giovanni dal Cantone.
Ma più bello è il vederlo in casa, quando
Nanti un scrannin, ch' ei figurava il Duca.
Andava la funzion tutta provando,
Di questo sermoncin pregna la nuca,
Tentò d' avere l' udienza in Corte;
Ma per la prima volta gli andò buca.
Ritornò la seconda, e miglior sorte
Ottenne; ma il lunghissimo aspettare
Al povero Prior fu una gran morte.
Mercechè avendo voglia di orinare,
Il Fioran lo tenea per lo tabarro,
Nè a patto alcuno il volle mai lasciare.
Perchè (dicea) saria colpo bizarro,
Che chiamato il Prior, s' avesse a dire:
E' gito a distillar piscia o catarro.
Qui si scaldaro entrambi, e nel ridire
Le ragion lor, si misero il Cappello;
E l' Uscier venne a farli discoprire.
Ciò fu cagion di un dissapor novello,
Che per non più fallir, disser volere
La cosa concertar tutta a pennello.
In primis il Prior fu di parere
Di star due passi innanzi, e il bel Fiorane
Disse: al pari di voi va il Consigliere.
Indi crebbe la rissa per la mano;
E il Chicrici crepava dalle risa,
Attizzandogli insieme, ma pian piano.
Fu la quistione alfin così decisa:
Che qual l' avean provata a mezza scala,
La funzion si facesse in quella guisa.
Fu parimente stabilito in sala,
Che il Fiorano tacesse, e si sforzasse
Di non gratare il culo alla cicala.
E per l' amor di Dio non disturbasse
Il fil dell' Orazion con ciarle o sputi,
Perchè il Prior saria restato in asse.
Alzata intanto la portiera, muti
Entraro a capo chino, e il Duca affisse
Le luci in lor, dicendo: Ben venuti.
Allora il buon Prior su quel che scrisse
In una carta nel cappello ascosa
Gittò l' occhio furtivo, e così disse.
Da che l' armi Alemanne (oh gloriosa
Memoria!) entrar vittoriose in questa
De gli Azj Eroi Metropoli famosa;
E che a i Galli troncò l' ali e la cresta

Il Taumaturgo San Geminiano
Col gran Dio de gli Eſerciti aila teſta,
La di cui ſola onnipotente mano
Le mura ſmantellò della Fortezza :
Nudrito ho ſempre un deſiderio ſtrano
Di rallegrarmi a' piè di Voſtr' Altezza,
Come ben deve un ſuddito divoto,
Cui non cape nel cuor tanta allegrezza.
Deh perchè mai reciſe invida Cloto
Lo ſtame all' Avol mio, gran ſervitore
Già della Caſa, e a Voſtr' Altezza noto?
Che adeſſo ei moſtrerebbe il ſuo buon cuore,
E ciò, ch' ei non ſapeſſe, lo direbbe
Il Padre mio Cugin Predicatore;
E il Lettor, che ſta in Piſa, anch' ei farebbe,
S' egli qui foſſe, un' Orazion ſtampata,
E a Voſtr' Altezza la reciterebbe.
A me queſta incombenza non è data,
Ma quella ſol d' eſporre a nome altrui
Una ſuccinta ed umile ambaſciata.
Come un Fiume Real ſi fa con dui,
O con più Fiumi inſiem : così un intero
Collegio ancor rappreſentiamo nui,
Che uniti i voti omai del cuor ſincero,
Godiamo di veder riſtabilito
In Voſtr' Altezza il ſuo ſovrano impero.
E che (qual fu di Ceſar definito
Nella Scrittura) ciò, ch' è di Rinaldo
Oggi a Rinaldo ſia reſtituito.
Così chiuſe in Latin; poi tacque; e ſaldo
Appena ſtette il Duca, e ſorridendo
Slargoſſi in là, come ſe aveſſe caldo.
Poſcia ordinatamente riſpondendo
Con benigne e ſoavi eſpreſſioni
Finì : La voſtra Patria a voi commendo.
Allora in aſcoltar que' dolci ſuoni,
Foſſe per gaudio, o per ardor d' orina,
Al Prior gocciolarono i calzoni :
Ond' egli rinculando a teſta china,
Incamminoſſi verſo la portiera,
Laſciando ivi qualch' orma pellegrina,
E il Duca : Orsù vi do la buona ſera.

Annum octogeſimum tertium vitæ ſuæ jam attigerat Tortus, quum ad reliqua valetudinarii ac debilitati corporis incommoda acceſſit Hydropiſis. Imperterritus ille in lecto jacens mortem intuebatur lentis gradibus ad ſe accedentem, immo advenientes amicos feſtivo, uti ſemper conſuevit, vultu excipiens lepida cum iis colloquia miſcebat. Sed nihil interim prætermittebat ex iis, quæ ad Animæ ſuæ curam apud Deum pertinebant. Is enim (fatendum eſt) Religionis & Pietatis Chriſtianæ obſervantiſſimus ſemper fuit; neque eorum Philoſophorum inſaniam ſibi imitandam cenſuit, qui illa tantum ſpeculantur, quæ ad nihil credendum perducere poſſint, ſed eorum ſapientiam, qui ſpeculationes ſuas ad altius in ſe ſtabiliendam Religionis venerationem ſolicite convertunt. Propterea a Sanctiſſimo Pontifice Benedicto XIV. cui perſpectiſſimum erat Torti meritum, ex ſingulari gratia impetravit, ut ſibi adſpicienti, ſed vix præ ſurditate audienti, quotidie Sacrum in proximo conclavi celebraretur. Denique Sacramentis non ſemel anxie expetitis, & rite ac devote perceptis, tandem die XV. Kal. Martias, Anni 1741. finem vivendi fecit.

fecit . Franciscus Tortus liberali vultu a natura exornatus , omnibus comis , benignus , humanus . Ejus consuetudine nihil jucundius , quippe qui gravis , quum res poscebat , hilaris in reliquis , promptus & acutus in respondendo , sermonem suum crebris jocis & leporibus , amœnis narrationibus , cavillator etiam festivus , condiebat - Ejus aspectu & verbis mirum quantum recrearentur ægri . Gloriam & laudes sponte oblatas amavit ; nulla arte , nullo studio venatus fuit , aut emendicavit . Pecuniæ numquam avidus , immo pene contemptor , propterea quod liberis careret , nullam aut exiguam rei augendæ operam dabat , in suum & amicorum commodum proventibus suis fere semper effusis . Erga quemvis in beneficia proclivis , amicos potissimum omni officiorum genere prosequebatur ; acerrimus contra in controversiis sive literariis , sive *alterius* speciei , nisi victor numquam quiescebat . Duas Uxores habuit , ex quibus nullam prolem suscepit , scilicet Ersiliam Rubeam Anno 1721. e vivis sublatam , tum Blancam Quattrofratri , quam Viduam , & postremis tabulis Heredem usufructuariam reliquit . Pauperes vero (hoc est *il Desco de' Poveri*) patrimonii sui Hæredes proprietarios decrevit . Tertiam quoque Medicinæ Cathedram in patrio Lyceo institutam suo ære dotavit . Elatum est ejus cadaver ad Eremitarum S. Augustini *Templum* , in quo illius Majores quietis locum invenerant ; sepulturæ tamen traditum extra proprium Sepulcrum eo in loco , ubi sublequens Inscriptio , marmoreæ tabulæ commendata a geminis illius amantissimis Discipulis legitur .

Francisco. Torto.
In. Patrio. Mutin. Lycæo,
Primario. Medic. Professori.
Ob. Adinventam. Methodum. Profligandi.
Perniciosas. Febres. Periodicas.
Bene. De. Omnium. Salute. Merito.
Protomedico. Aulico.
Collegii. Medicor. Præsidi.
A. Consiliis. iv. Virum. Public. Valetud.
Regiæ. Soc. Londin. Sodali.
Ex. Medica. Praxi. Editisq. Libris.
Viro. Celeberrimo.
Quem. Annos. lxxxiii. Natum.
Mors. Sustulit. Anno. Ch. Mdccxli.
xv. Kal. Mart.
Præceptori.
Et. Benefactori. Amantiss.
Jacobus. Jattici.
Sereniss. Francisci iii. Ducis.
Protomedicus.
Et. Cajetanus. Araldi.
In. Mutinen. Univers. Medic. Professor.
Moerentes. Posuere.

Ejus autem solemne Funus ibidem est habitum trigesima post ejus mortem die , magno Populi Mutinensis concursu . Honoris caussa interfuerunt Sereniissimi Ducis Sorores Principissæ , Benedicta , & Amalia ; hinc assidebant Professores publici Academiæ Mutinensis , inde Medicorum Collegium . Sacris operatus est Illustrissimus Julianus Sabatinus Apollonienſis Episcopus ; & funebri Oratione laudes celeberrimi Viri prosequutus Bartholomæus Sassarinus , Congregationis S. Caroli , ejusdemque Academiæ , & Collegii Nobilium Rector , communem mœrorem ob tantam jacturam in Auditorum animis renovavit . Denique idem Sassarinus , & Ferrarius mihi supra laudatus , ne in publico Gymnasio tanti viri memoria desideraretur , elogium hoc marmore incisum ibi collocarunt .

D. O. M.

D. O. M.
FRANCISCO. TORTI.
FRANCISCI. TRIBUNI. MILITUM. FILIO.
PATRICIO. MUTINENSI.
IN. HOC. GYMNASIO. ANNOS. LX. PRIMARIO. MEDICINÆ. LECTORI.
ARCHIATRO. AULICO. COLLEGII. MEDICORUM. PRÆSIDI.
A. CONSILIIS. IV. VIRUM. PUBLICÆ. VALETUDINIS.
SOCIETATIS. REGIÆ. LONDINENSIS. SODALI.
ET. MEDICORUM. SUA. ÆTATE. FACILE. PRINCIPI.
QUOD. MUTINENSEM. SCHOLAM.
INVENTA. MAXIME. PROFLIGANDI. PERNICIOSAS. PERIODICAS.
FEBRES. METHODO. CELEBRIOREM.
ET. DOTATA. MEDICARUM. LECTIONUM. CATHEDRA. TERTIA.
AMPLIOREM. FECERIT.
BARTHOLOMÆUS. SASSARINIUS. GYMNASII. RECTOR.
ET. FERRANTES. FERRARIUS. PRIMARIUS. MEDICINÆ. LECTOR.
GRATI. ANIMI. MONUMENTUM. POSUERUNT.
OBIIT. XV. KALEN. MART. ANN. MDCCXLI.
NATUS. ANNOS. LXXXIII. M. II. D. XV.

TRE

LETTERE

DEL SIGNOR DOTTOR

FRANCESCO TORTI

AL SIG. PROPOSTO

LODOVICO ANTONIO MURATORI.

LETTERA PRIMA.

Perchè non abbia riveduti e dati alle ſtampe i ſuoi Conſulti.

TAnto finalmente ci avete battuto, gentiliſſimo Sign. Propoſto, che me l' avete fitto nella teſta. Non avete più a dire, che io voglia più toſto ſtarmene a sbadigliare in Villa, che ſpendere un' oretta di tempo nel comunicarvi alcuna notizia intorno a gli ſtrappazzati miei Studj, ed a gl' impieghi di mia Profeſſione: coſa tante volte da voi richieſtami, acciocchè forſe la mia memoria regiſtrata ne gli Annali di qualche illuſtre Accademia, poſſa un giorno dopo la mia morte accreſcere alla medeſima quel diſcapito, che le avrò recato vivendo. Non avete dico più a rimproverarmi una tal ritroſia, or che vedrete nel Foglio, che qui congiuntamente v' invio, che ſiete ſtato da me puntualmente ubbidito. Ma da che ho ſpeſo io l' ora di tempo, che voi volevate, nell' eſporre alla viſta voſtra le mie debolezze, mi ſo di buona voglia a ſpendere di più qualche giornata per farvi ſapere (con patto però, che ancor voi abbiate a ſpenderne alcun' altra per bene intendere) ciò, che ſin' ora non avete voluto capire per lo naturale ſuo verſo; cioè, che la mia ripugnanza a sì fatte coſe, non è altrimenti, come voi credete, o moſtrate di credere, modeſtia vera, ſiccome non è tampoco, come forſe crede alcun altro, mera ſuperbia, maſcherata d' una finta modeſtia. Per iſpiegarvi meglio queſto mezzo Paradoſſo, e per darvi conto ancora d' ogni altra mia ſimile renitenza, vengo adeſſo a dirvi il perchè io non abbia mai condiſceſo alle voſtre amorevoli inſinuazioni in ordine ad alcune coſe, da voi credute atte a darmi qualche riputazione nel Mondo, ſopra le quali avete più volte ſollecitata, e ſovente rimproverata la mia pigrizia. Volete dunque, ch' io vi dica ſinceramente, e da buono Amico, d' onde è nata mai ſempre la mia ripugnanza di produrmi in codeſta ſorta di Letterarie Adunanze, ove poſſa darſi fumo d' affettare o per queſta, o per l' altra più comune via de' carteggi, (perciò ſempre da me negletti) o per mezzo di qualunque altro ſimil traffico dell' Erudita Ciarlataneria, un poco di nome? Volete ſapere di più, perchè io nulla curante quel poco di credito, in cui forſe potrebbe andarmi mantenendo l' eſercizio aſſiduo della pratica Medica, abbia dato, come dite voi, quaſi un calcio alla medeſima, ſin contro le regole della buona Economia, nel tempo ſteſſo, che ſembrano pur anche accette al Mondo le mie, per altro deboliſſime, operazioni, ſecondate talvolta dalla Fortuna? Volete ſapere, perchè io non abbia mai di propoſito proſeguito il mio Trattato delle Febbri continue di carattere acuto? Volete in fine ſapere, perchè io non abbia mai voluto riformare nè dare alla luce, i

miei Conſulti ſcritti quà e là in varj tempi, ed in varie occaſioni, coſe tutte da voi troppo amorevolmente conſiderate, o per utili al Mondo, o per vantaggioſe alla mia memoria? Eccomi a ſoddisfarvi, anzi a ſoddisfare me ſteſſo, con riſpondervi a capo per capo, rivoltandone però l' ordine coll' incominciare dall' ultimo, e poi finire col primo.

Avanti pero, ch' io intraprenda a digerirne la ſerie, mi conviene per mio ſcarico, e per regola voſtra, premettere queſta proteſta, cioè, ch' io ſon per iſcrivervi con penna libera, ſenza prendermi ſuggezione alcuna nel dire tutte le verità, che poſſono giuſtificare le deliberazioni da me preſe, e rendere compatibile qualche mia paſſioncella, nata però da non cattiva radice, ma più toſto da un Zelo onorato, ch' altri forſe direbbe ſoverchio. Conſidero pertanto in voi il carattere di Confeſſore, in petto di cui depongo quelle verità particolari; che divulgate potrebbero pregiudicare all' eſtimazione di più d' uno, forſe troppo apertamente da me circoſcritto, ancorchè eſpreſſamente non nominato; laſciando poi alla voſtra Saviezza, ed alla voſtra Coſcienza la libertà di farne quell' uſo, che giudicherete convenevole e lecito, principalmente ove faceſſe d' uopo difendermi da qualche non meritata cenſura. Premeſſa ſerioſamente queſta proteſta, m' accingo a dirvi alla papale, e per lo più ſcherzevolmente per divertirmi, ma veridicamente per informarvi, tutte quante le mie ragioni. E poichè preveggo, che la Commediola parrà un poco lunga, penſo per annojarvi meno di dividerla in quattro Atti, voglio dire di riſpondere a' voſtri quattro Queſiti, tenendo l' ordine retrogrado, ch' io vi dicea, con quattro diſtinte Lettere, che mi ſono prefiſſo d' andarvi ſcrivendo, ſinchè ſto in Villa, a tutto mio comodo. Il Prologo è già finito, incomincia la Commedia, io compariſco in Scena colle quattro Lettere, e queſta è la prima.

Io non ho dunque mai ripulito i miei Conſulti, ſieno gli ſcritti in lingua Latina, o ſieno gli ſcritti nella Toſcana (non parlo del ſolo ripulimento, che pur ci vorrebbe, della Locuzione, perchè alla finfine ciò ſarebbe coſa più di noja, che di fatica) non gli ho mai ripuliti, diſſi, nè voluto dare alle ſtampe principalmente per due motivi. Il primo ſi è, che avendogli ſcritti in riſpoſta di Relazioni mandatemi da altri Medici, ſecondo che dalle medeſime ho potuto conoſcere, ſu qual ſiſtema ſieno eſſe ſtate lavorate nella Teorica, io per guadagnarmi più facilmente, e ſenza controverſia l' aſſenſo di que' Medici nelle Propoſte, ch' io facea loro in ciò, che riſguarda la Pratica, mi ſono andato ingegnando d' accomodarmi per lo più a' loro ſiſtemi, e ſecondo quelli d' adattare al biſogno le Medicazioni, e i Rimedj opportuni, di modo che ora ſon' andato a ſeconda de gli Umoriſti, ora de' Fermentiſti, ora de' Poriſti, ora de' puri Meccanici, e più ſovente di quei dall' Acido, e dall' Alcali, alla forza de' quai bellicoſi due Sali è ſtata attribuita fin quaſi al giorno d' oggi dalla corrente de' Medici tanta autorità, ch' io talvolta ho dubitato, ſe poſſano ſenza l' intervento loro, o ſenza la loro iſtigazione azzuffarſi inſieme due Eſerciti. Avendo io dunque per accomodarmi altrui ſcritto con incoſtanza nel Dogma, e con rapporto a varj Siſtemi, molti de' quali per altro io tenea, e tuttavia tengo per erronei, o per vani, o per inetti, ſe aveſſi a mettere cotai Conſulti alla luce, volendoli in oggi, come dovrei, addattare alle mie Idee, mi converrebbe fare una fatica gravoſa, che far non voglio, e non adattandoli, paſſare per un' Uomo da nulla, o molto più debole almeno di quel ch' io mi ſia.

Per ragion ſimile, ſe non in tutto, almeno in gran parte, penſo eſſere avvenuto, che Molti Medici di grado abbiano ſcemato di credito, allorchè hanno dato i loro Conſulti alla luce; imperciocchè ancorchè gli abbiano ſcritti ſopra fondamenti teorici da eſſi tenuti per veri, e non a ſeconda de' Placiti altrui, ad ogni modo variano tanto alla giornata i Siſtemi della Medicina, che in capo a due anni putiſcono quelle ſteſſe Dottrine, che poco dianzi ammantate di bel colore di novità oſtentavano l' apparenza d' eterne: ed oh quante Opinioni nate, ed applaudite per robuſte a' giorni noſtri, dureranno forſe meno della vita de' lori Autori!

I miei

I miei Conſulti adunque anche riveduti e corretti, alcerto correrebbero al pari degli altri, e probabilmente più de gli altri, la medeſima ſorte in queſto genere. Nel genere parimente della Pratica m' accaderebbe lo ſteſſo, perchè io non ſarei per mettere in campo Rimedio alcuno, che non foſſe ſtato uſato in qualche modo da que' Pratici, che hanno di profeſſione trattato di tutti i mali, giacchè un Trattato appunto de' Morbi di Tizio, di Sempronio, e non dell' Uomo in generale, ſono le Raccolte de' Conſulti, che ſi danno alle ſtampe, ſe pur talvolta alcuno d' eſſi non è più dell' Uomo in commune, particolarizzato ſolamente con un N. N. per compire il Catalogo di tutti i mali, che di Sempronio, e di Tizio. Aggiugnete, che ne' miei, oltre non eſſervi Rimedj nuovi, non s' oſſerverebbe nè meno moltiplicita, nè gran varietà ne gli uſuali: coſa che infinitamente annoja colla ſua quaſi uniformità, o ſimboleità i Leggitori, e ſovente ne ſcandalizza alcuni di genio amante perpetuamente del nuovo, del raro e del pellegrino: perocchè non poſſono eſſi perſuaderſi di queſta gran verità, che il Medicar bene, e con frequenza di ſucceſſi felici, non dipende dalla pluralità, dalla novità, o dalla preziosità de i Rimedj, ma dal ſapere adoperare a tempo que' pochi trivialiſſimi, che ſi ſono trovati migliori in pratica, e dal ſapere altresì non adoperarne alcuno, quando la Natura è diſpoſta per ſe medeſima al bene, ſenza voler' interromperla ne' ſuoi moti, nè meno tirarla, o cacciarla per forza, ov' ella andar non inclina. Queſto è quello che da riputazione al Medico; ma per l' appunto è quello, che non ſi può ſtampare ne i Conſulti, ed è ſtato certamente quello, che ha fatto eſſer Medici di grido que' medeſimi, a' quali poi ha più ſcemato, che accreſciuto il credito la pubblicazione de' ſuoi. Fanno più onore al Medico (credetelo a me) dopo la di lui morte gli uomini dal di lui Conſulto guariti, che non fa la ſtampa del Conſulto, per cui furono riſanati; perchè in quegli uomini maeſtrevolmente curati, reſta almen viva per qualche tempo l' Opera del Medico; ma nel Conſulto non reſta per iſtruzione de gli altri, ſe non la ſerie de' motivi, e degli ſtrumenti della lor guarigione, che noti ſono a tutti; non il Magiſtero, con cui furono quelli opportunamente adoperati; nel che ſolo conſiſte il vero cardine della Pratica. In queſto propoſito ripeterò qui ciò, che una volta ſo d' aver accennato nel mio Libro della China China, cioè che un bravo Falegname, che ſappia prender bene le ſue miſure, farà co' pochi, ſoli, ed ordinarj ſtrumenti dell' Arte ſua un belliſſimo Scrigno, ed un altro cogli ordigni medeſimi, e col medeſimo legno appena ſaprà fare un Caſſone da riporvi dentro le noci: ed a chi ben la ſapeſſe, ſaranno forſe ſtati ambidue ad imparare nella ſteſſa bottega, e ſotto lo ſteſſo Maeſtro. Diſcorretela così d' ogni altro meſtiere: Ma il mal da che naſce?

Il ſecondo motivo più rivelante ancora, per cui non mi ſon' io curato di rivedere i miei conſulti, per darli alle ſtampe, ſi è, che di qualche centinajo forſe, che ne avrò ſcritto in moltiſſime Città d' Italia, e fuori, non credo d' aver' inteſo l' eſito di dieci, o dodici. Sicchè dir non potrei, come omninamente avrei voluto, a piè di ciaſcuno: queſto è ſtato l' evento, o felice, o funeſto del mio Conſulto. Che in tal guiſa recando almeno qualche lume, e qualche vantaggio alla Pratica, non mi ſaria ſtato grave ſull' eſempio del Grande Ippocrate di rendermi benemerito dell' Arte, anche col frequente intercalare d' un' ingenuiſſimo -- *Mortuus eſt*. Non avendo potuto far queſto, non ho voluto far nulla.

Avrei qualch' altro motivo da aggiugnere; ma mia Moglie col mandato ſpeziale, che ne ha, fa chiamarmi a Tavola; nè io voglio farmi aſpettare, nè tampoco traſcurar l' occaſione, che precipitevole vien chiamata dal medeſimo Ippocrate. Scuſatemi perciò, s' io vi do occaſione d' eſercitar ſolamente per brieve tempo la voſtra ſofferenza in queſta mia prima Lettera, che m' ingegnerò di compenſare abbondevolmente il danno, ch' or faccio alla virtù voſtra, colla lunghezza dell' altre. A buon conto: e una: Aſpettatevi la ſeconda fra poco.

Qui dovea eſſere la Seconda Lettera, in cui adduceva le ragioni di non aver

proſequito il Trattato delle Febbri Continue di carattere acuto. Ma non ſi è trovata.

LETTERA TERZA.

Perchè ſi ſia ritirato quaſi affato dell' eſercizio della Pratica Medica.

VEngo ora ad appagare la terza voſtra curioſità, che è di ſapere perch' io mi ſia tanto ritirato dall' eſercizio cotidiano della Pratica Medica, anche contro le buone regole della propria Economia. Vi riſpondo adunque, ch' io ſono ſtato in certo modo neceſſitato a far queſto dalla frequenza de' miei (permettetemi l'uſar queſta voce ſenza fare atto oltraggioſo alla Cruſca) dalla frequenza, diſſi, de' miei acciachi, per cagion de' quali trovandomi impedito, ora un giorno, ora un' altro; anzi eſſendo poco men che ogni giorno obbligato al ripoſo del Letto, ſino all' ore aſſai avanzate della mattina: ho conoſciuto di non potere, e forſe di non dovere aſſumere tutto ſu le mie ſpalle il peſo di cuſtodire la vita d' un' uomo, con certezza morale d' aver a mancare più d' una volta dalla dovuta aſſiſtenza, e in fine di dovere ſoſtituir' alcuno, che poi forſe non vorrebbe veſtirſi delle mie Idee, per non far la triſta figura di Stoppabuco. Per queſto motivo in sì fatta materia io non fo più contratto con gl' Infermi, da me ſolo: appena prendo l' obbligazione d' aſſiſterli in ſocietà; come Sigurtà però ſempre; non mai come Principale; perchè a dirvela, avend' io fin quì medicato con qualche fortuna, mal volentieri mi metto più all' azzardo di far l' Indovino, per non incontrar una volta a fronte d' una Vecchiarella ſul finir de' miei giorni la mala ſorte, che incontrò, il Vate Calcante a fronte di Mopſo, che meglio di lui indovinò di quanti Porchetti era pregna una Scrofa, o di quante frutta era carico un Fico Selvatico; per lo che il miſero Calcante perdette preſſo i Greci tutto quel credito, che s' era acquiſtato in tanti anni di Vaticinj averati. Proclive per l' appunto ad una ſimil diſgrazia incomincia a rendermi la durezza, quantunque non peranche eccefſiva, dell' udito mio, la quale, per dir vero, non m' è d' impedimento tanto leggiero per ben medicare, ove io abbia da oſſervar la voce d' un' Infermo aggravato, per cavarne talvolta indizj e preſagi, e dove io abbia a ben rilevare la conneſſion de' diſcorſi, e per ſino le tronche parole, in caſo d' oſcuri ſoſpetti di qualche alienazione di mente, oppure ove ſia d' uopo diſtinguere in modo particolare qualche baſſo e profondo ſubbollimento di Catarro nel petto, o che ſo io: coſe tutte, che per mezzo de' domeſtici dell' Infermo, ſovente rozzi, o confuſi, non ſi poſſono abbaſtanza comprendere dal Medico, quanto almeno biſognerrebbe. E però veggendomi io far talora la comparſa d' un uomo mezzo ſtolido, quando ſon coſtretto a chiedere altrui ciò, ch' abbia detto in baſſa voce l' Infermo, o quando mi vien' egli ſtrambamente ridetto da un ſervidore di caſa nel più alto tuono dell' -- *Ite Miſſa eſt* -- mi viene una rabbia tale, che poco manca, ch' io non lavi allora l' onta mia col liquore, che ſtillarono le reni del ſuo Padrone.

Ma poichè ſiamo ſu le baje, voglio dirvene un' altra, che non è poi baja in tutto, bench' io ve la porti in iſcherzo; anzi è una di quelle ragioni, per le quali volentieri m' aſtengo dal medicare anche ſoprachiamato all' altrui cura. Non medico io adunque, come una volta, per la noſtra Città, non tanto pe' motivi addotti di ſopra, quanto perchè in eſſa parlando medicamente non vi ſono più mali, o ſe pur ve ne ſono, non ſono almeno più quelli, ch' erano a' tempi addietro. Mi ſpiego: una volta in occaſione di conſultare ſopra qualche malato, il Medico informante, narrata la Storia e gli accidenti della malattia, diceva; *queſto a mio giudizio è il tal male, la cui ſede unicamente, o principalmente* (ſecondo il caſo) *io la conjetturo nelle tali viſcere, o nella tal altra parte*; e a tenore di tale idea giuſtificava la cura da lui fatta in paſſato, e cavava le ſue indicazioni per l' avvenire. Adeſſo vedendo io, che i noſtri Medici per lo più non badano a riconoſcere le parti affette, nè battezzano con alcun nome le malattie, ma le confondono colle credute lor cagioni, pare a me, che i mali de' tempi andati più non ci ſieno, o che non ſieno

più

più quelli , ch' erano allora . In fatti quando informano qualch' altro Profeſſore , diranno eſſi per cagion d' eſempio : *Queſto Signore ha un acido eſuberante nel ſangue ; Queſt' altro vi ha una ſoverchia viſchioſità , che impediſce il libero corſo , ed il moto circolare del medeſimo . Queſt' altro poi l' ha d' una teſſitura così denſa , che la ſteſſa materia non può penetrare per entro i globoletti di lui . Queſto ha ſpoſſate le fibre de' ſolidi , ſicchè non reggono all' urto de' fluidi , nè hanno il moto oſcillatorio convenevole al mantenimento dell' equilibrio de' medeſimi . Queſt' altro patiſce un' eſaltazione di bile sfrenata , che ſuſcita fermentazioni diaboliche , traſporti alla teſta* , e che ſo io . Ma in buon' ora , che male hanno eglino codeſti Signori ? Aſma , Tiſicchezza , Paraliſia , Podagra , Diſenteria , o qualch' altro più diſperato malore ? giacchè ſotto codeſte voſtre generalità potete comprendere tutti queſti , ed ogni altro male , ſe così vi piace . Battezzatelo dunque una volta con qualche nome ſecondo il voſtro intendere , o dite almeno , come l' hanno chiamato a' ſuoi giorni i Maeſtri dell' Arte , che vedremo poi s' egli ſia prodotto dalle Cagioni , che mettete alla prima ſul Tavoliere , e ſe da eſſe ſole , o ſe inſieme da altre più particolari , e più proſſime ; ma a queſta poſitiva determinazione mai non ſi viene , per non inciampare . Per queſto s' inciampa poi nella cura , e ſi danno talvolta Rimedj anti-iſterici , od uterini , per curare un' Ernia inteſtinale , inteſa beniſſimo per tale da altro Medico al ſolo ſentirne la Relazione ſenza vederla , ma dal Medico curante nè inteſa , nè riconoſciuta col tatto , ma preſa confuſamente per un dolore indeterminato , miſto di Colico , e di Matricale , ſgridando poi anche il Chirurgo , perch' abbia ripoſto per carità l' Inteſtino , e liberata dall' orlo della foſſa l' Inferma . Per la ſteſſa diſattenzione al tatto ſi preſcrivono per meſi interi (chi il crederia ? i Rimedi , che ſogliono uſarſi nella Colica , quando il male conſiſte nella ſlogatura del Femore per una caduta : il che toſto poi vien conoſciuto , e meſſo in chiaro dal Medico ſoprachiamato . Per cecità conſimile in una ſuppreſſione di Menſtrui lunga e confermata di Donna nobile , avente già il color Cachettico ſul viſo , ed il gonfiore edematoſo ne' piedi , ſi ardiſce di rigettare l' uſo de' Rimedj Marziali , intrapreſi con tutta ragionevolezza da altro Medico , ed al fine con eſito feliciſſimo adoperati ; e col vano ſuppoſto di ſegnalarſi con Paradoſſi nella ſteſſa Pratica , ſi ſoſtituiſce loro per 25. o 30. giorni tre Libre di Siero ogni mattina . Nè ſi ha roſſore , quando s' è convinto alla prima prova di sì majuſcolo Scorbione , di volerlo canonizzare per via di ridicole ſtiracchiature coll' autorità d' Ippocrate , o di Marziano . Per lo contrario ſi ſprezzano , come immaginazioni Ipocondriache le Soffocazioni , e le notturne difficultà di reſpiro , che obbligano a balzare dal Letto , quando la ſcarſezza , ed il roſſore delle Orine , e la gonfiezza bottacciuta dell' eſtremità moſtrano , che l' Idropiſia del petto porta l' Infermo viſibilmente al ſepolcro . Per lo diſuſo abituale parimente , per cui non ſi vuole , o non ſi ſa inveſtigare la natura de' Mali , ſi giugne a ſegno di non voler ne meno aſcoltare , anzi di ſprezzare poſitivamente gli avviſi di chi preveda opportunamente un minacciato Letargo in Febbre non conſiderata , ſe non per Cronica , o di chi tema il precipizio d' una Punta coperta , poco o nulla apprezzata in Soggetto illuſtre ; poi ſi fanno le maraviglie dell' altro Mondo , quando arriva il torrente addoſſo ; nè ſi ha vergogna di dire a quel medeſimo , che ne avea dato l' avvertimento : *Chi mai l' avrebbe penſato* ? Queſta eſclamazione però non arriva nuova , nè muove a ſdegno , ma più toſto a riſo , chi è avezzo a ſentirſi proporre per Rimedj pellegrini , e per tolti da Cratone , o da altri quei ſteſſi , che ſa d' aver' egli uno , o due anni prima , inſegnato a que' tali , e dettata loro fin la Ricetta , perchè non errino nell' eſecuzione . Ma poco importa a gli uomini oneſti la privata ingratitudine altrui , purchè ne riſenta comodo il Proſſimo ; importa loro bensì il dover vedere , o ſentir tutto giorno , ſenza potervi metter riparo , le ſtravaganze , che ſuccedono ; e conoſcere che ſuccedono principalmente , perchè non ſi bada bene ad eſaminare , e ſtabilire il Male qual ſia , ma arreſtandoſi ſopra iſpezioni generali , ſi va buttando di quà e di là , e ſi procede ſenza Metodo , e con andamento analogo a più Morbi ; ma ſovente op-

posto a quello, che si prende a curare, senza averlo capito.

A tutti veramente possono accadere, ed accadono talora impensate disgrazie; ma Granchj della grossezza accennata non sogliono prendersi in vero, se non da quegli; che si vergognano di visitare la parte affetta, o visitandola non ne sanno la natural positura, come anche da quelli abbagliati dal primo barlume d'un segno equivoco, nulla si curano d'internarsi nell'esame de gli altri Fenomeni congiunti, per poter formare l'Idea positiva della natura del Male, e dire: *questo è il tal Male, il di cui pronostico è questo, e questa dovrebbe esserne la Cura*. Di quì avviene, che quando vedono qualch'altro Medico accertare nel pronostico meglio di loro, dicono ch'egli è fortunato, o pure scaltrito nel presagire, quando l'accertare nel predir l'esito nasce dal solo accertare nella natura del Male, conosciuto il quale ogni Libro insegna anche a' principianti il dire, se probabilmente l'esito abbia ad essere felice, o funesto, o pure s'egli sia di sua natura incerto. Ma chi, senza formare Idea determinata, va misurando a giornata le febbri, e ne' primi giorni prende per un' Effimera, poi ne' susseguenti per una mite Terzanella doppia una Febbre da mortalissimi accidenti attorniata, non ha ragione di dar nome d'uomo meramente fortunato nel pronostico a chi conoscendola al primo tatto, incalzi con solecitudine proporzionata al pericolo l'amministrazione de' Sacramenti, o a chi conoscendo il carattere pernicioso d'una Febbre Intermittente, ne sappia predire il precipizio, nel mentre ch'altri sta spensieratamente aspettando il benefizio alterno delle buone giornate, ch'avriano a venire, se la morte non preoccupasse il venir loro. Ci vuol'altro poi dopo tali enormissimi Schicheroni, ci vuol'altro, dissi, che mettersi addosso un ridevole timor panico, e senza ponderare giustamente il valor de' Sintomi, sproposítare ugualmente nell'opposto, ed ordinare il Viatico in una Febbre di non veduta, o non conosciuta Resipola in una gamba, o pure soffocar nelle fasce una Terzana salutar e benigna, per un poco di mal di stomaco nel principio, o per un poco di riscaldamento di testa nel vigore dell'accessione.

Ma riassumendo il proposito del costume, che hanno alcuni Medici di non nominare quasi alcun male con alcun nome, quantunque ciascheduno abbia il suo da tanti Secoli: debbo soggiugnervi, che codesta infezione s'è trasfusa per consenso, o per contagio anche ne' poveri, e semplici Infermi, i quali addottorati nel mal'uso, non sanno più dire, dove lor duole. Vi farò ridere, se di cento casi similissimi, che mi saranno accaduti, un solo ve ne racconto. Fui, non ha molto, richiesto di consiglio da uno, che meco dialogizzando, come sentirete, si persuase d'informarmi eruditamente d'un male, che pativa, e favellomi in questo modo. *Signore, io ho dello Scorbutico nel Sangue. Me ne dispiace*, rispos'io; *ma che indizio avete voi di cotesto carattere Scorbutico nel vostro sangue? Forse avrete delle macchie livide per la vita, qualche corrosione di gingive, qualche uscita di sangue dalle medesime, o da altre parti anche insolite del Corpo; non è egli vero? Non già per grazia di Dio: non ho alcuna di queste cose*, soggiunse egli: *Dunque ditemi l'incommodo positivo, che ne provate. Oh può ben'ella immaginarsi, or che le ho esposto il mio male, che cosa prova uno, che abbia lo Scorbutico nel sangue, come ho io, Ma pure* soggiunsi, *ditemelo voi, perchè molti e diversi in diverse persone sono i caratteri, e gli effetti dello Scorbuto; nè io posso immaginarmi quelli della vostra persona, se non me li narrate. Per dirla, questa cosa mi dell'inquietudine, perchè mi dicono tutti, che lo Scorbuttico nel sangue può cagionare col tempo cattivi effetti, ed in fatti io pur troppo sovente li provo. Ed io perciò vi dimando, che cattivo effetto voi ne sentite adesso. Adesso veramente non sento quel gran male, che ho avuto alle volte: ma il mio Medico mi ha sempre detto, che questo Scorbutico malandrino, che ho nel sangue, è la mia rovina. Un malanno tche vi colga*, stetti per dirgli: *Io non cerco cosa ne dica il vostro Medico; cerco dove vi duole, e dove vi è doluto, quando avevate quel gran male, che voi dite di avere più d'una volta sofferto. In quanto a questo, certo che ho avuto dolori atrocissimi per questo Scorbuti-*

co

co traditore , che me ne ricorderò in tempo di mia vita . E bene in qual parte avete avuto cotesti dolori ? Da per tutto . Nella Schiena , ne' Fianchi , nel fondo del Ventre , nello Stomaco , che so io ; e ne ho avuto molti e molti attacchi , anzi il Medico , che mai non avea forse voluto affliggermi , perchè mi vuol bene , finalmente una voltà arrivò a dirmi , ch' erano dolori partecipanti dello Scorbutico , per lo Scorbutico appunto , che ho sempre avuto nel sangue . Avete voi in quel tempo avuto vomiti ? Signor sì . Di maniera più tosto acida ? Signor sì . I dolori erano eglino principalmente a' fianchi , alle Reni , e sotto le costole ? Per l' appunto . Facevate voi allora orine sottili , o torbide e grosse ? Di tutte le sorti , Signore . Avevate voi ardore alcuno , o difficultà nell' orinare ? Assai ; ma sapete meglio di me , che questo è il costume dello Scorbutico nel sangue , ed io pure l' ho imparato a mie spese , oltre l' avermelo insegnato il Medico . Bene avete avuto un valente Maestro (m' intendo d' alludere al vostro Male) ma ditemi : Quelle orine torbidastre deponevano elleno poi alcuna feccia , o qualche sabbia nel fondo dell' Orinale ? Canchero , e di che sorta ; anzi alcuna volta de' Calcoletti , che chiamolli allora con suo stupore il Medico , cioè certe minute pietruzze indurate col calore , e dall' acido dello Scorbutico , che coagulò le materie tartaree (non so se dico bene , come disse il Medico allora) in quel modo , che naturalmente si tartarizza dall' Acido occulto la feccia del vino nella Botte . Benissimo : usciti poi que' Calcolelti , m' immagino , che siate stato bene , non è egli vero ? Sì Signore ; ma resta tuttavia lo Scorbutico nel sangue , che dicono mi può far di nuovo le stesse burle . Può essere veramente che sì , conchiusi io , Gli accennai nondimeno per qualche precauzione del dolore Nefritico ciò , che credei potergli essere profittevole , secondando però la sua credulità , con dirgli , che il metodo da me prescrittogli , era diretto a corregere al possibile lo Scorbutico carattere impresso nel di lui sangue , a fine di tener in tal guisa lontano , o almeno di rendere più mitte il dolore , e men frequente , e men forte la generazione de' Calcoli . Così ridendo tra me stesso con tutta la flemma mi passai questa , che avria potuto servire per suggetto d' una Farsetta a Moliere ; ma non così potrei passarmene cert' altre in pratica , se continuamente l' esercitassi . E specialmente non saprei passarmene una , la quale effettivamente mi muove la bile , ed è quella di vedere , che non formandosi Idea distinta e giusta delle varie spezie di Febbri , che pur ci sono , e sono tra di loro infinitamente diverse , ma considerandosi elleno , quasi tutte a mazzetto senza distinzione veruna s' urta communemente e vergognosamente in questi due scogli . Uno si è di non dare la China China , ov' ella è necessaria , per esempio in una Febbre Intermittente Pernicioſa non conosciuta per tale , o in una pericolosa Communicante presa erroneamente per una vera Continua , perchè l' Infermo con essa continuamente febbricita , quasi che non sieno due cose infinitamente tra se diverse , benchè da taluno non mai capite , cioè l' aver continuamente la febbre , e l' avere la febbre Continua : distinzione onninamente pratica , e tale , che chi ben non l' intende , non sarà mai buon Medico in vita sua . L' altro scoglio più frequente , più scandaloso , e più commune è il darla indifferentemente e farne tumultuariamente uno scialacquo sterminato in tutte le Febbri , anche in quelle , che non ne abbisognano , e che non ne ammettono profittevolmente l' uso , e similmente in ogni tempo , anche in quello , nel quale il fermarle può sovente esser nocivo . Cresce ulteriormente in me la bile al veder cadere quasi abitualmente in quest' ultimo errore quegli principalmente , che in altri tempi m' hanno avuto a mangiar' il naso sul volto , quand' io loro la proponeva ne' casi bisognevoli , e ne' tempi opportuni . Va finalmente all' eccesso la mia secreta indignazione , allorchè sento propormela , ed inculcarmene strepitosamente l' uso ne' casi appunto , e ne' tempi impropri , da taluno , che forse non molti anni prima avrà voluto più tosto lasciar perire un' Infermo , che dargli un tal Febrifugo da me proposto per unico Asilo di sua salvezza . Non ho io dunque ragione ; se per fuggir l' occasione d' altercare nella mia vecchiaja con chi non ha in testa i buoni principj dell' Arte , mi vado schermendo , e ritirando più che posso dal medicare , a fine di non avere a disturbarmi nel mio interno per

ſtravaganze cotali ? Egli è vero , ch' elleno ſono ſtate tutte da me prevedute , anzi da me preſagite in più d' un luogo del mio Trattato ; ma ciò che ha giovato egli ? Dirò di vantaggio : che ha giovato d' aver' io iſtituito a queſto ſolo fine un' intero , e proliſſo Capo (ed è il Quinto del Quarto Libro) per render ben cauti i Medici a non fermare così per poco colla China China il corſo delle Febbri , ſpeſſe volte tanto più depuratorie , quanto più impetuoſe , mettendo loro ſotto gli occhi la gran differenza , che corre tra lo ſpontaneo ſcioglimento d' eſſe Febbri , e l' improvviſo ſupprimerle ſenza poſitiva neceſſità ? Dio buono ! Non hanno eglino veduto almeno quanto , ciò non oſtante , abbia avuto che dire contro di me il defunto celebratiſſimo Ramazzini , che intento a deteſtare un tale abuſo , laſciò traſportarſi dal ſoverchio fervore a condannarne fin l' uſo più regolato , e più cauto ? Meglio era forſe , ch' io confutaſſi più freddamente le oppoſizioni di quel Valentuomo , per non dire , ch' io laſciaſſi correre ſenza riſpoſta il ſuo abbaglio , perchè almanco aveſſero qualche rimorſo del loro inconſiderato operare quelli , ch' erano sì fattamente per abuſarſene . Tuttavia non ſo pentirmi d' aver detta la verità : nè voglio già per queſto far come quel mal morigerato Predicatore , cui rincrebbe d' aver predicato troppo bene , perchè troppo ne rimaſe compunta l' Amica ſua ; non è però che non m' increſca il veder naſcere dal buon ſeme , ch' io gettai , tanta Zizania . E poi non volete , ch' io , avendone tant' altre giuſte ragioni , mi vada ſcanſando quanto mai poſſo dal medicare anche per queſta ? Vi confeſſo , che ſe mai da qui avanti mi ſentiſſi maeſtrevolmente proporre , come alcuna volta m' è accaduto , la China China , dove , o quando la conoſceſſi inopportuna , non avrei più la ſofferenza , che ho avuta allora ; nè meno quella , ch' io aveva , quando ne veniva tempo fa rigettata indebitamente da altri la mia propoſta ; imperciocchè m' era più facile il ſopportare in quel tempo propoſte o ripulſe ingiuſte da chi non ne conoſcea , o non ne credea l' intero vigore , che non mi ſarebbe il tollerare adeſſo d' eſſere importunato a darla intempeſtivamente da taluno , cui ſapeſſi d' aver' io inſegnato , ſto per dire colla ſferza alla mano , di bene adoperarla . Compiangerò più toſto , ma ſtando , come ſuol dirſi , alla fineſtra ſenza dir nulla , lo ſcialacquo inutile , e forſe talora nocivo , che ſi fa di sì prezioſo Rimedio , e sì prezioſo in vero , che ſe mai per noſtra diſavventura ci veniſſe egli meno , reſterebbe un mezzo Cadavero la Medicina .

Voi forſe non vi perſuadete sì facilmente , che in Modena , ove mi riuſcì tanto difficultoſa l' introduzione del mio Metodo di curar le Febbri Pernicioſe Intermittenti , o Comunicanti colla China China , abbia potuto andar ſerpendo l' abuſo contrario , in guiſa , che non oſtante l' aver' io date le avvertenze più circoſpette per tener la Barca in mezzo a i due Scogli detti di ſopra , coll' approvazione univerſale della Repubblica Medica , poſſa eſſervi alcuno , ch' abbia il coraggio d' opporſi alle limitazioni ragionevoliſſime , ch' ivi ho fiſſate , per metter freno alla preveduta intemperanza d' alcuni , e quel ch' è peggio d' autorizzare in faccia mia il proprio ſcialacquo , col prenderne tutto il motivo dal medeſimo mio Trattato , e pure ella è così . M' è accaduto di trovare (lo credereſte !) chi citando me contro me , ho preteſo di convincermi , che ſia ragionevole il dare la China China a' Tiſici già conſunti , ad Idropici , ed a ſimili altri malati incurabili , come anche in tutti que' Morbi , ne' quali non ſi vedono giovare i ſoliti loro Rimedj , al che non potendo io acconſentire , m' è convenuto in fine ſentirmi dir ſul moſtaccio : *Non ſiete voi quello , che tante volte avete detto nel voſtro Libro , che la China China è un Rimedio affatto innocente ? Perchè dunque non potrà ella ſempre tentarſi ? Se in queſto avevate delle Limitazioni da ſuggerire , o pretendete tuttavia d' averle indicate , dovevate immediatamente ſoggiugnerle in que' luoghi medeſimi , ove avete piantata la prima maſſima , e non dare occaſione a chi legge di poterſi ingannare ſul detto voſtro* . Immaginatevi voi , che mi conoſcete , Signor Propoſto , ſe allora mi ſubbolliva nel ventriglio il pignattino della bile ; pure con tutta la flemma a me poſſibile così riſpoſi a chi mi fece queſto rabuffo : *Io ho detto , egli è vero , in più luoghi del mio Trattato ; l' ho detto nella mia Apologia , lo ratifico tutt' ora , e meco lo*

to lo confermano quanti Autori ho io portato in tal propoſito , che la China China è un Rimedio di ſua natura innocentiſſimo ; e per convincere quegli oſtinati Umoriſti de' tempi addietro , de' quali non è peranche eſtinta tutta la razza , ho dimoſtrato , ch' ella non ha niuna qualità ſenſibile in eccesſo ; che d' occulte non ne ha altra , che la Febrifuga . Che non ne ha di Veneſiche , o di Narcotiche ; ch' ella non fiſſa gli umori , come una volta acerrimamente m' opponevate voi ſteſſo , ch' oggi la dareſte , ove altri la rigettano , e la dareſte ſolamente , perch' ella è Rimedio Innocente . Ho detto in oltre ch' ella non fa ſpargere il Fiele , non fa diventare Idropico , non fa cadere Apopletico , non fa tornare le Febbri aſſai più gravi , e più pericoloſe delle prime ; in ſomma , ch' ella non è quel Rimedio ſuperſtitioſo , o Diabolico , che l' hanno dipinta , e diffamata alcuni Scribillatori , e Medici del Secolo paſſato , a' quali ha poi chiuſa la bocca , e ſpuntata la penna l' univerſale coſtante ſperienza in contrario , per tacere , e non ripetere quanto m' è occorſo di dirne nel riſpondere a ciò , che troppo eroneamente ha oppoſto in queſti ultimi tempi contro di eſſa il buon Ramazzini ; e finalmente ho giurato col Bado , col Mortone , e col Sydenham (i quali pubblicamente prima di me hanno fatto lo ſteſſo) di non aver mai oſſervato , che di tanti , a' quali l' ho data , abbia ella fatto nocumento ad alcuno . O penſatevelo , ſe dando io in queſti incontri , quando più procurò d' allontanarmene , voglio poi andarne in traccia , e cercare il Boja , che mi fruſti . Troppo conoſco la calda mia tempra , alla quale ſe voglio laſciar le redini , ne patiſce la Prudenza , e ſe voglio ritrarle , ne patiſco io ; ſicchè il minor male ſi è lo sfuggirne al poſſibile l' occaſione .

Non mi beffate no Signor Propoſto . perchè io non ſo eſſere flemmatico come voi . Già ſo , che anche adeſſo mi ripetete in cuor voſtro il ſolito Intercalare , e mi dite : io non niego , che non abbiate qualche ragione , ma fratel mio caro , in capo all' anno vi torna poi ella a conto codeſta voſtra disdegnoſa ritiratezza ? Non mi toccate di grazia , vi repplico anch' io , mai più queſto taſto , ſe non volete farmi incorrere nella taccia , che diede Platone a quel Filoſofo , il quale con faſto ſcandaloſamente maggiore , calpeſtava il faſto di lui . Voi pure mi conoſcete , e perciò potrete nello ſteſſo tempo aver conoſciuto , che l' Intereſſe non è eſca baſtante per rendermi grato ciò , che non è di mio genio . Dovrete più toſto addurmi il motivo della Carità verſo il mio proſſimo , ſe non foſſe perſuaſo , che dove trattaſi di Carità , profeſſo tutta la prontezza (quand' io poſſa) nell' eſercizio dell' Arte ; ove poi trattaſi di profittar nella borſa , laſcio queſt' utile a chi lo vuole ; nè credo allora di mancare alla Carità ; perchè non ho tanta proſunzione di me medeſimo , ch' io mi creda Artefice neceſſario nella mia Città ; maſſimamente in una Profeſſione , in cui i buoni ſucceſſi ſono ſovente opera della Natura , più che dell' induſtria dell' Arte . Se dunque vogliamo ridurre la coſa al punto Economico , che mi toccate , ſentite anche ſopra di queſto la mia ragione . Io veramente non ho molti beni di Fortuna ; ma queſti , o ſoli , o con poc' altro d' acceſſorio baſtano al mio conveniente biſogno : non ho Figli , nè altri che (come ben ſapete) ſi renda degno di veruna mia beneficenza ; per chi dunque , quand' anche poteſſi , ho io a faticare ? E poi ſiccome non ſon mai ſtato avido di guadagno , anche quand' io qualche poco più ne abbiſognava , con qual coraggio vorreſte , ch' ora mi metteſſi in concorſo , ed alle moſſe per guadagnare un Pallio di 50. 60. Doppie di più all' anno ; dopo eſſermi diſpenſato dal guadagnarne ogni anno appunto , ſtando ſemplicemente a ſedere , uno di mille e cinquecento per lo meno ; unito a gradi onorifici , e tali da far mutar condizione ad un povero Galantuomo , qual' io mi ſono ? Biſogneria ben , ch' io foſſi della dolce taglia del Piovan Bietolone , che ricusò d' eſſer Veſcovo , per non aver la ſuggezione di benedire i Calici , e le Campane , e poi s' acconciò per Sagreſtano nella Chieſa di tutti i Santi , ove ogni giorno ſpoſſinava i Calici , e ſonava le Campane a Feſta . Eh via diſcorretemi d' altro , che di queſto non voglio ſentire a parlarmi . Servitor voſtro . E tre .

LET-

LETTERA QUARTA.

Perchè non abbia data facilmente mano per essere aggregato ad insigni Accademie.

Siamo finalmente alla quarta ed ultima Lettera, più libera, e più ardita di tutte l'altre. Risguarda ella quello, che fu il primo de' vostri Quesiti, cioè certa mia non curanza di glorie non meritate, e per questo vane, anzi certa mia positiva avversione al mendicar fama alcuna per via di Negozj, di Maneggi, o d'affettate Aggregazioni ad insigni Accademie, o ad altri simili Consistituti. E qui adesso viene il buono Signor Proposto mio caro. Statemi ad udire; ma con patto, che aspettiate d'aver letto tutto, prima di scandalizzarvi di me. In primo luogo vi dico, ch'io non voglio sforzare le genti, ad avere di me quell'Estimazione, ch'io non mi sia in qualche modo meritata colle mie qualsifieno operazioni, favorite però dall'assistenza del Cielo. Di queste adunque ne ha da giudicare nel gran Teatro del Mondo, senza la violenza de' Panegiristi adulatori e partiali, la sola naturale persuasione, che abbiano del valore di esse le Persone, o per sapere, o per isperienza capaci di giudicarne. Fra queste ultime intendo di comprendere il Popolaccio medesimo, che può averci la sua parte anch'esso, in quel modo, che del valore, e della qualità d'un' Opera Scenica s'appartiene il vero Giudizio al sentimento uniforme, che n'abbia tutto il complesso, per altro inegualissimo, de gli Spettatori, e de gli Ascoltanti di essa.

Vi dico in secondo luogo coerentemente a questa mia Massima, ch'io non mi curo di procacciarmi alcun nome per le strade antidette, perchè (guardatevi Signor Proposto, ch'io sto per dar fuoco ad una gran Bomba, che potrebbe ammorbarvi col fumo, di cui la vostra dilicatezza la troverà forse ripiena) non mi curo, dissi, di procacciarmi alcun nome per le strade antidette; perchè senza tante Arcigogole, fin che son vivo, io mi contento di quel poco di credito, in cui nella mia Professione mi ha collocato il mero favore della Fortuna, sia per la soventemente avventurosa veracità de' presagi, o sia per la non men frequente Felicità delle Cure, forse per essermi spesse volte incontrato in quegl' Infermi, che, quantunque aggravatissimi, non aveano per buona lor sorte assolutamente a perire. Dopo la mia Morte poi a me basta, che il mio Nome rimanga col carattere d'Uomo Onesto: che per altro poco mi cale d'esser' annoverato fra Letterati, o fra valenti Medici. Pure se ho da confessarvi con ischietezza la verità, anche rispetto alle cose Letterarie della mia Professione, arrivo quasi (sospendete di nuovo, vi prego, fino al fine di tutta la Lettera il condannarmi di soverchia Jattanza) arrivo quasi a presumere d'essermi avventurosamente abbattuto di scoprire, e di comunicare al Mondo in iscritto, benchè senza fondo di vero sapere, cosa (do fuoco adesso alla Bomba) per cui spero di lasciar qualche non in tutto dispregievole memoria di me, lungi dall'aver avuto certamente a questo la mira, ma solamente al pubblico bene. Se dunque ho ritrovato casualmente entro la polvere d'una via pubblica, ove tant'altri camminano, una gioja da essi non veduta, la quale mi fa ricco abbastanza: perchè ho io da andare accattando un tozzo di pane per Limosina da questo e da quello? Ma piano, Padron mio (vi sento dirmi) se vi siete protestato sulle prime di voler riportarvi in tutto e per tutto al giudizio del Mondo, aspettate, che dicano gli altri il pregio del vostro ritiramento: che il dirlo non istà bene a voi; quand'anche ne parliate con qualche verità. Per questo appunto (vi rispondo io) che voglio rimettermi interamente al giudizio del Mondo; ho detto a voi solo schiettamente la ragione, per cui mi ci voglio rimettere. So ancor' io, che bene a me non istarebbe il dire cotal ragione a tutti, od a' certuni ancora; ma perchè non pos's' io dirla confidentemente a voi, come a mio Confessore, chiedendovene nell'istesso tempo l'Assoluzione come faccio, s'egli è peccato? Bontà di Dio! non s'ha da poter svelare con libertà, purchè segretamente ad un' Amico Savio il concetto anche favorevole, che s'abbia delle cose sue, senza offendere la Modestia, quando certamente si sa di dirne puramente il vero? Non niego, che modo più lodevole non fosse il parlar sempre

pre baſſamente e con umiltà delle proprie produzioni, ſe ciò ſi faceſſe per vera virtù; ma io trovo, che codeſta in tutti, o quaſi in tutti è una mera affettazione, perchè chiunque mette qualche ſua coſa in pubblico, non la può creder cattiva, o debole, come la predica. Quanti mai parlano umilmente delle ſteſſe vere loro inezie, ſolo perchè altri le eſalti, mercechè le credono coſe grandioſe in lor cuore? A codeſti tali ſe per avventura da un' uomo libero veniſſe accordata per vera l'abbietta loro Aſſerzione, coſa ne direbbe mai l'affettata loro Modeſtia? Oh che ſmanie? Che ſtorcimenti? Che grugni? So bene, ch' io potea ſperare da voi in opportune occaſioni una piena giuſtizia a quel poco di buono, di cui ſembra ch' io vada tronfio e faſtoſo, ſenza nauſearvi, come forſe faccio, colla mia proſunzione. Ma Dio buono, ſe volete farmi o Giuſtizia, o Grazia, laſciate dunque, che almeno v' informi, perchè altrimenti nè voi forſe, nè alcun' altro farà una rifleſſione, che per una parte a me ſembra vera, non meno che forte; e per l' altra non è tanto facile a farſi da tutti, ma ſolamente da' Medici, molti de' quali non vorranno, ed alcuni non ſapranno farla; Sicchè molto meno potrete farla voi, s' io non ve l'addito. Additata poi, ch' io ve l' abbia, abbruciate ſubito queſto Scartafaccio: e s' ella v' entra ſenza farne me Autore, fatela voſtra, per valervene contro qualche mio Detrattore, o per giuſtificarmi della mia freddezza, o non curanza d' entrare nel fumoſo Letterario Commerzio. Che ſe per diſavventura ella non v' entra, mettetela a monte, che pell' uno e nell' altro modo reſterà tra voi e me ſepolta e compatita inſieme, come ſpero, queſta mia debolezza. Merita ben' ella forſe il voſtro compatimento, ſe non per altro, almeno per eſſer queſto il mio primo Delitto in queſto genere contro la Modeſtia, Virtù che ho trovata ſin' ora utile per l' altro Mondo più che per queſto, nel quale ella a me per lo più è riuſcita o dannoſa, o incomoda, eſſendomi ſucceduto più d' una volta, che l' aver io attribuito per Modeſtia, od accordato con ſimile connivenza all' indiſcreta Scempiaggine d' alcuni il merito di qualche operazione, per altro interamente mia; l' averne, dico, attribuito, o laſciato attribuirne il merito all' attenzione, ed al ſapere del Signor Tale, o del Signor Tale, è ſtato cagione che il Signor Tale appunto ſi ſia buſcata la Gloria, ed il premio, ed io ſia rimaſto più di quattro volte col famoſo *Sic vos non vobis* di Virgilio. Per lo contrario ho veduto che certi ſtomachevoli Milantatori della propria abilità a furia di ciance ſi ſono fatti largo e cacciati avanti, onde ho conoſciuto anch' io per lunga pratica, *Che Fra Modeſto non fu mai Priore*. Permettetemi adunque anche voi per queſta volta ſola, ch' io poſſa far con voi ſolo una ſimil figura di Farfarone, con predicar qualche coſa di me nella prima parte, per iſpiegarmi poi più modeſtamente nella ſeconda di queſta Predica, della quale non avete inteſo ſin' ora altro, che uno ſtucchevole Proemio. Favoritemi pertanto della voſtra benigna attenzione, ed incomincio.

Avrete già compreſo beniſſimo ch' io ſin qui unicamente ho alluſo al mio Trattato delle Febbri Periodiche Pernicioſe, nel quale, come v' è noto, ho dato le regole di conoſcerle a tempo, e non conoſcendole a tempo ancora, ho dato quelle di curarle infallibilmente mediante un modo particolare d' uſare in eſſe la China China, anche quando ſta per perire infallibilmente, e in brieve ſpazio di tempo l' Infermo deſtituto d' uu tale ajuto. La riſtampa, che in eſſo Libro ho fatta del Trattato di Lodovico Mercati, il quale fù il primo (ſarà omai un Secolo e mezzo) ad iſcoprirne la velenoſa natura, ſenza ſaperne l' Antidoto, ed un ſuccinto, ma non troppo chiaro Capitolo di Riccardo Mortone, il quale è ſtato il primo ad oſſervare e praticare a' noſtri giorni in Inghilterra, come io circa i tempi medeſimi ſono ſtato il primo ad oſſervare, e praticare in Italia l' Efficacia di tal Rimedio in Febbri coſì Mortali, può far vedere, s' io rendendo a' medeſimi tutta la Giuſtizia loro dovuta, meriti nondimeno a confronto ancora di eſſi, vale a dire, anche dello ſteſſo Mortone, o almen poi a confronto di tutto il reſtante della Repubblica Medica, s' io meriti, diſſi, che del mio Trattato un giorno abbia a dirſi, ch' ei ſia ſtato l' unico Libro, per cui la ſteſſa Repubblica Medica abbia appreſo a ben diſtinguere, e (ciò che più importa) ad infallibilmente curare sì

fat-

fatte mortaliſſime Febbri, anche nell' eſtremo loro pericolo. Imperciocchè quantunque l' Opere del Mortone aveſſero incominciato a comparire in Italia prima della Stampa del mio Trattato, che non diedi alla luce, ſe non dopo 17. anni di continua ſperienza ſu quelle Febbri, contuttociò le molte cure delle medeſime da me fatte colla China China peculiarmente adoperata a viſta, ed a notizia, poſſo dire non ſolamente di tutti i miei Concittadini, ma di molti Eſteri ancora, e di più e più Medici d' altre Città, precedettero ben di quattro o cinque anni la comparſa dell' Opere del Mortone nella noſtra Italia, anzi precedettero di un' anno intero la Stampa delle medeſime fatta in Ginevra. Sul fondamento di queſta notoria verità non mi reſta a dubitare, che non abbia a dirſi un giorno d' eſſo Trattato, ch' egli ſia ſtato l' unico Libro, per cui s' è appreſa chiaramente, e diſtintamente da' Medici la certa e la vera Cura delle Febbri Periodiche Perniciose di tutte le Spezie da me deſcritte, ſpeſſe volte ancora, per non dir ſempre, quando è ſu l' orlo della foſſa, purchè ſia capace di vivere, ſecondo l' ordine delle Febbri, per lo ſpazio di 24. ore l' Infermo. Queſta è la Giuſtizia, che dopo la mia Morte poſſo aſpettar anch' io da' buoni ed ingenui Profeſſori: nè può già andare a voto la mia eſpettazione, perchè ogni buon Pratico è obligato a conoſcere (turatevi adeſſo le orecchie per non ſentire lo ſcoppio della fumoſa mia Bomba) che il ſolo mio Libro è ſtato più utile (avvertite bene, Signor Propoſto, ch' io non dico più dotto, dico più utile) alla Medicina, ed al Mondo, che non lo ſono ſtati tutti aſſieme quanti Libri (preſcindendo da quelli, che ci hanno portate le Notizie, ed i veri modi delle più inſigni operazioni Chirurgiche) che non lo ſono ſtati, torno a dire, tutti inſieme quant' altri Libri ſieno mai ſtati ſcritti dal primo Principio della Medicina ſino al giorno d' oggi a benefizio dell' Uomo; ſiccome da quel tempo ſino ad ora non v' è ſtato Medico alcuno, che abbia ſalvato, od inſegnato a ſalvare (Gloria a Dio Illuminatore di noſtre Menti) con certezza tante perſone da certa Morte, quante ne abbiamo ſalvate il Mortone, ed io, e quante ne ho inſegnato a ſalvar' io (ſiami lecito il dirlo) più certamente ancora, e più chiaramente di lui. Non vi ſgomentate, Signor Propoſto, che la Bomba ſcoppiando ha ſolamente colpito nel vero. Eccone chiara la pruova. Dal naſcere della Medicina ſino a' giorni noſtri fra quanti Libri ſono ſtati ſcritti in tal Profeſſione non è uſcito alla luce Libro alcuno Fiſico Medico prima del mio, il quale abbia inſegnato a ſalvare con certezza in alcuna ſorta di Male Acuto la vita d'un Uomo, maſſimamente quand' egli è nel maggiore e più certo pericolo di perderla, ſalvo ſempre ciò, che in Inghilterra con pochi tratti di penna da me riſtampati nello ſteſſo mio Libro ne avea toccato aſſai intrigatamente il prenominato Mortone. Dunque il mio Trattato, che certamente e chiaramente ha inſegnato a far queſto in Febbri mortaliſſime, che frequentemente e maſſime in certe coſtituzioni accadono in pratica, ha portato più benefizio al Mondo, che qualunque altro Libro di Medicina per dotto od erudito, ch' ei ſia. Un' altra differenza ragguardevoliſſima paſſa tra tutti gli altri Libri di Medicina pratica, ed il mio; ed è, che quelli ne' Mali acuti non additano mai, o quaſi mai Rimedj, che coll' incertezza del guarire, la quale in eſſi è perpetua, non abbiano congiunta la neceſſità d' aſpettare la guarigione in capo al tempo, in cui ſpontaneamente ancora tante e tante volte i predetti Mali acuti guariſcono: il che per lo più va alle due, e ſovente alle tre Settimane, e più oltre ancora; perlochè non può mai dirſi con certezza in que' caſi, che il Male ſia guarito in virtù di quei Rimedj, perchè una guarigione sì lenta, e sì prolungata può egualmente attribuirſi alla ſola Natura; là dove il guarire delle Febbri Perniciose da me deſcritte è quaſi iſtantaneo, ſempre uniforme, e ſempre certo, onde non può naturalmente attribuirſene l' effetto ad altro, che al Rimedio, ed al Metodo da me parimente accennato: coſa che dall' origine della Medicina ſino a' tempi noſtri (grazie al Sommo Iddio, che ne ha dato il rimedio) non s' è più inteſa, nè trovata ſcritta, almeno con verità, nè in modo, che da tutti poſſa farſene la pruova, in alcuno di que' tanti Libri, che ha avuto in tutti i Secoli paſſati la Medicina.

In

In fatti, principiando da i tempi d' Ippocrate ſino ad ora, non s' è trovato Aſſioma più vero nella Medicina, che l' Aforiſmo 19. della Sezzione 2. del medeſimo Ippocrate; nè s' ode perciò ſentenza più comune, nè più frequente nella bocca di tutti i Medici, che l' Aforiſmo predetto: *Acutorum Morborum non ſunt omnino certæ prænunciationes vel Salutis, vel Mortis*. E perchè mai queſto? Se non perchè non è mai ſtato trovato alcun rimedio, nè alcun modo, per mezzo di cui in alcun Morbo acuto poſſa con ſicurezza il Medico dire: io ſanerò certamente queſt' Uomo, che certamente ſta per morire, o che almeno ſta in pericolo graviſſimo di morire, s' io non lo ſoccorro. Che ſe ſi foſſe entro alcuno Libro trovato ed imparato da' Medici un ſol rimedio col modo peculiare d' uſarlo, per mezzo del quale ſi foſſe potuto certamente guarire alcun Male Acuto, più non ſi ſarebbe decantata da tutti l' univerſale propoſizione d' Ippocrate, che ne aſſeriſce ſempre incerto il preſagio, e l' evento; ma ſi ſarebbe detto in quella vece *Plurium Morborum Acutorum &c.* e nella cura di quel tal Male Acuto, di cui ſi foſſe trovato un Rimedio certo, ſi ſarebbe detto (ciò che da niun ſaggio Medico ſi dicea, nè potea dirſi): Io certamente guarirò queſt' Infermo, che ſta in pericolo graviſſimo di morire. E pur queſta propoſizione tranquillamente oggi può dirſi, e ſenza Iperbole alcuna dal Medico, in tutte quelle molte, e diverſe ſpezie di Febbri acute, e mortali, che diſtintamente ho deſcritte, e ſolamente può dirlo, e può farlo, mediante la cura, ch' io ne ho additata; ed io ſteſſo più d' una volta ho avuto il coraggio di premettere queſto Pronoſtico in caſi mortali, e non ſolo nella Plebe, e nelle Genti idiote, ma eziandio in Perſone Nobili, ed in preſenza d' altre non men riguardevoli; e n' è ſucceduto tantoſto l' evento pronoſticato, anzi al tempo preciſo, ch' io l' ho limitato, conoſcendo eſſere ancora in mia mano il farlo ſeguire alquanto più preſto, o alquanto più tardi ad arbitrio mio, e ſecondo la più circoſpetta, o la più neceſſitoſa eſigenza del caſo. Ciò che dico adeſſo, avria forſe potuto paſſare per una Jattanza da Ciarlatano appò qualcuno ne' tempi addietro; ma in oggi, che il Mondo diſingannato lo vede, e cotidianamente lo prova, non ho dubbio veruno, che un giorno non ne faccia dopo di me più d' una pubblica confeſſione, come a me vivente l' hanno fatta più d' una volta con Lettere moltiſſimi e provettiſſimi Profeſſori da me prima non conoſciuti, i quali alla pruova ſorpreſi da' ſucceſſi maravigliosi, e continuamente felici, m' hanno per loro ſpontanea bontà voluto dare co' loro privati ringraziamenti un benigno contraſegno di ſincera gratitudine a ragguaglio della parte loro toccata del pubblico benefizio. Queſte ſono le Lettere di teſtimonianza, che vengono dal cuore, e dal vero, e ſono quelle per l' appunto, ch' io ſtimo, non quelle, che ſono o col regalo del Libro, o con altri maneggi mendicate, od eſſorte.

Nè vi penſaſte già, ch' io mettendo arditamente il mio Libro in genere di Utilità al di ſopra di tutti gli altri di Medicina, non m' intendeſſi di metterlo nel medeſimo grado di Maggioranza, anche in competenza di tutti que' Libri, ch' hanno trattato ſin' ora della China China; imperciocchè parmi di poter farlo per due ben giuſte, e ben chiare ragioni. La prima ſi è, che moltiſſimi di cotai Libri non l' hanno veduta, nè meno in barlume; e que' pochi che l' hanno veduta, non hanno interamente toccata la meta importante di ſaper additare diſtintamente la cognizione inſieme, e la Cura delle Febbri Pernicioſe già dette per mezzo della medeſima China China. L' altra ragione ſi è, che que' Libri, quanti mai ſono, peccano tutti in uno di queſti due Eſtremi, cioè o di troppo riſtringere, o di troppo ampliare la virtù di Eſſa, nel qual' ultimo errore è caduto fra gli altri il buon Mortone ancora: ſicchè ſecondo que' Libri tanto fra di loro diſcordi, reſta con ragione perpleſſo l' animo del Medico in ordine al darla, o non darla con frutto in certi caſi particolari; là dove il ſolo mio Trattato ſul fondamento d' una longhiſſima ed eſattiſſima oſſervazione ha ſtabilito i limiti giuſti e veri di tutta l' attività della China China, avendone fatto l' eſperimento con tutta l' indifferenza, e ſenza preoccupazione veruna in tutte le Febbri, ed in tutti quegli altri mali, che hanno in qualche modo de

perio-

periodico, e riandando la serie loro ha costituiti sinceramente i termini, onde incomincia, ed ove finisce, senza passar più oltre la sua virtù. Nè dubito punto, che siccome tosto che la Repubblica Medica ha trovato vero ed utile il mio Metodo nel proposito delle Periodiche Pernicioſe, ne ha abbracciata incontanente la Pratica, così quando col progresso del tempo avrà sperimentata ugualmente la verità delle mie Osservazioni in ordine all' usarla, o non usarla fruttuosamente negli altri casi, non dubito, dissi, che dal solo mio Trattato non abbia ella a prendere la norma più sicura di valersene, o non valersene nelle altre occasioni, e che non abbia il mio Libro ad esser citato universalmente da' Professori, per definire ciò, che ne' casi controversi, ed ambigui s' abbia positivamente a risolvere.

Poter del Mondo (già sento dirvi, Signor Prepoſto) ne avete di più de' saggi da darci della vostra grande Utilità Frà Modestino? Non ne abbiamo mai sentito altrettanto dalla bocca del Guidi in esaltazione di se stesso, e delle belle sue Poesie, quanto dalla vostra in lode di voi medesimo e del vostro Libro, il quale quand' anche abbia portato nella Pratica qualche utile al Mondo, massimamente a' Principianti di Medicina, a' quali avete mostrato di principalmente scriverlo, dovreste sapere in vostra coscienza, che tutto il restante egli non è, che un mero Zibaldone, da far di lui, in tutta la parte Teorica almeno, un sontuosissimo Sardellario. O adesso sì che m' avete toccato dove mi duole, vi replico io, mio sinceriſſimo, e caritatevole Amico. Dico pur troppo il vero, ed io lo confesso; anzi l' ho già confessato nel Libro medesimo. E sebbene potrei scusarmi col dire, che nell' oscuriſſima Teoria delle Febbri Periodiche, e delle loro cagioni ogn' uno malamente inciampa, e molto più di me ha inciampato il Mortone: e sebbene più ancora potrei scusarmi col dire, che dopo aver protestato di non saper giugnere a trovarne il fondo, mi son dichiarato di valermi solo di quella qualsisia Teorica, perch' ella, ancorchè grossolana, potea mirabilmente conferire al buon' uso della China China nell' esercizio della Pratica; contuttociò di nuovo ne confesso la debolezza inviluppata tra le dubbietà d' un' eccessivo (lasciatemi usar questo latinismo) d' un' eccessivo Moltiloquio; e mi vergognerei di voler mettere a capitale quel poco di grano, ch' altri forse potesse scegliere da tanta Mondiglia, o vogliamo riguardar le Osservazioni, le riflessioni, e le Massime pratiche sparse per entro lo stesso Libro, o que' pochi Sperimenti, che potessero dar qualche barlume per iscoprire il modo del maraviglioso operar della China China nelle Febbri da essa curabili, e in conseguenza della Cagione produttrice delle medesime. Di nulla di ciò, ch' è Dogmatico, torno a dire, io non fo conto in quel Libro: nè mi credeste già così sfrontato, e così sciocco, che scrivendovi ancora in confidenza, avessi voluto dir ciò, che ho detto poco fa di esso, e di me, senza avere a voltar carta, o senza mettervi in un nuovo prospetto anche il rovescio della Medaglia.

A noi dunque. Credete voi per questo, ch' io sia così debole da insuperbirne? Se lo credeste, v' ingannareste di lunga mano. Sappiate, ch' io non considero le cose mie, se non quel tanto, ch' elleno pesano, e trovo sempre, che pesano poco: e tanto per l' appunto faccio di questa, esaminandola per lo suo verso. Vi dico pertanto, che forse il Diavolo avrebbe potuto tentarmi di qualche Ambizioncella, s' io avessi saputo a forza d' Ingegno creare un nuovo, ma sodo, e vero sistema, per cui fossi arrivato a mettere in chiaro la vera cagione delle Febbri Periodiche (meta, ove non è giunto per anche Ingegno alcuno) e se in vigor del mio Scoprimento mi fossi poi successivamente avanzato a dedurre scientificamente da esso, e per la cognizione avutane *a priori*, come dicono le Scuole, l' uso del Metodo mio di curare colla China China le Pernicioſe: avvertite però bene, ch' io ci ho unita la condizione di dedurre dalla Teorica la buona Pratica del certamente guarirle, perchè, a parlarvi da Galantuomo, senza la seconda io non saprei molto gloriarmi della prima, benchè per altro gloriosa non poco; imperciocchè messe ambedue queste cose in bilancio, so che la più utile sarebbe la più pesante; e verrebbe perciò da chichesia anteposta alla più spezioſa. Mi saria forse più facilmente potuta salire al capo qualche fummea, se posto ch' io avessi ritrovata, e

pub-

pubblicata al Mondo la vera Cagione d' esse Febbri, avessi poi anche a forza di raziocinj, e di osservazioni saputo arrivare non solamente a ben' additare altrui il modo d' usare utilmente in esse la China China; ma eziandio a comporre coll' Arte, a tenore de' miei Principj, qualch' altro Febrifugo uguale in tutto di vigore, e di sicurezza alla medesima. Oh se fossi giunto a far tanto, allora sì, che sarei da compatire se qualche poco io ne invaghissi, perchè avrei fatto cosa, che oltre l' essere utilissima al Mondo, farebbe spiccare la perspicacia del mio Ingegno, e stupirne ancora più d' uno; ma io non ho finalmente fatt' altro, che una mera Osservazione pratica, nella quale può dirsi ancora, che urtassi casualmente la prima volta, sin quando incominciai ad andare alla pratica degl' Infermi col mio Maestro, come candidamente ho confessato, e narrato nel Trattato mio. *Homo* (dicea benissimo il Bacone ne gl Impeti suoi Filosofici) *Homo etiam in quædam veluti occurrentia impingit*: e così accadde a me allora: *Alia*, siegue lo stesso Autore, *fine prævisо, & mediis cognitis exequitur*: e tanto per l' appunto fec' io la seconda volta; imperciocchè essendomisi svegliata la reminiscenza di cotale osservazione (forse 18. anni dopo) in un' altro Infermo abbandonato da' primi Professori d' Italia, che lo giudicarono già deplorato: parve a me di conoscere molta analogia col già veduto nel caso, che allora io vedea, quantunque assai più più grave fosse quest' ultimo; andai perciò raziocinando, deducendo, e combinando nella mia Mente molte cose insieme per ridurle all' esecuzione, ed al fine premeditato, come diffusamente ho esposto nell' antidetto Trattato, descrivendo il caso, e così finalmente secondo ciò, che ne conchiude nel Testo medesimo lo stesso Autore, cioè, che *Medicorum tamen notitiam ex obviis desumit*, presi anche sulla notizia sovvenutami del primo evento, e del mezzo, per cui succedette, presi, dico, la risoluzione ivi narrata, e il giorno appresso vidi l' Infermo quasi ritornato dalla morte alla vita, e dopo lui n' ho veduto cento, e cent' altri sottratti in brevissimo tempo a certissima morte. Per questo solo a benefizio pubblico diedi alle stampe il mio Libro, il quale non pretendo io, ch' abbia pregio alcuno da se medesimo ma semplicemente dalla materia, di cu tratta.

Come volete dunque ch' io insuperbisca per cosi poco? Ogni Medico de' nostri già sapeva, o era almeno obligato a sapere, che la China China scacciava le Febbri Intermittenti: Alcuni pochi sapevano, ch' ella andava curando anche le Communicanti, e Sottentranti ne' Parossismi: Niuno veramente sapea, ch' ella curasse, o potesse curare quelle, che chiamiamo Perniciose, o Maligne; Nissunissimo, ch' ella le curasse, quand' erano all' estremo: Arcinissunissimo, che ci volesse in quelle circostanze il Metodo, ch' io ho pubblicato per darla con frutto, e con tutta la certezza del buon' esito. Ma con tutto questo, cosa c' è da pavoneggiarsene nel Ritrovamento mio, se il Rimedio era già stato creato da Dio benedetto, se la virtù sua Febrifuga era generalmente già nota a tutti i Medici, ed anche a' non Medici, e se dopo averne inteso, o veduto il successo, ognuno può sapere adoperarlo al pari di me, senza aver' imparato, nè una Dottrina nuova, nè un Rimedio nuovo; sicchè forse ogni Medico si stupisce tra se medesimo, anzi di se medesimo, per non essergli venuto in mente ciò, ch' è venuto in mente a me; e forse se ne stupisce in guisa, che quasi va adulando se stesso d' averlo saputo al pari di me, senza saper di saperlo. Può egli immaginarsi Ritrovamento più Triviale di questo?

Volete voi dunque in fine, ch' io vi dica sinceramente la Lode, che parmi d' essermi meritata? La Lode, che una volta conquistossi nelle Mecaniche certo Omiciattolo addottrinato dalla sola frequente Osservazione, e niente più. E' noto i fatto di costui, fos' egli Fachino, Operajo, o altra persona Idiota, che se ne stava a rimirare la confusione, anzi la disperazione di tutti quegli Ingegneri, ed Architetti di Roma, che assistevano all' innalzamento e collocamento della Guglia di S. Pietro su la sua base, allorchè videro stirarsi, ed allungarsi in guisa dallo smisurato peso le funi scorrenti per le Carrucole delle Taglie, che non era più possibile tirare alla destinata altezza quella gran Mole. Gridò allora arditamente dal mezzo della Piazza: *Acqua, Acqua babbacioni*; *bagnate*

le

le Corde. Così fu fatto, e le Corde ad onta dell' eſorbitante peſo, che le ſtirava, s' abbreviarono, la qual coſa colui ſapeva, che dovea ſuccedere a quel modo col lume ſolo della Sperienza: e ſebbene doveano ſaperla meglio di lui, e per eſperienza, e per la ragione *a priori* tutti que' bravi Architetti, ad ogni modo non ſeppero allora, o almeno non credettero in quel caſo, che la forza del conio dell' acqua gittata con sì poc' impeto ſu le corde, foſſe capace di ſuperare quella dell' immenſo peſo a lei contrappoſto; ma ſolamente s' accorſero di ciò ſaper' ancor' eſſi, quando loro fu ſuggerito da quell' Uomo per altro Zotico.

Vegniamo a noi. Morivano ſenza ſoccorſo tutti, o quaſi tutti gl' Infermi di Febbri Pernicioſe Periodiche, come ogn' un ſa. Tutti i Medici con tutte le loro belle Teorie ſtavano eſtatici a vederli morire. Io per la ſola ſperienza ho loro intonato nel rozzo mio Libro *China China*, Signori miei, *China China*, e la Guglia a gloria di Dio è andata al ſegno.

Queſta tutta è verità Iſtorica. Giudicate voi ora, che ſiete Uom ſavio, ſe ho ragione di non curarmi d' acquiſtar' altro nome, che quello, che può darmi il mio Ritrovamento; e ſe il mio Ritrovamento è tale, ch' io abbia a inſuperbirne per Dottrina, o pure compiacermi ſol per Fortuna. Ed eccovi alla perfine, mio Riveritiſſimo Signor Propoſto, appagate, nel mandarvi inſieme gli Annali rincreſcevoli del mal impiegato mio tempo, tutte e quattro le voſtre Curioſità; anzi con eſſe la Quinta ancora, ch' era di ſapere, s' io volea più toſto ſtarmene a sbadigliare in Villa, che ſcrivervi de' pochi miei Studj quel tanto, che da voi m' era ſtato più e più volte con sì obbligante amorevolezza richieſto.

Multa in Modo *rei*, *&* Circumſtantiis *ejus nova ſunt*, *quæ in* Genere *ipſo nova non ſunt : qui autem ad obſervandum adjiciet animum*, *ei etiam in rebus*, *quæ vulgares videntur*, *multa obſervatu digna occurrent*.

BACCONUS Lib. 4. de Aug. Scientiarum, & ſpeciatim Medicinæ Cap. 2.

AU-

AUCTOR LECTORI SUO.

HAbe iterum, ac ea denuo, qua primo usus es, excipe humanitate Specialem hanc Therapeuticem meam, Lector benevole. Cum suum de illa rursus edenda consilium mihi aperiret Bibliopola, eidem mox sciscitanti, num quicquam haberem, quod adderem; me plura potius habere quæ delerem respondi: quippe qui supervacanea prænoscebam, tædioque posthac futura legentibus tot, quæ ad vendicandam ab effætis Humoristarum oppositionibus febrifugam, innoxiamque virtutem Peruviani Corticis modo nemini suspectam, aut dubiam, prolixius olim sum persequutus: neque meliorem sortem probabiliter obventuram Theoreticis quoque meis, quotquot sunt, ibidem aggestis, mihique ipsi (ut sum fassus vel tum cum protuli) parum acceptis; quorum supellex versicolor, & ruditer consarcinata, merx quædam est jam obolescere incipiens, ut proinde in recentioris, ac speciosioris concursu paucos hodie apta sit ad se licitatores allicere, ac ferme nullos emptores. His de caussis, atque ut simul qui severiorem oculis, non minus quam humaniorum rursum exponendus est Liber, non superinducta quidem ulla venustatis, sed quadam saltem deposita vetustatis specie in novam lucem prodiret, quicquid in eo extra nudæ praxeos pomeria vagatur, videturque quodammodo superfluere, illud omne resecare optassem, ac penitus amovere. Ast tantum inde molis sine pari ad pondus supplemento detrahi minime passus est idem Bibliopola, Librum, ut ajebat, mutilum iisdem Typis detrectant recudere quibus olim cuderat integrum, maxime cum memetipsum æque detrectantem audiret nova condere, quæ veteribus substituerem, selectioris ordinis succedanea. Qualem ergo Scriptionem meam, quantacunque illa fuit, antea tulisti, talem & modo, quin & nonnullis hic illic appositis additamentis paullo actiorem, æquum est ut pariter feras. Sed & aliud quippiam tibi ultra ferendum supereſt: exigit siquidem abs te condecens institutio tua, quisquis indiges plenius institui, omnemque tum usum admittendum, tum abusum vitandum Peruviani Febrifugi perfecte callere, exigit inquam, non modo ut Tractatum hunc, etsi sublimibus meditationibus cassum, vel ex asse integro, vel saltem quatenus circa praxim (versatur autem & sparsim ubi agit aliud) non renuas attente pervolvere; sed & insuper exigit, ut meas quoque non graveris expendere Responsiones Jetro-apologeticas (*) ad criticam, quæ illis membratim inserta visitur, Dissertationem Cl. Ramazzini de usu recto Chinæ Chinæ nimis stricte, de Abusu nimis late sentientis. Neque vero laborem istiusmodi te pigeat suscipere, cujus postmodum suscepti te, ut reor, non pœnitebit. Haud equidem vana ulla me tangit elati animi affectio, cujus stimulis actus mea perlegi tam sollicite inculcem, quasi hucusque idem hoc Opus, minus forte quam par fuerit, minusve saltem quam mea tulissent vota, de Medica Republica benemerens fuerit habitum, vel re ipsa neglectum; cum potius ex adverso supra expectationem quoque meam illud noverim plenis statim ulnis ab ingenuis exceptum humaniter, viderimque subinde ad metam universalis approbationis feliciter vela faciens, etsi ventis tunc undique adversis medico pelago recens commissum; sed tantum me movet rationalis metus, ne quanta forsitan opus erat ad circumspectam Methodum capessendam, habita fuerit a plurimis illius ratio. Arrisit quippe magis, fervidæ præsertim Juventuti (cujus ausis nequivit sæpe non respondere, saltem prima fronte, felix eventus) arrisit, inquam, magis ea pars, quæ admirandam, & ex se innocuam Chinæ Chinæ virtutem lacte complectitur, quam ea, quæ animadversiones, & cautiones omnes pro usu illius recto, tempestivo, & tuto particulatim indigitat, simulque noxas, quas Pharmacum hoc, suapte cæteroqui natura saluberrimum, & innocens, inconsulte vero, ac intempestive adhibi-

(*) Quas ideo ad calcem Therapeutices, scilicet pag. 345. in hac editione adjungere visum est non incongruum.

hibitum, nonnunquam valet inferre. Ædepol putassem nunquam, id me vivente eventurum, quod seris tantum nepotibus Libro tertio *ad calcem* cap. 5. *fueram vaticinatus : nempe, Remedio huic olim rejecto, atque proscripto, mox vero cunctis sensim placituro, suam ipsam tandem obfuturam esse, deprehensa cum fuerit, efficaciam, atque in despectionem abiturum usum illius, quippe promiscuum nimis, & ultra leges artis intemperantem. Sane quicunque incedit hac via, non plus sapit, quam sapiat quævis e trivio lippiens Anicula, emergitque interim a tumultuaria, & inconsulta hujusmodi praxi, modo præpropere, modo præposterе, adeoque sæpe inutiliter, aut præter rem, nonnunquam & damnosæ exercita, egregii remedii immane proluvium, cui posthac, ni male conjicio, vix sufficiatur est tota Quitensis Regio. Ut huic dispendio parum laudabili, atque in dies crescenti sufflamen aliquod, priusquam ultima fatam subeam, pro viribus coner imponere, te monitum velim, prudens Lector, ut postquam Methodum ad sanandas copiosa, & celeri* Peruviani Corticis *oblatione Febres Periodicas vere* Pernicioſas, *& plane lethales, etiam cum mors præ foribus est (dummodo postridie tantum Ægri cubiculum ingressura) postquam, inquam, Methodum illam exacte perspexeris, & curationem illarum dignaveris in iis circumstantiis, ut loqui mos est, omnino* Coactam, *ad ea etiam, quæ de administratione ejusdem Remedii in aliis quoque febribus toto Tractatu abunde prostant, animum diligenter advertas, & præcipue ad cautiones, quibus eodem utendum pluries indicavi ad istarum quoque rationale, ac prudens regimen ; quod sane secundum varia præsertim illarum tempora, & secundum variam ipsarum naturam, diversasque habitudines, varie admodum debet institui. Harum porro cautionum non pauca specimina me prodidisse scio, tum olim* Lib. 1. cap. 3. 8. & 10. & Lib. 4. cap. 5. *tum nuper in hac postrema editione* Lib. 5. cap. ult. *Verum hæc omnia incassum, Amice Lector, nisi simul naturam, species, & differentias febrium curandarum probe dignoscas, & ab invicem per sua signa discrimines : item nisi particularia earum tempora, in nonnullis breviora, in aliis longiora futura prænoscas, & ad normam præexistentis Fluidorum apparatus per sua stadia metiaris : tandemque nisi Symptomatum pondus æqua lance. justa videlicet, ac prudenti æstimatione perpendas. In hoc studio tibi primus impendendus labor : tum vero rectam, & rationalem, non mere empiricam,* Peruviani Corticis *administrationem ex hujus Operis lectione percipies ; sin minus de tuo profectu actum est. Vale.*

EPISTOLA DEDICATORIA

Et Auctoris Proœmium , quæ leguntur in Prima Editione anni 1712.

SERENISSIMO,

ET EXCELSO PRINCIPI,

RAYNALDO I.

MUTINÆ, REGII, MIRANDULÆ &c.

DUCI,

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,

Franciſcus Tortus Felicitatem.

QUandoquidem ea Famulatus mei auſpicatiſſimi ſors eſt, ea clementiſſimi animi TUI lenitas, ea comitas Majeſtatis , DUX SERENISSIME , ut plane aſſidua nolis exigere a me Aulici cultus officia , quemadmodum , & Magnitudinem TUAM , & obſequium meum cæteroqui deceret , ſed liberaliter annuis , ut , iiſdem remiſſius præſtitis , tum Exedræ publicæ , tum quotidianæ Praxeos exequar munia , etiam propterea , quodcumque eſt mihi (ſi quodpiam eſt) nonniſi donum gratuitum dixerim , a largitate , ac munificentia TUA mihi conceſſum . Hoc ipſum vero , quod uni Clementiæ TUÆ acceptum refero , beneficium , me ſuadet intime , ut quidquid ab exantlatis laboribus in publicam utilitatem ſubſecivis horis valui , colligere , curiſque meis ſurripere , illud omne SERENISSIMÆ CELSITUDINI TUÆ , quæ mihi *fecit hæc otia* , ſacratum velim . Una hæc potiſſima ratio alacrem cunctanti animum addit , quo fidentius ſpecie debiti , & in teſſeram reverentia tenue hoc Opus Excelſo TUO illuſtra-

ſtratum Nomine TUO quoque voveam patrocinio . Nimiæ nihilominus audaciæ fortaſſe quiſpiam inſimulare me poterit , qui , vel materiæ humilitatem , vel levitatem munuſculi , ſeveriore ſupercilio reſpiciat . Verum is mirari deſinet , meique auſus animoſitatem redarguere , cum noverit , rudem hunc incultæ Palladis fœtum , nativis alioqui latibulis , quo comptior nonnihil fieret , diutius deſtinatum , ex ipſius SERENISSIMÆ TUÆ CELSITUDINIS nutu (quo nil glorioſius mihi) in lucem prodire , nec propterea ſibi quærendam aliunde tutelam , niſi unde juſſus eſt palam vivere , ſeque ſpectandum præbere . Sed & inſuper ipſius dignitatem materiæ , Remedii nempe , cujus uſum ſcriptis hiſce peculiariter promovendum ſuſcepi , id unum tueri potis eſt , quod illud a longo jam tempore cœperit per Aulas , perque ora Magnatum circumferri , eorumque identidem ſanatione inſigniri , imo quod de eodem ipſam SERENISSIMAM CELSITUDINEM TUAM in colloquiis humanioribus verba facientem , & curationibus meis , præter communem aliquando expectationem , ejus ope feliciter geſtis , pro innata benignitate plaudentem , ipſe non ſemel rubore perfuſus audierim . Tenuitatem vero muneris . Operis videlicet æque parum culti , ac parum compti , id forſan poterit Magnitati TUÆ acceptam reddere , quod in eodem arduum deſervanda , nec raro , nec ſorte ancipiti , pereuntis Hominis vita negotium agatur , abſolvaturque ; qua equidem in re graviſſima , cum plurimum ponderis habeat qnidquid probabile , nil levitatis poteſt habere quod certum . Tanta autem me nunquam teneret fiducia , ut Excelſo Nomini TUO auderem quicquam vovere ; aut Orbi ſpondere , quod verum centies conſtanti experientia non antea comperiſſem . Maxima idcirco me ſpes ſolatur , ſuadetque , fore , ut benigno , quo aſſoles , vultu digneris excipere , quod Tuarum in primis , necnon aliarum quoque Gentium proſpicit incolumitati , ut qui Politico non minus Regimini , quam Pietatis , & Religionis cultui inceſſanter addictus , bonas Artes benefica in dies humanitate amplexaris , foves , ac protegis . TU namque , INCLYTE PRINCEPS , ille idem jugiter es , qui , dudum depulſis hoſtibus , & ſubtractis alieno jugo Subditis Urbibus , atque Provinciis , mox rebus Belli , Paciſque ſatis compoſitis , refectis , quas ipſe expugnaveras , Arcibus , revocatis ad ſuos alveos , & intra novos aggeres vi coercitis deviis Fluminibus , Annona proprtiis ſumptibus pluries inſtaurata , ampliatoque tandem novi Ducatus acceſſione Dominio , Populorum felicitatem æque , ac propriæ Magnitudinis incrementum , & Gloriam , indefeſſa noctu & interdiu vigilantia , ſemper exquiris . Sic CELSITUDINEM TUAM SERENISSIMAM ad majora diutiſſime ſoſpitet Deus , & continuata Regni , ac Nepotum propagatione , mea , & communia amantiſſimorum Subditorum vota ultro fortunet .

Mutinæ Pridie Nonas Auguſti MDCCXII.

L. E.

LECTORI BENEVOLO.

Uiſquis hujuſce Tractatus molem cum præmiſſa illius Synopſi, potioremve Tituli partem cum adnexis comparas additamentis, vereor, ne luſu in oppoſitum verſo, Horatianum illud obtrudas,

---- Amphora cœpit
Inſtitui, currente rota cur Urceus exit?

Mihi namque Urceus, quem cœperam inſtituere, currente rota excrevit in Amphoram; nec tantum fortuito quidem, ſed & inconſulto: ut inde ſcilicet commodius imbui poſſent, quibus præcipue ac ferme unice ſcribo, Artis Medicæ Candidati. Neque enim, ut fatear, refectam hanc a ſuo Toto adhuc indigeſto, & informi, univerſalioris Therapeutices Partem, Pyretologica ſimplicioris ordinis immixta ſuppellectile, connexaque Hiſtoriarum congerie (utinam non ſupra modum) pinguefactam, ſtyloque humili, ac pleno, in morem ſcholaſticum exaratam, auſim exponere niſi Tyronibus. Stetiſſem autem præmiſſis, illamque ante biennium circiter edidiſſem, prout exigere videbatur, quæ anno 1709. præceſſit, ejuſdem Synopſis, in Italicis non modo, utrum & in Trevoltienſibus, ac Lipſienſibus Ephemeridibus ſubinde evulgata, ni Typographi mora, Operis jamdudum inchoati complementum, interpoſita non ſemel plurium, ac plurium menſium interſtitione, in hanc uſque diem protraxiſſet: quo ſane temporis tractu, quantum veritatis, a crebriore experimento petitæ, in dies acceſſit eidem Operi, tantundem novitatis demptum videtur.

Ideam hujuſmodi condendi Tractatus indidit quondam menti meæ, præter publicam utilitatem fidenter præſumptam, monitum quoque Sapientiſſimi Baconi 4. de Augm. Scient. Cap. 2. dicentis, Plurimum referre, ſi Medici aliqui (*loquebatur ille quidem de aliis a me*) opus aliquod conficiant de Medicinis probatis, & experimentalibus ad morbos particulares; *cenſebat enim Vir Magnus, Therapeuticem hanc particularem, & deſiderari adhuc in Arte Medica, & ipſi Arti fore perutilem: quandoquidem, ajebat ille*, Medici hujuſce ætatis particulares Medicinas, quæ ad curationem morborum proprietate quadam ſpectant, aut non bene norunt, aut non religioſe obſervant, experientiæ ſcilicet non ſatis tribuentes, judicio plus nimis. *Cum itaque noſtris quoque temporibus, quibus ſane plurimus eſt, cum luxus in opinando, tum cultus in ſcribendo, aliquis tamen, ſi fas eſt dicere, ſit rerum practicarum neglectus, intantum, ut earum tractandarum ratio in quamdam veluti deſuetudinem abire cœperit, ipſe, declinatis plerumque abditioris Doctrinæ Theoreticæ, ac penitioris Eruditionis receſſibus, poſthabitoque ſimul omni, qui materiam minime deceret, verborum fuco, hanc Medicinæ partem quadantenus, & pro modo virium, illuſtrandam, ac promovendam ſuſcepi, ſelectaque ad id dogmatica, vulgari, & fuſa, quæ Tyrones erudire valeat, ſcribendi forma, malui utilitate elegantiam, quam elegantia utilitatem ſupplere. Quod ſi quid incomptum morofis Cenſoribus carpendum occurat, omnem rudioris culturæ notam æquo animo feram; ubi ex hujus, etſi minime perpoliti Tractatus evulgatione vel unum tantum hominem, cæteroqui periturum, aliquando ſervatum ſciam, qui plurimos jam pereuntes, vixque alia, quam quæ hic præſtat, Methodo ſanabiles ſavente Deo ſervatos novi: id, quod ſuo loco fideliter deſcriptæ, luculenter patefacient Hiſtoriæ.*

Impulit quoque animum meum ad hanc ipſam minus tritam Methodum aperiendam (quam pro ſumma Operis reputo, & quæ circa ſpecialem Peruviani Corticis oblationem in Perniciofis quibuſdam Febribus verſatur) firma credulitas, me rem prolaturum, ut pleriſque non ante obviam, ita ſcitu neceſſariam, Reique idcirco publicæ non parum proficuam. Quamvis enim ea Collegis quoque meis, ſaltem nonnullis, quibus pluries, vel in conſultionibus propoſui, vel in colloquiis communicavi, vel in praxi oculis ſubjeci, nota ſit, & uſu jam capta; cum tamen illorum non paucos etiamnum lateat, imo forſitan ſit quibuſdam, alio ſenſu præoccupatis, minus accepta, quibuſdam aliis, haud ſatis appoſite utentibus, ſuſpecta, illam ideo publici juris facere libenter decrevi, ut ſic Concivibus ſaltem meis, ſi non Alienigenis, proſim: eo ſcilicet

animi candore, eaque boni exitus ſecuritate pandens, quæ ſum centies, ac centies expertus, ut nullus ſane hinc mihi ſit metus ſubeundi notam fœdiſſimam, quam ſui ævi Medicis Plinius inuſſit, eos nempe famam novitate aliqua aucupantes, animas ſtatim noſtras negotiari.

Sed quoniam ægre poterat Methodus hæc, pro varia caſuum exigentia, ſecundum circumſtantias omnes congruenter tradi, niſi Febrium, ea mediante curandarum, graphica præmittebatur deſcriptio, hoc ideo quoque penſum pro virili parte abſolvendum ſuſcepi. Qua tamen in re, ſi Perniciosarum Intermittentium deſcriptionem reſpiciamus, cum unus eminuerit Ludovicus Mercatus, *Practicus ſui ævi Celeberrimus: ſi vero reſpiciamus earum curationem, ope Chinæ Chinæ inſtitutam, excelluerit* Richardus Morton, *Profeſſor Londinenſis Experientiſſimus, Primi proinde Auctoris* Tractatulum *integrum, Secundi vero ſingulare quoddam* Caput, *ab eorum ſcriptis excerpta, ac recuſa, & Scholiis quibuſdam meis interpoſitis explanata, huic ipſi Tractatui libuit inſerere: mox, utroque lumine prævio, propriam quoque earumdem Febrium, ad peculiares ſpecies redactarum, deſcriptionem aggredi, ſimulque curationem, media China China abſolvendam, tradere: ac tandem Methodum ipſam ſpecialem exponere, ſtrenuum iſtud Febrifugum apte, ac utiliter in iiſdem adminiſtrandi.*

Pariter, cum non deſint adhuc meticuloſi quidam, vel præjudiciis imbuti (pauci ſint licet) quibus, generaliter loquendo, ſuſpectus redditur uſus Chinæ Chinæ vel in ipſis benignis, diuturniſque Intermittentibus, non abs re cenſui, medicaminis ipſius innocentiam, operandi modum, & proportionem illius cum Febrium quarumlibet Intermittentium Cauſis, tam ſecundum Veterum, quam ſecundum Recentiorum principia conſideratis, examinare, illiuſque, in iiſdem benignioribus Intermittentibus tempeſtive exhibendi, tum cautiones opportunas, tum formulas vulgatiores præmittere, priuſquam peculiarem illius uſum in Perniciosis, non modo Intermittentibus, ſed & Subcontinuis, deſcribere aggrederer.

Denique, cum nimia ſit ex adverſo apud alios ejuſdem medicaminis æſtimatio, tantaque interdum, ut illud cæteris quoque indiſcriminatim Febrium generibus, plurimiſque aliis Morbis, præſertim periodice recurrentibus, inſigniter proficuum cenſeant: propterea his quoque, in proprio ſenſu nimium abundantibus, poſt ſtatutam in Perniciosis Methodum, occurrendum cenſui. Quamobrem, quaſi Corollarii loco, ſingulas ſeorſim Febrium cujuſque generis ſpecies, alioſque inſuper, ſed compendioſius, morbos libuit perpendere, & quibus China China rationabiliter conveniat, vel non conveniat, præluccente ſimul experientia, decernere: ne ſcilicet Tyronibus erudiendis ulla deſit circa remedii hujus rectam adminiſtrationem notitia.

Febrifugum equidem illud, quantum ex ſe, vulgatiſſimum eſt, uſitatiſſimum, ſimpliciſſimum, & in prima inventione ſua mere Empiricum, Arboris nempe cujuſdam Indicæ, Gannaperide *nuncupatæ,* Liber, *ſeu* Cortex, *quem* Chinam Chinam *dicimus; ejus tamen* peculiarem *in* peculiaribus *Caſuum plane deploratorum* Circumſtantiis *adminiſtrationem, neque ſimpliciter Empiricam cenſeo, neque vulgarem, ſed ſelectiora inter Artis præſidia reponendam, quam ſcilicet ratio quondam dictavit, ſuaſit analogiſmus, & conſtans experientia feliciter confirmavit; atque ita quidem, ut vi illius intra paucas horas datum ſit, Ægrotantes non paucos ab Orci faucibus facile eripere, & priſtinæ, dictum factum, incolumitati reſtituere.*

Glorioſiore forſitan, quam par ſit, vocabulo uti videar, Methodum iſtam identidem Meam *appellans; ſed haud indecenter hoc me mihi tribuiſſe crediderim, prope ignarus, me, præeunte nemine, illam in recenſitis* Caſibus, *ac* Circumſtantiis *propria tantum obſervatione, ac experientia comperiiſſe, eamque non ſemel favente Deo, vel minus credulis ſuſcipiendam præſtitiſſe. Hinc, veritate rei palam cogente, factum eſt, ut ipſe, qui cæteroqui remediis plurimis communiter receptis (quibus nihilominus utor) ſæpe non multum tribuere conſuevi, uſu tamen iſtius certo* Loco, Modo, & Tempore *adhibiti, plurimos conſtanter credam abſolute ſervatos, mortique imminenti ſubtractos, per curationem ſcilicet huic uni remedio ſic adminiſtrato, non vero ſoli Naturæ, aut prægreſſis auxiliis, ut in morbis tardioris motus, & lentioris periculi frequenter aſſolet, adſcribendam.*

Quid in hujuſmodi caſibus extra Civitatem noſtram agatur, præciſe non novi. In finitimis certe Urbibus, iis etiam, quibus plurimi uſus eſt China China, Methodum

hanc

hanc exerceri, saltem ut eam fama circumferat, etsi quæsierim, non audio : an quisquam privatim teneat, ignoro. Cum longinquioribus haud satis intercedit commercii, ut probe exploratum hoc habeam. Non me quidem latet, Scripta quamplurima eruditissima circa actionem, usumque Peruviani Corticis, & a remotis, & a propinquis Provinciis, ac Urbibus (inter quas & nostra) etiam dum hæc scriberem, imo post editam Synopsim Tractatus mei, in lucem prodiisse : ut fileam, ante paucos quoque dies me subaudisse, hujusce ordinis quidpiam fuisse recenter editum a Transalpino quodam Viro Celebri ; cujus tamen rei nullam usque adhuc, sive in Exteris, sive in Nostratibus Diariis, mentionem reperi. Hæ autem illustrium Virorum Lucubrationes omnes, vel earum plurimæ, saltem quas mihi videre contigit, in id præcipue collineant, ut Corticem ipsum, & vulgatiores illum exhibendi formulas ad omne indiscriminatim Febrium genus, præter Intermittentes, absque peculiari Specierum earumdem, vel Methodi in illis usurpandæ delectu, ampliare conentur. Pro omnibus stet Febrifugi Anglici ante annos 32. circiter promulgatio in Gallia, cujus remedii usus hodie ibidem est fere promiscuus in quibusvis Febribus, & cujus tota vis in uno Cortice Peruviano, larva quondam imposita nunc spoliato, plane consistit. Sed ut verum fatear, plura, quæ de ipso a pluribus prædicantur Febrium Continuarum Continentium, Acutarum, Inflammatoriarum, & Malignarum a primordiis, aliorumque insuper Morborum longe disparatorum, curationem, nisi magna cum limitatione intelligantur, partim aperte falsa in usu practico, partim dubia admodum deprehendi. Et propterea, ut supra monui, ne quis error obrepat in hac non levi materia, ad complementum Tractatus, singulas etiam aliarum Febrium species (præter Perniciosas pro scopo primario constitutas) placuit examinare, & quibus utilis sit, quibusque fruſtraneus Cortex, innuere.

Quod autem Scriptores Febribus quoque Malignis Remedium istud generice, *nec proinde semper cum utilitate, accomodantes, minime loquantur, aut possint intelligi de Febribus illis Malignis, de quibus impræsentiarum ago, vel exinde constare videtur, quod illorum Methodus lenta nimium, enervis, ac languida, vel per solam Corticis percolatam infusionem, vel per illius quidem substantiam, sed non satis larga dosi, nec satis apta distributione oblatam, par non sit, teste experientia, extinguendis* illico, *prout sæpe necessitas exigit, hujusce modi Febribus : adeoque, vel de his vere locuti non sunt, vel adæquatam curationem earum non omnino calluerunt, vel si calluere, haud satis perspicue docuerunt,*

Unus, quod sciam, rem prope attigit, meque, insciam licet, quodque nondum promulgatum erat sciendi incapacem, in hac materia præivit, citatus Morton, *numquam satis laudatus. Hujus Auctoris Scripta, quorum non pauca est cum meis circa hoc symboleitas, licet ante duodecim circiter annos ad manus meas pervenerint, non prius tamen, quam ante triennium attente pervolvi, eo nimirum Tractatu, ubi Methodum videtur indicare, a mea non longe dissimilem. Neque alio nomine Pyretologiam illius percurrere sum aggressus, nisi ut, priusquam hæc, quæ tunc scriptitabam, publicæ luci exponerem, omnes, quotquot possem, hac de re Scriptores, consulerem. Cum autem Viri istius Accuratissimi Opera (saltem, quæ apud me extant) impressa fuerint Genevæ anno 1696. ego autem Methodum meam in Febribus Perniciosis anno 1695. plurima cum notione exercuerim, nullus, apud nos saltem, suspicioni locus esse potest, quod Actorum meorum regulam a* Mortono (*quamvis id mihi non indecorum foret*) *vel ab ullo alio Scriptorum desumpserim. Sed quorsum hæc ? Neque enim gloriosam inventionis hujusce, quantalacumque illa sit, aucrepor apud universam Rempublicam medicam, eique sponte nuncium remitto, quam assequi datum foret apud Nostrates. Tantum mihimetipsi gratulor, quod cogitatis, aut inventis meis, Viri Famigeratissimi auctoritas robur adjungat, & gratulor eidem, quod illius inventa, & cogitata, nimium forte hucusque neglecta, mea (qualiscumque ego sim) fidelis experientia confirmet.*

Hanc ergo Febres hujusmodi Perniciosas curandi Methodum (sive mea tantum dicatur, sive alteri cuiptam communis) hanc, inquam, Tyrones doceo, eosque omnes, qui doceri apti sunt : Infulatis vero Professoribus per transennam indigito, paratus ego cæteroqui docerì ab omnibus. Id unum interim stat, quod omni, & quolibet, sive Mortoni, sive aliorum Scriptorum præeunte lumine, qualecumque illud sit,

adhuc

adhuc in tenebris non exigua pars Medicorum versatur ; quodque magis dolendum , propemodum inermis visitur , pro repellendo , cum maxime oporteret , præcipiti hujusmodi Febrium Pernicioſarum periculo : & egomet video passim , nimiumque video , dum Ægrotantes Methodo mox declaranda curati (ignoscas mihi , Lector , de me ipso aliquid prædicanti , *ajebat* Tullius) *alacres surgunt , video , inquam , alios , iisdem plane correptos morbis , sed eodem remedio , eademve Methodo destitutos , pretioſiore licet , aut etiam sæviore medicamentorum apparatu instructos , inevitabili Fato succumbere . Sane istiusmodi comparatio haud minimo mihi incitamento fuit , ut hunc facile Tractatum ederem seorsum a reliqua , rudi quidem , atque confusa , cæterorum , quos condere tunc meditabar , nunc abs me seponere cogor , materia : præcipue cum plura in dies de hoc Remedio , modo nimis humilia , & restricta , modo nimis elata , & expansa , ad modulum scilicet Scribentium Ideæ , impetusve illorum ingenii , minime vero ad normam solidæ praxeos constituta , non sine veritatis , & publicæ utilitatis detrimento, videam promulgari .*

An ipse pro vote scopum attigerim , & an meus hic labor omnibus acceptus futurus sit , adhuc ignoro ; hoc ipsum tamen , quod ignoro juvat sperare . Etenim , si penes Medicam Rempublicam non male meruit Talbotius , *tumultuariam , ut sic dicam , licet non prorsus inutilem , Methodum exhibendi Peruvianum Corticem , callida quadam ac mercenaria olim liberalitate , tradens : cur mihi , longe utilioris , ut reor , magisque ingenuæ Methodi Oblatori gratuito , gratia quædam non erit inquinda ? Id vero si apud omnes non liceat assequi , liceat saltem apud Te , Lector Amice , quem a cæteris forte segregat comitas major . Tu ergo , quem præ aliis mihi benevolum spondeo , pro tua erga bonarum Artium Cultores , Promotoresve facilitate , hosce conatus meos , qualescumque , fore ut humaniter excipias , confido , si non alio titulo , saltem , ne ulteriora molienti (si quando manum , quam plura interim retrahunt . Operi rursus admovere datum sit) quam indidisti fidentiam , eripias . Vale .*

ELENCHUS

LIBRORUM, & CAPITUM.

LIBER PRIMUS.

Præſtantiam, ac vim Peruviani Corticis adverſus Febres Intermittentes, & earum Cauſſas, illius pariter tutelam uſumque methodicum in iiſdem Intermittentibus, ſaltem vulgatioribus, aliaque hujuſcemodi comprehendens.

Caput Primum. Hiſtoria primum invecti apud Mutinenſes *Chinæ Chinæ* uſus. Innocuum illa, præſtanſque Febrifugum. Recurſus Febrium poſt eam parcius aſſumptam contingens, ex adverſo perperam allegatus. Pro uſu illius, præter Experientiam, & Rationem, Auctoritas multiplex. Pag. 1.

Cap. II. Pervicax Antipathia, qua nonnulli abhorrent ab uſu *Peruviani Corticis*, illumque proſcribunt. Ratio recurſui Febrium tempeſtive occurrendi. 9

Cap. III. Princeps oppoſitio in *Chinæ Chinæ* uſum ex carentia ſenſibilis evacuationis poſt eandem aſſumptam petita, diluitur: Experimenta quædam, tentata ad explorandam illius vim Febrifugam, exponuntur. 14

Cap. IV. Ad placita Humoriſtarum, & Galenicorum accommodata evacuationum prædictarum ſenſibilium carentia. 24

Cap. V. Perpenſis circa Febrium Intermittentium Cauſſas placitis Neoteticorum profitentium Fluidorum Syſtema, decernitur, ab aſſumpta *China China* nullam ſenſibilem evacuationem fieri debere. Idem multo magis aſſeritur in Solidorum Syſtemate, de quo, & de nonnullis eidem cohærentibus pauca obiter. 30

Cap. VI. Theoremata ex diverſarum Opinionum examine, aliaque Cogitata circa Intermittentium originem. Inde uſus *Chinæ Chinæ* ſtabilitur, abſque ulla neceſſitate inſignis evacuationis. 40

Cap. VII. Uſus methodicus *Chinæ Chinæ* in vulgaribus Intermittentibus diuturnioribus, variæque illam præſcribendi formulæ. 53

Cap. VIII. Diligentior inveſtigatio, an liceat in principio quoque earumdem Vulgarium Intermittentium *Chinam Chinam* exhibere. 59

Cap. IX. An *Chinæ Chinæ* oblationem præcedere debeat Purgatio, aut Venæ ſectio. 66

Cap. X. Doctrina præcedens de *Cortice*, modo propinando, & modo non, in principiis Intermittentium, variis confirmatur Curationum Hiſtoriis. 71

LIBER SECUNDUS.

Febrium Perniciosarum Intermittentium (ſaltem ab ortu) deſcriptionem, & curationem continens, ex aliorum Auctorum obſervatione, additis Scholiis materiam hanc magis illuſtrantibus.

Caput Primum. Malignus mos, & prava in univerſum Febrium hujuſmodi Perniciosarum Natura indicatur. Accurati circa hanc materiam Auctores perpauci. Vis *Peruviani Corticis* adverſus eas eximia. 84

Cap. II. De Tertiana Pernicioſa, ex *Ludovico Mercato*, Scholiis aliquot inſuper adjectis. 86

Cap. III. Prima Tertianæ Pernicioſæ differentia, ex eodem *Mercato*, additis; ut ſupra, Scholiis. 89

Cap. IV. De Tertiana Pernicioſa ob tenuis humoris putredinem, ex *Ludovico Mercato*, cum iiſdem pariter Scholiis. 93

Cap. V. De Tertiana Pernicioſa ex prava humorum natura, ex eodem *Mercato*, cum Scholiis, ut ſupra. 97

Cap. VI. De Tertiana Pernicioſa ex miſcella craſſorum humorum cum ſeroſis, & tenuibus, ex *Ludovico Mercato*, adjunctis itidem Scholiis. 99

Cap. VII. De Pernicioſa Tertiana ob aliquod accidens, quod ſuccreſcit, ex eodem *Mercato*, cum iiſdem Scholiis. 103

Cap. VIII. Prava rurſus Perniciosarum Febrium Intermittentium natura innui-

nuitur, ex descriptione *Richardi Morton*, adjunctis pariter ad claritatem fusioribus Scholiis. 106

LIBER TERTIUS.

Continens Febrium omnium Pernicioſarum, tum plane Intermittentium, tum etiam Subcontinuarum deſcriptionem ex propria obſervatione, illarumque Curationem, media peculiari Methodo Chinam Chinam in iiſdem adminiſtrandi.

Caput Primum. Febrium omnium Pernicioſarum Periodicarum Natura, Differentiæ, Diagnoſis, atque Prognoſis, ſingillatim exponuntur. 115

Cap. II. Periodicarum Febrium pernicioſus character generaliter expenditur in ſua Cauſſa. Varia illarum pravitas, & actio diverſa in triplicem noſtri corporis regionem. Earundem *Chinæ Chinæ* curandarum Idea quædam practica generalis. 124

Cap. III. Methodus exhibendi valide, atque feliciter *Peruvianum Corticem*, adverſus ſingulas recenſitas Febrium Pernicioſarum ſpecies, etiam in caſibus ferme deploratis. 134

Cap. IV. Dilucidatur Methodus expoſita, examinatur, & defenditur a male feriatorum dicteriis. Porro circumſtantiæ, in quibus ea locum habet, & in quibus non, indicantur. 144

Cap. V. Evitare Cenſuram Vulgi difficile, ſi aliquando Æger hac Methodo curatus occumbat. Recenſentur ideo fideliter Caſus omnes lethales, in quibus culpatus eſt inſons *Cortex*, etſi non oblatus, ut & ii, in quibus vere oblatus non profuit, iique inſimul, in quibus nec profuit, nec poterat prodeſſe. 155

Cap. VI. Hiſtoria peculiaris, quæ primam occaſionem inventioni Methodi traditæ auſpicatiſſime præbuit. 160

LIBER QUARTUS.

Curationes inſignes quamplurimas exhibens omnium ſpecierum Febrium Pernicioſarum, alias recenſitarum, Methodo jam deſcripta abſolutas, una cum gravi circa hanc materiam Praxeos Problemate.

Caput Primum. Hiſtoriæ inſignes Intermittentium Pernicioſarum, in primam præcipue Corporis Regionem ſævientium noſtra methodo jugulatarum. Harum ſpecies ſunt, *Primo* Cholerica, & Dyſenterica, *Secudo* Suberuenta, & Atrabilaris, *Tertio* Cardiaca. 167

Cap. II. Hiſtoriæ mirabiles Pernicioſarum agentium lethaliter in ſecundam præſertim Corporis Regionem, curatarum eadem Methodo. Harum differentiæ ſunt. *Primo* Diaphoretica. *Secundo* Syncopalis, *Tertio* Algida, *Quarto* Subcontinua Malignans. 177

Cap. III. Hiſtoriæ memorabiles Intermittentium Pernicioſarum, agentium ferociter in tertiam primario corporis regionem, eodem quoque ritu ſanatarum. Harum ſpecies *unica* eſt Lethargica. 195

Cap. IV. Aliæ inſignes Hiſtoriæ, ab Amicis communicatæ, variarum ſpecierum Febrium Pernicioſarum, curatarum ope *Chinæ Chinæ* noſtra Methodo adminiſtratæ. 206

Cap. V. Utrum, quando Pernicioſæ ſecundi Ordinis, ſive octavæ Speciei, nempe Subcontinuæ malignantes, continuitatem eſſentialem, & acutam affectant citiſſime, hoc eſt, in ipſo ſtatim principio, expediat illico, aut liceat *Corticem* adminiſtrare, Febriſque curſum intercipere. Id, etſi probabiliter ſæpe liceat, non tamen indiſcriminatim videtur ſemper licere. 225

Cap. VI. Exempla nonnulla felicia citæ oblationis *Chinæ Chinæ* in principio Periodicarum Pernicioſarum, greſſu celerrimo ad Continuas eſſentialiter, atque Malignas vergentium. Ea tamen nonniſi cautam circa hoc, circumſpectamque fiduciam prudenti Medico videntur præbere. 249

LIBER QUINTUS.

Febrium omnium Continuarum, nec non aliorum quorundam Morborum, præsertim recurrentium, examen continens, docensque, in quibusnam earum, eorumve possit esse proficuus Cortex: item, quænam illius utilitas ad Prægnantium, ac Puerperarum Febres, & quæ vis ejusdem in Clysteribus, ac Epicarpiis adhibiti.

Caput Primum. Generalis præmittitur Febrium divisio materiæ de qua agitur congruenter aptabilis. 247

Cap. II. Peruvianus Cortex inutiliter exhibitus in Febribus Continuis Continentibus, seu non Remittentibus, tam simplicibus (ut vocant) quam Putridis, atque his quidem, tum Symptomaticis, tum Essentialibus, tum Solitariis, tum Comitatis, sive Malignæ fuerint, sive Acutæ simpliciter. *Mortoni* Praxis in hoc castigatior detegitur, ac vulgo sit credita; non tamen plane recipitur. 252

Cap. III. Explicatur adhuc *Mortonus*: mox statuitur, *Chinam Chinam* utilem esse in Febribus Continuis per subingressum Paroxysmorum, *Subintrantibus* appellatis, non ita in simpliciter Remittentibus, quarum peculiaris natura describitur. In Remittentibus autem periodice, sive Proportionatis, quæ generali Continuarum nomine solent donari, distinguitur. Dissensus & hic aliquis a Praxi *Mortoni*. 259

Cap. IV. Allata nuperrime distinctio de *Cortice* in quibusdam Proportionatis utili, & in quibusdam inutili, illustratur quoad hanc postremam partem (de prima enim jam satis alias) nonnullis exemplis. 266

Cap. V. Proficuus asseritur *Peruvianus Cortex*, *primo* ad Febres Complicatas vulgatiores, puta *Hemitritæos* &c., *secundo* ad Lentas, præsertim Puerorum, *Hecticas* abusive dictas. Confirmatur exemplis postrema hæc assertio. Demum ad Febres singulas indigitandas, quibus utilis est *China China*, & quibus non, universalis earum Categoria, & varia insimul metamorphosis, *Corticem* modo admittens, & modo respuens, iconice exprimitur, ac explicatur. 272

Cap. VI. Enodantur nonnulla Quæsita variis titulis comprehensa circa usum etiam ulteriorem *Peruviani Corticis*: Et *Primo* Quæritur, an ille conveniat aliis Morbis, præsertim periodicis, præter Febres; nec nisi cunctanter creditur, spectatis exemplis. 283

Quæritur *Secundo*, An, ubi *Cortex* vere indicatur, liceat ratione Subjecti illum administrare citra periculum Mulieribus *Gravidis*, *Puerperis*, *Abortum passis*, aut *Menstruas* purgationes actu patientibus: & incunctanter asseritur, experientia duce. 297

Quæritur *Tertio*, An ex eo, quod *China China* sit Remedium suapte natura innocens, liceat eam tentandi gratia indiscriminatim usurpare in quibuslibet Febribus, & Morbiis, iis etiam, in quibus communiter deprehendi solet inutilis: & negatur. 299

Quæritur *Quarto*, An *Cortex Peruvianus* per Clysteres injectus, aut Carpis appositus, quicquam curationi Febrium conferre valeat. Primus modus, utut imbecillus, non plane rejicitur. Secundus nil prope præbet fiduciæ, languida illinc, hinc inani respondente experientia. 306

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

CONcediamo Licenza a *Lorenzo Baſeggio* Stampator di Venezia, di poter riſtampare il Libro intitolato: *Franciſci Torti Mutinenſis*, oſſervando gli ordini ſoliti in materia di Stampe, e preſentando le Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 18. Agoſto 1766.

(

(ANDREA TRON KAV. RIF.

(GIROLAMO GRIMANI RIF.

Regiſtrato in Libro a Carte 289. al Num. 1872.

Davidde Marcheſini Segr.

THE-

THERAPEUTICES SPECIALIS

LIBER PRIMUS.

PRÆSTANTIAM, AC VIM PERUVIANI CORTICIS adverſus Febres Intermittentes, & earum Cauſas, illius pariter tutelam, uſumque methodicum in iisdem Intermittentibus, ſaltem vulgatioribus, aliaque hujuſcemodi comprehendens.

CAPUT PRIMUM.

Hiſtoria primum invecti apud Mutinenſes Chinæ Chinæ *uſus. Innocuum illa præſtanſque Febrifugum. Recurſus Febrium poſt eam parcius aſſumptam contingens, ex adverſo perperam allegatus. Pro uſu illius, præter Experientiam, & Rationem, Auctoritas multiplex.*

QUAM olim ſponte impolitam edidi, talem etiamnum recudi ſum paſſus, nonnullis tantum hic illic additamentis appoſitis, peculiarem Methodum a ſeptem jam luſtris mihi perſpectam, exhibendi Peruvianum Corticem, vulgo *China China*, vel *China Chinæ*, aliis Gallico more *Quinquina*, ſeu *Kinkina* appellatum, pro curandis Malignis quibusdam Febribus ſubdolis æque ac exitialibus, adverſus quas, poſtquam etiam hominis vitam in extremum diſcrimen adduxerint, eximiis illum pollere viribus, animadverſum antea non fuerat apud Noſtrates. Priuſquam tamen rem propius aggrediar, operæ prætium me facturum puto, ſi ad ſternendam mihi planiorem viam, nonnulla communiorem Febrifugi hujus uſum in *Benignis* tantum, & diuturnis Intermittentibus reſpicientia præmittam. Licet autem hæc, & plura iſtiuſmodi, quæ toto forme hoc primo Libro perſequi lubet, ſupervacanea forte cuipiam videri poſſint, ea tamen, ſi probe ſpectentur, ad intentum facere, atque ad innuendam congruam, ut decet, completamque egregii hujuſce medicaminis adminiſtrationem non parum conducere, poterit, ut reor, haud difficulter dignoſci. Etenim, vindicato ab oppoſitionibus fieri ſolitis tam ſalubri remedio, nec non inquiſita proportione, quam poteſt habere cum Febrium expugnandarum cauſis multifariam conſideratis, ſenſim ducemur ad tutam, & rationalem Methodum eodem utendi in iisdem Intermittentibus, ſaltem *benignioribus* (quod gradum faciet ad Methodum quoque, quam pro *Malignarum* curatione ſpopondi, ſuo loco pandendam) & ad ſeligendas e vulgatioribus utiliores ipſum præſcribendi for-

mulas, dignoſcendamque inſimul opportunitatem tempeſtivæ obſtationis illius.

Non tamen ideo hic eſt in animo hiſtoriam ſive originis, ſive inventionis, ſive translationis Chinæ Chinæ in Europam a primordio repetere; Id enim cum ſolertiſſimus Vir *Sebaſtianus Badus* jam luculenter præſtiterit peculiari Libro Anno 1663. Genuæ impreſſo, geneſim univerſam remedii, tunc Orbi noſtro naſcentis, legere poteſt curioſus quilibet, tum apud eundem, tum apud alios, qui vel mediate poſtmodum, vel immediate Facti ſeriem decerpſerunt a Bado. Neque pariter mihi mens eſt ineffabilem ſaluberrimi hujuſce pharmaci virtutem febrifugam, ac operandi modum, ſicut nec abditas Febrium Intermittentium cauſas, per eandem depreſſas, ex profeſſo, atque intimius ad unguem uſque rimari; arduum ſiquidem opus hoc cum omnes hactenus incaſſum tentarint, non minus inaniter & ipſe tentarem. Sat fuerit ſuo loco, ubi nodus iſte plane intactus relinqui non poterit, tenuia quædam abſtruſæ utriuſque rei ſpecimina, ſive generaliores quaſdam conſiderationes tantum non oſcitanter proferre. Impræſentiarum vero liceat hiſtoriam omnem Chinæ Chinæ ab ingreſſu, atque progreſſu illius intra Urbem duntaxat noſtram, pro exercita a me in rebus Medicis praxi, obiter auſpicari, ne vel a notione intra ſpatium temporis valde modicum acquiſita, vel a parciore, quam par ſit, ſucceſſuum numero animadverſiones meas ſumpſiſſe credar.

Ex quo innotuit Europæ Cortex Peruvianus (cujus Planta integra prope *Loxam*, ſeu *Lojam* humili proceritate abunde ſuccreſcens, ab Incolis *Gannapride*, ſeu *Guananepide*, *Chinanepide*, vel *Guananegide* dicitur) ex quo inquam *Liber* iſtius Arboris innotuit Europæis regionibus, Hiſpaniæ videlicet primum, mox Italiæ, opera quidem, & pietate Emin. Card. de Lugo, aliorumque Patrum Inclytæ Soc. Jeſu, de utroque Orbe plurimis certe nominibus, ſed inſuper ob hoc ipſum de noſtro optime meritæ, ſtatim excellentia novi Febrifugi, certo, ac multiplici apud Exteros experimento comprobata, ſedulitatem allexit Præſtantiſſimi Viri *Antonii Fraſſoni*, Præceptoris quondam mei dilectiſſimi, ut illud pro bono publico, & pro breviori, certiorique Ægrorum curatione in uſum deduceret. Et ſane recenſendus ille inter primos Corticis receptores, cujus rei teſtimonium exhibet idem Cl. *Badus* in citato Libro, cui titulus -- *Anaſtaſis Corticis Peruviæ*, ubi Epiſtol. *Fraſſoni* ipſius inſerit ſibi inſcriptam ſub Anno 1656. in qua idem *Fraſſonus* refert, ſe ante annos aliquot de Cortice felix periculum feciſſe in pluribus, ac ſignate in ſplendido Viro D. Comite Alexandro Eminent. Card. Facchenetti fratre. Cum ergo circa Annum 1649. translatum fuerit e Regione *Quitenſi* in Heſperiam Remedium, nemo neget, quin inter primos, qui illud admiſerint, vere ſit connumerandus *Fraſſonus*.

Cœpit ille uti China China (quam etiam *Gentianam Indicam*, *Antiquartium Peruvianum*, *Pulverem Comitiſſæ*, *Pulverem Card. de Lugo*, *vel Jeſuiticum pulverem* vocitarunt nonnulli) poſt adminiſtrata præſidia univerſalia, & particularia, in Quartanis ultra provectis, quo tempore tum Ægri, tum Medici tædio affecti ad remedia quælibet Empirica, atque etiam anilia ſolent confugere. Cumque illi curationes ex voto ſuccederent, ad Tertianas quoque Spurias, ut ajunt, tum ſimplices, tum duplices, benignas tamen, ſeu ſaltem non perniciales, nec non ad alias quaſcumque Febres Intermittenses (diuturniores ſcilicet) curandas, pari ſucceſſu tranſitum fecit, fretus auctoritate *Badi* ante memorati, aliorumque ævi ſui Illuſtrium Medicorum, quorum teſtimoniis quamplurimis, iiſque graviſſimis, *Badus* ipſe Opus ſuum pro tutela Peruviani Corticis roboravit. Reluctabantur interim, &, quoad vixit idem *Fraſſonus*, ſemper obſtrepuere omnes fere Civitatis Medici, adeo ut ad evitandum ſeverum eorumdem tribunal, profugus, & exul Cortex non auſus fuerit in Pharmacopœas introire, ſed quaſi clam intra Clauſtra quarumdam Monialium fuerit coactus ſeſe recipere, unde poſtea illum petebat Vir ſolertiſſimus, ut Ægris ſibi commiſſis ſubminiſtraret.

Dabat autem adultis initio Paroxyſmi, quemadmodum tunc ſolemne erat, ex præſcripto Romanæ ſchedulæ, *drachmas duas* Corticis in ſubtiliſſimum pulverem redacti, doſim vero exiliorem natu minoribus, habita ætatis ratione, ſive deinde in forma hauſtus, ut plurimum quidem in Vino, modo tenuiore, modo generoſiore; ad *uncias quinque*, plus minus facta, vel etiam omiſſa prævia

ni-

infusione (quod perinde est) sive in forma boli , sive alio consimili artis ritus , superepoto pariter Vini momento . Hac methodo a primo adventu Corticis , ut dictum est , in Italiam , usque ad annum 1677. (quo tempore ad Praxim sub ipso addiscendam me contuli) Febres omnes Intermittentes longiusculas supprimebat , iisdemque non raro , ut mos est , redivivis , repetito semel , aut bis Febrifugo finem imponebat . Quod millies ac millies sine ullo unquam siniſtro eventu sibi contigisse , mihi pluries asseruit Vir ille fide dignissimus , ac omni exceptione major . Et egomet postmodum , testis de visu , id ipsum illi perpetuo accidisse deprehendi usque ad annum 1680. (nec enim quispiam , nisi plane vitiligator , adversetur ob singularem casum , de quo infra *Cap.* x. *Hist.* xiii.) quo nempe anno diem suum obiit , lacrymabili sane jactura , Vir experientissimus , ac de Urbe nostra admodum benemeritus , qui vel moriens & in hoc profuit , quod eo extincto , extinctæ cum eodem , vel saltem sopitæ fuerint Nostratium fere omnium , qui tunc aderant , Medicorum in Corticem inimicitiæ ; pluries enim ex iis Chinæ Chinæ antea osores , ac hostes , eadem paulo post , semotis cavillationibus , uti cœperunt . Quæ sors nonnullis quoque aliis peculiaribus obtigit post ejus obitum . *Frassoni* remediis , dum viveret , improbatis ; ea namque communibus sensim suffragiis fuere subinde adeo recepta , ut ipso etiamnum *Frassoni* nomine insignita circumferantur . Atque hisce incidenter occurrentibus liceat amantissimi *Præceptoris* Manibus parentasse .

Ab eo autem tempore cœpit adeo clarescere in dies hujusce fama Febrifugi , ut jam nostro ævo nil notius sit in Medicina , nil certius , quam Febres Intermittentes China China depelli . Communis iste mos est omnibus ferme Europæ Nationibus , quod innumera undique scripta luculenter testantur . Hinc est , quod ex tam liberali illius impendio detur ansa pravis hominibus , iniquum de corio humano lucrum facientibus , eandem adulterandi , de quo passim jure merito (quandoquidem verum sit) conqueruntur Auctores , ut proinde alicubi in publicis Nosocomiis in locum genuini Corticis jam prope deficientis , suffectus fuerit pulvis ex Nucibus , aut ex Corticibus Cupressi , & Malorum aureorum dulcium , item ex radicibus arboris Persicæ , Fraxini , Gentianæ , & hujusmodi , referente præ aliis Eruditissimo *Luca Tozzi* : quibus remediis ter exhibitis , ait quandoque tolli Febres , quæ cæteroqui unica tantum oblatione Cortici Peruviano semper cedere consueverunt .

Enimvero succedanea quævis , sive naturalia illa sint , sive artificialia , nimium distant viribus ab hoc Cortice , ut qui inter omnia hucusque nota , Febrifugum præstantissimum est , ac summe innocens . Præstans equidem præ omnibus , quia præ omnibus infallibiliter , & celerrime Febres omnes Intermittentes abigit , dummodo nulla partis alicujus solidæ læsio organica sit morbi fomes . Inde fit , ut propinatis semel cuilibet Quartanario , aut Tertianario *drachmis duabus* Corticis , more maxime vulgari , in principio , vel declinatione Febrilis Accessus , possit Medicus absque ulla hæsitatione spondere , ultimum fore paroxysmum illum , nec redituram alterum . Quid citius ? Quid certius ? Veritatem hujus asserti , si quis , cui notum non sit , quod notum est omnibus , habeat suspectam , provoco ad experimentum ; nec alium Testem , aut Judicem , volo , nisi qui contra hucusque senserit . Ad me quod attinet , testari possum de experientia quinquaginta circiter annorum , quo temporis tractu semel tantum , vel bis , quod memor sim , in casu Febris Quartanæ (absque ullo tamen Ægri detrimento) expectationem meam fefellit Cortex , siquidem ille genuinus fuerit , quod nihilominus credere non recuso . Sed quid tum ? Quandoque per accidens materiam combustibilem non comburit ignis : numquid propterea non erit idoneus ad comburendam , cum millies combusserit ? Quod vero innocuus , & insons ille sit , experientia pariter mihi satis demonstrasse videtur . Quidquid enim aliis contigerit , cum non tenear de facto alieno , loquor de proprio , testorque coram Deo , & hominibus (quod & plures testantur de suis Ægrotis gravissimi Scriptores) nullum unquam ex meis Ægrotantibus periisse , quod sciam , ob usum Corticis , neque in morbum graviorem , sed in leviorem fere semper , etiam cum reciderit , incidisse ; idque pariter mecum perpetuo animadverterunt quot quot sub me Praxim Medicam exercuere , & proptia

dein experientia ſejunctim noverunt. Si quid vero unquam incommodi accidiſſe fortuito viſum ſit, ut in nonnullis hiſtoriis referam; id certe non culpa remedii tunc contigit, ſuapte natura inſontis; ſed ob intempeſtivam ſuppreſſionem Febrium plane ſalubrium, & depurativarum, culpa videlicet Medici, remedium Febrifugum, ubi progreſſus Febrium ſtabat remedii loco, incaute offerentis. Quod de ſubſtantia Corticis ſemper innoxia a me deprehenſa tam fidenter aſſero, haud ita facile proferre poſſem de ullo alio Medicamento uſitatiore, præſertim in linea Solventium, quorum tamen tanta eſſe ſolet apud Oſores Corticis æſtimatio.

Si qua nihilominus aliunde quærenda ſit, ac opponenda Cortici criminatio, ea petenda eſt a *Recidivis* (utor hoc vocabulo ad ſenſum Artis, aliiſque utar in progreſſu minus excultis) poſt fugatas ab eodem Febres identidem recurrentibus. Neque hic ego inficias ibo, ut inficiantur quamplurimi, omnem culpam in errata convaleſcentium, nec ſemper immerito, refundentes, quin ultro fatebor, exhibito ſemel, ac unica tantum doſi, Peruviano Cortice, Febrem ſæpeſæpius redire. Niſi hoc unum obſtaret, Arborem Vitæ in China China ſuperſtitem divina Clementia crediderim. Adhuc tamen fidenter reſpondeo (plura circa hoc alibi prolaturus) primo, quod non ſemper recidunt Ægri ab aſſumpto Cortice, ut experientia conſtat, ſi præſertim rite, ac per repetitas juſto ordine vices exhibeatur. Secundo, quod ex oppoſito ſæpiſſime recidunt ter, quater, & quinquies, etſi Corticem nunquam aſſumpſerint, ſed alia methodo medica fuerint curati, unde poſſet contra talem methodum retorqueri eadem cenſura. Sed revera ſolutis etiam ſponte, nullius omnino remedii interventu, ſed ſolius Naturæ ope, quandoque Febribus, in easdem denuo, citra ullius culpam, relabuntur Ægri. Quid tunc dicendum? Loquamur ingenue. Recidunt Ægri ſumpto, & non ſumpto Cortice, frequenter Autumno, qua tempeſtate contumaciores ſunt Febres. Recidunt raro ſumpto, & non ſumpto Cortice, tempore Veris, & in principio Æſtatis, quibus tempeſtatibus quælibet methodus felix eſt, cum Febres tunc temporis etiam ſuo Marte cito ſolvantur. *Non igitur Medicamentum* (inquit egregie *Mortonus* hæc omnia complexus in reſponſione ſua ad objectionem a Recidivis petit[illegible] *bris indoles in culpa eſt, ſi a [illegible] morum fonte enutriatur, nec [illegible] re, aut alio accidente externo. S[illegible] natura, ſive arte quævis ſanetur, a[illegible] vireſcentiam valde proclivis eſt. Multa enim experientia fretus* (perpendantur quæſo verba hæc digna conſideratione Practicorum, immo & eorum aſſenſu) *fidenter affirmare audeo, Febrem a Corticis uſu fugatam, & demum recidivantem, licet quacumque alia methodo, vel Febrifugo, vel viribus naturæ ſubacta fuiſſet, nihilo ſecius redituram fuiſſe.* Neque minus nervoſe ſimilia protulerat ante Mortonum *Reſtaurandus* in Præfatione Tractatus ſui, cui titulus -- *Hippocrates De uſu Chinæ Chinæ -- Quid enim iniquius* (inquit ille) *quam a China China extorquere, ut nequaquam ab ea aſſumpta revertantur Febres? Numne ſæpeſæpius animadvertitur illarum reditus, poſtquam fuerint curatæ, ab aſſumptis catharticis, aliiſque remediis? Præterea, an China China tenetur prohibere, ne qui reduce fruitur valetudine, errata in dieta committat, ne cauſæ externæ, & animi pathemata Febrim exulem revocent? &c. Nonne quid ſimile accidere videmus ab efficacia Solſtitii hyberni, ſi quando eo tempore Febris aliqua remiſit: namque unus, vel alter paroxyſmus in Vere redivivus eſt, niſi prius revocata fuerit, præſertim per cathartica? Sed interim in medium prodeat remedium pari efficacia Febres profligans, qua China China. Nullum certe ſuppetit.* Dico tertio, quod quando contingit ab aſſumpto Febrifugo recidiva, non ſemper accidit vitio ipſius Febrifugi, fermentum febrile imbecilliter, aut imperfecte ſubigentis, ſed ſæpe etiam, ſi non ſemper, culpa convaleſcentium ſibi nimis fidentium. Quarto, quod quoties recidunt, etſi Febris nonnunquam de ſimplici poſſit fieri duplex, ſemper debilior illa eſt: idque fere perpetuum obſervavi, ut idcirco raro vocetur Medicus pro tali curanda recidiva, adeo levis illa eſt, & ſponte evaneſcens. Quinto denique, quod per repetitam, & opportunam Corticis oblationem poteſt eadem recidiva non modo ſemper curari cum venerit, ſed, quod magis eſt (dummodo congruum id cenſeatur) etiam priuſquam adveniat, penitus, ut in progreſſu videbimus, præcaveri. Propterea cum ſit ut-

plu-

plurimum in poteſtate noſtra malum iſtud pro libito avertere, fere nonniſi volentes afficere poteſt hujuſmodi objectio.

Soluta, ut reor, hiſce reſponſionibus potiore difficultate, cui & alibi valide occurram, non eſt cur hic inutiliter tempus teram in refellendo, quod Nebulones quidam ſcurriliter blaterant, ad territandum popellum, nempe quod Corticem potantes, intra annum, vel, quod magis ridiculum eſt, intra ſeptem annos moriantur, ſopito videlicet, & poſtea ferocius recrudeſcente eodem, vel alio pejore morbo: item quod China China pinguibus obſit, & tantum graciles ſanet, aliaque hujuſmodi prorſus exſibilanda. Nam præterquamquod nullus Medicus, quod ſciam, quibuslibet adhibitis in Curatione remediis, cuiquam per annum, multoque minus per ſeptennium, ſanationem ratam facit (quaſi teneatur ad tempus de manutenenda Ægri ſalute, ut Faber Murarius de conſiſtentia Domus conſtructæ) facillimum inſuper eſt, experientia ipſa impoſtores iſtos mendacii convincere. Plures etenim (quos ob digniorem cauſam alias ſum relaturus) ac præterea plus centum alios, & pingues, & macilentos, per Corticem curatos a decem, & quindecim retro annis, hucuſque tamen incolumes, poſſem adducere: quin memetipſum, qui anno 1696. epotis uno hauſtu ſex drachmis illius, a morte imminente illico evaſi, & etiamnum vivo, & etiamnum ſcribo. Aſt hanc Zizaniam nullius ponderis ab ullo, qui Medici nomen mereatur, ſatam, vix adducor, ut credam.

Sed præter experientiam, quæ ſola ſufficit ad oſtendendum Corticis uſum prorſus innocuum, id ipſum etiam, vel nuda ratione ſpectata, evincitur ex eo, quod nullam vere, qua poſſit nocere, vim in ſe contineat Cortex, ſive de primis illius, ut ajunt, qualitatibus, ſive de ſecundis, ſive etiam de occultis ſit ſermo. *Calidus* enim *ex. gr.* & *ficcus* eſt? Calidiora ſunt, atque ficciora Zinziber, Piper, Semen Sinapi, Mithridatium, Theriaca &c. *Amarus* eſt? Amariora ſunt Abſynthium, Ruta, Gentiana, Chamedrys, Fumaria, Centaurium minus &c. *Stipticus* nonnihil eſt? Stipticiora ſunt Nucum putamina, Nuces, Cupreſſus, Verbena, Aurantiorum Corrices &c. quæ ſunt uſitatiora, nec prorſus contemnenda Febrifuga, intercedente tamen inter illa, & Corticem hoc uno diſcrimine, quod illa, etſi ut plurimum calidiora, ac proinde magis ſuſpecta, Febrim vix unquam tollant, & Cortex ſemper. Quoad occultas vero facultates, nullam in eo reperiri datum eſt, niſi antifebrilem. Neque enim ullam *Narcoſim* præſefert, cum nullum ſoporem, quin potius vigilantiam, & mentis alacritatem, etiam copioſe aſſumptus, inducat: unde, ſecundum plurimos, Opii conſortium facile admittit, quod ſecus fieri deberet, ſi Cortex ipſe eadem polleret narcotica facultate, qua Opium; rationabilis quippe ſubeſſet de nimio ſopore incutiendo ſuſpicio. Inſuper ſi China China (ut clare demonſtrabimus in hiſtoriis) ſoporoſas Febres, atque *Lethargicas* momento temporis ſolvit, & cum illis ſubmovet ſoporem adjunctum, ſatis patenter conſtat, illam vi potius pollere contraria: tantum abeſt, ut Cauſam Febrilem hypnotico veluti vinculo obſtringat, præſertim ad tot hebdomadas, quot ſunt inducíæ inter morbum & recidivam, quotieſcumque iſta contingat, cum, ne per horam quidem, nodum hujuſmodi narcoticum injiciat ſpiritibus. Quod ſi contendatur, illam exercere narcoſim, & quidem diuturniorem, adverſus ſolum Fermentum febrile, hæc, ut patet, dici nequit vera narcoſis, ſed potius abſorptio, illaqueatio, aut retuſio fermenti, vel quid his analogum, in quo facile conveniemus, quippe in re ſemper innocua. Ad hæc nullas Cortex intra viſcera, vel intra fluida excitat turbas, nullum cit vomitum, ſeceſſum nullum (quod illi perperam vitio vertitur) non ſudores prolicit per vim expreſſos, non urinas immodicas, non ullam aliam ſenſibilem, ſaltem ut plurimum, promovet evacuationem, quarum tamen aliquam ſi quando (quod haud infrequenter accidit) habeat adjunctam, placida illa eſt, modica, Ægro facilis, ac ſaluberrima. Uno verbo, China China citra omnem moleſtiam, excepto deglutionis incommodo, materiam febrilem, quæcumque illa ſit, undecumque procedat, quocumque tendat, aut ubicumque moretur, materiam inquam febrilem directe petit, corripit, intercipit, aut ſubigit, eodemque temporis momento celebrem illam, ut ajunt, humorum coctionem, diu, ſæpe tamen fruſtra, quæſitam, & a plurimis pro dextero uſu cujuſcumque Febrifugi requiri creditam,

quotieſcumque non præextiterit, ipſa facit, vel ſaltem ut fiat efficit, correcto fermento Febrili, vel ſublato illius affluxu, quæ concoctio ſtatim in Urinis altera ipſa die ab illius aſſumptione manifeſtatur, eſtque phænomenon perpetuum, ſicuti ſumma dignum obſervatione, ita & facillime obſervabile; Ut propterea in hac re, quæ non de *conjectura*, ſed de *facto* eſt, & cuilibet obvia, diutius immorari non liceat.

Quod ſi quiſpiam de arcana iſta Corticis facultate, de qua tamen plura in progreſſu, adhuc ulteriora quærat, ut ea fidentius utatur, is quærat potius ab expertis, quid illa præſtare conſueverit, quemadmodum de Febrifugis, ſive Alexipyretis hujuſmodi faciendum monet Doctiſſimus *Mercurialis* -- *De præſidiis* (inquit) *operantibus arcana qualitate minime loquendum eſt; ſiquidem, ut ſcribit Galenus, medicamenta hæc cum ſola experientia ſint inventa, cogimur fidem iis adhibere, qui longa, & debita experientia teſtantur, ſeſe ipſa cum fructu uſurpaſſe.* Quid autem dicant, qui millies uſurparunt, jam proxime diſquirendum. Sex idcirco in medium prodeant, univerſalem totius Reipublicæ Medicæ approbationem ſecum trahentes, Teſtes eximii, experti, ac omni exceptione majores, videlicet laudatus *Badus*, *Reſtaurandus*, *Monginot*, *D' Atquin*, *Sydenham*, *& Morton*, qui omnes præ cæteris mihi dehinc in hac materia ſemper erunt Anteſignani.

Badus Corticis innocentiam teſtatus -- *Sancte* (inquit) *id jure coram Deo meo; Nec niſi aliunde damna reſciſcam, profecto ego neſcio quid unquam, uſpiamve attulerit detrimenti: Scio immo ſemper egregiam operam navaſſe, & reportatis trophæis inclytum, & manubiis admirandum fuiſſe, & glorioſum.* Hæc ille non minus ingenue, quam cum ibidem fatetur Corticem *ter, quaterve illum fefelliſſe, in quibusdam ſcilicet Tertianariis, quibus tamen copulati alii morbi, Gallicis potiſſimum, & Tabidis*, quod eſt extra activitatem illius. Auctoritas unius *Badi* fœcunda eſt inſuper plurimis Celeberrimorum Virorum teſtimoniis ab eodem adductis, quos inter eminet Doctiſſimus *Conygius*, ſive *Honoratus Fabri*. Hic Auctor, paulo poſt primum Corticis adventum in Europam, peculiari libro ſuo teſtatus eſt, *Romæ*, ubi moram trahebat, *intra annum aliquot hominum millia pulverem Peruvianum adhibuiſſe, & non modo innoxium, ſed ſaluberrimum quoque fuiſſe probatum*. Noſtris temporibus, eadem Orbis jam pene univerſi aſſertio eſt.

Reſtaurandus poſt plurima enucleata Peruviani Corticis præclara facinora -- *Id vero* (inquit) *addidero, me nunquam hoc remedium citra ſucceſſum exhibuiſſe, hoc eſt ejus ope ſemper curatas fuiſſe Febres: ac maximam partem me ad ejus uſum confugiſſe in illarum pertinacia, aut cum ſymptomata verenda comitarentur.* Clarius vero ipſam ſecuritatem remedii antecedenter teſtatus -- *Ad illud auxilium* (dixerat) *citra ullum periculi metum confugiendum eſt, nec permittendum, ut vivi comburantur Ægri, ac diſcerpantur.*

Primarius pariter Regis Criſtianiſſimi Medicus Cl. *D' Acquin* de remedio Anglico, cujus baſis China China eſt, ſic ſcriptum reliquit -- *Nulli unquam remedio potiori jure ſpecifici remedii nomen, quam prædicto adſcriptum eſt; nec enim hactenus ullum nobis innotuit, quod Febres pari celeritate, & ſecuritate profligaverit. Revera Quinquina, quæ illius eſt baſis &c.* Et inferius ad oſtendendam innocuam operationem remedii -- *Locus non eſt* (ſubdit) *ut credam ab illius uſu imminere diſcrimen aliquod: œconomiæ naturali nullam vim infert, cum, non ſecus ac cætera remedia amara temperata, nihil noxium corpori humano injungere valeat.*

Monginotius quoque de præſtantia Corticis verba faciens, remedium hoc talis eſſe indolis aſſeverat, ut -- *Nullum hactenus* (ſunt ejus verba) *præſtantius fuerit a natura productum*; ac de eodem in aliis quoque morbis, in quibus nondum uſurpatum eſt; periculum eſſe faciendum incunctanter inſinuat --- *Quandoquidem* (ait) *extra omnem damni aleam uſurpari poteſt medicamentum qualitatis noxiæ omnino expers.*

Sydenham autem hæc habet de Cortice -- *Vere affirmare poſſum, non obſtante tam vulgi, quam perpaucorum e doctis præjudicio, me nihil mali Ægris accidiſſe ab ejus uſu vidiſſe unquam, vel cum ratione ſuſpicari potuiſſe.* Paulo vero poſt -- *Et profecto, ſi tam effectorum durationem, quam Corticis hujus innocentiam, exploratam haberem, principem illi locum inter omnia, quotquot ſunt remedia, de-*

fer-

ferre nullus dubitarem , cum non tantum in hoc morbo insignium esse virium deprehendatur , sed & in Uteri , & ventriculi etiam affectibus : Tantum abest , ut de ejus insalubritate merito quis conqueratur . Addamus & acrem hujusce Magni Viri querelam in *Dissertatione Epistolari* ad *Cole* , petentem eos præcipue (si qui tunc fuerint in ea regione) qui Cortice pro se, & domesticis suis utebantur, & interim eos pigebat (quod & per extensum confirmat *Mortonus* testis de auditu) eos , inquam , pigebat idem remedium aliis Ægrotantibus præscribere , quin & ipsum Corticem ibidem innotescere . Quam querimoniam prodit his verbis Vir iste Clarissimus --- *Quamvis vero in Febrium Intermittentium curatione egregia præstet , ne dicam miracula , dictus Cortex , atque eodem tum ipsi nos libenter utamur , tum Uxoribus , Liberisque usurpandum imperemus , quoties res postulet* (en testimonium innocentiæ remedii) *sunt tamen quibus haud minus jam displicet , quod tam certo , subitoque morbos expugnet , quam olim displicebat , quod non nisi nuper his terrarum oris innotuerat .*

Mortonus denique -- *Me quod attinet* (inquit) *ego fidenter dico , idque postquam jam ad 25. annos quotidiano usu ejus vires explorando expertus sum , me nunquam novisse aliquid mali ab usu Corticis cuiquam evenisse , præter surditatem aliqualem* (quod tamen ego , hisce nostris in regionibus saltem , non sum expertus) *quam sponte illico a morbo evicto , vel pulveris omissione cessare semper observavi . Me hujus remedii nunquam pœnituit , nunquam aliquem Cachecticum , Tabidum , aut quocumque alio morbo affectum , multo minus quasi toxico interfectum novi . Atque ter tantum* (ut olim innui) *optato eventu , in Febre Intermittente ope ejus sananda , destitutus sum .* Alibi quoque hæc eadem nervosius repetit his verbis -- *Ego sane , qui jam ad quatuor lustra , & quod excurrit , hoc Polychrestum remediis fere quotidie præscripsi , vix aliquid incommodi Ægrotantibus ortum inde observavi (quidquid clamose , atque falso oggerant male feriati quidam , atque Ignorantes) quin etiam non nisi ter , uti sincero animo prius asserui , in Febribus Intermittentibus spem meam frustratus est . Utinam idem dicere licuisset de quoquam alio , quantumvis celebri remedio , in cæteris humani Corporis affectibus debellandis decantato .* Quibus assertionibus nondum contentus, sed universali insuper approbatione munitus , in hæc alibi tandem prorumpit -- *Suffragio jam Professorum pene universali in censum medicaminum salubrium , & maxime efficacium adoptatus est Cortex . Nec de suo jure apud Doctos , & probos Viros decedet ante consummationem sæculorum , ut ut ex astutia , malitia , temeritate , aut ignorantia non desinant aliqui hucusque obstrepere , & oggannire .*

Demonstrata jam satis secundum experientiam , rationem , & auctoritatem præstantia Peruviani Corticis , nocendi nescii , superesset adhuc ex mente citati *Mercurialis* hanc ipsam experientiam ulterioribus , præter adducta , gravissimorum Auctorum China China utentium Testimoniis confirmare . Sed cum ex una parte plusquam quinquaginta Illustrium Medicorum attestationes , ut dictum est, circa hoc olim protulerit *Badus* , quibus modo universa subscribit Respublica Medica , sive Italiam respicias , sive Galliam , sive Angliam , sive Germaniam , sive Hispaniam , sive aliam quamvis (ut verbo tandem dicam) Mundi , saltem politioris , Regionem : ex alia vero parte , cum ego Tractatum hunc , animadversiones tantummodo meas , præsertim practicas , continentem , quovis tum philologico , tum affectatæ auctoritatis ornatu destitutum , ut & toto semper margine lævigatum velim , ideo ab enumeratione Scriptorum Chinam Chinam totis ulnis amplexantium (quorum series numerosa late ultra plurium existimationem extenderetur) lubens abstineo , eosdem doctis Viris satis superque notos jam sciens, aliis vero , si velint , inventu faciles . Non enim apud *Garamantas* , & *Indos* hujusmodi notitiam quærere est opus , quandoquidem nullus ab inventione Remedii fuit hucusque , qui de Febribus scribens, siluerit de Cortice . Sed & eandem notitiam , si non integram , saltem luculentam , atque præcipuam colligere quisque poterit ex Notis Clarissimi *Nigrisoli* Professoris Ferrarienſis in editione per eundem repetita Opusculorum *De Blegny* , *Monginot* , *Restaurandi* , & *Sponii* , ex Zodiaco *Medi Gallico* excerptorum , & ab eo in unum congestorum in Libro , cui titulus --- *Febris China China expugnata* -- ubi , præ-

ter non vulgarem ipſius eruditionem, ſolidam inſuper praxim in uſu talis remedii, & obſervationes ſumme veras, ac utiles, meiſque (experientia utrinque teſte) omnino conſonas, deprehendere eſt: ut propterea Virum iſtum inter ſaniores, & magis expertos hujuſce Remedii Patronos jure merito lubeat referre.

Id unum monitos velim Oſores Corticis, ut priuſquam eundem damnent, quid de ipſo ſcriptum ſit, quid ab expertis aſſertum, legere non recuſent: neque enim æqui Judicis munere fungi poteſt, qui antequam jud cium ferat, integram Rei cauſam, aut defenſionem renuit audire. Huic, quæſo, quem facile pro Tribunali ſedentes exercere queunt, ne parcant labori, uti labori crurum non parcunt ad ſupervacue palpandos Ægros, quibus ſæpenumero acceptior eſt ſanatione blandimentis caſſa, officioſa jugulatio.

Liberum hunc loquendi modum, quem in decurſu quoque identidem offendit Lector, & a quo cæteroquin cavere mihi religio eſt, ne quis mihi vitio plane vertat, is attendat velim, procedere hoc ipſum, non ex dicacitate, aut malitia, ſed ex ipſius neceſſitate materiæ, ad Apologeticam nonnihil vergentis; quippe crimen iſtud (ſi vera hæc pandere crimen reputatur) familiare eſt Auctoribus omnibus, quotquot ſunt, qui de hoc Remedio ſcripſerunt experti, & non tantummodo per conjecturas, aut ex aliorum relatu: ii namque, ut obvium eſt cernere, temperare nequeunt a ludibus, neque a tutela fervidiore tanti medicaminis, ſicut nec ab amara, & acri querela, neminem tamen ſpecialiter impetente, quod ei tot futiles objectiones, tot ſomnia, totque figmenta frequenter opponantur: ſignum evidens, quod hujuſmodi Scriptores referentes ex intima conſcientia, quæ vera ſunt, & experta ſibi, ſine querimonia, & indignatione quadam ferre nequeunt vanas, & aperte falſas hujuſmodi Hominum inexpertorum, fallacique idea præoccupatorum cavillationes, dato etiam quod nonnulli Corticis Patroni, in illius uſu minus temperantes, abeunt aliquo exceſſu credulitatis, orto nihilominus ex admirabili, & innocua, quam pluries deprehenderunt, illius virtute.

Ob eandem cauſam, veniam aliquam me aſſecuturum facile credam, etſi trita nimis interdum inculcem circa uſum hujuſce Remedii, quæ ceteroqui puderet efferre in doctorum conſpectu, quorum oculis vulgaria quædam fortaſſe vileſcent; ſed qui luſtrabit Hiſtorias meas, in iiſque, non modo inexpertorum incredulitatem, & tergiverſantium diffidentiam, ſed & identidem Adverſantium animoſitatem, mucidarumque rationum, ac doctrinarum oppoſitionem animadvertet, parcet inſimul impugnationi minus conquiſitæ, triviali, & Minervæ Repugnantium accommodatæ. Quo pacto enim, quæſo, dabitur mihi uſum validum, & liberalem Chinæ Chinæ in Febribus quibusdam exitialibus ſuadere iis, qui vel in benignis illam abdicant, atque proſcribunt, ex indelebili inanium principiorum præventione, niſi illis, data etiam eorumdem rancidorum principiorum poſitione (quæ refellere nimis tædioſum foret, ac tandem inutile) oſtendam innocentiam Remedii junctam infallibilitati felicis eventus?

Sunt namque & hodie (pudet fere hoc in propatulo ponere, licet ita ſentientes nec pudeat, nec pigeat palam profiteri) ſunt, inquam, vel apud nos, qui contra totius Orbis experientiam, atque conſenſum, damnant Peruvianum Corticem, æque ac ſi Arſenicum foret, aut Sublimatum; neque uſque adhuc ſibi ſuadere poſſunt, illum Febres Intermittentes fugare, vel id innoxie ſaltem præſtare, neque norunt (etſi plura norint altioris indaginis) qua doſi præciſe ad ipſas abigendas vulgo uſurpetur: adeo ſcilicet exoſum illis eſt nomen Corticis, & gravis ipſa cogitatio de eodem; creſcitque in dies illorum averſatio ea proportione, qua creſcit ex præclaris operibus fama Remedii. Quod autem in hac Regione contigit, Viris cæteroqui doctiſſimis, eruditiſſimis, & ingenuis Profeſſoribus abunde referta, puto rationabiliter contingere poſſe & in aliis. Liceat itaque minus doctos ad modulum captus eorum erudire, ſalva integra Eruditorum exiſtimatione: etenim (ut alias ſum proteſtatus) Tyronibus ſcribo, iiſque tantum, qui Tyronibus æquiparari merentur, non maturis, doctiſque Profeſſoribus, quibus peculiarem tantummodo Chinæ Chinæ adminiſtrationem in arduis quibuſdam Caſibus, meamque ſimul experientiam in hiſtoriis expreſſam, fidenter exhibeo, ut eam fugaci ſaltem,

hu-

humanoque intuitu, donare non dedignentur. Cætera, si lubet, ad lusum percurrant, & jocum.

CAPUT II.

Pervicax Antipathia, qua nonnulli abhorrent ab usu Peruviani Corticis, *illumque proscribunt. Ratio recursui Febrium tempestive occurrendi.*

SUnt igitur hodie nonnulli (perpauci licet) præjudiciis vetustioris Pathologiæ nondum exuti, qui reluctantibus insimul experimento, ratione, atque Orbe toto, adhuc male sentiunt de Cortice, &, quod turpius est, crimen istud tangit præcipue nos Italos, cum tamen omnem ferme, quam intra totius Europæ confinia nactus est famam, ab Italis Scriptoribus primum traxerit Cortex; ut proinde stupidus exclamet Auctor quidam Anonymus (*Helvetius* creditur) in Libello gallice conscripto, cui titulus -- *Les admirables Qualitez du KinKina* -- nobisque exprobret, quod in Italia, unde antiquiorem melioremque deduxit China China nominis sui propagationem, ibi pauciores, quam alibi, inveniat patronos, cum in Gallia, ubi serius apparuit, tantam existimationem, etiam propter Italorum testimonia, sit assecuta. Illius ideo verba huc referre non piget -- *C'est une chose assez surprenante, que le KinKina, qui fait aujourdhuy tant de bruit en France, par la gueriſon d'un nombre infini de personnes, auſquelles il a rendu la santè, trouve si peu de partisans en Italie, où il commença à paroitre, il y a pres de quarante ans, ſous le nom de la poudre du Cardinal de Lugo Eſpagnol, & qu'on n'y peut encore croire qu'il ſoit un remede ſpecifique pour toutes ſortes de fievres*. Quæ quidem querela justissima est, dummodo plurimum restringatur, neque credulitatem nostram extensam velit ad omnes æqualiter Febrium, etiam Continuarum, species, in quam exceptionem alibi consentire videtur idem Auctor; quandoquidem, Febres Intermittentes (& quæcumque, subdo ego, ab initio tales fuere, necdum omnino a sua natura desciverunt) esse verum objectum actionis Peruvianæ Corticis, asseverat dum inquit -- *Les plus admirables effets de ce Febrifuge paroiſſent dans toutes les fievres intermittentes, qui en ſont le veritable objet*. Quod vero etiam in istis perpetuo ablegetur a quibusdam idem remedium, sane, si non in Fatum quoddam, non in aliud, quam in ingenitam quandam eorum antipathiam potest refundi; Sed & hanc ipsam satis mirari nequeo, quoties hæc, quæ cogitanti occurrunt sæpius, mecum ipse revolvo.

A prima Medicinæ origine ad hæc usque tempora, maxima fuit Medicorum solicitudo, longo sæculorum tractu inceſſanter exculta, ut Febrifugum aliquod invenirent, ad sistendos Febrium Intermittentium Paroxysmos. Nil intentatum reliquit illorum sollertia, triplex regnum Naturæ, Animale scilicet, Vegetabile, ac Minerale, susquedeque volventium, ut vel aliquid naturale ad hoc aptum detegerent, vel artis adminiculo redderent tale. Usque eo devenit Artis tentamen audax, ut ad Dracones, ut vocant, mitigatos, hoc est ad ipsa venena præparata, & nonnihil retusa, experiunda confugerit. Hinc Antimonium, & Mercurius (quæ, ut notum est, nocentiora sæpius sunt præparata, quam cruda) Arsenicum ipsum, Vitriolum, Scammonium, Colocynthis, & hujusce farinæ sexcenta alia, paulo ante accessionem exhibita, crebro in usu fuere. Ex his, & similibus fabrefacta sunt Febrifuga *Riverii*, *Muscochii*, & *Du Clos*, Hercules *Bovii*, Arcanum duplicatum *Mynsichti*, pulvis *Algorethi*, *Cornacchini*, & id genus alia, nomen veri Febrifugi nequaquam merentia, quorum omnium valde periculosorum, ut & aliorum mitioris ordinis, sed plane inutilium, si vellem Catalogum texere, Tractatus iste in amplum volumen excresceret.

De prioribus ergo tantum, scilicet de energeticis loquendo, si ea bis, ter, vel quater fuissent exhibita, fama erat, quod periodus febrilis tandem inhibebatur. Interim vomitus immanes, enormes secessus, tormina, cruciatus, anxietates Ægrum torquebant, quandoque non sine vitæ discrimine, &, quod pejus est, sæpesæpius (dato quod nonnunquam res ex voto cesserit) Febris pari passu, si non etiam pejore, progrediebatur, cum insigni interim virium jactura, & vitalis œconomiæ detrimento. Proponebantur nihilominus, atque ultro propinabantur, etsi spem pluries fefellerint, constanter, & absque ulla trepidatione aliis

Ægro-

Ægrotantibus, quibus postmodum si Febris de more inexpugnata processisset, sat erat dixisse, eos saltem a pravis humoribus esse purgatos (verius dictum foret melioribus destitutos) quos nisi Febrifugum illud adeo strenue, licet cum aliquo incommodo, evacuasset, maligna, lethalisque illis Ægritudo imminebat. Sed tandem a Medicis sanioribus, ac ingenuis, immo vel ab Ægrotantibus ipsis cognita proprio sumptu fallacia, ab hujusmodi remediis feriari cœperunt.

Cum vero hanc ipsam auxiliorum penuriam male ferrent utrique, Clinici vero eandem supplere pro virili contenderent, idcirco, incassum licet, *In varias abiere vias*, quas inter peculiari mentione digna videtur Methodus propinandi paucis ante accessiones horis medicamentum conflatum ex diaphoreticis calidioribus, sudore insimul externis adminiculis provocato, mox offerendi hora paroxysmi Catharticum, mistura quadam spirituosa, & diaphoretica solutum, vi quorum remediorum, in medio Febris impetu, omnes illæ oppositæ simul coinciderent operationes, ut nimirum Æger jam algens sudare, & e lecto surgere ad alvum deponendam cogeretur; sicque Paroxysmi progressus confunderetur, atque interturbaretur. Cujus animosæ methodi, quæ paucos habuit sequaces, auctor fuit Celeberrimus Practicus Londinensis *Thomas Sydenham* ad curandas Tertianas Intermittentes, priusquam in iisdem vires Corticis, quas in Quartana tantum noverat, experiretur. Perspecta namque paulo post integra illius virtute, de eodem tam bene sensit, ut purgationibus, cæterisque evacuationibus plane posthabitis, nullum aliud remedium illi æquiparandum duxerit, quoad tutum usum, ac effectus promptitudinem, ut nuper vidimus.

Irreparabili itaque deprehenso utilium Febrifugorum, vel Methodi cujuspiam certæ, tutæque defectu, factum est, ut magna pars Medicorum, arti consuetæ, pluspiam par sit, fortasse fidentium, Quartanas Febres, & Tertianas diuturniores, crebris, ac usualibus purgationibus, sanguinis missionibus pluries repetitis, julapiis, jusculis, pulveribus ad nihilum, nisi ad Ægri nauseam, tædiumque facientibus, pertinaci usu curare tentaverit; quibus demum nil proficientibus, ad simplicia vegetabilia, Febrifuga reputata, ut Centaurium minus, Camedrym, Gentianam &c. item ad alia Specifica, sic dicta, carpis apposita, vel digitis alligata, ad Amuleta de collo suspensa, tandemque ad puerilia, & plane ridicula confugere cogebatur. Quod si beneficio temporis in horum remediorum administratione inaniter consumpti, sponte naturæ non convalescebat Æger, ad aeris, tempestatis, vel regionis mutationem relegabatur. Altera vero pars Medicorum magis sincera, & Arti fidens tantummodo quantum decet, vel Febres contumaciores nullo pacto attingebat, vel administratis potioribus remediis, & tentatis rationabilioribus, præscriptoque congruo victus regimine, easdem aliquantulum enervatas soli demum naturæ curandas, præmisso tantum ingenuo de diuturnitate prognostico, relinquebat.

Affulsit interea beneficum lumen cæcutientibus, detecto Peruviano Cortice, in quo vis illa Febrifuga, tot diu quæsita laboribus, eminenter emicuit. Sed (mirum dictu) reperitur ex voto Remedium omnis omnino pravitatis expers, Febres momento temporis fugans, nullos in Corpore tumultus excitans, nullam penitus molestiam pariens, ac si nihil sumpsisset Æger, & statim repertum rejicitur, immo cæteris jamdudum rejectis, noxiis, ac inutilibus, quasi deterius foret, postponitur. Numquid forte illud audax quidam Chymiater ex Antimonio, vel ex Mercurio sublimatis eleganti periculo fabrefecit? Minime gentium. Non alium Opificem habuit China China, quam Deum, & a solo Deo omnem, quam nacta est, febrifugam virtutem recepit. Anne ergo Deus illa utitur in humanum genus specie juvaminis in ultionem Peccatorum? Cur illi tantam vim indidit, ut ea demum deluderemur, ut ea nos perderet? Absit hæc a nobis ingrati animi blasphemia. Si reliquis Plantis, & earum cuilibet injunxit Creator virtutem suam, qua postmodum a nobis detecta, si salubris appareat, fidenter utimur, quare virtute Corticis febrifuga eidem impressa, & a nobis evidenter detecta, pari fiducia non erit utendum? Ast quid dixi, Medicos fidenter uti consuetos, herbis, & rebus, quarum virtutem perspectam habeant? Quin iis utuntur ut plurimum in fide Parentum, de quarum natura, & viribus, nullam, nisi confusam, incertamque

que habent notitiam . Illis tantummodo velut egregiis utuntur , quia ſemper utuntur inutiliter ; Cortice vero , cujus virtus perſpicua eſt , & incomparabilis , quandoquidem cum fructu adhibetur , uti , piaculum eſt .

Viguit perpetuo (liceat paululum digredi , & ſerio ridere , ſiquidem quandoque

---- *ridentem dicere verum*
Quid vetat ?) ----

viguit , inquam , perpetuo immortalis , & cavilloſa garrulitas inter Pharmacopolas non modo , verum & inter Medicos quoſdam Pharmacopolarum more philoſophantes , acriterque diſputantes , an res quamplurimæ refrigerent , an calefaciant . Vetus Theorema eſt , Acida omnia refrigerare , Amara calefacere . Dubitatur tamen , an Acetum , aut Spiritus Vitrioli in linea Acidorum refrigeret , & an Cichorium , in linea licet Amarorum , ullo pacto calefaciat . Recentior modo diſſenſus eſt inter Neotericos, an voluptuoſæ quædam nuper in Orbem noſtrum , mox & in uſum Medicum invectæ Potiones , quicquam ſanitati , generaliter loquendo , conferant , an detrahant , ut potus Chocolatæ , Thè, Caffee , ſimiliave

Pocula , ab Odriſio multum laudata Tyranno .

Laudant promiſcue inter Medicos ii , quorum palato nova hæc , & exotica arridٍent : improbant , qui iiſdem minime oblectantur , *Juris* antiqui ſequaces . Laudo Ego , quia ſaltem ſorbillantibus antea Vini ſpiritum , potiones hujuſmodi in illius locum ſuffectæ , gravius delinquendi anſam præcidunt . Pariter diviſa ſunt vota , an Camphora , ut ſemen extinguere credita , frigefaciat intenſe , an , ut facillime inflammabilis , impenſe calefaciat . Idem pari contentione quæri ſolet de Opio , de Vipera , ac de mille aliis rebus maximi ponderis in praxi , quarum ſcilicet uſus præpoſterus inſigniter poteſt obeſſe , ut oblatio *v. g.* Purgantium in principio , aut fine morborum , præſertim acutorum , numquam ſatis damnata , ſed nondum ſatis ab uſu ſepoſita , & hujuſmodi . Medicus ergo quilibet , pro captu ingenii ſui , prædictis omnibus utitur , unus quidem ad calefaciendum , alter vero ad refrigerandum &c. Sed veritas una eſt . Cichorium , Acetum , Spiritus Vitrioli , Camphora , Opium , Vipera , vel refrigerant , vel non refrigerant . Alter de duobus Medicis infallibiliter errat , Æger vero pœnas luit .

Delirant Reges , plectuntur Archivi ; Neuter tamen culpatur , etiamſi error , qui in alterutro eſt certus , ſit in materia quandoque gravi , ut in Opio ſtupefaciente (neque enim ſemper in ſolo calore , vel frigore , vel in ſolo Cichorio , aut Aceto conſiſtit , quod parum referret) neuter , inquam , culpatur , quia in materia incerta , ſua quiſque ductus ratione , & ſua fultus auctoritate , conſcius licet de oppoſita opinione , & de errandi probabilitate, operatur . Culpabitur forte tanquam de crimine , ſi Chinam Chinæ offerat , quia virtus illius certiſſima eſt , & indubia , nec poteſt controverti , an febrem tollat , nec ne . Dixi , errorem ſæpe contingere in materia gravi , quia ſæpe in materia gravi graviſſimæ ſunt controverſiæ , & nihilominus lubricæ determinationes . Quænam , quæſo , non viget Quæſtiones circa generalem uſum *Phlebotomiæ* , quæ a pluribus doctis Medicis , noſtri etiam ſæculi , fere perpetuo ablegatur ? Quænam non leguntur diſſidia circa uſum illius particularem in Variolis , Morbillis , Peticulis , & hujuſmodi ? Quænam lites non ſunt , ut nuper ajebam , circa uſum *Purgantium* in Acutis , & in illorum principiis ? Hoc non obſtante , quotidie præſcribitur fidenter utrunque , aut alterutrum , cum ſcientia contrariæ ſententiæ (quæ ſi vera foret , proh quantum noxia foret , noſtra præſcriptio !) licet pro alterutra parte , quantumvis probabiliore , nulla conſtans ſtet , aut indubia experientia , ut in uſu Corticis certo febrifugi , & nihilominus adhuc pro ſuſpecto habiti .

Procedamus ulterius . Non modo in rebus incertis hallucinantur aliquot ſaltem Medici , ſed ultro errant (donetur veritati hæc libertas , parum fortaſſe cauta , quippe nimis ingenua) errant , inquam , etiam ſcienter , ſi modo velint animadvertere , ſe nonnullis uti rebus , quibus vel invalidam , vel nullam ineſſe virtutem , pro obtinendo fine , in quem uſurpantur , mille antea experimentis (quidquid in contrarium ſcripſerint vafri quidam , vel nimium creduli) luce clarius deprehenderunt . An graviter peccent , ſive ob imperitiam id fiat , ſive ob ſocordiam , palatum ſimul , & crumenam Ægrorum , quandoque pauperum , male mul-

multando, videant Theologi. Ego ſane remedium, quod pro me ipſo non uſurparem, alteri numquam præſcribam. Non hic præciſe loquor de tot Confectionibus Cardiacis, de tot prætioſis Medicamentis inutilibus, quibus abutuntur nonnulli, fortaſſe Corticem improbantes, ac illiuſmodi Medicamenta inertia Cortici activo perperam, & fruſtranea impenſa anteponentes, quos proinde incurrere in Legem *Repetundarum* autumat *Badus*. Neque ſermo mihi eſt de celeberrimo Lapide Bezoartico a Medicis potius Ægrorum ſudores fruſtra expectantibus, quam ab Ægris ipſis ſudores eliciente; cujus nihilominus (etſi ſpem millies fruſtraverit) tam creber, tamque inanis eſt uſus, abſque eo quod, illo etiam nil operante, quidquam metuant, qui præſcripſerint; ſed de abuſu loquor magis vulgari, minus forſan notato, & maxime univerſali.

Atque, ut cum aſſumpta hactenus comparatione procedam, nonne illi iidem Medici, quibus tantum eſt curæ, ne tractu temporis noceat Cortex, quem cæteroqui vident ſtatim prodeſſe, præbent pro curanda *v. g.* Scabie, poſt repetitas ſupervacaneas purgationes, & phlebotomias, tantum ſucci Cichorii crudi, quantum vix Uter caperet, tantum Seri lactis, quantum vix Labrum, tantum pulveris ex teſtaceis, quantum vix admitteret Bulga, licet poſt longam experientiam certo didicerint, hujuſmodi remediis vix umquam Scabiem ſanari, quam cæteroqui ſanant Viperata intus, & Sulphur extus, tempore idoneo, & cum regimine adhibita? Neque tamen, ex tam copioſa ſucci illius ingurgitatione, ullam metuunt cruditatem in ſtomacho; cum ex adverſo illud idem Cichorium in Acetariis, Oleo, Sale, & modico Aceto correctum, ac conditum, a paſtibus religioſe proſcribant: neque ullam a tanta ſeri aceſcibilis, aut corruptibilis illuvie læſionem, ullamve a tot pulveribus terreis, cruſta quadam Ventriculum, ac inteſtina obducentibus, obſtructionem reformidant, cum cæteroqui ſciant terrea hujuſmodi ingeſta Chloroſim, & malum habitum inducere, præbeantque incunctanter, licet de non curanda intra annum hiſce remediis Scabiem moralem habeant certitudinem. Non eſt tamen, quod plane improbem enarrata remedia, quibus, defectu meliorum, utor & ipſe, moderamine tamen, atque fiducia viribus eorum ſatis perſpectis correſpondente; ſed dico, ridiculum eſſe, quod illis tam fidenter utamur, China China vero tam trepidanter, cum illinc irritus ut plurimum, hinc fauſtus ſemper ſuccedat eventus.

Dicam amplius. Nedum remediis, quorum virtus incerta eſt, & iis, de quibus certum eſt, quod non ſanant, utuntur Medici, Corticem tanto horrore metuentes, ſed & inſuper aliis, quorum noxa præſens certiſſima eſt, incertiſſimum vero futurum levamen. Exemplo ſint Cucurbiculæ, remedium pro Ruſticis, ac Bajulis ob aſſuetudinem, & Veſſicantia pro Capucinis ob amorem Crucis, quemadmodum dicere conſueverat, cum viveret, noſtræ numquam memoriæ moriturus *Malpighius*: quorum Epiſpaſticorum acrimonia dolorifica ex Cantharidibus, Euphorbio &c. præter partes externas, ad internas uſque, dyſuria teſte, progreditur; & tamen de illorum juvamine res adeo controverſa eſt, ut ab innumeris Auctoribus, tum Antiquis, tum Recentioribus, velut abſolute, ac perpetuo noxia damnentur. Hæc, inquam, quæ Sanis Febrem inducere apta ſunt, Febricitantibus graviter decumbentibus affiguntur ab iis identidem Medicis (quos tamen non ob id ſemper damno) qui leviter Febricitantibus renuunt præſcribere Corticem, cujus juvamen præſens certum eſt; incommodum vero, quod ex Febrium ſuppreſſione ominanter, ſomniatum, & ab expertis millies numquam deprehenſum.

Hujuſmodi equidem terriculamenta imaginaria circa uſum Corticis, facile condonarim, *Chiſletio*, *Plempio*, *Serpento*, *Magneno*, *Paravicino*, *Caſato &c.* ſicuti nimiam forte circumſpectionem ſuam cenſeo condonandam *Jo. Forti*, ſuam, ut leviſſimam, cunctationem *Villiſio*, ſuam cautelam *Malpighio*, omnemque tandem trepidationem aliis quibuſcumque Magnis Viris, qui vel tempore tantum primi adventus, & naſcentis uſus hujuſce Febrifugi floruerunt, vel ſaltem nondum plenam experimentorum illius notionem habuere. Æquum enim tunc erat novitatem remedii examinare, diſcutere, ac de inuſitato eventu, fauſto licet, nonnihil dubitare: nec ipſe quidem tunc egiſſem aliter, donec prima pauco-

rum

tum experimenta longior tandem usus comprobasset. At postquam diuturna, & crebra Medentium experientia, votoque unanimi recepta est, ceu utilis, ac innocens illius operatio, nec consensu minus universali rejecta est Scholarum Humoristarum doctrina, cui præcipue innitebantur quotquot inventa fuere contra Corticem Machinamenta, nullus profecto amplius trepidationi, aut hæsitantiæ locus potest supersesse, nisi larvata sub specie panici timoris lateat pervicacia.

Atque his positis equidem fateor, me intelligere non posse, cur China Chinæ improbetur, nisi forte eo solum nomine improbetur, quod prosit; reliqua vero approbentur, eo quod non prosint. Memet explico. Adeo assueti sunt Medici uti remediis, quorum Virtus creditur potius, atque supponitur, quam dignoscitur, ut de hoc; cujus virtutem in omni sexu, ætate, temperamento, ac climate sensibiliter tangunt, præ admiratione metuant (quasi foret aliquid in Natura præstigiosum) ne quid mali, vel doli subsit. Revera qui Chinam Chinæ pro fugandis Febribus Intermittentibus respuunt, utuntur constanter, etsi semper frustra, Absynthio, Centaurio, Chamædryo, Gentiana, Fraxini Cortice, & hujusmodi, quærentes sanationem a plantis, quæ nequeunt illam præstare, & ab ea, quæ præstare valet, nanciscinolentes. At Bone Deus! Cortex Fraxini pro Febrifugo proponitur ab Antiquis, a quibus Peruvianus Cortex proponi nequibat, utpote nondum notus. Cortex Peruvianus, detectus postmodum, proponitur a Neotericis. Uterque est *Liber* Arboris a Deo datæ; Uterque dicitur Febres fugare, & quidem uterque sine ulla sensibili evacuatione. Cortex tamen Fraxini, dum exhibetur, semper, aut fere semper, exhibetur incassum; Cortex vero Peruvianus numquam, aut fere numquam. Quid? ille laudatur adhuc, & usurpatur; Iste damnatur adhuc, atque rejicitur. Quænam quæso cæcitas est istæc? Forsitan si in Fraxini Corticem parem Medentes virtuti nostri Corticis reperirent virtutem, illam pariter haberent suspectam, adeoque fallant eos remedia necesse est, ut illis adhibeant fidem.

Si vero Chinæ Chinæ eandem denegent, quia illius assumptio, Febre depulsa, relinquat homines in recidivam pronos, præter ea, quæ superius dixi, addo fidenter, quod etiamsi soli Chinæ Chinæ imputare velimus recidivas, quæ a tot aliis occasionibus pendere possunt, & frequenter pendet, adhuc tamen non posset eadem culpari, nisi ob imperfectam Morbi judicationem, nequaquam vero ob noxam; Quod equidem incommodum, quacumque alia etiam Methodo sanentur Ægri, sæpissime solet contingere, immo etiamsi sanentur sponte, nulloque remedio prorsus adhibito. Duplici autem modo possumus his recidivis occurrere, ut alias tetigi, scilicet vel eas ocyssime iterum curando, quoties redierint (quemadmodum in omnibus aliis Recidivis independenter a Cortice contingentibus conamur facere) vel easdem in totum, si velimus, præcavendo, quorum tamen neutrum tam facile vulgari medendi Methodo valemus assequi. Apposui conditionem -- *Si velimus* -- tam levis enim est sæpesæpius accessionum recursus, ut nonnumquam expediat febrilis fermenti reliquias ipsi efferveseentiæ Febrili duobus, vel tribus accessibus dissipandas relinquere, quo demum non rite succedente, ad artis ministerium fas est denuo confugere.

Pro curanda itaque Febre iterum recurrente, quemadmodum Cortice non utentibus mos est iterum atque iterum easdem phlebotomias, & purgationes, eosdem Syrupos, & pulveres, cum quibus morbus antea fuerat imperfecte judicatus, repetere, cum eventus etiam diuturnioris incertitudine, cur non poterit eadem de causa, præmissa etiam, quotiescumque redierit Febris, si cui lubeat, aliqua ventris expiatione, iterum atque iterum repeti oblatio Corticis, usque ad perfectam judicationem, cum certitudine, & promptitudine eventus? Sane in pluribus Morbis, ut Dysenteria, Colica, Nephritide, aliisque doloribus præscribuntur remedia Narcotica, eaque identidem repetuntur, ad impetrandas tantum inducias, cum certitudine recrudescentiæ fortioris, causaque morbi non modo superstite, sed & sæpius ob id ipsum contumaciore reddita; Cur ergo tutius non poterit adhiberi Cortex in eundem, vel potiorem finem, eodem jure; quo cum discrimine in aliis morbis usurpantur Narcotica?

Pro inhibendo autem etiam penitus, priusquam ingruat, Febris recursu, in promptu est modus, isque tutissimus, facil-

cillimus, atque utplurimum certus, repetendo ſcilicet, Febre ſtatim fugata, & per plures poſtmodum dies continuando, immo, poſt aliquod temporis intervallum, iterum ad aliquot dies renovando lentum uſum ejuſdem Corticis, ſive mavis Extracti illius, juxta præparationem, quam *Charas* inſtituit, per quam ſpoliato (ſi Auctori ſit adhibenda fides) partibus inutilibus, & Febrifugarum activitatem remorantibus, aut infringentibus, remedio, adeo efficax illud redditur, ut, eo congruenter aſſumpto, omnis omnino recidivæ tollatur occaſio; qua de re idem, ſi placet, conſulatur Auctor. Poteſt ne leviore incommodo, minore impendio redimi hoc infortunium? Qui Cortice non utuntur in Febribus, nonne præſcribunt Syrupos ad Septimanas, & Menſes, ut ſenſim per viam alterationis, ut ajunt, Morbum expugnent? Nonne paſſim in Febre quavis periodica lentiore, Apozematis per Epicraſim purgantibus per hebdomadas pariter Ægrum fatigant, & ſæpius incaſſum? Nonne in aliis caſibus extra Febres uſurpant decocta aliorum Lignorum, & Corticum, eademque protrahunt ad quadraginta, & ſexaginta dies, immo illa quotannis repetunt, ut in curatione Luis Venereæ, poſt plures prophylaxes iterum atque iterum facile reviviſcentis? Cur ergo Cortex Peruvianus, qui tam ſtrenuum Alterans, tamve ſpecificum Abſorbens eſt, ut quam cito Febrile Fermentum componat, ac tandem domet, non debebit, aut poterit, pro totali Febris eradicatione, ad aliquot dies, ut alia omnia alterantia, repetitis vicibus uſurpari? Sane *judicio noſtro* (inquit egregie *Baconus*) *opinio fuerit magis blanda, quam vera, ſi quis exiſtimet, Medicamentum aliquod tam potens, aut felix fieri poſſe, ut uſus ejus ſimplex curationi alicui grandiori ſufficiat*, ſubditque paulo poſt. *Quæ in natura eximie poſſunt, ac pollent, ſunt, Ordo, Proſecutio, Series, & Vitiſſitudo artificioſa*. Qua igitur ratione Cortex debebit ſanare perpetuo, dum ſemel tantum offerretur? Anne cætera Febrifuga vegetabilia offeruntur ſemel? Offeratur ut reliqua, & ſanabit longe certius, ac reliqua. Numquid illi onus incumbit, una, vel altera oblatione tollendi febres, & inhibendi recidivas, cum aliis remediis conceſſum ſit per menſes Ægrum torquere, angere, & expectationem deludere? Diſcant ergo prius Corticem exhibere qui damnant; rite experiantur, & damnent.

CAPUT III.

Princeps oppoſitio in Chinæ Chinæ *uſum, ex carentia ſenſibilis evacuationis poſt eandem aſſumptam petita, diluitur: Experimenta quædam tentata ad explorandam illius vim Febrifugam exponuntur.*

UNA ſupereſt tollenda difficultas plurimi habita, & obtrudi ſolita contra uſum Peruvianæ Corticis, in cujus objectionis examine pauliſper immorari neceſſe eſt. Id autem duplici ratione, quia nempe hujuſmodi objectio multa, & varia ſimul complectitur, & quia omnia, quæ ex illius ſolutione reſultant, ac facere poſſunt pro uſu innocuo Chinæ Chinæ, generaliter loquendo, multo magis facere poterunt pro eodem, loquendo in particulari, nempe in caſibus, in quibus nullum aliud Aſylum ſuppetit, quod eſt intentum meum, in cujus gratiam cuncta, quæ dicta ſunt, & plura, quæ mox dicentur, placet præmittere.

Opponitur itaque, quod ab aſſumpto Cortice nulla ſequatur ſenſibilis evacuatio, adeoque cauſa Febris, illiuſve fermentum figatur, & intus detineatur pro recidiva, vel alio pejore morbo inde imminente.

Vulgatiſſima hæc oppoſitio gratis ſupponens ab uſu Chinæ Chinæ intus coercitas jugulatarum Intermittentium cauſas, æque gratis ſupponit, eas pro curatione ſemper indicare evacuationem, non vero ſolam abſorptionem, aut correctionem ſui. Fundatur inſuper illa in abſona ſatis illatione, quandoquidem ab incertiſſimis Febrium cauſis (de quibus nil certius habemus, quam quod ſunt incertæ) ad impugnandam certiſſimam Corticis operationem procedit: oppoſitis enim plane greſſibus eſt incedendum, ab infallibili videlicet, ac uniformi ejuſdem actione, in varias Febrium ſpecies ſine manifeſtis evacuationibus exercita, ad rimandam occultam, & molis ſæpius inconſpicuæ, earumdem cauſam, ſemper æqualiter expugnatam; ne ſcilicet ab ignoto ad confundendum notum, ſed ut a noto ad detegendum ignotum ordinata

me-

methodo convertamur. Hanc methodum philoſophandi, in hac ſpeciatim re, diſcere nos non pudeat a Celeberrimo *Jo: Alphonſo Borello*, Matheſeos Profeſſore, qui de Febris, & de fermenti, ſeu cauſæ febrilis extinctione verba faciens, & ab hoc opere ſenſibiliores evacuationes excludens, ſuum aſſertum ex actione Peruviani Corticis confirmat his verbis -- *Hinc deduci poſſe videtur, quod Febres numquam, aut raro curari queunt ob copioſas humorum purgationes, & ejectiones, cum fermentum febrile exiguæ molis eſſe ſoleat; quod evincitur ex curatione Febrium cum rigore advenientium a Cortice febrifuga, ab India nuper advecta, quæ abſque ulla ejectione, aut per alvum, aut per ſudores, vel per urinas, Febrem tollit.*

Non tamen univerſaliter certum eſt quod *Borellus* primis hujuſce remedii temporibus facile conceſſit, & quod nimium ſupponitur ab Opponentibus, nempe quod nulla umquam poſt epotam Chinam Chinæ ſequatur evacuatio ſenſibilis, cum nonnumquam aliquæ per ſudores, per urinas, & per ſeceſſum obſerventur, ut indicabo in hiſtoriis, inſignes evacuationes, licet (quod ingenue fateor) ut plurimum non ſuccedant. Sed ſi non ſuccedunt inſignes, nonne adſunt evacuationes conſuetæ, poſt debellatas per Corticem Febres inſigniter mutatæ, quæ poſſunt ſufficere? Nonne alvi fæces ſunt manifeſta Corticis tinctura infectæ? Nonne Urina ſemper copioſior nonnihil redditur, croceo utplurimum, vel alio quovis morboſo colore in citrinum converſo, & craſſa, vel tenui conſiſtentia in mediocrem, cum ſignis coctionis, ſtatim mutata? Numquid ſub iſtis ſolis evacuationibus, etſi conſuetis, latere non poterit Fermentum febrile, vel portio ſaltem illius activior a Cortice abſorpta, vel quomodolibet ſecreta, ac inde cum reliquis quotidie excernibilibus more ſolito foras detruſa? De evacuatione, ſeu diſſipatione inſenſibili, quæ haud improbabiliter cum Cl. *D'Acquin*, & aliis poſſet in medium afferri, ne verbum quidem hic facio, ne videar latibula quærere, ac diverticula. Iſtam tamen non adeſſe, vix ullus impugnator probare poſſet.

Sed demus, quod uti ſæpe non adeſt ſenſibilis copioſa, ita numquam adſit ulla, vel ſenſibilis, vel inſenſibilis evacuatio. Demus inſuper, quod Cauſa Febrium debilitata tantummodo, non debellata intus remaneat, ſitque veluti portio fermenti reſtitans quaſi ſopita, ut iterum reviviſcat. Quid tum? Anne ſemina Peponum aſſervata gignent Cucurbitas? Sic & ſemina Tertianæ, vel Quartanæ reſidua, ſi per incuriam, dimiſſo curationis progreſſu, ſibi ſinantur, ad ſummum Tertianam iterum, vel Quartanam reproducent. Neque enim, ſi res examinetur, quicquam deterius ſuccedere conſueviſſe demonſtrant ipſæ, quæ nonnumquam ſubſequi ſolent, Recidivæ conſimiles, ut Hydropes, Cachexias, Apoplexias, & mille alia infortunia, poſt ſeculum adventura, inde præſagiant, reclamante licet quotidiana experientia, nonnulli Vaniloqui.

Vaniloquos appello hujuſmodi Homines, qui hæc, & ſimilia effutiunt de Cortice, tamquam de re ab intrinſeco noxia; nec niſi pravos effectus, poſtquam febriles paroxyſmos inhibuit, producere apta. Non tamen ideo plane negaverim, ex illius quoque (non ſecus ac ex cujusvis alterius ſelecti medicaminis, cibive ipſius) incongrua aut intempeſtiva oblatione, inopportunaque inde ſecuta Febrium ſuppreſſione, ſuboriri forſitan nonnumquam poſſe quidpiam incommodi, ut *Cap.* 8. & 10. *hujuſce Libri*, & *Cap.* 5. *Lib.* 4. ſerio perpendemus. Neque enim ſemper hoc remedio, quantumvis egregio, indiſcriminatim, & abſque methodo, ſeu cæca quadam libidine Febres illico quomodolibet ſupprimendi, quovis earum tempore, & in quavis circumſtantia forſitan uti licet: ſed tantummodo ad certas leges, & regulas toto hoc Tractatu in hunc finem deſcriptas, extra quas, ſi illud prorſus empirice præſcriptum, videlicet præter tempus, & ordinem ſibi debitum, optato, & bono careat ſucceſſu, id illi minime vitio vertendum, ſed inconſultæ, aut intempeſtivæ oblationi, ut ſuis locis peculiariter adnotabimus.

Cæterum, ut redeamus in viam, per hoc etiam quod depulſa tempore idoneo per uſum Corticis Febre, aliquod forſan illius ſemen intus remaneat, nil aliud tandem probatur, etſi totum, quod opponitur, concedatur, niſi quod, vel ante oblationem Corticis debeat prius Corpus exacte purgari, quod fidentibus purgationi permittitur, vel ad ſummum, quod a Cortice ſemel tantum exhibito,

nec

nec ſatis prius purgato corpore, immineat ejuſdem morbi recidiva, quod nequaquam negatur. Hæc ipſa vero quam levis in tali caſu regulariter eſſe ſoleat, & ſua radice mitior; quam cito iterum curari valeat, impetratis interim languenti robori induciis, quam facile denique poſſit etiam penitus præcaveri, & portio reliqua Fermenti febrilis, ſeu cauſæ morbificæ radicitus averruncari, jam ſatis, ut reor, præcedenti Capite demonſtravimus.

Quoniam vero de Cauſa iſta Febrium Intermittentium eliminanda tanta eſt anxietas, liceat de eadem, quæcumque illa ſit (de quo fuſius infra) generaliter quærere, an ſermo ſit de cauſa, ut ajunt, Conjuncta, quæ ſcilicet paroxyſmum præſentem actu producit, an de Antecedente, quæ futuros eſt productura, &, vel ſecundum paucos univerſæ maſſæ ſanguineæ intime confuſa eſt, vel ſecundum plures alicubi latet in corpore veluti in ſua Fodina, ut ſtatis periodis affundatur ſanguini, illumque in motum effervescentiæ febrilis ad tempus cieat, ut ab eo poſtmodum media tali effervescentia illum deſpumante ſegregetur, & hac ipſa arte foras per conſequens eliminetur. Si itaque de cauſa Conjuncta protrudenda ſit ſermo, cum acceſſio quælibet ſit particularis judicatio, cui regulariter ſponte naturæ ſubſequitur particularis aliqua, ſive inſenſibilis, ſive ſenſibilis evacuatio, aut criſis, per ſudores utplurimum, vel per urinas (unde paroxyſmus actu ſolvitur) non eſt cur a China China id optemus, quod jam nobis Natura ipſa fermentationis, aut ebullitionis miniſterio ſponte largitur. Si vero loquamur de cauſa Antecedente, cum iſta, ut verbo Antiquorum utar, nec ſit, nec poſſit eſſe in ſuo Foco concocta (ſive dicatur minus probabiliter in ſanguine diſperſa, illique citra tumultum confuſa, ſive probabilius in alio loco diſtincto congeſta, concluſa, nec adhuc excarcerationi, aut excretioni matura) cum, inquam, non ſit concocta intra quamcumque, ut ajunt, Mineram, nec queat concoqui, uſquequo non ſubjacet fermentationi ſanguinis: item cum non lædat, niſi quatenus cum illo ebullit, aut effervescit, nec, niſi quatenus ebullit, aut effervescit, queat ſegregari, hinc eſt, quod nulla utilis exigi poſſit citra fermentationem, aut effervescentiam febrilem ejuſdem evacuatio.

Porro ea ipſa medicamenta arte parata, evacuantia per ſeceſſum, per vomitum, aut etiam per ſudores, quæ, perperam licet, Febrifugi nomine ſolent audire, paulo ante paroxyſmum exhibita, ſi plus expellant, quam ſit pro illo paroxyſmo congeſtum, atque excretioni jam ſponte diſpoſitum, tantum abeſt, ut proſint, quin potius abſolute noceant, & morbum augeant (ſintque hodie idcirco fere obſoleta) agitando videlicet, confundendo, irritando, ac perturbando quod quieſcens adhuc, & inconſpicuum, ut verbo *Hippocratis* utar, nondum lædebat. Id ipſum, quod a medicamentis materiæ incoctæ vim inferentibus dictum eſt fieri, quotidie pariter obſervamus (quæ nobis eſt regula infallibilis a Natura conſtituta, ne crudos adhuc ſuccos exagitemus) in ſpontaneis illis excretionibus, quæ per vomitum, & per ſeceſſum in Acceſſionum principio, & per ſudorem, vel per urinam in fine, copia nonnihil exuberante contingunt. Ab illis namque profuſis evacuationibus, non modo in principio, ſed in ipſo etiam paroxyſmorum fine ſubortis, nonniſi longos morbos, aut difficulter ſolubiles, omnes, quotquot ſunt, Practici experientia ducti ominantur.

Cum ergo qui Febres Intermittentes curare aggreditur, nil aliud poſſit intendere, niſi ſubmovere paroxyſmos, & ad coctionem (verbo iterum uſitato ſit venia) cauſam perducere; & cum poſtremum iſtud per viam evacuationis, ut notum eſt, nequeat obtineri, reliquum eſt tantummodo, ut, ſublatis per Chinam Chinæ acceſſionibus, ipſa demum antecedens cauſa, quæcumque ſit, ad inteſtinam ſecretionem, & inde ſecuturam ſpontaneam excretionem paulatim diſponatur, per viam alterationis, in ipſa quoque minera, ut ajunt, vel foco ſuo, ne lædat, cum ſanguini advenerit; quod ab eadem China China diutius uſurpata haud infirme præſtari, dummodo congrua ſervetur proportio inter vim, aut copiam peccantis materiæ, & remedii doſim, cuilibet in hac palæſtra, vel mediocriter exercitato quotidie fit obvium.

Si ergo Febrifugum, ſive Alexipyretum iſtud de genere alterantium eſt, vel, ſi ma-

ſi mavis, medicamentorum agentium, ut ajebant Antiqui, a tota ſubſtantia, & ex ſpecifica proprietate, cur ab eo quærimus evacuationem, quam a nullo alio quærimus, aut quærere poſſumus Alterante, a nullo alio Specifico, a nullo denique alio ſimplici Febrifugo etiam imperfectius agente? Quid, quæſo, evacuant celeberrima illa Febrifuga unanimi tot ſæculorum conſenſu ex claſſe vegetabilium petita, & alias memorata, Centaurium nempe, Imperatoria, Camædrys, Pentaphyllus, Gentiana &c. quid earumdem Plantarum ſales, quid Theriaca ante acceſſiones exhibita, quid cor Leporis comeſtum, quid Animalcula de collo ſuſpenſa, quid tot alia carpis appoſita, a quibus nihilominus citra ullam evacuationem ſubita paroxyſmorum faſcinatio, fruſtra licet, ſperatur? Cur igitur uni Cortici Peruvianæ imputatur febrilium Acceſſionum ſuppreſſio cum nulla ſenſibili evacuatione conjuncta, quando cætera quoque Febrifuga non modo ſolventia non ſunt, aut ullo pacto ſenſibiliter vacuantia, ſed maxima etiam ex parte adſtrictoria, & ſtiptica, ut vidimus?

Minus inveriſimiliter forſitan nonnulli cenſentes cum *Frider. Hoffmanno* fieri a China China præcipitationem quamdam Materiæ febrilis, objiciunt poſtea carentiam ſucceſſivæ evacuationis illius: qui equidem operandi modus, ſcilicet per præcipitationem, ab ipſis Antiquis fuit tributus Febrifugis quoque ſuis ſpecificis; inter quæ numerabatur *Pulvis e Cochlearum teſtis a Crollio* deſcriptus, *e Conchis Margaritiferis, ſeu matre perlarum calcinata, ex oculis Cancrorum &c.* Quæ Medicamenta *præcipitatione quadam vim illam efferveſcendi, & paroxyſmum excitandi ab humoribus tollere poſſe (ut Cereviſiæ aceſcenti creta injecta adimitur aciditas)* vel ipſe explicare conatus eſt verbis modo relatis, ſuo tempore, *Daniel Sennertus*, quem nec latuit *efferveſcentia Acidi, & Alcali*, nec *Fermenti Febrilis* nomenclatura.

Sed neque iſta fortaſſe præcipitatio (quæ phyſice explicata, ut abſorptioni ſuccedanea, contemnenda non eſt) neque, inquam, ipſa inducit neceſſitatem inſignis, atque conſpicuæ evacuationis. Etenim, ſi hujuſmodi præcipitatio ſupponatur fieri intra ſanguinem, ea non poterit attingere materiam antecedentem, quæ probabiliter nondum ſanguini confuſa eſt, nec cum eo efferveſcit, ſed ſolummodo illam portiunculam, quæ eidem pro uno tantum paroxyſmo eſt mixta, ſiquidem partitis tantum vicibus cenſenda eſt fieri hæc qualiſcumque affuſio novi fermenti, & ſic non alia requiritur evacuatio, præter illam ordinariam, quam Acceſſio quælibet, dum ſolvitur, ſecum ferre ſolet, & quæ revera contingit. Si vero talis præcipitatio, ad hoc ut tollere poſſit materiam plurium paroxyſmorum, qui per Chinam Chinæ inhibentur, ſupponatur contingere in ipſa (ut vocant) Minera, ſeu Foco extra Sanguinem, quatenus materia Febrilis ibidem veluti congeſta, ob immediatum remedii illuc pertingentis contactum, cum eodem remedio efferveſcat, inde uniatur, ac poſtmodum præcipitetur, quandocumque etiam hoc fieret, quod non abſolute negatur, id ipſum abſque alia tunc facta ſenſibili evacuatione, ſaltem ſupra conſuetas (intra quas, ut vidimus, latere poteſt hoſtis depulſus) id ipſum, inquam, plane ſufficeret. Neque enim quidquam amplius ab Arte, vel a Natura extorquemus per viam alterationis atque coctionis in ſuccis febriliter efferveſcentibus (immo & in non efferveſcentibus, ut in Acido Venereo per uſitatas decoctiones abſorpto, & ſucceſſive præcipitato) dum defæcationem eorum promovemus, media ſecretione particularum ſubſidentium, & præcipitatarum, quæ reſpectu totius fluidi ſunt mollis admodum exiguæ, illarum poſtea excretionem ſerius nonnihil, ſed tutius a Natura, expectantes, quam Arte tentantes, ſæpeſæpius quo Natura ipſa vergat incerti. Quod idem prorſus faciendum eſt, curatis per Chinam Chinæ Febribus, ne materia Febrilis (ſi ita etiam lubeat) præcipitata, nec adhuc excreta, intempeſtive iterum commota exaltetur potius, quam educatur, ut luculenter teſtatur experientia.

Multo minus (ut & hoc obiter tangem) aſſentiri poſſum cenſentibus, quod eadem China China Febrilem cauſam, in tota ſua latitudine ſumptam præciſe figendo, ſuccos nempe efferveſcentes una cum Fermento febrili, ipſumque ſimul cruorem conſtipando, vel ex oppoſito eoſdem nimium ſtrictos, aut ad ſtagnandum diſpoſitos præciſe rarefaciendo, vel dilatando, ſuum munus abſolvat, in quo nobiſcum quoque ſentit *Villiſius* clare inquiens

quiens -- *Annotetur, quod hoc remedium non quemadmodum vulgaria febrifuga sanguinem figendo, aut etiam fundendo, accessiones febriles sistit.* Nam, præterquamquod non est cur China China dicatur causam Febris potius figere, quam solvere cum *Conygio*, vel eamdem retundendo tantum, aut aliter subigendo, enervare, ac tandem devincere, male insuper infertur ex eo, quod illa Fermentum febrile absorbeat, aut præcipitet, & hoc nomine, si sic lubeat, etiam figat (quod in hoc sensu est totum id, quod exquiritur ab arte) male, inquam, infertur, quod alios etiam figat, aut vitiose constipet humores, ipsumque cruorem, qui ejusdem extranei fermenti accidentale, & insons subjectum est. Novi etenim per experientiam, quod, si uni Febricitanti pulsus sit magnus, & plurimum elatus, ac effervescentia febrilis æqualiter expansa, cum vaporoso undique calore, alteri vero sit parvus, atque omnino depressus in ipso etiam febris vigore, quæ proinde sepultam habeat effervescentiam, & calorem absconditum, utrique nihilominus propinata China China pulsum in naturalem mediocritatem, fugata æqualiter febre, illico restituit, illi quidem arteriam nimis elatam veluti deprimendo, ac fluidum contentum constipando, isti vero illam nimis depressam elevando, contentumque cruorem veluti rarefaciendo: ut sileam, quod illa tam Febres (uti videbimus suo loco) quæ sunt de genere Colliquativo, quam quæ sunt de genere Coagulativo, indiscriminatim sanat. Qui duo effectus oppositi nequeunt directe præstari ab una, & eadem China Chinæ uniformiter agente, nisi quatenus illa absorbendo Causam febrilem, quæ pro diversa fluidorum dispositione modo unum, modo alterum effectum producit, eosdem pariter, licet oppositos, indirecte, & alternatim producit effectus.

Hinc est, quod illa nihil intra corpus nostrum sensibiliter innovando, præter expulsionem febris, ejusque symptomatum, sicuti nullas sensibiles excitare solet, ita nec ullas soleat cohibere evacuationes *criticas* inchoatas, sive per secessum illæ sint, sive per aliam quamlibet viam: supprimat vero *symptomatibus* tantum, & a Febribus demum sublatis antea pendentes, supprimatque præcise per hoc, quod Febrem illarum productricem deleat, non quia illas vi quadam adstrictiora cohibeat. Ob id Gravidis non modo, sed & Puerperis, vel Menstruas purgationes patientibus tuto exhibetur; neque tamen Menstrua, vel Lochia naturaliter fluentia sistit, aut nimium promovet, ut videbimus in historiis -- *Quo pacto ergo* (inquit *Mortonus*) *pharmacum, quod in* Puerperio *salubriter ministratur inter* Obstruentia *numerari potest? Veteres isti Philosophastri, qui Ætiologiam omnium morborum ex humoribus & manifestis qualitatibus petendam esse duxerunt, ubi sine aliqua evacuatione sensibili, febriles fermentationes illico a justa dosi* Corticis *exhibita, sopitas viderunt, inde experientia reclamante, & rei ipsius natura, nescio quam omnipotentem* Constringendi, & Obstruendi *facultatem Pharmaco inesse commenti sunt. At sane* Cortex *febriles fermentationes neque facultate obstruente, neque deobstruente sistit, verum vi sua* Alexipharmaca, *qua eximie præpollet. Quocirca non est, quod quisquam hisce terriculamentis, insomniis, & deliramentis Philosophicis ab usu Polychresti hujus Pharmaci terreatur.*

Quoniam vero hæc suspicio, aut opinio, quod China China suum munus cohibendi febres exerceat per hoc, quod figat illarum causam, admodum communis est in ore Medicorum quorumdam, non secus ac in ore Vulgi, ut propterea hinc recidivas graviores, & mille mala ominentur, lubet idcirco opinionem istam nonnihil examinare, & (semotis etiam plurium Auctorum tali sententiæ ex diametro oppositorum validis rationibus, quos referre supersedeo) illam blandiuscule excipere in bono sensu, non in eo videlicet, in quo intelligitur ab opponentibus, sed in eo in quo congruenter potest intelligi, & in quo verosimiliter puto eam esse veram, & admittendam, utpote effectus Chinæ Chinæ satis naturaliter explicantem.

Recolligendo itaque hic, quæ sparsim dicta, & dicenda sunt, extra dubium est, Chinam Chinam non agere in fluida, ut ea in universum figat, neque hoc ab ullo asseri posse; sed ad summum, quod figat Causam febrilem fluida ipsa perturbantem, & effervescere facientem. Non figi sanguinem, alioque succos utiles, ostendit perfectio actionum naturalium, vitalium, ac animalium statim a febre depulsa ope Corticis. Ostendit idem, ut modo dicebam, criticarum

eva-

evacuationum cujuſcumque generis inchoatarum continuatus progreſſus a China China aſſumpta, pulſus ſolutus, ac liber, cum prius depreſſus eſſet, atque concluſus, evaneſcentia fixationum ipſarum, ſeu tumorum Lienis, aut Hepatis a febribus productorum & mille alia, quæ circulationem perfectam, & inculpatam fluiditatem ſuccorum evidenter pateſaciunt, non modo conſervatam aſſumpto Cortice, ſi antecedenter adfuit, verum & reſtitutam, ſi defuit.

Ad ſolam itaque cauſam, ſeu materiam febrilem, humores noſtros, ante mixtionem talis materiæ cæteroqui bene ſe habentes, agitantem, perturbantem, & efferveſcere facientem, tota contrahitur decantata fixatio. Sed ecquis certo novit materiam illam, quæ Fermenti Febrilis nomen ſortitur, non eſſe aliquid in ſanguine, vel alio quolibet ſucco nimis exaltatum, aut a vinculo mixtionis ſolutum, quod figi idcirco debeat, ac deprimi? Hoc ſane a probabilitate non multum abludit. Verum, quoniam ignota natura talis fermenti, nequit circa hoc quidquam præciſe determinari, fas ſit pro nunc indeterminate tantum, ſed ſimul valde veroſimiliter ſic ratiocinari.

Hæc Cauſa febrilis nobis incognita, ubicumque deliteſcat, & quantacumque ſit, non erit, ſaltem utplurimum, molis, aut quantitatis inſignis, immo, ſepoſitis jam, atque exſibilatis humoribus imaginariis Antiquorum, fas eſt credere cum Doctiſſimo *Borello*, quod ſit ſuccus, vel humor quidam molis ſæpius exiguæ, quem fortaſſe cochlear unum caperet, per intervalla ſanguini affuſus, illumque in motum febrilem concitare aptus. Qui enim quandoque exeunt copioſe per vomitum, aut per ſeceſſum, humores, præſertim in Tertianarum principio, non ſunt veræ febrium Cauſæ, illis enim exeuntibus febris ſolveretur, vel ſaltem miteſceret, cum tamen contra potius augeatur, ac exacerbetur; ſed ſunt effectus Cauſæ febrilis, molis, ut ajebam, exiguæ, ut ut tumultum illum, & immaturas excretiones inducentis. Certe quicumque perfecte ſanus, & bonis humoribus ſcatens comedat ova piſcis Barbi, vel Fungos noxios, vel Emeticum vehemens, aut Catharticum, paulo poſt copioſiſſimos per vomitum, & per ſeceſſum effundet humores. An propterea exigua non fuit moles Cauſæ ſuſcitantis tantam evacuationem humorum minime peccantium, ſed a violenta irritatione expreſſorum, & ab aſſumpto tantum pravo cibo, vel pharmaco corruptorum? Ad vitandam magnam molem fluidi ſani, ſufficit immixta exigua moles fluidi vitioſi. Una Vini mucidi, acidi, aut inclinantis pinta potis eſt inficere, aut corrumpere dolium integrum Vini meraci. Portiuncula ſpiritus Vitrioli injecta in phialam olei Therebinthinæ totum liquorem efferveſcere facit. Cur & totum ſanguinem non poterit inficere, ac in efferveſcentiam ciere immixtus illi paucus liquor febrilis?

Hoc rationabiliter poſito, ſupponamus hujuſmodi ſuccum febrilem (quem præ activitate magna in parvitate molis nomine Fermenti donarunt Auctores) a China China vere defigi, ſed ſimul examinemus quo pacto vere defigi poſſe. Non profecto per veram narcoſim, ut vidimus, ut patet experientia, & ut patere cuique poteſt ratione. Non ergo alia via, niſi per modum illaqueationis, & vinculi, ſeu per coalitum, & coaptationem particularum Fermenti cum particulis Febrifugi, hoc eſt per ingreſſum illarum intra poros iſtius, eo pacto, quo Acida Alchalinorum poroſitates ſubeunt, ut *Lemeryo* placet: uno verbo, per abſorptionem Fermenti factam a Cortice illud *combibente*, *abſorbente*, atque hoc pacto a reliquis humoribus, quos inquinabat, vel inquinaturus erat, *ſeparante*, & in hoc tantummodo ſenſu, ſi loqui ſic lubeat, *figente*.

Sed hoc eſt unice quod quæritur a Medico, hæc eſt intentio primaria, quam adimplere ſtudemus cæteris omnibus Febrifugis ſpecificis in curatione Febrium Intermittentium, omnibus Alexipharmacis in curatione Malignarum, omnibus Antidotis in correctione Venenorum, omnibus Chalybeatis in refermentatione ſuccorum ſtagnantium, omnibus Antivenereis, Antiepilepticis, & Antiſcorbuticis in medela talium affectionum, omnibus denique generaliter Alchalicis in abſorptione quorumvis Acidorum. Iſtiuſmodi ergo fixatio, ſeu potius ſeparatio; & ſpecifica caſtigatio febrilis fermenti tantum abeſt, ut prava ſit, quin potius ſit omne id, quod ab Arte poteſt exquiri, ut notum eſt, pro curatione ipſarum Febrium.

brium. Et ſicuti in Morbis antedictis non ſumus ſoliciti de ſucceſſiva evacuatione Cauſæ peccantis abſorptæ, moliſque pariter perexiguæ, ſed illam committimus Naturæ, eamdem Cauſam ſic abſorptam, vel perfecte ſubigenti, vel per conſuetas ut plurimum excretiones, ſive ſenſibiliter, ſive inſenſibiliter evacuanti, ita pariter non eſt cur major ſit in caſu depulſarum febrium noſtra ſolicitudo, maxime cum quotidie videamus febres graviſſimas, & periculoſiſſimas ſponte ſine ulla ſenſibili evacuatione per viam coctionis, ut ajunt, ab ipſa Natura integre, ac perfecte ſanatas.

Et ſicuti etiam quandoque contingit in prædictis Morbis, ut tractu temporis illorum Cauſa, etſi antecedenter abſorpta, per accidens reviviſcat, vel quod vitio viſcerum, aut fluidorum univerſali iterum regeneretur, ſicque Chloroſis, Scorbutus, Lues Celtica, & hujuſmodi ſæpius repullulent, quo fit, ut eodem Chalybe, Cochlearia, Guajaco &c. rurſus curentur, abſque eo quod iſtis medicamentis imputetur vitium de *fixata nec evacuata* Cauſa illorum productrice, deque inde ſecuturis recidivis, aliiſve morbis deterioribus: ita etiamſi fermentum febrile ſemel abſorptum aliquando reviviſcat, ac veluti a Cortice illaque ante iterum diſſocietur, ac ſejungatur, vitio vel naturæ diutius illud foventis, nec prompte ſubigentis, aut expellentis, vel alimentorum fermenteſcibilium ingeſtorum, vel aeris, vel tempeſtatis &c. quæ omnia illud rurſus exaltare valent (ut ope ſolius aeris vim emeticam iterum reſumit Stibium diaphoreticum) aut ſi vitio Viſcerum, fluidorumque univerſali idem fermentum denuo reproducatur, non propterea culpandus eſt Cortex de *fixata*, ac veluti in Viſceribus ſequeſtro poſita, ſine ulla retuſione, Cauſa febrili, vel de eadem inſimul *non evacuata*, vel de cruore *conſtipato* pariter, atque *fixato*, ut perperam intelligunt, blaterantque nonnulli opponentes. Atque hic, meo judicio, eſt probabilior modus agendi Peruvianæ Corticis, ſeu generalior, ac craſſior, congruentior tamen illius explicatio. Non enim ſuppetit animus perſcrutandi penitus modum plane admirabilem, quo præcipue Febrifugum iſtud agit in fluida, vel in reconditas Febrium Intermittentium Cauſas, cum me imparem agnoſcam intimæ explicationi ſenſibiliori, qualem noſtri ſeculi eruditio, & ſolida ejuſdem non verbalis, philoſophandi conſuetudo exigeret.

Haud inficior, me aliquando tentaſſe experimentum aliquod, vi cujus poſſem Chinæ Chinæ actionem in varia fluida a longe ſaltem ſubolfacere, ſed incaſſum; neque enim quicquam ſupra id, quod retuli, licuit deducere. Dicam tamen quod contigit. Illam ſuperinjeci diverſis liquoribus, modo ſejunctis, modo conjunctis, puta ſuccis Limonum, ac Aurantiorum, Aceto, Aquæ, tum dulci, tum ſalſæ, Oleo, Bili bovinæ, Lymphæ caninæ, Urinæ humanæ, Salivæ &c. Parum autem, ac fere nihil alterari ab immixto Cortice talium liquorum ſapores dignovere, qui guſtaverunt, niſi quantum adjuncta illius amarities, atque ſtypticitas ferebat, perinde ac quodlibet aliud Amarum, & ſtypticum, minime tamen febrifugum, iiſdem confuſum, tuliſſet. Pariter ſapor Corticis, poſtquam liquores illos abſorpſit, iterum exſiccati non magis alteratus eſt, quam par fuerit, habito ad liquorum abſorptorum ſapores adjunctos reſpectu, quod cuilibet ſimiliter Amaro, & ſtyptico non febrifugo illis immixto contigiſſet.

Sed quia non ſatis actum videbatur, explorando quid ageret Cortex immixtus fluidis Brutorum Animalium, quæ Febribus Intermittentibus non videntur obnoxia, ut Homines (fortaſſe ob maximam victus illorum diverſitatem, quæ maximam quoque diverſitatem ſuccorum procul dubio producit) placuit ideo eamdem Corticis commixtionem inſtituere cum aliquot ſuccis humanis præter jam dictos & præcipue cum Sanguine, ac Bile. Quoad primum, videlicet Sanguinem, nihil animadverſione dignum datum fuit intueri, neque verum id reperire, quod ab aliquibus traditur, Chinam Chinam nempe ſanguini recenter educto commixtam, illius coagulationem impedire. Haud diffiteor, quod diviſo intra quatuor vitrea vaſa *ſani* hominis ſanguine per unam phlebotomiam extracto, tardiuſcule concrevit portio, cui Cortex Peruvianus inerat, quam duæ portiones, quibus ille non inerat; Sed hoc ipſum procedere a ruptione fibrarum facta per agitationem ſanguinis, requiſitam ad commixtionem illius cum Cortice, nec non ab ipſa pulverea materia (idem enim præſtitiſſet alius quivis pulvis injectus) quæ

fibras

fibrarum earumdem diſtractionem, propter ſui intermixtionem producit, me ſatis certum reddidit idem phænomenon, quod in alia portione ſanguinis æque obſervavi, in qua videlicet Mali arboris corticem pulveratum immiſeram, quæque tardius etiam concrevit, & concreta flaccidior apparuit ac portio, quæ Chinam Chinam admiſerat. Ob id etiam tenacius adhærebant parietibus Vaſorum portiones ſanguinis impermixti, quam portiones utroque pulvere ſcatentes.

Quoad ſecundum vero, nempe quoad Bilem humanam, idem quodammodo mihi ſum viſus obſervaſſe, ac in bubula, hoc uno excepto, quod abſorptio bilis humanæ Cyſticæ, nequaquam morboſæ, inſtituta per infuſionem Corticis; & deſcenſus iſtius intra eam, longe lentior, & obſervatu difficilior apparuit, ac intra bubulam, quia longe craſſior, opacior, ac denſior eſt bilis humana cyſtica (ſaltem quæ fuit ad manus, & quam alias etiam licuit inſpicere) quam bubula pariter cyſtica. Quod igitur obſervabilius mihi viſum eſt in Cortice reſpective ad bilem bovinam (humana pro nunc ſepoſita) & reſpectu habito ad alios liquores eadem bile tenuiores, fuit modus, quo inæqualiter diverſos liquores iſtos abſorbebat ipſe Cortex in pulverem redactus. Cum enim ille acida omnia, item aquam, & dulcem, & ſalitam, urinam &c. ægre admodum abſorberet, bilem tamen celeriter combibat, adeo ut in reliquis illis liquoribus bile minus craſſis, minuſque ponderoſis, ſiquidem bilis eadem illis immixta ſubſidebat, pulvis Chinæ Chinæ, ut mos eſt, diu innataret, cum in bile craſſiore, atque graviore mergeretur, ac fundum peteret, celeritate non multum abſimili, licet non tanta, ac ſubſidebat in oleo omnibus illis fluidis longe leviore. Eadem vero China China impoſitabili cum aceto mixtæ, immo etiam mixtæ cum aceto ſimul & ſaliva (quæ duo fluida a bile ſejuncta ægre combibebantur a Cortice) viſa eſt celerius adhuc, vel ſaltem æqualiter mixturam illam abſorbere, ac ſolitariam bilem. Sed iſtæ qualeſcumque obſervatiunculæ vix aliquid effatu dignum ſuggerunt, pro explicatione etiam remota, operationis admirandæ Peruviani Corticis in Febrium Cauſas, tum quia idem ſpectaculum modo parum abſimili, licet non plane eodem, obſervabatur in corticibus pulveratis aliarum plurium Arborum, & Fruticum, aquæ, aceto &c. diu innatantibus, in bile vero celeriter ſubſidentibus (levi tantum inter illorum, & Chinæ Chinæ deſcenſum intercedente diſcrimine) tum quia parum refert obſervare quid China China operetur intra bilem qualemcumque, cum nos lateat quinam ſit, vel eſſe poſſit ad cauſam Intermittentium conſtituendam bilis concurſus. Interim tentamen meum, etſi irritum, fas ſit curioſioribus retuliſſe.

Si quid autem ex his licet arguere, illud eſt fortaſſis, quod China China (& ad illius normam aliarum proportionaliter Arborum cortices) intra ſuas poroſitates facilius admittat minimas humoris bilioſi particulas, illaſque promptius combibat, & abſorbeat; quam particulas minimas aquæ, aceti &c. quod conſtare videtur ex faciliori illius intra bilem ponderoſiorem, atque craſſiorem deſcenſu, quam intra aquam minus ponderoſam bile, minuſque craſſam. Suppono etenim, ſeu potius ex re ipſa deduco, nudam Corticis, ut & aliorum lignorum materiam, ſemotis omnibus intercluſis poroſitatibus, eſſe ſpecifice graviorem tum aqua, tum bile ſuis adhuc poris, ſi quos habet, ſcatente, omnemque intra eadem fluida innatandi vim, quam ſuapte natura habent omne fere ligna (quæ proinde ſpecificam gravitatem, talium fluidorum gravitate minorem, data ſcilicet paritate molis, habere dicuntur) procedere ex multitudine, atque amplitudine eorumdem pororum intra ipſa ligna copioſiſſime latitantium; ſive hujuſmodi poros vacuos dicamus, ſive aere, aliaque ſubtiliore materia repletos, quod parum refert: adeoque quo laxior eſt lignorum compages, illa eo facilius emergunt, difficilius vero, quo ſtrictiorem habent texturam, ut in Ilice, aliiſque lignis denſioribus obſervare eſt, ſi mergantur, fundum petentibus. Hoc ſuppoſito, dicendum eſt, quod Chinæ Chinæ pulvis poroſus impoſitus tum bili, tum aquæ, in utroque liquore ideo ſenſim mergatur, & fundum petat, inquantum intra illius poroſitates tantum bilis, & tantum aquæ ſubintrat (præſtante id potiſſimum circumambientis aeris preſſione) quantum ſufficit ad tollendam levitatem, non quidem abſolutam, quam nulla obtinent corpora, ſed reſpectivam, quam ſcilicet nudis ejuſdem Chinæ Chinæ particulis ad-

jungebant interſperſa ſpatiola, ſive inania, ſive aere tantum referta, aliave quavis materia leviore, tum bile, tum aqua ſubingredientibus. Et licet gravitas adjuncta particularum ſubintrantium non ſit major gravitate ſpecifica ſuorum liquorum, quibus impoſita eſt China China, ſed æqualis: cum tamen ſit major gravitate materiæ intra Corticis poros præexiſtentis, & ab iiſdem excluſæ, adeoque junctæ nudæ Corticis materiæ, quæ aqua, & bile gravior eſt, componat novam gravitatem, mole nequaquam adaucta, majorem ſpecifica gravitate ſubjectorum fluidorum, hinc eſt, quod in utroque liquore China China deſcendit atque ſubmergitur, ut in aqua mergitur Navis per ingreſſum ipſius aquæ intra cavitatem illius. Cum itaque facilius, atque celerius id fiat in bile, licet graviore, ac fiat in aqua, licet minus gravi, concludendum eſt omnino, quod facilius, & citius abſorbeatur a Cortice bilis, quam aqua, adeoque quod pori Corticis habeant figuram magis diſpoſitam, & aptam ad ſuſcipiendas minimas bilis, quam aquæ particulas.

Quænam vero individualiter ſit iſta proportio, quam habent particulæ bilem conſtituentes, magis ac habeant particulæ componentes aquam, acetum &c. cum poris Peruviano Cortici inexiſtentibus; arduum eſt definire, ignota nobis genuina talium particularum, ut & pororum hujuſmodi particulas admittentium, figura. Præſcindendo tamen ab hac ſpecifica determinatione, videtur iſta major facilitas poſſe refundi in illam, quam bilis (præſertim bubula, in qua experimentum clarius emicuit) manifeſte præſefert unguinoſæ oleoſitatis ſpeciem, quæ analogam quodammodo Bilis, & Olei ſtructuram videtur indicare, licet Olei, & Bilis tam diverſum ſit pondus, ut olim mihi hæc, & ſimilia curioſe inquirenti, non injucundum ſpectaculum licuerit obſervare. Immiſſis intra vitreum tubum æquis circiter portionibus primo Bilis humanæ craſſioris, denſioris, fuſcoque, ut dictum eſt, colore præditæ: ſecundo Bilis Bovinæ longe minus craſſæ, minuſque fuſcæ: tertio Aquæ: quarto tandem Olei, omnes illi liquores ſedem ſibi a primordio, ordineque antedicto aſſignatam retinuere. Concuſſo poſtmodum, & moto ſuſquedeque Tubo, ac proinde confuſis omnibus, quilibet liquor paulatim ſuam ſedem ſponte repetiit, ibique ſubſtitit, humana ſcilicet bile immediate ſupra Tubi fundum, bile bubula ſupra humanam, Aqua ſupra bilem bubulam, & Oleo ſupra Aquam locum tenente. Cum ergo, ut ſupra retuli, fere æque facile mergatur Cortex intra Bilem longe graviorem Oleo, ac mergatur intra Oleum ipſum: mergatur vero difficillime intra Aquam Oleo quidem graviorem, ſed leviorem Bile, ſatis patet id præciſe non pendere a majori, vel minori gravitate illorum fluidorum comparative ad gravitatem Corticis, ſed a faciliori, vel difficiliori ingreſſu particularum cujuſcumque fluidi intra poros illius, unde facilius redditur augmentum ponderis ejuſdem Corticis, ac proinde etiam facilior illius ſubmerſio in Bile graviore, quam in Aqua minus gravi. Itaque, cum ſubmerſio hujuſmodi fere æque facilis ſit in Bile, ac in Oleo, Bilis autem, & Olei plurimum analoga ſit ſtructura, licet utriuſque fluidi plurimum diverſa ſit gravitas, hinc eſt, quod Bilis poteſt habere majorem proportionem cum poris Corticis, ut eos ſubintret, ac habeat Aqua; & conſequenter hujuſmodi proportio poteſt haud irrationabiliter refundi in quaſi oleagineam Bilis ſtructuram poris Corticis fere æque facile aptabilem, ac ſit iiſdem aptabilis ſtructura Olei.

Hanc Bilis, & Olei ſimilitudinem in ſtructura plurimi ſuadent effectus utrinque ſimiles. Sic licet fatear cum *Gliſſonio*, Bilem non minus quam Aquam extinguere ignem, neque flammam facile concipere, æque tamen certo expertus aſſero cum *Etmullero*, & aliis, eam, ſi vehementiori igne urgeatur, abſumpta aquea humiditate, plurimum unguinis exhibere, inflammabilis olei adinſtar. Pariter ab Oleo, & a Bile alvus redditur lubrica, & ab utroque liquore ſolvuntur colores. Denique ſicuti gutta olei ſupra pannum *v. gr.* laneum decidua, illum ſtatim pervadit; ita gutta bilis eumdem penetrat, ſed paulo ſegnius: gutta vero aquæ hæret globuli ad inſtar in ejuſdem panni ſuperficie, nec illum pervadit; unde quod levius eſt in hoc caſu citius penetrat, penetrat paululum tardiuſcule, quod gravius, nullo pacto penetrat, quod medio modo ſe habet inter utrumque in genere gravitatis. Non ergo varia præciſe liquorum gravitas, ſed varia partium illos componentium figura, variaque il-

la-

larum in casu nostro cum poris Chinæ Chinæ proportio faciliorem, vel difficiliorem reddit illorum absorptionem, & consequenter submersionem ejusdem Chinæ Chinæ, quæ proinde fere æque facile mergitur in bile, etsi graviore, ac mergitur in oleo leviore, minime vero facile in Aqua, Aceto &c. licet liquores isti sint ut graviores oleo, ita bile leviores. Symboleitas autem nonnullarum partium bilis cum oleo sicuti fortasse sufficit ad hoc, ut bilis admixta Aceto, Salivæ &c. reddat liquores illos, utpote sibi arcte implicatos, facilius aptabiles poris Corticis, cum cæteroqui sejuncti a bile ægre admittantur ab eodem: ita ex adverso non sufficit ad tribuendam bili nec levitatem, nec promptam inflammabilitatem olei, propter consortium aliarum partium conjunctarum, & illam integrantium, puta terrestrium, aquearum &c. quæ id tandem efficiunt, ut bilis, quantumvis quoad apparentiam plurimum, & quoad substantiam non parum oleaginea, nullatenus tamen sit Oleum, sed Bilis.

Quod de Bile, & Oleo constat per experientiam, potest fortasse per conjecturam credi de fermento febrili, sive ad illud constituendum bilis concurrat, sive aliud fluidum oleosæ forsitan naturæ particeps. Potest enim contingere, quod tale fermentum æque facile, & forte facilius absorbeatur a Cortice, saltem quoad particulas magis noxias, & febrilis tumultus reas, ac ab eo absorbetur ipsa bilis, effæta postmodum, ac enervi remanente ejusdem fermenti sic retusi portione superstite; sicuti contra potest minus feliciter exerceri talis actio in idem febrile fermentum ab aliis Corticibus, atque pulveribus Febres infirmius pellentibus, quemadmodum illi idem pulveres bilem ipsam, oleumque nonnihil diversimode absorbent, ac illam absorbeat Cortex noster, etsi in illa non longe absimiliter submergantur, atque præcipitentur. Ratio autem tam insignis diversitatis inter actionem Peruviani Corticis, & actionem aliorum Corticum, non admodum insigni diversitate bilem ipsam absorbentium, videtur aliquo modo elici posse ex ipsa partium Chinam Chinam componentium analysi, & notabili ejusdem ab aliis Corticibus diversitate: siquidem (admisso quod asserunt Artifices fide digni) China China, præter alias peculiares suæ texturæ prærogativas, habet hanc insuper, ut quadruplum circiter Salis contineat, exhibeatque comparative ad aliarum Arborum Cortices. In qua fortassis etiam Salis copia, simul ac peculiari configuratione, ea potest eminenter contineri Virtus febrifuga, quæ in aliis Corticibus minori Salis, etiam debilioris, quantitate præditis, infirmior est, ad hoc, ut febrile fermentum ab iisdem salibus retundi possit, atque dulcescere.

Ex hac occasione nequeo plane subscribere doctissimo *Fabri* ex inclita Societate Jesu Viro Celeberrimo, qui sub nomine *Antymi Conygii* Chinam Chinam propugnaturus, inquit, illam componi ex minimis talem determinatam figuram habentibus, quæ porositates Fermenti febrilis per vim, & cunei adinstar pervadens, ac ipsum tritu ans (non absimili ritu, ac ferrum solvit Aqua Stygia) reddit illud, & impotens ut lædat, & dispositum ut excernatur. Potius enim ob rationes dictas crediderim, fluidas fermenti particulas ingredi (saltem sensibilius) poros Corticis, sicque a Cortice absorptas illaqueari, & infringi, quam particulas Corticis ingredi poros fermenti, ea præsertim vi, quæ valeat illius texturam nervose solvere, licet ingressum etiam reciprocum particularum Corticis in porositates fermenti nequaquam rejiciam, cum non minus a Cortice, quoad maximam licet sui partem præcipitato, saporem aliquem mutuentur fluida, ac humectationem pariter, & saporem a fluidis Cortex infusus. Utcumque, sive absorptum dicatur, sive distractum febrile fermentum, facile postea est intelligere, quomodo, si opus sit, possit illud foras protrudi: id siquidem nullo negotio fieri poterit, ut alias diximus, per ordinarias Naturæ vias, per alvum scilicet, per urinam, per sudorem, aut per insensibilem transpirationem, non quidem critica, copiosa, & repentina semper evacuatione (id enim paucula sæpe illius moles non exigit) sed modica, & sensim, sub velamine scilicet consuetarum excretionum, non quantitate notabiliter adaucta, sed qualitate tantum mutata, licet vix dignoscibili, mox prodeuntium.

Et in hoc solo sensu concedere non renuo, aliquam quandoque exigi posse, & probabiliter etiam sæpe contingere, causæ morbificæ evacuationem ab assumpto Cortice; hanc ipsam tamen absolute

neceſſarium eſſe, non æque concederem. Poſſe enim per ſolam variationem texturæ partium, liquores plurimos a ſua Craſi deſciſcere, & per novam earumdem partium coaptationem in priſtinum reſtitui, abſque eo quod ab illis quicquam dematur, aut ſenſibiliter ſeparetur, ſatis oſtendunt vina æſtate morbida facta, & fugientia, autumno vero nonnumquam ſponte redeuntia; idemque confirmat Urina a ſolo frigore corruptionem patiens, per calorem vero iterum clareſcens, ac reſtituta, & alia id genus, mutata ſcilicet in iis ſola particularum componentium textura, & ſitu. Quod idem, data proportione, ſucco, aut humori febrili, per contactum intimum Chinæ Chinæ poſſe quandoque accidere, citra ullam omnino illius evacuationem, non eſt cur abſolute negemus.

Huic opinioni non parum videtur favere *Borellus* alias citatus, qui pro Febrium curatione ſolam ſalium fermenti febrilis retuſionem, edulcationem, & contemperationem requirit, mediante commixtione ſalium diverſæ naturæ, qualia ſunt, quæ in China China deliteſcunt. *Potius igitur* (inquit) *eo quod ſalium ſeparatio ab humoribus, & expulſio fruſtra ſperatur* (& hic notetur inſperata ſalium morboſorum extractio, & eductio) *prædicti ſales contemperari, & dulcorari poſſunt, vel admiſcendo fluida Menſtrua appropriata, vel adhibendo Salia contraria, ut experimur in Aqua forti, quæ acredine ſalina Vitrioli, & Aluminis componitur adeo valida, ut poſſit argentum corrodere, & diſſolvere in Atomos minutiſſimas. Huic vero Aquæ forti ſi addantur Sales ammoniaci multo magis acres, quam ſint Vitriolum, & Alumen, nedum vim majorem corrodendi non acquirit, ſed e contra eam vim, quam habebat, amittit; adeo enim retunditur, & debilitatur, ut nequeat amplius argentum corrodere. Similiter miſtura Salis Nitri, & Sulphuris acceſſibilis eſt, & addito Sale ammoniaci, accendi nequit. Alibi poſtea Sal prunellæ ex eiſdem Nitro, & Sulphure combuſtis compoſitum, inflammationes tollit, & fuſionem ſuccorum coagulatorum promovet. Sal quoque, & pulvis Cornu Cervi, & Cancrorum, acredinem acidiſſimam retundunt, & tollunt: & ipſum acetum diſtillatum plumbo affuſum, dulcedinem Saccharo ſimilem acquirit. Ex his ergo, & ex aliis exemplis, quæ adduci poſſunt, conſtat acredinem ſalinam fermenti febrilis retundi, dulcificari, & deſtrui omnino poſſe ab aliis Salibus admiſtis contrariæ naturæ.* Sed jam ſatis conceſſimus hiſce minutilis diſquiſitionibus, ex quibus nihilominus obvium eſt conjicere non modo quam difficilis, & dubia ſit explicatio ulterior modi individualis (de genericis enim notionibus quilibet novit loqui) quo Alexipyretum iſtud agat in cauſam febrilem; verum etiam quam parum conſiſtens ſit eorum opinio, qui ut a Cortice reportatam de Febribus credant victoriam, optima evacuationum ſpolia oſtentanda requirunt.

CAPUT IV.

Ad placita Humoriſtarum, & Galeniſtarum accommodata evacuationum prædictarum ſenſibilium carentia.

RESTITANTE adhuc intra caligines mirabili agendi modo Peruviani Corticis, iterum monuiſſe non erit inutile, quod, quemadmodum nulla, ut vidimus, poteſt adduci congrua explicatio actionis illius, niſi dilucida habeatur cognitio Cauſarum Febres Intermittentes materialiter, ac efficienter producentium, ita ſine eadem dilucida cognitione, nulla contra illam poteſt adduci nervoſa oppoſitio. Cum vero omnes, quotquot circa Intermittentium naturam, & cauſas circumferuntur, hypotheſes (ſi candide velimus fateri) nondum ſcopum attigerint, quælibet objectio proinde contra certam operationem Corticis perpetuo laborat ſuppoſitione quapiam fundata ſupra hypotheſim aliquam ſaltem incertam, immo probabiliter falſam. Sic difficultas, quæ tanti fit de carentia evacuationis poſt aſſumptum Corticem, ſupponit, quod cauſa Febrium ſit aliquid, quod debeat abſolute *ſenſibiliter* eliminari, non ſolummodo temperari, aut retundi, non aliquid ſtagnans, quod tantum egeat moveri, non aliquid fixum, quod expetat exaltari, non quicquam exaltatum, quod exigat deprimi, non quid intempeſtive influens, quod debeat inhiberi. non quid obſtructum, quod indicet referari &c. quæ tamen omnes, & ſimiles hypotheſes, nullius ſenſibilis evacuationis neceſſitatem inferentes, ſua nequaquam carent probabilitate. Sane cauſas

fas aliorum plurium Morborum periodice recurrentium, in Aſthmatis, Arthritidis, Epilepſiæ, & hujuſmodi, præmiſſis (ut loqui conſuetum eſt) univerſalibus, non evacuatione ſemper ſenſibili, ſed alterantibus, temperantibus, edulcorantibus, decoctis exſiccantibus &c. radicitus extirpare pro viribus artis conamur, penſum poſtea evacuationis materiæ diſpoſitæ uni Naturæ linquentes.

Exemplo ſit inter vulgaria, ſed maxime proficua medicamenta, Aqua Stibiata *Pomponacii*, ex Antimonio crudo, lapide Pumice, Salſa parilla, & Viſco Quercino infuſis, atque decoctis confecta, quæ ad morbos innumeros, eoſque graviſſimos, tum venereos, tum alterius analogiæ, contumaciſque naturæ curandos, quam facillime ſolet uſurpari. Nonne illa, licet, quandoque notabiles excretiones habeat adjunctas, ſæpius tamen abſque ulla inſigni evacuatione, immo fæcibus, & urinis aquæ epotæ quoad quantitatem vix correſpondentibus, humorem Iſchiadicum *v. gr.* abſumit, ulcera ſanat, ſcabiem puſtuloſam emendat, cachexiam tollit &c. refloreſcente quam cito vivido faciei colore, & matureſcente ſimul fructu optimæ renutritionis? Et tamen ſæpius, ut dixi, vel nil excernitur, vel, ſi quid excernitur, id fit non raro per modicam ſucci alicujus prava qualitate peccantis quantitatem, qui ſub conſuetis evacuationibus, quoad apparentiam vix immutatis, deliteſcens, cum reliqua excrementorum turba indiſcriminatim foras abigitur.

Nollem itaque ſuſpicari, allatam objectionem, adhuc inniti mucidæ ſuppoſitioni a Scholis jamdudum exſibilatæ, ac exploſæ, de celebri quaternario Humorum, tum alibilium, ut vocabant, tum excrementitiorum numero, quibus putreſcentibus attribuebantur Febrium Cauſæ, Bilioſum ſcilicet humorem Tertianæ aſſignando, Pituitoſum Quotidianæ, Melancholicum Quartanæ &c. quod figmentum anteactis ſæculis vix condonandum. Sat ſit eos humores admittere, quos cernimus, & quibus humectamur, non quos per metaphyſicas abſtractiones imaginabantur Antiqui. Sunt autem iſti, Chylus, Sanguis ipſe, & ab eo ſecreti liquores, iique, ſive in uſus digniores reſervati, ſive ut inutiles foras protuſi, ſive poſt longa itinera in eundem reduces, quorum generum diverſorum ſunt Latex nerveus, ſeu mavis ſpirituum animalium continuatum ſyntagma, Serum ipſius ſanguinis, Lympha eundem Cruorem duplice Pumine perluens, Pinguedo, cæterique peculiares ſucci, ut Pancreaticus, Salivaris, Stomachicus, Bilioſus, aliique complures, tum a Conglobatis, tum a Conglomeratis Glanduiis prodeuntes, quorum Catalogus hujus loci non eſt, & quorum nihilominus compoſitio, ac integralis conſtructio ab innumeris Salibus pendet, ex quorum varia combinatione, tum ſaporis alteratio, tum motus eorum inordinatio, tum denique actionum, & naturalis œconomiæ læſio paulatim emergit. In his ergo humoribus alteratis, & vitiata illorum craſi, ſeu mavis ſtructura, compage, & motu quærendæ ſunt Febrium Cauſæ, non in fictitiis, & imaginariis.

Talia quidem commenta etiamnum amplectentes, abſit, ut aggrediar refellere; Nam, præterquamquod hodie ſine ſtomacho nequit audiri hujuſmodi controverſia, illud præterea certum eſt, quod prorſus incaſſum hanc Provinciam adornandam ſuſciperem. Neque enim ſperare fas eſſet, quod hujuſce Tractatus, vel lectioni vacare vellent, vel rudi admonitione reſipiſcere qui tot graviſſimorum Scriptorum Opera, ex quibus propriæ hallucinationis medelam addiſcerent, vel legere neglexerunt, vel iisdem præoccupato jam animo inſpectis, nondum reſipuere. Sane iſtos, omnia per conſequens Artis Medicæ recentiora incrementa, quantumvis certa, quantumvis utilia, cæco quodam, ac irrationabili inſtinctu reſpuentes, haud leviter peccare crediderim, ut qui plurimos Antiquorum errores craſſos, atque palpabiles, quibus nonnunquam curationes morborum innixæ ſunt, adhuc retinent, adhuc ſectantur: cum tamen ubique proſtent apud Neotericos tot Experimenta, & Dogmata inconcuſſa, ex quibus hujuſmodi errorum correctio, ſaniorque proinde medendi methodus, a verioribus *Hippocratis* præſertim, immo & ipſius *Galeni* placitis nequaquam aliena, ſtatim emergeret. Scrutetur Medicus neceſſe eſt, & examinet quidquid, ſaltem cum plauſu, & cum aliqua non contemnendæ novitatis fama, ſcriptum eſt hinc illinc, facitque ad majus complementum Artis, quod Priſci Medicinæ Patres integre præ-

ſtare

ſtare non potuerunt, licet innumera æternum venerabilia præſtiterint, plura fortaſſe daturi; quam ii, a quibus nihilominus corriguntur, ſi diutius vixiſſent. Si quid autem certum, ac evidens, ſive ex Antiquis, ſive ex Recentioribus noverit quiſpiam depromere, id alacriter ſeligat; ſi quid vero in alterutris, vel in utriſque rationi, aut experientiæ minus conſonum repererit, id totum animoſe reſpuat; prius tamen expendat, ac trutinet, antequam judicet. Niſi hoc pacto ſe gerat Medicus, vereor, ne ſibi, ac conſcientiæ ſuæ inexcuſabili defectu deſit; neque enim id peragit, quod ab eo ſtricte conſuevit exigere quiſquis ſe illi committit, ut nempe recte pro viribus penſitet quidquid bonæ valetudini conſervandæ conducit. Talis autem omiſſio, ut patet, eſt de re admodum gravi, tum ratione ſubjecti, tum ratione rei ipſius, cum ex vi talis omiſſionis Medicus quandoque terat iter, oculo ipſo judice, omnino fallax, a quo tamen, ſi quæ Scriptis undique tradita ſunt, probe calleret, procul dubio deflecteret. Sed hæc Tyronibus tantum. Jam vero claudamus hos rivos,

---- *ſat prata biberunt.*

Quandocumque igitur veteri Doctrinæ de Humoribus ſuperſtructa ſit objectio Corticem culpans de ſenſibilis evacuationis defectu in Febrium expulſione, licet hoc nomine audienda non ſit, lubet tamen, data etiam tali hypotheſi, reſpondere, quod Febrium, ut & aliorum plurium Morborum ſolutio dupliciter, ut ajunt ipſi Humoriſtæ, ſolet contingere, ſcilicet, vel per *Criſim*, cui de more adjuncta eſt aliqua evidens evacuatio, vel per *Pepaſmum*, per quem abſque ulla evacuatione ſolvitur Morbus. Atque poſtremus iſte modus eſt admodum frequens, & conſiſtit ſecundum *Galenum* in quadam vel *maturatione*, *vel deductione in mediocrem temperiem*, quam idem Galenus *Coctionem* vocat, ſeu *Pepſim*, eamque docet, ut modo dicebam, *in ſola ſuccorum alteratione* conſiſtere. Hujuſce doctrinæ ſemina prius jecit in *lib. de Affect.* Magnus *Hippocrates*, eamque inſuper remediis antifebrilibus, nil evacuantibus, adaptavit, dicens -- *Ea vim habere in his Febribus* (loquitur de Tertianis, ac de Quartanis) *ut pota corpus conſervent in conſueta caliditate, ac frigiditate, & neque præter naturam calefiat, neque frigefiat.* Quid obſtat ergo, quo minus dicatur China Chinæ iſtam ſuccorum moderationem, iſtam deductionem in mediocrem temperiem, iſtam corporis in conſueta caliditate, ac frigiditate, quam diebus a paroxyſmo vacuis ſortitur, conſervationem inducere, ſeu mavis illam bilem, vel melancholiam, in quibus putreſcentibus cauſa Febrium ſomniatur, a putredine vindicare?

Forte obſtat celeritas illa, qua momento temporis jugulatur Febris, cum cæteroqui *Pepaſmus* lentiorem conſueſcat habere progreſſum? At cur vitio vertere volumus Peruvianæ Cortici ipſam celeritatem, & energiam operandi, humoreſque tumultuantes cito compeſcendi, quam in omnibus aliis ſpecificis adeo quærimus, & commendamus? Denique, ſi nimia illi virtus obeſt, in promptu eſt remedium. Cortex ſanat æque, ſi lubeat, illico, ac per longiuſculas moras. Una doſis Paroxyſmos ſiſtit, & pluries paulatim repetita eoſdem præcavet: eadem vero diminuta ab initio, ac ſenſim exhibita, diutius nonnihil humorum coctionem, & morbi ſolutionem protrahit. Sic qui metuit Torrenti e directo aggerem opponere, eodem oblique, ac ſenſim oppoſito impetum illius infringit, ut curſum paulatim deflectat. En ergo, quo pacto per Chinam Chinæ lentam humorum alterationem, præparationem, ac *Pepſim* aſſequi poſſumus. Huc forte reſpiciens acerrimus Humoriſta, & ipſius Circulationis Sanguinis injurius ofor *Reſtaurandus*, etſi *bilem* a reliquis humoribus *ſecretam* pro Febrium Cauſa conetur ſtatuminare, attamen loco evacuationis (quam experientia ductus, ut mox videbimus, maxime improbat, Chinam Chinam ideo impurgatis Ægris præſcribens) loco, inquam, evacuationis, id potius a Peruviano Cortice quærit, & aſſequi ſemper gloriatur, nempe, ut *talis humor*, ex vi remedii, *maſſam iterum ſubeat, qua ſeceſſum fecerat, unde temperetur, ac nutritioni aptus evadat, non ſecus ac Aqua Deſerti* (ſunt illius verba) *in Mara dulcis facta fuit a ligno, quod Moyſes injecit ex mandato Dei ad alendos Iſraelitas.* Hæc Auctor ille de China Chinæ experientiſſimus, qui idcirco illius uſum *Hippocratis* doctrinæ ſumme conſonum demonſtrare contendit Tractatu peculiari in hunc finem edito.

Hanc ipſam ſuccorum attemperationem

nem abſque ſenſibili evacuatione multo magis admittit, atque tuetur in China China *Monginotius*, qui licet immunis a præjudiciis Humoriſtarum data nihilominus eorum ſuppoſitione, ait -- *Sæpe fieri, ut pauca ſubſit materia evacuanda, id quod illi ſupponunt, deferente humorum æſtu, maximam illorum partem contemperari, & ad idoneum ſtatum a natura deduci, quæ in rectum uſum remedium adaptavit*, -- affertque in confirmationem exempla eorum, qui *paroxyſmos experti vehementiſſimos, nullis uſi remediis, nullaque manifeſta naturali, aut artificiali humorum excluſione, febre tamen ſubito defunguntur, nullo inde ſecuto verendo ſymptomate*. Cui proinde textui appoſitas haſce notas ſubdit Cl. *Nigriſolus in lib.* alias citato. *Nonne pepaſmo mitificantur humores? Nonne, juxta D. Præceptoris effata, libro de Veteri Medicina, concentratione, & permixtione meliora, ac mitiora omnia fiunt in Homine? Cur etiam Acidum febrile ſuperſtes in ſanguine mortificari ſimiliter, ac dulcificari concentratione non poterit?* Idem quoque dixerat Cl. *D' Acquin*, qui dans pariter per modum conceſſionis, aliquid reſtitare in corpore, & vaſis poſt depulſas ope Corticis febres, ſubjunxit. *At vero, etſi reliquiæ quædam in corpore deliteſcerent, illæ hujus* (nempe Corticis) *ope temperantur, ac Naturæ gratiam recipiunt, vel ſaltem per reiteratas, & continuas digeſtiones concoquuntur, maturantur, & diſcutiuntur.*

Quod ſi nihilominus hujuſmodi temperationi, ſive coctioni ſuccedentem quis optet evacuationem, is ſciat, eam non poſſe cum fructu, quantum novi, per artem tentari, ſed neceſſe eſſe, quod illam moliatur, atque perficiat Natura. Quorſum enim vergendum eſt, ut cauſa morbifica expellatur? An per vomitum, vel per ſeceſſum? At, ſi Fermentum febrile ſæpeſæpius emeticum eſt, atque catharticum, ut experientia teſtatur, & ob id ipſum contumacius: item, ſi fugatis per Corticem Febribus, quodlibet Catharticum, vel Leniens, ut ut leve, febrem revocat, quo jure ſperanda eſt expulſio cauſæ morbificæ a medicamentis eidem Cauſæ analogis, & morbum eundem prius depulſo certo certius revocantibus? Deinde, ſi humor peculiaris, qui Febres Intermittentes gignere creditur, ſtabularetur intra cavitates Inteſtinorum immediate, aut Stomachi, quaſi iiſdem vel innatans, vel adhærens, unde purus, & impermixtus citra opus ſecretionis poſſet educi; atque inſuper a tali ſuppoſitione non multum abluderet experientia, in tali profecto caſu aliquis rationabilior, primo aſpectu Purgantibus, vel Emeticis locus eſſe poſſet: quemadmodum iiſdem, ſaltem levioribus, locus eſt, illiſque identidem utimur ad educendum noxium, venenatumve cibum ingeſtum, priuſquam ille Lactearum valvulas prætergrediatur. Sed jam clare dignoſcimus rem aliter ſe habere, hoc eſt, vel Fermentum febrile in talibus cavitatibus vere non eſſe, vel ſaltem ab iis per hujuſmodi medicamenta, & tentamina de more nequaquam educi: conſtat enim experientia, neque a Natura per repetitas vomitiones, aut alvi dejectiones in paroxyſmis Febrium ſæpiſſime contingentes, neque ab Arte cuncta hæc provocante, Febrium cauſam vel tantillum ſubmoveri; quinimmo ſæpeſæpius fortiorem, & contumaciorem reddi. Cum itaque probabiliter hinc deducamus, vel idem Fermentum longe altiores radices habere, ſaltem quoad ſcaturiginem ſuam, licet adhuc occultam, vel illud alteratione potius, atque attemperatione ſola demulcendum eſſe, quam irrita expulſione tentandum, non eſt ideo, cur hujuſmodi fidamus evacuationibus, eaſve a China China, per ſolam alterationem febrifuga pertinaciter velimus exquirere.

Dicant ingenue, ſi velint, ipſimet, qui opponunt, quot Quartanas, quot Tertianas *Autumnales* (de *Vernis* enim non loquor, qualibet Methodo, etiam minus recta, ſicut multo melius ſi ſibi relinquantur, cito ſolubilibus) per repetitas purgationes ſanaverint; vel, ſi renuant ipſi fateri, dicant tot Scriptores, a crebro Catharticorum uſu ſpirituum diſſolutionem, ſuccorum perturbationem, ac viſcerum enervationem, loco ſanationis ſuccedere clamitantes. Inter hos unus audiatur iterum *Monginotius*, qui Purgantium effectus cum effectibus Chinæ Chinæ conferens, hæc habet -- *Ab his* (loquitur de Purgantibus) *atteri vires, robur Ventriculi, aliarumque partium infringi, concoctiones imperfecte obiri, hinc perennem pravarum humorum generationem* inquit generationem, non extirpationem) *ſubſequi, experientia patet. Quamobrem febres ab illis potius ſæpenumero foventur, quam abolentur, cum ex*

oppo-

oppoſito, ſi in uſum ducatur hoc remedium, videlicet Cortex, *ſæpe uno ictu declinantur accidentia ab aliorum uſu plerumque metuenda.* Super quo textu dignæ ſunt, ut per extenſum luſtrentur ſolidæ, doctæque animadverſiones citati *Nigriſoli.*

An ergo per urinam tandem, vel per ſudorem ſolicitanda erit humoris peccantis expulſio? At per iſtas vias ſoli humores, qui ſunt in ſanguine, atque in coctione ſubacti ſolent excerni. Quo pacto ergo materia antecedens (conjuncta enim quolibet paroxyſmo ſubigitur, & expellitur) quæ vel ſanguini citra ullam ſecretionem confuſa eſt, vel probabilius eidem nondum immixta, ſed adhuc extra illum degens in loco particulari, poterit per glandulas renales, vel per cutaneas evacuari? Sed fruſtra eſt, quod diutius de poſtremis hiſce excretionibus verba faciam, pro quibus obtinendis, quandocumque etiam poſſent prodeſſe. Ars eſt remediorum inops, & effectuum incerta. Tota fiducia, jam ſcio, repoſita eſt in Catharticis, quæ tamen, quantum obſervare licuit, vix aliud unquam Ægrotantibus præſtare novi, quam quod illis præſtaret Fungorum noxiorum eſus. An & iſtos pro Intermittentium medela loco Peruvianæ Corticis malimus præſcribere? Claudamus hoc Caput textibus duorum, vel trium Auctorum ſatis oppoſitis, quos etſi prolixiores, contra quod propoſueram, non piget tranſcribere.

Nemo miretur (inquit *Morton* de Intermittentibus verba faciens) *veteres Medicos futilem, atque inanem operam navaſſe huic morbo debellando: Senſibus enim magis quam par eſt conſiſi, humores in receptaculis neſcio quibus ſtagnantes fomitem morbi fuiſſe ſomniarunt, indeque toto cœlo errantes, utramque curationis paginam longo apparatu medicaminum* Deobſtruentium, & Evacuantium *impleverunt. idque methodice, licet abſque certa aliqua indicatione a natura rei ipſius deſumpta, ſed in propriis ipſorum Muſæis excogitata. Cumque morbificum hunc fomitem penitus eradicari impoſſibile crederent, abſque ſenſibili humorum evacuatione, copia medicaminum* Incidentium *humores præparabant, ut Remediis evacuantibus magis obſequentes fierent. At hos ipſos Medicos appello, noverint ne unquam, niſi fortuito, hac methodo, utut diutius protracta, quemquam perfecte ſanatum? Me quod attinet, ego ſimplicem* Tertianam, *eamque admodum benignam, & legitimam inde non raro in* Hemitritæam, *vel* Quartanam *mutatam eſſe, cum* Hydropiſi, *aliiſque duris ſymptomatis ſociatam obſervaſſe memini, Natura hiſce Venæ ſectionibus, & purgationibus incaſſum laceſſita. Hujus malæ, & infelicis praxeos (quæ per multa ſæcula cum magno Ægrotantium incommodo inter noſtræ Artis profeſſores invaluit) πρῶτον ψεῦδος eſt falſa Ætiologia. Non enim, niſi ex accidenti, ut in* Plethora, Cachexia *infigni &c. (de quibus poſthac dicetur) ulla omnino evacuatio indicatur; Verum ut plurimum iſtæ evacuationes, Naturam inaniter laceſſendo, veræ curationi multum officiunt, ſaltem copiam Antidoti* (videlicet Chinæ Chinæ) *admodum ingratæ multo majorem neceſſario requiri faciunt.* Hæc ille philoſophica libertate, nimiane, an nimium veridica?

Neque ab eodem diſſentit experientiſſimus *Syndeham*, qui licet poſt ſolutas (& quidem ſine ope Corticis) Autumnales, & diuturnas Intermittentes, aliquam purgationem admittat per epicraſim inſtitutam, *morbo tamen* (quod palam inculcat) *penitus depulſo, eo nimirum tempore, quo*, ut ait, *non tantum paroxyſmi perceptibiles, ſed etiam alteratio iſta, qualis qualis ea fuerit, quæ diebus illis, in quos Paroxyſmus incidere debuerat, perſentiſcitur, omnino evanuerit, atque unus inſuper menſis fuerit elapſus:* eandem tamen purgationem, durante vel inſenſibiliter febrium motu, prorſus abdicat. Et ſiquidem tunc temporis inſtituta -- *Id tantum*, inquit, *lucri a purgatione fecerimus, ut morbus contumacior evadat*, ſubditque: *Quotidiana id nos docent eorum exempla, qui in morbi παροξυσμῷ, ut Theoriæ iſti morem gerant, quæ in tollendis obſtructionibus, & evacuando humore melancholico* (loquitur enim præcipue de Quartana) *qui mali fons, & origo vulgo habetur, curationis ſpem omnem ponit, repetitis purgationibus miſere plectuntur; quibus ſane quicquid id demum eſt humorum, quod a corpore divellitur, atque eliminatur, compertiſſimum eſt nobis, Febrem altiores exinde radices agere, & pertinacius ſtationem ſuam tueri, quam ſi non fuerit proritata. Quapropter religio mihi eſt Catharticum propinare &c.* additque tandem, quod, etſi poſt elapſos a fine morbi

bi duos, vel tres menſes, potionem aliquam identidem *lenitivis vulgaribus* conſueſcat præſcribere, ſingulis tamen vicibus hauſtulum aliquem paregoricum hora ſomni aſſumendum, finita jam medicamenti operatione, ſucceſſive porrigit, *ut nempe*, inquit, *Paroxyſmo ſe de novo ingredi* (etiam poſt tam inſigne ſpatium temporis) *anſam præſcindamus, quam aliter forte arriperet ex occaſione tumultus, atque orgaſmi, quos vel mitiſſima excitant Cathartica*.

Idipſum confirmat alias citatus *Reſtaurandus* Monſpelienſis Univerſitatis Profeſſor, qui licet, uti Galenicorum principiis imbutus, Cauſam Febrilem reponat, ut diximus, in *bile* a reliquis humoribus *ſecreta*, & intra venas *accenſa*, adeoque licet in ipſius peccantis, & ſecretæ bilis purgationem videatur eſſe debere propenſus; nihilominus ſola ductus obſervatione experimentali candide inquit -- *Experientia quotidiana conſtat, ſi Febris Intermittens deſinat, nulla prægreſſa purgatione (id quod ſæpenumero contingit, præſertim in Febribus tertianis) convaleſcenti autem Catharticum datum fuerit, eadem die febrem reſurgere*. Quia vero locum aliquem ipſi nonnunquam purgationi reſervare vellet, en, quod aliquod quærit latibulum, quo ſe condat, en, inquam, quomodo ineluctabili victus experientia, eidem purgationi ipſam rurſus anteponat omiſſionem purgationis hoc alio textu -- *Nec tamen purgationem improbaverim, ſi modo ejus indicans, Cacochymia, adfuerit, ac Febris character nullus omnino ſuperſit* (obſerventur quæſo hæ conditiones). *Porro id ut ſecurius ſuccedat, concedendum eſt aliquod temporis ſpatium præterire, immo die uno, vel altero ante uſum Cathartici, & die ſubſequente, utile eſt infuſionem Chinæ Chinæ aſſumpſiſſe in aqua frigida factam, quod niſi factum fuerit, poſtliminio redit febris: quare ſatius ſit abſtinuiſſe, quam periculo Ægrum expoſuiſſe: ſatis fuerint phlebotomia, enemata refrigerantia, & proba diæta, quæ illis præferenda*. Videant ergo, qui tantum fidunt Solventibus in Febrium curatione, quid teſtentur ab experientia coacti Auctores ipſi a purgatione minus alieni, in ipſa Febrium Intermittentium (ex quibus illatio fiat a fortiori de eo, quod dicendum eſt in Acutis) diuturniorum medela. Qua igitur ratione accuſatur Cortex. Intermittentes hujuſmodi fugans, eo quod non pollet purganti, aut alia inſigniter evacuante virtute, cui Febrium earumdem poſſit adſcribi ſanatio?

Revera quo pacto ſanitas Hominis febricitantis, ſanguinemque proinde (quæcumque hujuſce rei ſit cauſa) immodice tumultuantem habentis, poterit obtineri ab ullo remedio vim purgandi, majoreſque idcirco tumultus excitandi poſſidente? Mucet jam, fœtetque in Scholis commentitius putreſcentium humorum, & in Latrinas ablegandorum, Quatuorviratus, cujus auctoritate jam penitus collabeſcente, corruit pariter, quæ illi famulabatur, Purgatio. Satis norunt omnes, Cathartica, etiam *Minorativa* dicta, immo & quæ *Lenientia* vulgo appellantur, omnia ſecundum magis & minus acria eſſe, & irritantia, mediamque quodammodo rationem habere inter Alimentum, & Venenum, pluſque accedere ad iſtius, quam ad illius naturam; & propterea id, quod ab illis expellitur, de more excerni per expreſſionem violentam, & immaturam ſuccorum ſæpius utilium, fere ac ſi veneficum poculum quis ſive ſanus, ſive febricitans aſſumpſiſſet, unde noxa plurima, levamen nullum poteſt emergere. Norunt pariter pharmaca iſta *corruptiva* ingeſta, quæ primam vim ſuam in fibras Solidorum exercent, ſecundum aliquam ſaltem portionem ſui, neceſſario Lacteas ingredi, & maſſam ſanguineam ſubire, cum illis non minus, ac aliis eſculentis pateat indefinenter hujuſmodi aditus. Quinam autem inde tumultus, quænam confuſio, & agitatio ſanguinis, nemo non videt. Neque enim imaginaria illa ſympatica attractio, quæ ipſi hodie denegatur Magneti, poteſt amplius ſuſtineri, præſertim cum tormina, teneſmi, convulſiones, & alia hujuſmodi, quæ difficilem non raro purgationem comitantur, manifeſte ſuadeant oppoſitum. Norunt tandem, quod ad utiles, *conferentes, & facile tollerabiles* inſtituendas evacuationes, neceſſaria eſt prævia inteſtina ſecretio, maturitas, atque concoctio. Harum nullam (ſiquidem differant inter ſe) nullum poteſt efficere, niſi ea præextiterit, ſolvens medicamentum. Si præextiterit, nullo negotio, vel levi adjuta clyſmatis uſu, quæ ſecretionem fecit, faciet & expulſionem Natura. Uſus in contrarium

ſiquis

ſiquis fuit, præſertim vero in *Acutis*, ut abuſus delendus & abolendus.

Non hæc ſane docuit, niſi per vim trahatur ad id, quod vere non docuit, Magnus *Hippocrates*, immo auſim dicere, nec *Galenus* ipſe, qui licet Aphoriſmum primæ Sectionis *Hippocratis* vigeſimum quartum exponens, purgationem quodammodo admittat in Acutorum principiis (in ſolo tamen caſu *materiæ turgentis*) dum verba nihilominus tanti Præceptoris perpendit, videlicet * *In Acutis paſſionibus raro, & in principiis medicinis purgantibus, & hoc cum præmeditatione faciendum* * -- *Per hæc verba*, inquit, *quantum hujuſcemodi vereatur purgationes, manifeſtat Hippocrates. Neque enim*, ſubdit idem Galenus, *minimum periculum eſt in Morbo acuto uti purgante medicamento, cum omnia id genus medicamenta ſint potentia calida; Febris vero, quatenus febris eſt, & ſui ratione, non calefacientibus, atque exſiccantibus, ſed potius contrariis, hoc eſt humectantibus, & refrigerantibus egeat. Non igitur ob igneam febris caliditatem purgationem adhibemus (hanc enim ſcimus ſui ratione nocituram) ſed propter humores illam efficientes. Quare majorem oportet ex noxiorum humorum evacuatione fieri utilitatem, quam id, quod neceſſario conſequitur ex purgantibus medicamentis, detrimentum*. Ut autem iſta ſubſequi poſſit utilitas major, quam noxa, tot tantaſque ſubjungit *Galenus* cautiones, ut fere impoſſibilis ſit caſus, in quo liceat, juxta hujuſmodi regulas, inſtituere Purgationem. Cum itaque *detrimentum*, & *periculum* ex Purgatione in Febribus, tanquam duo mala certa, fateatur *Galenus*, ſtentque etiam in Febribus non Acutis: quæ tamen facile in Acutas migrare poſſunt, ac ſolent: firma ea ratio, præter tot alias longe potiores, quod Purgantia omnia, ut calida, Febri cuilibet, ut calidæ, & igneæ, male congruant; addo ego, quod non in Fluida immediate, ut perperam cenſet imperitorum vulgus, ſed in Solida, ſeu fibras agant: & cum ex alia parte ceſſet noſtro hoc ſæculo ratiocinatio oppoſita de humoribus putreſcentibus evacuandis, ut ceſſavere tot alia non minus erronea, non aliud ſupereſt dicendum, niſi, quod mens *Hippocratis*, & ipſius *Galeni* (qui ſuis quoque temporibus Purgationem vix trepidanter admittebant, in conſpectu majoris, quod falſo imaginabantur, mali) niſi, inquam, quod mens eorum ſit, quoties malum illud, quod timetur, timeri non debeat, toties ab omni purgatione, in Febribus quoque non Acutis, eſſe abſtinendum, vel ſaltem ea, quotieſcumque aliunde indicetur, nonniſi ſumma cautione, atque circumſpectione nobis utendum.

CAPUT V.

Perpenſis circa Febrium Intermittentium Cauſas placitis Neotericorum profitentium Fluidorum Syſtema, decernitur, ab aſſumpta China China *nullam ſenſibilem evacuationem fieri debere. Idem multo magis aſſeritur in Solidorum Syſtemate, de quo, & de nonnullis eidem cohærentibus pauca obiter.*

QUEMADMODUM, ut nuperrime vidimus, nulla, ſecundum principia Humoriſtarum, expectanda eſt, vel expetenda inſignis evacuatio poſt Corticem exhibitum, ad hoc, ut per eum Febres credantur cum ratione ſublatæ, ita nec ulla talis exigi debet ad normam aliarum Theſium, ſaltem magis famigeratarum, quæ circa Febrium Intermittentium cauſam, & earum geneſim frequentius reſonant in Recentiorum Scholis. Has ideo quoque ſententias, ſaltem plurimas, curſim recenſere operæ pretium eſt, ut ad modulum earumdem Corticis actionem ſucceſſive metiamur.

Primo igitur, ſi cum *Villiſio* hujuſmodi cauſa refundatur in diatheſim vel acrem, vel acidam ſanguinis, ſuccum nutritium, ſeu Chylum non rite ſubigentis, ſed in materiam periodice, citius quidem, aut tardius, fermenteſcibilem convertentis, ſat erit, quod China Chinæ abſque ulla excretione talem diatheſim emendet, cruoremque in nativam *craſim* quaſi dulcorando reducat, ſive ut eidem Auctori placet, in novam quamdam fermentationem compellat.

Si ſecundo cum *Sylvio* Succus Pancreaticus, ob moram in ductibus Pancreatis lateralibus obſtructis nimium aceſcens, obice demum præfato, intra tenue Inteſtinum, vitioſe cum bile illuc confluente efferveſcat, cruorique per viam Chyli periodice inſtillatus paroxyſmos Febriles producat, ſufficiet, quod China China, poſthabitis evacuationibus, eidem ſucco

Pan-

Pancreatico nimiam adimat aciditatem, vel motum ei naturalem reddat, viſcidam forſitan pituitam in ductibus Pancreatis lateralibus incidendo, ad hoc, ut idem ſuccus libere fluens, ac blande cum bile effervescens, blandam quoque, & naturalem in ſanguine foveat fermentationem.

Si denique cum *Borello* Intermittentium cauſa ex nervoſo potius, quam ex arterioſo genere petita, reponatur in glandulis obſtructis ad apices nervorum appenſis, unde ſucco nerveo, a materia aliqua viſcida ibidem detento, aciditas, vel alia quævis acrimonia accedat, vi cujus idem fermenteſcens, Cerebro prius, mox & fibris Cordis motricibus irritationem communicet, & excandeſcentiam febrilem ſucceſſive producat, illud a Cortice præſtandum erit tantummodo, quod Auctor ipſe pro curatione febrium expoſcit, nempe quod referentur Glandulæ, attenuata craſſa materia obſtruente, & temperetur, ſeu diluatur fermentum, ut a Natura ipſa vel per ſudores, vel per inſenſibilem, ut idem innuit, tranſpirationem, penitus diſſipetur.

Tres iſtæ ſunt potiores circa hanc materiam Sententiæ, quarum prima cauſam Febris agnoſcit intra ipſum ſanguinem, altera extra illum in ſuccis aliquot eidem refundendis, tertia denique in latice nervoſo ab eodem diſſito. Sed præter illas, ſunt aliæ complures, quæ iiſdem, veluti Matribus, videntur ſubordinari, & quarum, utpote non nihil diverſarum, aliqua obiter habenda eſt ratio, ut illis quoque operationem Corticis ordinariam demonſtremus congruere.

Sic opinioni *Borelli*, ut ordine inverſo ſuas unicuique conſentaneas referamus, affines ſunt Hypotheſes *Mundii*, & *Cole*. Febrium Intermittentium cauſas in nervoſo pariter Syſtemate, diverſa licet nonnihil via, quærentium; ſed actum agere pergam, ſi hujuſmodi placitis accommodare coner actionem Corticis citra ullam evacuationem Febre fugantis, cum ipſe *Cole* peculiari Capite -- *De Corticis Peruviani, circa Febres intermittentes ſiſtendas, facultate*, hanc quoque circumſtantiam minutim examinando, rem totam plane confecerit, immo ab ipſa evacuationum ſenſibilium carentia hypotheſim ſuam confirmare fategerit, ut ideo ſupervacaneum ſit hic idem repetere.

Sylvianæ autem hypotheſi, cujus exemplar retroactis ſæculis velut in nube, delineare viſus eſt Perſpicaciſſimus inter Humoriſtas *Fernelius*, cum in Meſenterio, Pancreate, reliquiſque imi ventris viſceribus, eorumque peculiari ſucco Intermittentium Focum agnoverit, quodammodo divinando, utpote veris Anatomes luminibus deſtitutus (nondum enim ductum Pancreatis *Virſungus* detexerat, ſicut nec Lacteas inferiores *Aſellius*, multoque minus Thoracicum *Pecquetus*, laticemve Lymphaticum *Rudbechius*, *Bartholinus*, aut alius quiſpiam) Sylvianæ inquam hypotheſi, cui ſubſcribit *Graaf*, & alii, conſonant, immo & eandem ampliando, magis illuſtrant opiniones *Nigriſoli*, & *Tozzi*, quorum primus in glandulis omnibus ſuccos ſuos ſanguini, ſive mediate, ſive immediate ſuggerentibus, Febrium Intermittentium Mineram reponit: Alter vero in ſuccis pariter omnibus aſtruit, ad tenuia inteſtina confluentibus, iiſque vitiatis, ac incongrue miſtis, quin & in aliis fluidis, qui a glandulis lumbaribus, ac meſentericis prodeunt, & chylo, atque allabenti lymphæ commiſcentur; tandemque concludit Febrium fermenta, non modo ab his, quæ dictæ ſunt, partibus, ſed ab innumeris pene aliis ſuggeri poſſe. Hujuſmodi autem ſententiis quam bene quadret operatio Corticis ſine evacuatione contingens, vel exinde patet, quod idem *Nigriſolus* uſque contendat, per actionem remedii febrile fermentum, abſque eo quod per vim illud extrahere tentemus, tum in ipſo ſanguine, quatenus jam eidem acceſſerit, tum in ſuo ipſo Foco, extra, vel ultra ſanguinem extingui, ſive nempe fermentum illud in Ventriculo, & Inteſtinis, ſive in Glandulis remotioribus hoſpitetur.

Hypotheſi vero Villiſianæ, quæ plures habuit plaudentes, quam aſſecias, haud parum conformis videtur opinio *Sydenhamii*, qui totam ponit in ſanguine, ſeu in illius particulis non probe aſſimilatis, Febrium Intermittentium, ut & Continuarum cauſam, licet non mutuatis a Chylo recenti, ſed ab ipſa Mine a ſanguinea pro nova acceſſione ſuppetiis. Eidem quoque quadantenus videtur accedere ea, quam protulit *Jones*, quatenus & ipſe, ſi non puri ſanguinis dyſcraſiam, ſaltem particularum aliquot intra ipſum degentium, & ægre cum ipſo circulantium pravam habitudinem, nec non im-

pro-

proportionem Chyli, partiumve illius crudiorum, nec bene ſubactarum, ſed aceſcentium, & cum ſulphureis ſanguinis tumultuantium, pro cauſa Intermittentium accuſat: mutuato tamen ex alia parte modulo ſuæ opinionis ab Antiquis, eandem cauſam in Corporis habitu collocantibus, quatenus & ille ſupradictum febrile Fermentum in eodem Corporis habitu, ſive in arteriarum extremitatibus hærere, atque aceſcere ſtatuit; illincque poſtea partibus ſenſibilibus primam vellicationem inferre, ut dein febrilem commotionem ſanguini imprimat univerſo. Ad eandem Villiſianam propius adhuc accedit opinio *Sponii*, qui ex improportionata itidem Chyli cum ſanguine miſtura, & fermentatione, Febrium cauſam deducit, licet radicem talis improportionis non in ipſo ſanguine collocet, ut *Villis*, ſed in Chylo, propter aciditatem eidem impreſſam a ſucco Glandularum tunicæ Pannoſæ Ventriculi, atque Inteſtinorum, nec non a latice Salivari, & Pancreatico (circa quod cum *Sylvio* coincidit) intra quas Glandulas primariam Fermento febrili ſedem aſſignat. In quibus ſane Sententiis pro Febrium curatione, nil aliud a China Chinæ expetendum erit, niſi, ſi de prima ſit ſermo, ut, ſemotis evacuationibus, vel ſanguini univerſo robur addat, unde facilius particulas minus aſſimilatas poſſit ille ſubigere, vel ut eaſdem haud ſatis ſubactas ad talem recipiendam actionem, ſive coctionem diſponat. Si vero ſermo ſit de ſecunda, ſat erit, ſi Chyloſim juvet, ac particulas ejuſdem Chyli crudiores, & ad motum ſegniores, quæ in extremis hærent, atque aceſcunt arteriis, ab acore contracto vindicet, & pari cum aliis velocitate circulationi reſtituat. Si denique ſermo ſit de tertia opinione, ſufficiet, quod China Chinæ eandem Chyli aciditatem retundat, vel impediat, correcto Glandularum Ventriculi, & Inteſtinorum fermento, ob nimium pariter acorem peccante. Quæ omnia ſine ſenſibili evacuatione obtineri facile poſſunt, ut fuſius videre eſt apud eoſdem Auctores, Peruviani Corticis etiam Patronos.

A vitiata pariter digeſtione, ſive id fiat culpa aſſumptorum, ſive Fermenti digeſtivi, remotiorem Intermittentium cauſam in Stomacho fabricari putat *Ettmullerus*, qui poſtea ſenſim in Sylvianam Sententiam deſcendere non refragatur, licet nec eam voto ſatisfacientem exiſtimet, ut qui ordinatos Febrium recurſus inexplicabiles cenſet, illorumque rationem ſe prorſus neſcire, ingenua, & magno Viro digna confeſſione fatetur. Si ergo prima tantum ex allatis cauſa ſpectetur, ſuas in curatione Febrium partes ſatis abſolvet China Chinæ, ſi abſque ulla evacuatione digeſtionem ſimpliciter corrigat, & fermentum ipſum Stomachi digeſtivum reſtauret. Quod ſi ſpectentur cauſæ magis propinquæ ad mentem *Sylvii*, de his jam ſupra facta eſt mentio, quantum opus eſt, & difficultas ſublata.

Huic ſententiæ affinis eſt alia, quam tradit *Monginotius*, Fermentum febrile acidum adſtruens, a pravo Chylo, vel alimentis aſſumptis ſuppeditatum; ex qua ſuppoſitione poſtea deducit, Chinam Chinæ directe pravum ejuſmodi fermentum in Febribus alterare, alienam illi naturam imprimere, illudve deſtruere, & in nihilum redigere, ac etiam inſenſibiliter, ſi non ſenſibiliter, & corpore eliminare.

Ita quoque *D' Acquin*, aliud acidum febrile ſtatuens in ſanguineis particulis, ab ipſis acquiſitum in Vena Portæ, intra quam, velut intra amnem, lentius excurrant, in ſolo ſale fixo Chinæ Chinæ verum ejuſmodi acidi correctivum agnoſcit, nulla poſtmodum inde quæſita ſenſibili evacuatione: quam quoque multo minus in ſuo Syſtemate exigit *Blegnyus*, quippe qui autumat Peruvianum Corticem ſtypticitate, & adſtrictione ſua, ſanguini juſtam particularum cohæſionem, quadam veluti conſtipatione, redintegrare.

Sed & ex præcipuis ſaltem hactenus allatis opinionibus, earumque veluti combinatione, ac commixtione, ſuam peculiarem condidit Cl. *Sacchus*, fermenti Febrilis radices conſtituens in obſtructione tali Viſcerum imi Ventris, facta ab humore viſcido, & lento, quæ valeat ſanguini per obſtructam partem tranſitum ad tempus impedire, donec, ſuperato obice a niſu ipſius cruoris, propter ſui occluſionem efferveſcentis, idem viciſſim recurrat, & ſuperetur impedimentum, & in hoc quoque caſu totum Corticis Peruviani penſum erit, vel craſſum illum humorem vaſa obſtruen-

ſtruentem, & impulſui ſanguinis validiori cedere ſolitum, immediate attenuare, atque diſſolvere, vel ipſi cruori tantam volatilitatem, & penetrationem injungere, quanta par eſt ad perterebrandum, ſuperandum, vel omnino tollendum illud obſtaculum.

Sententiam quodammodo huic oppoſitam viſus eſt prius protuliſſe *Barbette*, inquantum, non in alicubi præpedita, ut *Sacchus*, ſed in aucta per omnes Corporis partes ſanguinis circulatione, Febrium eſſentiam generaliter conſtituit. Sed ex alia parte, cum Intermittentium cauſam fundet in prava Chyli crudioris, Bilis, & Succi Pancreatici miſtura, & inde orta ejuſdem bilis regurgitatione per Cavam ad Cor, patet, eum non longe diſtare a *Sylvii* placitis; adeoque ſat eſſe, ſi China Chinæ tollat improportionem, quam ii ſucci inter ſe habent, ut dictum eſt: qua propter neque in iſta, ſicut neque in ſuperiore ſententia, ulla evacuatione eſt opus ad amovendam cauſam febris.

Multo minus eadem eſt opus in ſententia *Dolæi*; licet enim in quacumque parte Corporis, ſolida, etiam in digito, Febrium Intermittentium fomitem exiſtere poſſe contendat, ordinaria tamen lege, ab abſtructione ductuum Chyliferorum, & ſtagnatione ipſius Chyli, eaſdem Intermittentes oriri decernit. Quo caſu in promptu eſt dicere, ſat eſſe, quod China Chinæ in expugnatione Febrium, abſque eo quod quidquam ſenſibiliter excernat, ductuum Chyliferorum obſtructiones ſimpliciter aperiat, & eidem Chylo, ne in poſterum ſtagnet, occaſionem tollat; ut propterea vanum ſit, & amethodicum, velle ad fugandam ſimul Febrem, & evacuandam cauſam illius, eidem Chinæ Chinæ, quam cæteroqui ſumme commendat hic Auctor, purgans aliquod admiſcere, ut ipſe nonnunquam, vim illius infringendo potius, quam roborando commiſcet; ſiquidem experientia teſtatur, per repetitam Chinæ Chinæ ſolventibus aſſociatæ oblationem, vel nullatenus Febres depelli, niſi per accidens actio diuturna febrifugi prævaleat viribus enervantis adjuncti, vel ſeriorem ſaltem, debilioremque ſubſequi curationem, niſi ea per ſimplicem tandem impermixti Corticis exhibitionem abſolvatur, ut præmiſſis ſejunctim de more purgationibus ſolet contingere. Neque tamen in mitioribus Intermittentibus hujuſmodi methodum plane improbarem, ſi quid boni a Solventibus Solitariis cæteroqui obſervaſſem; Utcumque ſit, ubi Morbi benignitas det inducias, quilibet ad modulum ſuæ credulitatis poteſt hac in re ſequi methodum, quæ ſibi magis arrideat; non ſic in caſu arduo, ac præcipiti febrium Pernicioſarum, de quibus *Libro tertio* ſumus acturi.

Nullius denique ſenſibilis evacuationis neceſſitatem a China China excitandæ infert ingenioſa ſententia Famigeratiſſimi *Bellini*, ut quæ lentorem alicujus viſcidi, ſive ingeniti, ſive adventitii ſanguinem inquinantis, pro cauſa Intermittentium ſtatuit: hoc ſiquidem pariter caſu ſufficiet, ut eadem China China ſola vi ſua abſterſiva lentorem illum, ſeu viſcidum lenteſcens incidat, abſtergat, & ultro urgeat, illudque ſic fluxile redditum motui ſanguinis univerſali, ac æquabili ſenſim reſtituat, nulla ſenſibili facta ſupra ordinarias illius evacuatione.

Omnium vero expeditiſſimam, & operationi Corticis facillime adaptabilem, ſed intellectui diſcendi cupido minus acceptabilem hypotheſim prodidit Experientiſſimus *Morton*, Vir longe felicior in uſu remedii, quam in explicanda illius actione, vel abdita Febrium expugnatarum cauſa. Putat hic (præeuntibus quodammodo *Bado*, *Protoſpatario*, & *Jeſepho Donzello*) Chinam Chinæ eſſe verum Antidotum, adeoque ſine ulla ſenſibili evacuatione Fermentum febrile corrigere, ſeu mavis extinguere: quo nomine ſpecioſo occultam vere, ac admirandam illius virtutem deſignare contendit. Ab Antidoto, de quo nequit reddi ratio præter experientiam, progreditur ad ſtatuendum, febrile Fermentum eſſe verum ſui generis Venenum, ſeu, ut inquit, *Delectærium quid in Spirituum Syſtemate delitescens, quod adinſtar fermenti eos adoriens, atque æſtro primum exagitans, deindè humoribus, ſecundo quaſi momento, varias mutationes, atque qualitates morboſas, nobis ſenſibiles impertit*. Qua explicatione, obſcuriore adhuc re ipſa explicata, vix ulla pariter poteſt reddi ratio eſſentiæ ipſarum Febrium, vel periodorum, vel cauſarum earundem. Subjectum autem talis Veneni, ut dictum eſt, ſolos Spiritus eſſe aſſeverat, & hanc ipſam aſſertionem lætatur in uno *Protoſpatario* ſe reperiſſe, quin & in eandem ſententiam conatur alicubi *Badum* trahere, eo quod

nomine Antidoti utentem videat, licet plane adversantem in re videre potuerit, quin & asserta *Protospatarii* sic opinantis expresse refellentem. Revera tamen in hac parte *Protospatarium* ipsum *Campanella* præcessit, causam videlicet cujuscumque Febris, primam, & antecedentem esse quærendam, non in humoribus, inquiens, sed in spiritibus accendentibus, & agitantibus humores.

Quod vero iidem spiritus miasmate quopiam venefico inficiantur in Febribus Intermittentibus, etiam *benignis*, singularis, quod sciam, est opinio *Mortoni*, atque, si lubeat, etiam *Protospatarii* (siquidem iste nomen *miasmatis* pro vero Veneno, & non pro quacumque spirituum, minime quidem vitalium, sed Mixto cuilibet nullatenus etiam viventi, inexistentium excandescentia, morbosam massæ sanguineæ fermentationem suscitare apta, usurparit, quemadmodum, ex dicto ipsius *Protospatarii*, *Donzellus* explicat) ni velimus illis adjungere eundem quoque *Josephum Donzellum*, *Protospatario* quodammodo subscribentem, necnon etiam *Talbotium*, qui, referente *Anonymo* quodam alias citato, dicere consueverat, Corticem Peruvianum operari adversus Febrem, ut Antidota adversus Venena -- *Ayant reconu*, sunt illius verba, *par les experiences inombrables, qu' il avoit faites en Angleterre, & en France, qu' il operoit*, videlicet China China, *sur les Fievres ainsi que font les Antidotes contra les Venins, lorsqu' ils sont donnez à temps*: quod quidem verum est, quod effectum clarum in se, sed obscurum in causa, & productionis modo, *Mortonus* tamen, dato quod obscurius, aut infirmius (ut & alii eundem prægressi) Febrium causam exposuerit, satis tamen viriliter supra eos utilissimam illarum curationem, per usum animosiorem, atque methodicum Peruviani Corticis, indigitavit, ut suo loco videbimus. Pro nunc ex ista Hypothesi, non secus ac ex cæteris omnibus hucusque recensitis, sufficiat colligere cum illius Auctoribus, nullam requiri pro Fermenti, aut Miasmatis, ut vocant, febrilis extinctione evacuationem, quemadmodum in omnium Antidotorum, & communium Alexipharmacorum usu, pro edomando malignarum Febrium veneno, sicut & in administratione reliquorum Febrifugorum vegetabilium, quæ dicuntur specifica, pro eodem vincendo Intermittentium fermento, qualecumque illud sit, quotidie succedit.

Nec aliter quidem potest evenire; nec aliter quoque potest Medicus se gerere in praxi. Etenim, si ulli unquam Specifico Febrifugo locus est (loquor de quovis communiter recepto) semper adversus eum militare poterit ratio, quod causam Febris non evacuet, sed intus detineat. Licet enim plures præmissæ fuerint purgationes, aliæve evacuationes artificialiter institutæ; quando tamen post eas omnes Febris perseverat, itaut pro sui depulsione aliquo Specifico indigeat, semper stat, quod causa Febris perseverantis perseveret & ipsa, & consequenter, quod a Specifico illo nil evacuante non expellatur, sed intus detineatur. Si ergo aliquando non tenet hujusmodi ratio, quando scilicet alia præscribuntur specifica, sive id dicatur non officere, eo quia sufficienter jam purgatus sit Patiens (cum tamen haud ita purgatus sit, quin adhuc febricitet, causa videlicet Febris nondum educta) sive ob aliam quamvis emendicatam excusationem, quare sub iisdem excusationibus eadem ratio seponi non poterit, ut citra culpam Peruvianum Specificum efficacissimum possit exhiberi, quemadmodum alia citra culpam quotidie exhibentur imbecilliora, & inania sæpe Specifica? Satius ergo sit, evacuationes nil proficientes dimittere, utpote parum congruentes cum experientia, & minime cum allatis opinionibus vulgatiorum hujusce materiæ Scriptorum.

Vulgatiores consulto dixi post Galenicam sectam, quos nuper retuli de hac materia Scriptores; cæteros, utut doctissimos, sed vel minus notos, vel minus acceptos, libenter prætergressus. Non ideo cum Paracelsistis, aut Helmontianis hic mihi res est; quorum tamen Ideis apprime congrueret actio Corticis sine sensibili evacuatione exercita, sive illa dicatur Sulphur, & Nitrum peccans corrigere, sive Archæi indignationem compescere, sive alio simili modo turbas febriles componere. Eos namque præcise selegi, qui ab exoleta Humoristarum schola deflectentes, usque tamen in perturbata, vel assidue ex principiis intrinsecis, vel periodice extranei cujuspiam laticis affluentis culpa, particularum sanguinem integrantium dispositione, ac textura, & in vitiato proinde multifariam earundem motu, solidis secundario tantum affectis,

Fe-

Febres omnes, quas essentiales vocant, & conjunctam illarum causam, seu Fermentum ipse febrile mecum reponunt. Supervacaneum quippe credidi, pro eadem actione Corticis nil nos cogentis excernere, in novissimo *Solidorum*, ut vocant, *Systemate* Apologiam texere; tum quia hujusmodi remedium unanimi consensu amplexantur in Febribus antedicti Systematis Conditores primi, eorumque sequaces; tum quia revera sufficit in eorum sententia, quod Cortex, absque eo quod quicquam sensibiliter deturbet e corpore, congruas vasorum Oscillationes, vel mediate, vel immediate restituat, eisque adnexum, fluidorum æquilibrium, & harmonicam circulationem.

Neque vero miretur quispiam, qui me a vacuis quibuscumque vocabulis, rem minime declarantibus, cæteroqui alienum sciens, in designanda tamen Intermittentium causa, metaphorico *Fermenti* nomine etiamnum utentem videt: quo certe nomine nil hodie magis exosum Mechanicis, iis præsertim, qui antedictum *Solidorum* Systema profitentur, cujusmodi sunt famigeratissimi viri, *Pitcarnius*, & *Boerhaavius*, necnon doctissimus *Hecquetus*, mihi plurimis humanitatis, ac benevolentiæ suæ argumentis semper colendus, aliique non pauci, tum Transalpini, tum Cisalpini Scriptores, quibus omnibus præclaro suorum Theorematum lumine præivit (ipsis quidem non diffitentibus) celeberrimus Italus noster *Laurentius Bellinus*. Ne inquam præmature nimis quispiam miretur de servata hucusque a me, & in posterum etiam servanda *Fermenti* nomenclatura; sciatque idcirco, malle me insciti am meam ingenue prodere, dum vocem *Fermenti*, quidpiam mihi reapse ignotum connotantis, usurpo, quam Provinciam novam suscipere, cui plene administrandæ sim impar; non quidem quod Systema hujusmodi planum non sit, & captu facile vel in ipsis, qui Geometricen vix a limine salutarunt; sed quia per illud, etiam usquequaque adoptatum, nondum satis doceor, ut explicandis sufficiam *ordinatis* Intermittentium *periodis*; quo sane defectu laborat & illud Systema non minus quam cætera. Cum ergo per illud reddi satis nequeat, aut explicari ratio periodi, consequens est, ut neque satis explicari queat ratio causæ, quæ cum obscura, & inexplicata remaneat, æque potest appellari *Fermenti* nomine, ac quovis alio, dummodo eo nomine causam eandem nos indicare tantum, non explicare fateamur. Insuper cum causa hujusmodi, seu primum principium motus febrilis, quodcumque illud sit, a Fluidis primario affectis de more, ut supra, petendum putem, non autem a Solidis, nisi forsan in Symptomaticis febribus; idcirco Systemati *Fluidorum* inhærere satius duxi, quam *Solidorum*, etsi hoc ipsum (quotiescumque per illud peculiari quoque fluidorum texturæ quidpiam activitatis tribuatur, ut a Scriptoribus Medico-mechanicis potius, quam Mechanicomedicis, solet attribui) laude non modica dignum censeam, illique in sensibili explicatione rerum vere sensibiliter explicabilium, quoad plurima libenter assentiar.

Caveat nihilominus (siquidem in hanc messem datum sit quasi furtim, & curtim obrepere) caveat, inquam, qui Artem vere Medicam satagit exercere, ne ad lectulum Ægrotantis accedat Mathematicus nimium, seu Mathematicus magis, quam Medicus, ni forte sibi gloriosius putet, meliorem in medicina faciendo Mathematicum dici, quam Medicum. Rationalis equidem Medicinæ Professorem omnis esse Matheseos expertem, nedum indecorum censeo; sed & hominem ejusmodi, nisi acri admodum polleat ingenio, facile dixerim ad rite capessendas omnes physico-mechanicas Artis notiones haud sufficienter dispositum. Alium tamen interim universa instructum Mathesi, sive junior ille sit, sive in virili etiam constitutus ætate, monitum velim, nec nisi post exercitam assidue quadragenariam in rebus medicis praxim, crebramque, ac sedulam institutam sine præoccupatione observationem, rationali Medicinæ Matheſin applicet; siquidem una tantum ex his conditionibus deficiente, res, nullatenus ex voto succedet. Hinc fit, ut passim præ Medico plus mathematicis, quam medicis disciplinis imbuto, excellat rudior: sed in operibus Artis magis versatus, diagnosimque, prognosim, & curationem morborum per triviales indicationes, ex ipsa rei natura, & observatione depromptas, præ illo felicius absolvat, etsi eorundem causas, & productionis modum ad regulas geometricas nequeat explanare: quod ex adverso

ingenioſiſſime præſtabit bonus Geometra. Hic ipſe tamen, utut elegantiorem reddere ſit aptior rationem eorum, quæ evenere poſtquam evenerint, & quæ profuere, aut obfuere, poſtquam profuerint, aut obfuerint; incertiſſimam nihilominus fateatur neceſſe eſt præcognitionem a priori, & præordinationem eorum, quæ ſunt eventura, profutura, vel obfutura: quo facile eveniet, ut forte medelam morbi (utinam ſatis cogniti) per indicationes a remotiſſimis ſuæ Matheſeos fontibus conquiſitas tentet abſolvere, ad quas tandem implendas, vel media deficient, vel ſi præſto ſint, ſæpeſæpius aberrabunt a ſcopo. Ob id ipſum (ſi exemplo rem liceat illuſtrare) in ſanandis infirmis cujuſpiam Torrentis aggeribus, vel dirigendis tortuoſis ejusdem fluctibus, præ Viro Mathematicis diſciplinis imbuto nonnunquam præſtat rudis Homuncio omni jejunus Matheſi, ſed ad ripas fluminis natus, & diutinus illius loci incola, qui nempe ſollertem obſervationem adhibuerit ad cuncta, quæ fiunt varie tumeſcentibus, & varie detumeſcentibus aquis. Id equidem (fateor) non accidit ob ineptitudinem principiorum Viri Mathematici; hæc enim in ſe ipſius vera ſunt, & infallibilia; ſed ob applicationem eorum haud ſatis appoſite inſtitutam, ſeu mavis ob implexam, nec ſatis dignoſcibilem rei, cui applicantur, materiam, & ob diverſas, incertaſque circumſtantias concurrentes in facto: neque enim Mathematicus, quantumvis peritiſſimus, miſtos, reflexos, repercuſſos, & interciſos aquarum fluentium motus, ac impetus, fluctuſve ipſos interiores diverſis lineis ſe decuſſantes, & interſecantes, poteſt ad leges mechanicas exacte metiri, ſicut nec reſiſtentias lateralis ſoli hic illic varias, multoque minus inæquales hic illic alvei inclinationes; propter quas circumſtantias haud ſatis patentes, factumque ipſum occulte variantes, Torrens ipſe per artem nonnunquam coactus recta progredi, veteremque alveum deſerere, haud longo temporis tractu per abſconditas, ac ferme imperſcrutabiles, ſed veras Hydroſtaticæ leges, obliquo, ac tortuoſo curſu ſponte reddit ad conſuetum iter, argilla, & fabulo illud idem Incile ſenſim opplens, ac obruens, quod planum, rectum, declive, & amplum illi non multo ante Mathematica aperuerat induſtria; quem ſane eventum expectationi contrarium a rudi homine per ſolam experientiam docto tempeſtive præviſum, conſtanterque prænunciatum ipſemet non ſemel vidi, nec ſine mea admiratione, alienoque dedecore ipſa re comprobatum. Propterea tamen nequaquam inficiabor, quin data utrinque paritate obſervationis per diutinam experientiam comparatæ, rudi quovis Homine, utut experto, rem longe melius ſit confecturus bonus Geometra.

Idem data proportione dicas de re Clinica; plura quippe ſunt in Phyſiologicis etiam ſenſibilioribus, quin & in ipſo architectonico humani corporis ædificio, nedum Mathematicis omnibus, verum & Anatomicis ipſis etiamnum incomperta, & ex compertis obſcura non pauca; plurima in Pathologicis circa morbos, eorumque ſymptomata, & cauſas ferme incomprenſibilia; innumera in Semejoticis, iis præſertim, quæ ex *Hippocratis* obſervatione præſagia reſpiciunt, admirabilia potius, quam perſcrutabilia; infinita propemodum in Therapeuticis, nempe in Remediorum Inventione, & Compoſitione incerta, ſive materiam eorum conſideres, ſive uſum ipſum, propter circumſtantias etiam identidem diverſas, ancipitem: circa quæ profecto omnia expertiſſimus Mathematicus ſine conſummata in rebus medicis praxi, non poteſt quin ingenioſe nugetur. Cuncta hæc ergo prius experiatur, expendatque exacte prudens Medicus Matheſi inſtructus: dein ſobrie, temperanter, & caute, quantum fert Artis incertitudo, & obſervatio phœnomenorum illius, Rationali Medicinæ Matheſin applicet.

Certe animadverſiones iſtiuſmodi ex diuturna Naturæ, Artiſque obſervatione prognatæ, impulere me non parum, ut Syſtemati fluidorum ſemper adhærerem in praxi: ubi enim contendatur, quod in hydraulico-pneumatica humani corporis machina, cui præter vectes, Trochleas, Funes, Tubos, Fiſtulas, Incernicula, Cola, & organa hujuſmodi, inſunt inſuper diverſi generis fluida, quibus intercluditur ſpiritus ſumme activus, capaxque tribuere illis omnibus momentum, & vim ad exercendas functiones ſuas idoneam, ubi inquam contendatur, quod in Machina ſic conformata eadem Solida primario ex ſe ipſis ſe ipſa moveant, ac exerceant, & ab ipſo exordio ſe movere cœperint, ac exercere, ſintque ea tantummodo, quæ

fluida urgeant, triturent, ac pinsitent, neque quicquam fere aliud præstent fluida ipsa, nisi suum esse fluxile, & fluxile quidem a sola Solidorum vi quaqua versus motum, & actum, plura pro certis in hac Hypothesi supponere necesse est, quæ talia fortasse non sunt; quæque tamen nisi pro certis assumantur, Mathesis nequit per Medicinam universam tam late spatiari, ut eam architectonice regat, efficiatque, ut conjecturalis hæc Ars, quæ simplici est, utplurimum probabilitate, & nonnumquam divinatione contenta sepositis, neglectisve humilioribus conjecturis, quas longus usus ad cujuspiam certitudinis gradum evexit, valeat pari passu cum Mathesi procedere, illive arcte semper inhærere, aut ancillari quasi pedisequa: etenim si vinculum hujusmodi nimium sit, ac ferme individuum, res facile inauspiceto finietur prope lectulum Ægrotantis, etsi in exortu suo speciem prætulerit magistrali e Cathedra auspicatissimam. Ubi vero Solidorum motus a liquido Fluidorum elatere dicatur emanare, & ab eodem primitus emanasse, ita ut eadem fluida non mere passive se habeant, meliusve, aut infirmius operentur præcise per hoc, quod magis, vel minus fluxilia sint, sed radicitus, & principaliter per hoc, quod talem, vel talem sortiantur texturam, intimamque compagem, latior Rei medicæ campus patet, tam pro intelligendis ordinariis, quam pro corrigendis extraordinariis Naturæ phœnomenis. Licet enim secundum congruam, vel incongruam sanguinis, aliorumque laticum fluxibilitatem, & secundum proportionatum, vel improportionatum eorumdem motum, exerceantur immediate secundum Naturam, vel præter Naturam solidorum actiones; attamen proportio, vel improportio isthæc a justa, vel alterata Crasi, seu mavis determinata compage, ac textura ipsorum Fluidorum radicitus pendet; ad quorum proinde alterationem, ac restitutionem in pristinum statum, si ab eodem deflexerint, tota convertitur Medicinæ intentio, & opera, cum non nisi media Fluidorum correctione possint medelam suscipere ipsæmet Solidorum alteratorum fibræ. Qua dubio procul in re feliciter peragenda, opus est ut Mathesis Arti medicæ quodammodo famulari non renuat, ut revera quadantenus decet, nec nisi usque ad certos progrediatur limites, subsistens deinde nonnihil, ac locum conjecturis concedens, ubi progressui vere scientifico, ipsique adeo Mathesi non est, ut sic dicam, commensurabilis proteiformis materia.

Non tamen ideo sibi quisquam persuadeat, me nullam in ipsis Fluidis, & naturalibus eorum motibus mechanicen admittere, quin potius eam elegantissimam in iisdem suppono, sed nobis inexplicabilem, ob varias, & multiplices particularum fluida nostra, præcipue vero sanguinem, naturaliter componentium, & mole, figura, ac pondere differentium, combinationes, multoque magis ob diversos, & mistos earumdem motus in unum æquabilem conspirantes. Longe minus ad regulas mechanicas explicabilis est vitiata in febribus, ac interrupta earumdem particularum dispositio, ac textura: cum enim tunc sanguis præcipue, ob errores in rebus, quam nonnaturales vocant, & ob præpeditas subinde secretiones confundi incipiat, ac tumultuari, simulque alicubi lentescere, vel torpescere, alicubi exorbitare, & inflari, dubio procul præposteri hujusmodi motus certis regulis nostræ Mechanices non sunt determinate expicabiles, sed indeterminate solummodo, ac generaliter, quippe non a Solidis primario affectis, sed a Fluidis intestino tumultu commotis pendentes, a Fluidis, inquam, ipsorum tunc Solidorum vim vi propria superantibus, ac in usum ab officio suo sæpius alienum cogentibus. Cæterum in statu naturali mechanicam sanguinis, & succorum præcipue alibilium, dispositionem, occultam licet, talis elegantiæ, ordinis, ac dignitatis reputo, ut in uno *vitalium Fluidorum* Mechanemate intimo, nobis abscondito, latere credam principium illius Mechanices, quæ solis adscribitur Solidis, inquantum scilicet solis *vitalibus* Fluidis æthere, & aere turgidis, radicitus saltem, & primitus inesse reor Principium illud Viventibus omnibus insitum, quod negari æque, ac explicari non potest, & ab Hippocrate dicitur *Impetum faciens*; quodque per participationem intimam a Fluidis derivatur in Solida, ut in solidas Molendini rotas derivatur motus ab aqua jugiter influente: qui sane Molendini motus æque diceretur illius rotis communicatus ab eadem aqua, aliunde licet perenne adveniente, si Molendinum talibus organis in-

inſtructum foret, quæ valerent vi ſibi ab aqua motrice, principaliter ſaltem, impreſſa, eamdem aquam ultro pellere eo niſu, qui potis eſſet illam reduci greſſu in ipſum Molendinum artificioſa circulatione referre. Machinæ humani Corporis Hydraulico-pneumaticæ, cui fert ſuppetias aſſiduas inſpiratus aer, & affluens Chylus, haud longe diſpar eſt ratio: eamdem ſiquidem vim, quam ratione ſuæ gravitatis, majus ſemper in deſcenſu momentum adeptæ, pro movendis ſolidis Molendini partibus habet aqua, per apertos, ac liberos canales excurrens, eam habet ſanguis inteſtino ſpiritu pollens, ac intra canales undique clauſos coercitus, aſſiduoque torrentis inſequentis appulſu ultra venarum valvulas, regreſſum vetantes, adactus, ut medio ſpiritu in nervos transfuſo, ipſi demum Cordi eumdem ſanguinem impulſuro, quam a principio vim dare cœpit, indeſinenter pergat ſuppeditare. Ad normam itaque collationis hujus, aliarumve elegantiorum, quas ſubminiſtrare poſſent tot hydraulica, & pneumatica ſimul, quæ paſſim viſuntur in aquis artificioſe ludentibus, ingenioſa ſpectacula, quibus quoque continuatus, hinc flatus immiſſi, illinc aquæ ſubeuntis influxus, eam quodammodo diuturnitatem poſſet impertiri, quam machinæ noſtri corporis impertiuntur hinc indeſinens aeris, illinc repetita alimentorum ingeſtio; ad normam inquam craſſiorum hujuſmodi artefactorum facile dixerim, proportione hinc inde habita, omnem vim ſuam motricem, ſuumque intimum elaterem a ſolis Fluidis vivifico ſpiritu imbutis mutuari (anima quidem immortali, nunc jubente, nunc etiam inſcia, etſi jugiter informante) Fibras ipſas oſcillantium Vaſorum, & contractilitate ab ipſis fluidis medullitus recepta, fluida eadem ulterius urgentium; non autem fluida (ſi recte conjicio) in circulum acta mere paſſive ſe habere, ut a ſolis Solidis, tamquam a Motoribus ſibi prorſus extrinſecis, primam originem ſui motus agnoſcant.

Haud equidem diffiteor, mutuam dari inter Solida, & Fluida actionem, & reactionem, & a juſta proportione impulſus, & reſiſtentiæ inter utraque, emergere congruam naturalium actionum habitudinem, ab æquilibrio virium, & potentiarum hujuſmodi reſultantem, ut ab earumdem virium improportione reſultant actiones morboſæ, ac læſæ; nihilominus, quamvis ad eas concurrant mutuo tum Solida, tum Fluida, atque idcirco non tam facile videatur in ſimultaneo hoc, & utrinque neceſſario concurſu decernere, cui debeantur primæ; ferme non dubito, quin intra corpoream Animalium machinam principium motus ſit petendum a fluidis primo actuantibus ſolida, a quibus deinde ſic actis *diuturnitatem* ſui motus ipſa fluida recognoſcant, & ſic deinceps viciſſitudinario utrinque ſubſidio: intelligendo ſemper nomine *Fluidi* quidquid actu fluit, vel aptum eſt fluere; cum cæteroqui me non lateat, prima ipſorum fluidorum componentia ſolida eſſe; quod tamen veræ fluidorum denominationi nil detrahit, quemadmodum nil officit veræ ſolidorum appellationi, quod Solida ex fluidis ſic compoſitis fuerint a principio ſuo coagmentata: notum eſt quippe, Solidiores quaſque humani Corporis partes ab exordio fuiſſe in Embryone molliſſimas, mucoſas, & fluxiles; cumque in adulto nutriantur illæ, & conſerventur aſſidue in ſuo vigore a fluidis, ex illis quoque credendum eſt fuiſſe conflatas, primamque ſuam vim ſyſtalticam, & oſcillatoriam a Fluidis recepiſſe, eandemque ab illis per influxum perennem jugiter mutuari, anima ſemper, quandiu corpori jungatur, mechanicos illius motus, ſaltem quos ipſa imperat, modo ineffabili per ſpiritus exercente. Hunc ergo ordinem in movenda univerſaliter humani Corporis machina libenter dixerim a Natura aſſumptum, & conſtanter ſervatum a prima ipſa humani cujuſcumque Fœtus conformatione uſque ad interitum illius, ſive deinde prima hæc conformatio dicatur fuiſſe coæva Mundo a principio creationis illius, & nova tantummodo quotidie nobis apparens per ſolam *evolutionem*, ſive *explicationem* partium jam conſtructarum, latentium in Ovo muliebri, latente pariter cum Prædeceſſoribus omnibus, & cum tota poſteritate naſcitura æque ac non naſcitura in primæ Parentis Ovo, ſpecie integra etiam poſſibili turgido, ut poſt *Malebranchium* opinantur Neoterici non pauci, iique doctiſſimi; ſive revera in quocumque humano conceptu fabrefiat de novo ſtructura ejuſdem corporis, magiſterio quidem

dem haud plane inexplicabili, ſed tamen mechanico, & vero, ut ego libentius opinor, utque magis cohærenter fert, quod nuper innui, Fluidorum Syſtema, cui ſuperſtructam volui Therapeuticen hanc meam ad Febres Intermittentes, ut & aliam compendiariam, quam præ manibus habeo ad Continuas; ſiquidem hanc ad umbilicum perducere ſinant vires, quæque pluries ab opere manum dimovit lubrica nimium, & labilis valetudo.

Cæterum etſi vulgato *Fluidorum* potius, quam *Solydorum* Syſtemati adhæream, iterum fateri non renuo, plura in poſtremo quoque reperiri, tum laudabilia, tum ingennorum aſſenſum promerentia: uſquequo enim poſſumus ſenſibiliter, & mechanice progredi, dubio procul faciendum, dummodo caveamus, ne Machinam aliter ac ea eſt, conſtructam, vel motam nobis fingamus, eamque ideo noſtris aptemus regulis, non regulas ipſi Machinæ, ut omnino oporteret. Sic exempli gratia dum in eo Syſtemate ablegantur *Fermenta* (quære, & uſu vere ſint talia) ab opere naturalium ſecretionum, quotieſcumque ſine hujuſmodi fermentis, per ſolam ſecernentium organorum, & liquidorum ſecernendorum diſpoſitionem, eædem ſecretiones commode queant explicari, profecto hæc opinio alteri anteferenda, quippe magis conſona ſimplicitati Naturæ. Quod ſi forte hujuſcemodi ſecretionum opus magiſterio, vel analyſi fieret veluti chymica, cui præter diſpoſitionem inſtrumentorum, ſuis, ut ſic dicam, opus eſſet igniculis reſolutoriis, ſaltem occultis, eo caſu parum differret a Fermentiſtarum Hypotheſi mechanica hæc explicatio; ſiquidem ipſi fermento piſtorios ſuos igniculos, ipſiſque igniculis peculiarem ſuam mechanicen ineſſe nullus dubito, quæ videlicet panis maſſam, ejuſque particulas ſibi arctius invicem adhærentes a nimio contactu liberat, atque diſponit, quo facilius in ſtomacho ſubigantur, & vertantur in Chylum.

Atque in hoc quidem opere, quod digeſtionis eſt, non ſecretionis, eſto quod minus recte uſurpetur *Fermenti* nomen, cui melius ſubſtituitur vox *Menſtrui*; attamen quidpiam aliud ad hoc munus peragendum requiri præter Ventriculi, & Viſcerum circumpremen-tium motum, cibos triturantem, pinſitantem, & comminuentem, rationi conſentaneum videtur. Certe ſola Saliva in maſticationis actu cibos ſolidos vix dentibus contritos ita diſſolvit, ut eos non æque diſſolveret, inerti quopiam liquore madidos, piſtillum ullum in ullo mortario; quamobrem Salivam ſaltem, & probabiliter alios Latices ſalivæ congeneres in ventriculum influos, & Menſtrui cujuſdam gerentes munus, eandem diſſolutionem principaliter efficere, & promovere crediderim, ut leguminum coctionem faciliorem reddit non tam leguminum eorundem in Lebete fervention, ac ſuſdeque actorum tumultuaria agitatio, quam prævia eorum maceratio in lixivio dulci: quidpiam namque lixivio analogum ineſſe Salivæ, aliiſque ſuccis, exiſtentibus in ventriculo, & inteſtinis, præſertim tenuibus, pro ciborum chylificatione, perſuaſum habeo; vixque quicquam ad hoc præſtare autumo actionem viſcerum circumpremen-tium; quam tamen minime inficior, conferre nonnihil ad ulteriorem Chyli jam elaborati attenuationem, primaſque tenere in adjuvanda, & promovenda protruſione illius in proximas lacteas. Vix enim adduci poſſum, ut credam, prædicta legumina integra cum corticibus deglutita ab Animalibus pennatis, ne dicam lapillos, & Limaces, ipſumque adeo Ferrum, poſſe per ſimplicem Ventriculi, & adjacentium viſcerum compreſſionem, ac motum in Chylum redigi abſque Menſtrui alicujus concurſu, quod actione ſua in cunei morem exercita, intimam earum rerum ſolutionem efficiat, ſaltem ut ſolutionem colorum efficit bilis, quæ craſſiora ipſius Chyli recrementa naturaliter ſolet fluxiliora reddere. Hujuſmodi *Menſtrui* ſublato ſubſidio, difficile eſt, intra ventriculum debitam Chylificationem fieri, quantacumque vis extrinſecus premens per potentias mechanicas, in corpore noſtro cæteroqui validiſſimas, ac admirabiles, ſuperpoſitis muſculis, & circumpoſitis viſceribus tribuatur. Pari ratione difficulter crediderim, ab eadem *molium Solidorum* actione, & motu, poſſe peragi in Ventriculo hominis diſſolutionem, & Chylificationem Ovi gallinacei ad duritiem cocti, & detracto tantum putamine, ac inveſtiente, quippe aſperiore, pellicula, integri deglutiti

(quod ab Helluonibus nonnullis joci gratia non semel peractum vidi) nisi dissolvens aliquod *Menstruum* in potiorem causam hujusmodi effectus vocetur. Cujus profecto rei conjecturam augent retrimenta ipsa, & fæces per alvum excretæ, nihilque propemodum de manso cibo referentes, tam in Volucribus, & Quadrupedibus, quam in Hominibus. Idipsum, inversa regula, videntur confirmare alimenta, quæ in Lienteria, & Cœliaca passione, immo & in nonnullis quandoque febribus inconcocta redduntur, etsi motus molarius Ventriculi, & actio pinsitantium Viscerum, ac prementium musculorum in suo vigore maneant, vixque, quoad solida, trahi possit in partem culpæ, fibrarum Pyloro inservientium laxitas quædam; nisi ab omnimoda illarum paralysi velimus harum ægritudinum causam gratis emendicare. Cuncta tamen hæc, & quotquot ex antedictis Physiologiam respiciunt, nolim ita Lector accipiat, ut me illis plane acquiescentem putet: non enim tam facile mihi prætereunda est plurium illustrium Virorum, & Geometrarum aliter sentientium auctoritas; in quorum tamen castra me nondum sinunt descendere; donec melius erudiar, non modo aliorum plurium in Physicis, & Mathematicis haud minus illustrium Virorum mihi faventium auctoritates; verum & plurimæ, nescio an rationes naturales dicam, an præoccupationes intellectus mei, quas aliquando forsan in medium proferam, dummodo vita, & otium suppetat, easque vel refellam ipse, si a probabilitate alienas agnoverim, vel, si judicii tantum ancipitis, sanioribus expendendas, & ne hiscens quidem, castigandas dabo. Jam vero de his satis, quæ hujus loci non sunt, nisi quatenus *Fermenti* nomen a me in Febribus metaphorice usurpatum, & cæteroqui ubi non bene sonat, aut ubi superfluit, rejectum, longiusculæ huic digressioni occasionem præbuit.

CAPUT VI.

Theoremata ex diversarum Opinionum examine, aliaque Cogitata circa Intermittentium originem. Inde usus Chinæ Chinæ *stabilitur absque ulla necessitate insignis evacuationis.*

EX collatione vulgatarum Opinionum hactenus allatarum idem dicendum de similibus, quæ possent afferri: quarum unicuique quædam plus minus inest veritatis portiuncula, licet earum nulla rem integre complectatur, crediderim, erui posse Generalia quædam Asserta sat probabilia, quæ Peruviani Corticis usui plurimum conferre, illiusque actioni apprime respondere videntur: Hæc autem, spectatis phœnomenis, quæ Febres omnes Intermittentes, & singulas earum species, a principio ad finem comitari solent, sunt, quæ sequuntur.

Primo, quemadmodum Febrium Continuarum Continentium radix stationem suam agere videtur in sanguine potius, quam in quolibet alio fluido, ita Fermentum Intermittentium consideratum, ac sumptum, ut scholastice loquar, in suo esse completo, ut proxime aptum ad excitandam Febrem, non vero respectu habito ad remotam materiam illius, videtur pariter esse aliquid, quod sanguini potius vel accedat, vel insit, quam alteri succo, *v. gr.* Nerveo, quandoquidem talis succus (bona venia Opinantium aliter) est potius terminus, *ad quem* quandoque progreditur prava Febrium dispositio, quam terminus, *a quo* proxime soleant, ut reor, ipsæmet exordium capere.

Secundo, quemadmodum in Continuis memorata radix in sanguine pullulat ab intrinseco, seu ab ipsius particulis constitutivis, sed incongruis, olimque sua alterius amici laticis larva, puta chyli, lymphæ, aeris &c. introductis, ac post diutinam tantum moram fermentescentibus: ita in Intermittentibus fermentum illud sanguini probabiliter advenit immediate ab extrinseco, velut aliquid extraneum, quod statim lædit, per totum nempe tempus tam Exhorrescentiæ, quam Effervescentiæ febrilis, donec per tempus despumationis subigatur, ac secernatur.

Tertio, sicuti in illis, videlicet Continuis, materia febrilis sensim, ac sensim, lentaque aggregatione congeritur in sanguine (cum quo secundum minima integraliter coit, circulaturque, etsi segnius) illique tam arcte miscetur, ut non secuta, per consuetas cribrorum naturalium filtrationes, debita ejusdem materiæ secretione, tandem ob illius heterogeneitatem haud diutius sociabilem, suscitetur febrilis effervescentia, qua mediante sensim pariter, lentoque progressu eadem materia ab ipso sanguine subigatur, &

intra

intra tempus deſpumationi neceſſarium ſecernatur: ita ex oppoſito in iſtis, videlicet Intermittentibus, Fermentum febrile videtur eſſe aliquid, quod alicubi aggeſtum, affatim potius, ſucceſſivi torrentis adinſtar, ſanguini adveniat, illique quolibet paroxyſmo per commixtionem minus intimam veluti confundatur, quam quod paulatim tempore intermiſſionis aliunde ſtillans, ibidem ad turgentiam colligatur viciſſim, & viciſſim pariter diſſipetur. Adeoque principium paroxyſmi potius haberi crediderim *ab extra*, in actu primi ingreſſus materiæ febrilis in ſanguinem, quam *ab intra*, in actu turgeſcentiæ ejuſdem materiæ, ſenſim antecedenter aggeſtæ, etſi ab extrinſeco, ut dictum eſt, pariter precedentis.

Quarto, cum in ſanguinem latex nullus conſpicuus ſoleat introduci, qui non deferatur per viam Ductuum Lacteorum, vel Lymphaticorum ſeſe tandem mutuo concurſu exonerantium in Subclaviam, non per alia Vaſa, niſi per iſta poſſumus, ratione aliqua præeunte, aſſerere, quod Fermentum febrile devehatur in ipſum ſanguinem, & conſequenter quod vel intra aliqua ex iſtis Vaſis, Glanduliſve, quas ipſa Vaſa pervadunt, congeratur, ibidemque ad tempus ſtagnet, & ad tempus ab iiſdem excarceretur, vel quod cum illis (etſi extra ſitum) aliquo ſaltem modo communicet, ut per intervalla poſſit in eadem inſinuari. Etenim (ne vel hoc intactum relinquam) introductionem lentam, rariuſculam, & indeterminatam rei cujuſpiam exoticæ in torrentem ſanguineum derivatæ ab interſtitiis, ſi ſint, extremarum arteriarum, atque venarum, & ab iiſdem venis potius, quam a lymphaticis cum ſanguine refluo abſorptæ, de nihilo eſſe ferme crediderim, quantum ſit pro aſſignanda plana, ut requiritur, ac regulari fermenti febres Intermittentes gignentis ſemita, & ſcaturigine, ac pro celeri explicanda, ut opus eſt, illius irruptione, etſi hac forte via Pus *v. g.* Ulceris alicujus abſorptum, & ſanguini affuſum, accidentalis, ac vagæ cujuſpiam febris cauſam eſſe poſſe, minime inficier. Semota ergo poſtrema hac Fermenti febrilis in ſanguinem refluum, Venis mediantibus, introductione, remanet; quod illud per Vaſa tantum Lactea, vel Lymphatica, uno ex duobus recenſitis modis introducatur; nempe, vel quia intra eadem Vaſa, Glandulaſque interpoſitas ſtabuletur, vel quia cum illis, etſi extra eadem poſitum, aliquo modo communicet.

Si itaque fermentum iſtud ſe habeat primo modo, ſitque ſitum *ad intra*, nullus aptior locus collectioni illius, etiam temporaneæ, neque magis obſtructionum facile ſolubilium, & renovabilium capax intra totum tractum Lymphaticorum, & Lacteorum reperitur, quam Glandulæ in Meſenterio ſitæ, ubi Chyli, & Lymphæ fit inæqualis concurſus, & mutua commixtio. Neque ullum foret Theatrum magis accommodatum ad explicandam ſcenam ſymptomatum, non modo horroris, rigoris, & frigoris, ſed & reliquorum omnium, quæ in Tertianis præſertim, exercetur in Regione Gaſtrica, Epigaſtrica, Hypogaſtrica, Lumbari, atque Dorſali; ſi nempe concluſum in Meſentericis Glandulis idem Fermentum, primo vim faciens, ut ſua acrimonia, ſuoque niſu viam ſibi paret, poſtmodum ſic furens, excluſum, & per propinqua loca, Canalemque tandem Thoracicum excurrens, ac ſucceſſive in ſanguinem repens, conſideretur.

Si vero ſit ſitum *ad extra*, ita ut cum iiſdem Vaſis communicet, eademque ſtato tempore ſubeat, non alibi poſſumus Fodinam, ſeu Focum illius conſtituere, niſi in locis, unde repleri incipiunt, oſculiſque ſuis hiant eadem Lactea, vel Lymphatica. Et ſic vel reſpectu priorum ab Inteſtinis exordium ducentium, dicendum erit, coacervari in Ventriculo, & Inteſtinis ipſis, vel in illa ſaltem confluere Fermentum febrile, ſive immediate ab eorum Glandulis ſtillans, ſive mediate a propinquis partibus, puta Pancreate, aut Polliculo fellis ſubminiſtratum: vel reſpectu poſteriorum credendum erit, ipſum latitare in partibus omnibus, artubus extremis, atque viſceribus, unde oriuntur lymphatica. Atque in utroque caſu eadem æque facile, ac ſuperius diximus, explicarentur ſymptomata. Si enim loquamur de primo, cum parum diſtent a Meſenterio Inteſtina, idem idcirco, quin immo magis extenſum in tali ſuppoſitione eſſet iter Fermenti febrilis per Lacteas tum primi, tum ſecundi ordinis. Si vero loquamur de ſecundo caſu, facilius adhuc explicarentur horror, rigor, ac frigus Intermittentium, per confluxum fermenti ab omnibus, extremiſque partibus,

bus, & glandulis conglobatis univerſi corporis: reliqua autem ſymptomata fere æque facile; quatenus tandem eoſdem Ductus Chylolymphicos, ſeu Lacteas ſecundi ordinis, Receptaculum nempe Lumbare, Lacteamque Thoracicam pari paſſu (maxima ſaltem ex parte) ſubiret idem fermentum. Sola periodus, ſeu viciſſitudinaria iſta concluſio, & excluſio, intromiſſio, & extromiſſio, generatio, & extinctio Fermenti febrilis nodum maximum præſefert, ac difficulter ſolubilem.

Quinto, licet ex omnibus locis in antecedenti Theoremate recenſitis, & conſideratis ut talibus, ut in iis probabiliter deliteſcere poſſit Fermentum febrile, nullus a me determinate approbetur, nec ullus pariter determinate excludatur; dico tamen, durum nonnihil videri, quod materia febrilis, vel in Inteſtinis, tamquam in ſua ſede cumuletur, vel per ipſas in Lacteas primi ordinis excurrat in acceſſionum principio, per modum laticis tranſeuntis, ſive a Pancreate, ſive a Veſſica fellea, ſive ab alia quavis, ſi qua eſt, parte peculiariter cum Inteſtinis communicante, ſuppeditari.

Hanc dubitationem ſuggerit crebra experientia, qua videmus, numquam, aut fere numquam, ut alibi dictum eſt, ſive diſtante, ſive inſtante, ſive invadente Febrium Intermittentium paroxyſmo, materiam febrilem egredi, vel educi per copioſas, & repetitas vomitiones, ac dejectiones, ſive a Natura, ſive ab Arte inſtitutas: quod ſecus ſemper, aut fere ſemper fieri deberet, ſi talis materia in cavitatibus Inteſtinorum intermiſſionis tempore cumularetur, ibidemque pacifice otiaretur (quod pariter arduum intellectu, nempe quod ibi ſubſideat quovis tempore, nec irritet, ſurſumve, aut deorſum exeat, niſi fingamus in Inteſtino cæco *v. g.* recondi) vel ſi in eadem Inteſtina, inſtante acceſſione, per Ductum Pancreaticum, aut Choledocum antecedenter obſtructos, mox reſeratos, irrumperet ſuccus febrilis. Et hæc ratio non a fallacibus ſpeculationibus, ſed ab experimento petita, una eſt ex fortioribus, propter quas etiam in hiſce febribus tam religioſe abſtineo a purgantibus, & emeticis: quæ tamen, fateor, ſi in ullis unquam febribus poſſunt convenire, in Intermittentibus potiſſimum, nuda quadam, & ſuperficiali ſpectata ratione, convenire videntur; illiſque ſicuti olim in gratiam talis indicationis inaniter ſum uſus, & blandioribus etiamnum (raro licet, & cautius, aliiſque ſolum motus indicationibus) utor, ita ſemper uterer, niſi oppoſitum mea, & aliena infelicior me docuiſſet experientia.

Sed & alterum experimentum dat anſam huic dubitationi, nempe quod intra cavitates Inteſtinorum nec ſtabuletur, nec forte percurrat ab aliis procedens partibus Fermentum febrile, cæteroqui per Lacteas ſecundi ſaltem ordinis, & per Lymphaticas, in cruorem delatum. Iſtud autem petitum eſt ab uſu Peruviani Corticis, qui, quocumque modo agat, & Fermentum febrile corrigat, illud profecto melius, & facilius corrigeret quatuor, aut quinque horis ante febrilem acceſſum exhibitus (quo tempore corriperet omni ſua vi idem fermentum proxime ingreſſurum in Lacteas) quam aliis temporibus a paroxyſmo diſtantibus, quod tamen ſecus contingit: conſtat enim experientia, Chinam Chinam exigere pro ſua operatione tempus utplurimum horarum vigintiquatuor, ante adventum paroxyſmi inhibendi. Cum ergo China China etiam valide adminiſtrata, neque inſtante, neque invadente, bene vero diſtante, et ſupra, paroxyſmo, ſuam exerat operationem, neque agat in materiam futuræ acceſſionis, niſi poſt horas longe plures; ac exigat correctio rei exiſtentis in cavitatibus Ventriculi, aut Inteſtinorum, ſignum eſt, ab illa non corripi eamdem materiam intra Inteſtina, ſed ab ea quæri in locis penitioribus, hoc eſt ſaltem intra Ductus Chyliferos ſecundi generis, vel altius; & conſequenter, quod in illis potius, vel alibi, quam in cavitatibus Ventriculi, & Inteſtinorum lateat Fermentum febrile.

Hac in re ſi paritate aliqua uti liceat, ſubit obſervare, quod ſi in Ventriculo, & Inteſtinis, ſive ad modicum, ſive ad breve aliquod tempus moraretur ſuccus febrilis benignarum Intermittentium (de malignis enim alibi) vitioſus quidem, ſed non venenatus, adeoque ſolum quadantenus, & cum detractione, ſuſcitaturus turbas, quas ſuſcitare ſolet Chylus aliquis veneno extrinſecus propinato infectus, idem quadantenus in Cu-

ratio-

ratione illi accidere deberet, quod iſti. Sicuti itaque Venenum aſſumptum, quamdiu eſt intra cavitatem Ventriculi, & inteſtinorum (niſi ſit ſumme deleterium) obſequitur utplurimum vomitoriis, etiam mitioribus, & oleoſis, ſicuti & mollioribus laxantibus alvum, eoque ſic educto, ſtatim ſolvitur omnis moleſtia; ſecus vero, ſi ultra primarum Lacteorum valvulas ſit intruſum, adeoque irrevocabile; ita Fermentum febrile benignarum Intermittentium, pravum quidem, ſed non venenoſum, quamdiu in illis cavitatibus degeret, & non ultra (quod profecto, inſtante ſaltem acceſſione, infallibiliter certum foret ob imminentem ingreſſum in Lacteas) deberet obſequi Emeticis, atque Catharticis, ſive mitioribus, ſive fortioribus, & extrahi e corpore, & ſic imminens ſaltem Acceſſus inhiberi. Pariter, ſicuti Venenum propinatum longe felicius, ac citius corrigitur a ſua ſpecifica Antidoto ſtatim ab epoto Veneno, vel paulo ante ipſum epotum aſſumpta, quamdiu ſcilicet eadem Antidotus immediato contactu intra Ventriculum, & Inteſtina poteſt illud infringere, quam ſi in penitiores Chyli vias idem ſeſe inſinuarit: ita materia febrilis imminentis paroxyſmi, noxia ſaltem, ni venenata, longe fortius, ac melius corrigi deberet a ſpecifico Febrifugo Peruviano, ſi iſtud exhiberetur tempore illo, quo in dictis jam cavitatibus eadem materia eſt integre cumulata, & Lacteas ingreſſura, adeoque parata ad ſuſcipiendam immediato contactu illius actionem, quam ſi alio tempore propinaretur, dum eadem materia in Pancreatico, vel Choledoco ductu adhuc obſtructis, intime reconderetur, & forte in ipſis Pancreatis, aut Hepatis glandulis, tamquam in ſua ſcaturigine, eſſet quærenda. Et tamen, ut diximus, aliter evenit, meliuſque inhibetur quo magis diſtat, quam quo propinquior eſt paroxyſmus.

Non eſt tamen ideo, quod excludam Ventriculum, Inteſtina, & Lacteas primi ordinis ab omni ſuſpicione, quod præbeant vel ſedem, vel ſemitam materiæ febrili in ſanguinem deferendæ, quia nempe neque per purgationes, neque per vomitiones, aut ſpontaneas, aut artificiales illa educatur: cum me non lateat, etiam venena in Ventriculo exiſtentia neque per vomitum ab iiſdem excitatum, neque per ſolventia, aut emetica propinata *ſemper* extrahi, aut impediri, ne migrent in lacteas; immo ab iiſdem ſi fortiora ſint, & acrioris naturæ, ipſum Venenum acui, & deterius reddi. Quare potius ex hoc deducitur, quod febrilis quoque materia, etiam in primis latitans viis (cum ex ſe ipſa ſæpe emetica, atque cathartica ſit, etiam cum benigna eſt) tantum abeſt, ut ab emeticis, & catharticis educatur, quin potius, tamquam a ſimilibus, ad nocendum adjuvetur: &, ſiquidem per eas vias ſit educenda, potius tentandum id ſit blandioribus remediis, ut oleo amygdalarum, ſero lactis, & hujuſmodi, quam irritantibus, ut in venenorum eductione facere conſueſcimus: potius, inquam, infertur hoc, quam quod ullo pacto ibi non lateat talis materia.

Sed adhuc poſito abſolute, quod eadem ibi hoſpitetur, ſive per modum permanentis, ſive per modum tranſeuntis, immo poſito, quod illa mediis ſolventibus, aut vomitoriis, educi non modo poſſit, ſed & revera educatur, datoque per conſequens, quod materia illa, quæ in exordio acceſſionis per vomitum exit, quæque, ſoluta acceſſione, poſtridie per catharticum educitur, non ſit aliquid diverſum a materia febrili, per vim expreſſum, & a quolibet ſano homine, cui emeticum, vel catharticum (ſæpius cum damno) propinetur, facile educibile, ſed ſit ipſa materia febrilis acceſſionem proximam productura: cum tamen eamdem acceſſionem vere non tollat, aut remoretur, quin potius intendat, ac augeat, ſignum eſt ſaltem, quod loco materiæ eductæ nova jugiter ex perenni aliquo fonte ſuccreſcit (ut demonſtrat irrita quævis, etiam epicratica purgatio) nova pariter gignens incommoda. Quamobrem his ſtantibus cuique non præoccupato ſat obviis, inferendum videtur, ſuccum febrilem, etiamſi in Ventriculo, & Inteſtinis ſedem teneat, nec poſſe radicitus a remotiore aliqua ſcaturigine ſua, Inteſtinalem ipſam mineram inſtaurante, nec debere, etiamſi poſſet, educi. Eſt enim ille probabiliter ſuccus quidam naturalis, ſuumque circulum, & peculiariter, & cum univerſaliore ſanguinis circulo, junctis invicem fluminibus, agens, qui tantum per accidens a ſua craſi deſciſcit, & deſci-

ciſcit totus (ſive acida , ſive alius generis ſit illius dyſcraſia , & ſive ex intrinſecorum principiorum vitio , ſive ex heterogenearum , & alienigenarum particularum intima comixtione illa procedat) adeoque non evacuari , non agitari , non exaſperari ; ſed leniri , corrigi , & alterari tantum indiget , ſive per viam abſorptionis , ſive alio quolibet attemperationis modo , ut ſtrenue a China China fieri videmus , quotieſcumque conſtans eſt illius uſus , nec maxime refractaria (quod in quibuslibet morbis nonnumquam contingit) totius ſucci peccantis , viſcerumque illum perperam elaborantium , dyſcraſia . Poſito itaque , ut redeamus in viam , non repugnare abſolute , quod fermentum febrile in ipſo quoque Ventriculo , & inteſtinis ſtabuletur : omnes propterea , quotquot ſunt , primas vias comprehendemus inter loca , quæ probabiliter ſedem , aut ſemitam præbent eidem fermento febrili in ſanguinem ingreſſuro . Interim conjecturas , quæ favent illius ingreſſui per lymphaticas , & per lacteas ſecundi potius , quam primi generis , retuliſſe non pœnitet .

Sexto , cum intra Vaſa Chylifera , Chylo lymphica (quo nomine Lacteas Lymphaticas , & intra Glandulas iiſdem Vaſis interpoſitas , atque utriſque communicationem præbentes , non alii latices admittantur , quam Lympha , & Chylus (forſan & adeps) dein cum Chylo conjuncti , quin & ab eodem disjuncti , Succus Bilioſus , Pancreaticus , Salivaris , & quotquot a Glandulis Inteſtinalibus , quas *Peyerianas* vocitant , proficiſcuntur : in iſtis porro ſuccis , vel omnibus , vel quibuſdam præternaturaliter alteratis , aceſcentibus , ſtagnantibus , fermenteſcentibus , aut alio quovis pacto vitiatis , periodice autem , ac regulariter (typo ſcilicet variis febribus correſpondente) influentibus , proxima Intermittentium materia videtur probabiliter debere conſtitui . Quod ſi verum foret , quod ſupra ſuſpicati ſumus , nempe fermentum febrile , ne per modum quidem tranſeuntis , perluere cavitates Inteſtinorum , atque Ventriculi , in tali caſu vix ullus locus eſſet imputandi cauſam febris aliis ſuccis , quam Chylo , & Lymphæ , iiſque intra penitiora tantum vaſa vitiatis . Alios nihilominus ſuccos modo recenſitos plurimum conferre ad vitiandum ipſum Chylum , & Lympham , & conſequenter ad acuendum ipſum febrile fermentum , quin & ad multiplicanda , atque inſigniter intendenda febrilia ſymptomata ultro crediderim .

Cum vero ſuccі fermentum conſtituentes , quicumque ſint , non videantur poſſe ad tempus inhiberi , ne influant in ſanguinem , niſi per interpoſitam obſtructionem , neque in libertatem priſtinam pluries vindicari , niſi per ejuſdem obſtructionis temporaneam ſublationem , aut apertionem ; hinc eſt , quod vitium peculiare iſtorum fluidorum , & præ reliquis aliis magis certum , videatur eſſe *Stagnatio* eorumdem , eaque *temporanea* , etſi quod poſtrema hæc qualitas , aut conditio adjuncta , quæ regularem ipſius ſtagnationis periodum includit , difficillime ſit explicabilis .

Septimo denique , ex ſententiis omnibus diverſorum Auctorum Capite antecedente relatis , deducitur quidem veluti corollarium quoddam mineram Intermittentium , ſeu congeſtionem febrilis fermenti latere in aliqua ex tribus hiſce Regionibus , nempe vel *citra* ſanguinem , vel *intra* ſanguinem , vel *ultra* ſanguinem ; ſed ex Propoſitionibus a nobis hucuſque præmiſſis potius videtur , in altera ex duabus tantum regionibus enumeratis eamdem Fodinam eſſe conſtituendam , videlicet , vel *citra* ſanguinem , vel *ultra* ſanguinem , non autem *in ipſo* ſanguine ; licet poſtremum iſtud , ut minus veriſimile tantum , nequaquam vero ut abſolute falſum , hic excludatur .

Ex una itaque parte , vel intra totum tractum Vaſorum Lacteorum , & Chylolymphaticorum in ſanguinem tendentium , ſed alicubi forte obſtructorum , ſive in loco aliquo prope Lactearum oſcula conſito , & cum iiſdem communicante , hujuſmodi Minera ſtatuenda erit : vel ex alia parte , in puris Lymphaticis , ab arterioſo , quin & nervoſo probabiliter genere jam inebriatis , atque in ipſum denuo ſanguinem refluis , ſive in eorum remota ſcaturigine , glanduliſve longe diſſitis , erit quærenda . Si tamen poſtremum iſtud ſeligatur , id ſaltem oportet admittere , quod , etſi a principio tam longiquo derivetur febrilis materia , maxima nihilominus ex parte , in memorata jam Chylo-lymphica influat , citra ſanguinem poſita , ut iiſ-

dem

dem mediis in ipſum tandem ſanguinem aſportetur, in quem cæteroqui minores dumtaxat ex parte, a membris ſuperioribus immediate poteſt influere. Ultra hos limites progredi non audeo; licet me non lateat, quantum ad rectum uſum Peruviani Corticis, & ad definiendam litem inſtituendarum, vel omittendarum evacuationum, pro Febrium Intermittentium curatione, conferre poſſit ultima inquiſitio cauſarum febres hujuſmodi producentium. Immo fateor, me quondam hac de cauſa, prævиis iiſdem Theorematis, quæ ſupra expoſui, altiorem hujuſce rei tentaſſe indaginem, Icario tamen auſu, nec ſorte multum abſimili. Utcumque, incertos, aereoſque, ut ſic dicam, mentis volatus, in medio demum itinere collabeſcentes, qualitercumque referre non piget.

Illuſit itaque mihi aliquando phantaſma quoddam, quo, mecum ipſe conſiderans, ab ulcere, vel abſceſſu glandularum Meſenterii Febres lentas, & continuas fieri, quæ prius glandulis iiſdem tumentibus tantum, & obſtructis intermittentes fuere: item animadvertens; quod tuberculo in pede ſuborto, & tumefacta ſubinde glandula in Inguine, diaria febris exoritur, quæ dubio procul periodica fieret, ſi periodice recurreret ejuſdem glandulæ tumor: ad conſimilia poſtmodum conficienda ratiocinia circa Febrium Intermittentium cauſas, per analogiſmum quemdam tranſitum feci, hæc quæ mox ſubdam, commentus. Si aliqua viſcida, & glutinoſa materia ex ipſis Chyli, & Lymphæ particulis crudioribus, & improportionatis genita, intra loculos earumdem glandularum Meſenterii ita *laxe* condenſaretur, ut illac tranſitum omnem, vel fere omnem, tum Chylo, tum Lymphæ impediret quidem ad tempus aliquod, ſed tamen, accedente majore fluidorum momento, liberiorem progreſſum eiſdem concederet, non ita, ut ab illis fluidis penitus ablueretur (id namque non ſineret illius viſciditas, niſi repetito pluries eodem opere) ſed ita, ut ſimpliciter perforaretur, tranſitum ſcilicet pleniori torrenti concedens, eumdemque negans exiliori rivulo, aut ſtillicidio: ſi, inquam, poſitio hujuſmodi, quam in Pancreate olim *Sylvius* adſtruxit, ad glandulas aliquas Meſenterii inſigniores poſſet transferri, profecto longe facilior, & clarior foret hic, quam ibi, tum ſymptomatum omnium etiam infrequentiorum, tum ipſorum etiam Circuituum explicandorum ratio.

Enimvero quod glandulæ omnes, quæ Chylum a vaſis ſuis *deferentibus*, ideſt a Lacteis primi generis, & Lympham a ſolitariis Lymphaticis recipiunt, ut liquorem utrumque ſimul miſſum, quin & in iis adauctum, per Lacteas ſecundi generis, ſeu per vaſa Chylo-lymphica *efferentia*, ultro promoveant ad Receptaculum commune, & inde ad Canalem Thoracicum, facile poſſint infarciri, & obſtrui quadam veluti mucoſitate, glutine, aut pulte, inficiabitur nemo, qui utriuſque laticis inæqualitatem tum abſolutam, tum reſpectivam animadvertat, Chylus ſiquidem ex diverſis, & diſparatis eduliis confectus, & ex pluribus ſuccis Inteſtinalibus illum integrantibus coagmentatus, lentorem facile contrahit, atque craſſitiem, quæ illum intra ſua vaſa, & ſucceſſive intra glandulas Meſentericas ſtagnantem poteſt efficere: Lympha vero mille ob cauſas vel craſſior, vel acidior reddita, non modo eumdem effectum producere potis eſt, ſed & a Chylo productum augere, adjungendo ſcilicet eidem Chylo concretionem ulteriorem, eo pacto, quo ulteriorem craſſitiem aptus eſt adjungere Lymphæ idemmet Chylus: unde non modo ſibi ſuccus quilibet, ſed & alter alteri, motum intra glandulæ loculos valet præpedire, viſciditatemque, ac ſtagnationem mutuam, ubi ſimul coeunt, impertiri. Adde tandem, ab ipſis ſuccis, Bilioſo, Pancreatico (fortaſſis etiam Adipoſo) & glandularum Inteſtinalium, ſolitarie quoque aliquando influentibus per Chyli vias, eamdem, ſi aliquo peccent lentiore, aliave ad ſimul concreſcendum diſpoſitione, in glandulis Meſentericis obſtructionem poſſe produci.

Quod vero hujuſmodi obſtructioni, aut infarctui aliquæ peculiariter ex illis Glandulis, & quidem officio inſigniores, ac notatu dignæ, ſint magis obnoxiæ reliquis, magiſque diſpoſitæ, ſive ob intimæ ſtructuræ compoſitionem, ſive ob aptitudinem ſitus, ſive ob exercitii majorem, vel minorem uſum, ſive ob ſuccorum affluentium copiam pleniorem, aut parciorem, ſive aliam quamvis ob cauſam, facile concedet, qui obſervarit, Strumas frequentius oriri in Collo, quam in Inguine, Obſtructiones in glandulis Lienis potius, quam Hepatis, Inflammatio-

tionem Pleuræ faciliorem esse, quam Peritonæi, Paraplegiam sæpius in sinistra, quam in dextera Corporis parte contingere; & similia, quorum ratio mechanica non est hujus loci.

Quod denique Æstate potius, & Autumno, quam aliis temporibus, ut facilis est Febrium Intermittentium generatio, ita facilis sit hujusmodi Glandularum infarctus, & obstructio, suadent coctiones stomachi imbecilliores, ob enervata universaliter fermenta Chylificationis, & dispositio succorum acescibilium, quales sunt Chylus, & Lympha, ad ulteriorem acorem contrahendum, ut illum facile per eas tempestates contrahunt Vina. Adde & hic concursum aliorum succorum Intestinalium, aptiorum tunc temporis (etiam ratione ambientis externi, in nativa temperie inæqualiter excedentis) ad augendam in iisdem Glandulis Chyli, & Lymphæ improportionem, unde & facilior in utroque latice ad vitiosas ibidem fermentationes excitandas, & successivas præcipitationes, hinc & ad obstructiones gignendas dispositio.

Pro glutinosæ autem obstructionis hujusmodi *alterna* recluſione, atque occluſione, obvium est animadvertere, idipsum sæpiuscule (irregulariter licet) observari in altero ab obstructis bilariis ductibus procedente, ubi scilicet conclusæ bili aliquis nonnumquam reseratur aditus, atque iterum clauditur; perforata videlicet quandoque obstructione ab ejusdem bilis impulsu, eademque obstructione iterum coalescente, quod fæces modo flavæ, modo cinereæ, colorque faciei, & oculorum, modo minus, modo magis citrinus satis patefaciunt. Periodicæ vero, ut sic dicam, occluſionis, & recluſionis ipsius lymphæ a suis Vasis, & Glandulis, specimen aliquod nobis exhibent nonnulli Coryza, vel Rheumate laborantes, qui e naribus affatim, & e pectore insignem lymphæ copiam emungunt, vel expuunt, quasi illam intra capsulam aliquam coacervatam haberent, idque statis horis, puta matutinis, aut vespertinis: ut fileam similia fieri constanti ritu non modo in vasis, & glandulis infarctis, sed & in amplis quoque cavitatibus. Sic, etsi in plurimis inæqualis admodum sit modus, quantitas, & hora assumendi alimenti, tamen in iisdem regularis admodum est hora alvum deponendi, sive quotidie, sive alternis diebus, item hora esuriendi, sitiendi, mingendi &c. intantum, ut & dormientes ob idipsum expergiscantur, licet idipsum non exigat ulla necessitas, sed quædam potius Naturæ consuetudo, ad certas tamen quamvis occultas Mechanices leges exercita. Sic pariter menstruam Mulierum excretionem integro Lunæ spatio, quasi alicubi congestam, parum gnari suspicimus; eamdem vero (quod magis est) quolibet mense per eos institutam, & apud alios legimus, & in duabus Fœminis ipse vidi, quarum altera Phthysi tandem confecta obiit. Admodum ergo mirum forte non erit in casu nostro, quod aperiatur, & vicissim claudatur mollior, recensque obstructio Glandulæ mesentericæ, Ductusve chylolymphici, quando hoc idem, vel simile phœnomenon in aliis casibus observamus; sicut nec adeo mirum erit, quod hoc ad regulam quamdam fiat, quotiescumque hujusce regulæ mechanicum artificium, vel mechanici artificii probabilitas aliqua constare possit, ut infra.

His præmissis, ponamus, dicebam tunc (modo vero dico, fingamus) aliquam ex memoratis Glandulis mesentericis insignioribus ita infarctam esse viscido illo, quod diximus, glutine, ut omnem, vel fere omnem Chylo, & Lymphæ illac fluentibus ultra se Cisternam versus, progressum inhibeat. In hoc casu totum Vas Lacteum (sive autem unum sit, sive multiplex, parum refert) quod ab Intestinis ad glandulam protrahitur, Chylo stagnante replebitur; pariterque Lymphaticum *inferens* integrum, quod in eamdem inseritur, ab exortu suo usque ad eumdem terminum, lympha sua similiter stagnante, utpote exitum non inveniente, sensim repleri necesse erit.

Cum autem Chylus iste sic stagnans assidue non urgeatur ab alio Chylo, quippe inæqualiter, & per interruptas vices influente, & cum influit habente alios ductus patentes, per quos nullo negotio potest insinuari, nullum idcirco patitur conatum (excepto eo levi, quem potest recipere a compressione Viscerum propinquorum, & a Valvulis, tunc tamen feriantibus, Vasis obstructi) nullum, inquam, patitur conatum, vi cujus possit ultro promoveri ad superandum obicem in glandula existentem.

Ne-

Neceſſe eſt ergo, totam vim ad hoc opus requiſitam exerceri ab humore lymphatico, tum fluidiore, tum valentius, atque velocius, ratione validioris impellentis, tum etiam perenne influente. Hoc facile intelligetur, ſi conſideremus, quod Vas hujuſmodi lymphaticum, ut ſupra obturatum, naturaliter quidem ſemper irrigatur liquore ſuo, ſed non ita, ut patiatur repletionem, aut diſtenſionem notabilem, qualem patietur, ſi per injectam ligaturam ſtranguletur, aut obſtruatur. Itaque ſi Vas iſtud tale quidpiam quodammodo patiatur intra glandulam (quantum ſit pro intercipiendo illius liquore) quale patitur ab injecto extrinſecus vinculo, neceſſe erit, quod paulatim totum Vas, ſcilicet interſtitium omne, quod intercipitur a imo illius exortu, uſque ad inſertionem in glandulam, lympha indefinenter influente diſtendatur uſque ad turgentiam inſignem ejuſdem Vaſis, ſeu uſquequo capax illud eſt diſtenſionis: cum rivuli, ſi qui ſint, per anaſtomoſim, vel aliter cum eodem Vaſe communicantes non poſſint ſupplere omnem defectum cauſa obſtructionis illius reſultantem. Et quoniam, repleto Vaſe ceſſat quidem introductio liquoris in illud, ſed non ceſſat, quin potius augetur circa primam illius originem conatus primi impellentis (arteriarum videlicet, ac ſi lubeat, etiam nervorum ibi ſeſe exonerantium) aſſiduam lymphæ ſecretionem, & introductionem in idem lymphaticum molientis, adeoque ſecretam antecedenter, & in ipſo præexiſtentem lympham urgentis, ac indefinenter prementis, accedente etiam aliquatenus valvularum officio, & circumſitorum muſculorum motu: hinc eſt, quod multiplicato per repetitas vices hujuſmodi potentiarum niſu, brevi cedat mucoſum obſtaculum in glandula lenteſcens adhuc, nec ſatis ſolidum, tranſitumque idcirco prementi, atque acrimonia quoque ſua perterebranti liquori concedat, uſquequo durat illius impetus, atque vis perforans, & non ultra.

Cum itaque regularis, & continua ſit ſecretio lymphæ ab arteriis (dicamus & nervis) fieri ſolita, item determinata, plus minus quantitas liquoris ſecerni ſoliti, & determinata pariter capacitas Vaſis liquorem excipientis, ſequitur per conſequens, quotieſcumque fiat, renoveturque hujuſmodi ſumma diſtenſio, determinatum quoque, & fere æquale ſemper eſſe debere tempus, quod requiritur tum ad ſumme diſtendendum, replendumque ipſum Vas, tum etiam ad ſuperandam reſiſtentiam obſtaculi extrema illius infarcientis: ſumendo hoc tempus determinatum in aliqua latitudine, prout ſcilicet magis, vel minus viſcida eſt materia obſtruens, & conſequenter prout citius, aut celerius communicatur extremo liquori glandulam intime attingenti vis, atque preſſio in prima Vaſis origine indefinenter exercita, ubi videlicet impeditam ob incapacitatem Vaſis incaſſum moliuntur arteriæ lymphæ ſecretionem, conamine ſemper fortiore, quo diutius repetito, & fruſtra tentato.

Iſtud autem tempus determinatum intercedens a puncto tranſitus inhibiti ipſius lymphæ uſque ad tempus ſummæ repletionis, ſeu ad tempus ſuperati obicis, quod idem eſt ac dicere totum tempus morboſæ collectionis lymphæ fermentum febrile principaliter conſtituentis, uſque ad tempus excluſionis illius e ſuo carcere, longius, aut brevius eſſe debebit, prout major, vel minor erit capacitas ipſius Vaſis, ſpectato diametro, & longitudine illius, & prout magis, vel minus reſiſtens erit viſcida materia Glandulæ impacta, quæ liquorem in extremo vaſe remorabitur.

Poteſt autem contingere, quod inter plurimas Glandulas, quæ huic vitio peculiariter ſunt obnoxiæ, aliquæ (& quidem numeroſiores) appendantur tali lymphatico, pro cujus extrema plenitudine, & ſucceſſiva contenti liquoris excarceratione mechanice, ut ſupra, facienda, requiratur ſpatium temporis 48. circiter horis circumſcriptum, aliæ vero (minus quidem frequentes) Vas aliud poſſideant, ſive longius protenſum, remotiuſque derivatum, ſive recipiens parcius lymphæ ſecretæ ſtillicidium in ſuo principio, cui ideo pro eodem opere, ſummæ videlicet repletionis, &, quod magis eſt, ſucceſſivæ recluſionis, ob majorem primi impellentis diſtantiam, vel ob illius minorem niſum forte difficilioris, neceſſarium ſit intervallum horarum circiter 72. & aliæ denique ſint (nec ipſæ quidem numero plurimæ) quarum Vas ad idem opus non exigat plus quam horas 24. Et ſic periodus Tertianæ febris ceteris frequentioris.

Quar-

Quartanæ minus frequentis, & Quotidianæ pariter rarioris, poterit haud difficulter intelligi. Quod si duæ Glandulæ sustinentes obstructionem horarum 48. seorsim successive obstruantur, itaut una hodie, altera cras idem vitium capiat. Tertiana duplex duplicem habens Focum emerget. Si duæ, aut tres Glandulæ ex iis, quæ sustinent suum, ut sic dicam, infarctum ad horas 72. diversis successive diebus infarctum similem suscipiant. Quartana duplex, aut triplex orietur; & hac proportione fient Hemitritæi, aliæque Febres Complicatæ. Non tamen absolute negaverim, pro varia glutinis obstruentis visciditate, & consistentia, itemque pro varia humoris gluten ipsum perterebrantis acie, diversas Febrium Intermittentium species ab una forsan, & eadem insigniore Glandula obstructa posse pendere, sicut & varias forsan ejusdem speciei, aut generis Febrium differentias.

Hæc Idea, qualiscumque sit, primam Febris generationem complectens, circuitum pariter illius ob oculos ponet, si perpendamus, quod superato per vim, ut supra diximus, obice, extremum Vasis intra Glandulam obturante, liquor quidem excarceratus per viam recenter apertam facile dilabitur, nec finit iterum gluten illud coalescere, quousque durat illius impetus, quin potius ipsi Chylo intra Lacteum similiter occlusum stagnanti aditum referat per eamdem Glandulam, ut eum secum rapiat; & per Chylo-lymphicos *efferentes* Ductus cum eodem ad Cisternam properet, & dein in sanguinem delabatur: attamen cum brevis, & temporaneus sit hujusmodi torrentis etiam lentioris affluxus, necesse est, quod conniventibus denuo iisdem Vasis, Lacteo videlicet, atque Lymphatico, idem mucus tum ipsi Glandulæ, tum Vasis lymphatici antecedenter obstructi oris extremis adhærens, ad novam concretionem disponatur, cessante, ut dictum est, impetu illum perforante solum, non abluente, vel absergente, & succedente, loco torrentis lymphatici jam jam exhausti, lento tantum, ac enervi lymphæ recenter secretæ stillicidio, novam perforati antea glutinis concretionem nequaquam impedire, aut superare valente. Et quoniam idem vitium nativum, vel crassitiei, vel acoris in lympha a primitivis suis causis adhuc fovetur, sicut fovetur in Chylo (præsertim tempore morbi) eadem ac antea prava dispositio multoque magis in fermentis, & succis ipsum Chylum actuantibus, & ex parte integrantibus: hinc est, quod concesso per vim transitu liquori urgenti, & perforanti, paulo post idem facile recurrat impedimentum, & vitium, remanente scilicet in parte obstructa portione adhuc maxima Causæ conjunctæ, integroque etiamnum superstite in fluidis Causæ antecedentis vigore. Cum itaque stato tempore, ut supra, eamdem fieri collectionem, & successivam effusionem febrilis Fermenti necesse sit, stato quoque tempore renovari opus erit febrilem Circuitum. Hujusce rei rude quoddam specimen in Ictericis, in Rheumate affectis &c. passim observari jam supra notavimus.

Quo pacto vero lympha aliquo modo jam peccans, postmodum diu detenta, item Chylus tot succis fermentescibilibus (quales sunt in primis Bilis, & succus Pancreatis) imbutus, diutius stagnans: quantulacumque sit illius portio: adeoque, dum stagnat, ferme corruptus, possint, dum Chylo-lymphica pervadunt, Receptaculum commune, & Canalem Thoracicum, incommoda omnia producere, quæ Febrem incipientem comitari solent, qualia sunt Horror, Rigor, Frigus, Dolor dorsi, & lumborum, Vomitus bilioſi, alvi Fluxus &c. quilibet ex se facile potest conjicere.

In sanguinem vero suapte etiam fortasse natura tunc male constitutum, delata hæc omnia, quomodo in eo effervescentiam febrilem excitare valeant, tamdiu duraturam, quamdiu succus febrilis subigatur, & redigatur ad Naturæ leges, extraneis jam talibus spoliatus, per diaphoresim, diuresim, aut alia quavis via excernibilibus, optime novit quilibet ex pauxilla puris portione, ab ulceribus etiam externis in sanguinem absorpta, Febres quamdam quoque periodi speciem habentes identidem suscitari observavit. Sed de his adhuc aliquid Capite octavo.

Hæc, & alia plurima, Sylvianam quodammodo hypothesim a Pancreaticis ad Mesentericas Glandulas transferentia, menti quondam meæ observabantur, quibus modo, cum nimiam compositionem sapere, nec satis simplicitati Naturæ, etiam

etiam errantis, reſpondere videantur, nequaquam acquieſco; ſed illa, ut manca tantum, & imperfecta profero. Sat ſit eadem adumbraſſe, ut, ſi rudem aliquam, ac indigeſtam veritatis ſpeciem in illis quiſpiam reperiat, ulteriori cultura ad meliorem frugem reducat.

Poſſet equidem fortaſſis adhuc ambigege nonnemo, ut alias tetigi, an Febrile Intermittentium Fermentum ſit quid *exoticum* a partibus, vel quibuſdam, vel omnibus proficiſcens, *& a Venis* cum ſanguine refluo potius, quam a *lymphaticis* abſorptum, atque ad corporis interiora delatum: quod, licet ægre crediderim, aliquo tamen pacto congrueret cum iis, quæ dixi, & mox dicturus ſum de probabili quoque illius ſede in aliis Glandulis, etiam circa corporis ambitum, & viſcera conſitis, cum diſcrepantia tantum circa vias, per quas inde transferatur in ſanguinem. Poſſet quoque ſuſpicari quiſpiam alius, an Fermentum hujuſmodi ſit ſuccus quidam peculiaris nobis adhuc *ignotus*, qui vel per ſemitas ordinarias Chyli, & lymphæ *per vim*, *ac præter naturam* intrudatur, vel per *occultas*, & *nondum patentes* (quandoquidem ſunt, ut reor, in corpore noſtro ſucci adhuc ignoti, & ignotæ viæ) ut exinde pariter deferatur in ſanguinem. Sed hoc eſſet explicare ignotum per ignotius. Quamobrem, ſepoſitis iis, quæ nondum patent, ſi revera illius natura, & exiſtentia *in ſuccis*, *& locis notis* ſit quærenda, præter ea, quæ ſupra retulimus, non plane quoque diſpliceret materiam febrilem, cujus germanam indolem deſignare arduum quam maxime ſemper erit, ab univerſo corporis ambitu in centrum ejuſdem per vaſa lymphatica derivare, hoc eſt a Glandulis conglobatis, ſive omnibus, ſive ſaltem aliquibus univerſi corporis, & viſcerum illius, unde prima lymphaticorum origo: ut per hujuſmodi ſemitas, ab eadem corporis, & viſcerum peripheria, in ipſum ſanguinem, quaſi in centrum, ſimultaneo quopiam, & periodico confluxu, difficulter tamen explicabili, adduceretur, immediate quidem reſpective ad lymphatica ſuperiora, mediate vero per Ductus omnes Chylolymphicos, reſpective ad inferiora, & media. Sic ſaltem congrua haberi poſſet explicatio illarum Febrium mitioris indolis, quæ cum rigore, & frigore, ſine ullo alio inteſtino tumultu ſolent invadere, & univerſali demum ſudore facile ſolvi. Sed, ſi cui non ſatisfaceret pro explicandis Symptomatis Tertianarum in infimo Ventre maxime obſervabilibus ea, quæ poſſet adduci, irritatio facta a fermento febrili in Cyſterna Chyli, aliiſque Lacteis ſecundi ordinis, is ad ſalvandos enormes vomitus, motumque Ventriculi inverſum, & Inteſtinorum antiperiſtalticum explanandum, a Lactei primi ordinis, & a ſuccis omnibus inteſtinalibus illac fluentibus, præſertim vero a bilioſo, adjumentum quærat.

Si vero de explicandis perſpicue hujuſmodi ſymptomatis in prima paroxyſmorum invaſione fere perpetuis, & circa infimi Ventris confinia valde conſpicuis, ſit minus ſolicitus, influxum ſucci febrilis in ſanguinem, quem nos acervatim fieri poſuimus, ipſe paulatim factum (cæteroqui non improbabiliter) ſtatuat, ſuccumque ipſum febrilem a quavis affecta corporis glandula, modo hac, modo illa, modo una, modo pluribus, cum Auctoribus non paucis derivet, ſtillicidio quidem aſſiduo, ſed cruoris excandeſcentiam periodicam, noxiæque materiæ ſenſim congeſtæ expulſivam non inferente, niſi donec ſuccus peccans fuerit intra cruorem ipſum ad turgentiam collectus. Quod quidem pro diverſitate loci, ſeu Glandulæ ſuppeditantis, & pro varia liquoris, pari poſtmodum proportione in ſanguinem influentis, quantitate, modo per breviora, modo per longiora, ſemper tamen ab invicem æquidiſtantia, temporis intervalla, repetitis ſubinde vicibus, poſſe contingere, haud arduum erit intellectu.

Pro reddenda autem ratione ſaltem aliqua ſymptomatum in infimo præſertim Ventre, lociſque propinquis invadente paroxyſmo apparentium, poterit is fortaſſe dicere, ſanguinem tunc præter naturam fermenteſcere incipientem, in primo illo conatu ita turgeſcere intra ſua vaſa, ut valeat obſiſtere novo ſucco febrili, ſive per Lacteam thoracicam, ſive per ſolitaria lymphatica perenne affluenti, prohibendo ſcilicet, ne tunc temporis ſuccus iſte recenter adveniens ſuperare poſſit obſtantem valvulam, ad oſtium Canalis thoracici in Subclaviam tendentis appoſitam, vel aliam quamcumque excipiendo lymphaticorum tributo deſtinatam, atque ab eodem fermenteſcente, & contranitente cruore compreſſam. Sic Padus tumens, furens, & ad latera premens nec Gabelli, nec Scultennæ

rennæ consuetum facile admittit vectigal, sed illud repercutit. Sicuti autem minora illa flumina intra aggeres suos repulsa, & detenta, plurimas in circumsitis locis excitant turbas, ita & succus febrilis si repercussus, & intra occlusum Canalem Thoracicum, Chylique Lacunam, vel intra quævis solitaria lymphatica per vim coercitus, cum neque ultro propter inhibitum illius progressum, ut supra diximus, neque retro propter inferiorem portionem sursum urgentem, & propter obstaculum valvularum regressum prohibentium, viam sibi parare queat, interimque a stagnatione sua ulteriorem acrimoniam adipiscatur, potis erit suscitare in præcordiis, stomacho, & alibi, angores, vomitus, irritationes, aliaque incommoda, quæ in iisdem locis tunc temporis observantur. Enimvero tumultus non longe minores, immo illis non parum analogos ob eandem fortasse rationem, nonnunquam excitare ibidem solet simplex Chylus, si quando ex cibo paulo ante Accessionem exhibito contingat intempestiva protrusio illius in sanguinem, fermentescere, ut supra, atque tumescere incipientem, ipsique propterea Chylo, quo minus libere possit ingredi, aditum præcludentem. In universa hac rerum serie, atque congerie, Veteribus ipsis, cæteroqui coligantibus, non prorsus ignota, tota ratio Intermittentium posita videtur; & hanc persequi fortasse non foret inutile, si omnium humorum peculiarem motum, statumque tempus Circuitus particularis eorumdem distinctius noscceremus: inde namque explicandæ quoque periodi modus forsitan aliquis plausibilior eluceseeret. Sed hic est Scopulus, ad quem infeliciter allidunt omnium Opinantium Naves in hoc Mari vela facientium.

Retenta itaque pro nunc hypothesi probabiliore, & universaliore, scilicet; quod humor febrilem efferveseentiam periodice inducens, sit succus aliquis per accidens tantum vitiatus, & vel prævia stagnatione per intervalla *statim* sanguini affusus, vel congestione *paulatim* aliunde suppeditata, per intervalla pariter in eodem turgescens, qui propterea suam sedem, aut semitam habeat, vel citra ipsum sanguinem, hoc est circa pylorum, intestina, & lacteas utriusque generis (ut omnia primæ regionis loca indiscriminatim comprehendamus) vel ultra eundem sanguinem, hoc est in Glandulis, Vasisque lymphaticis, haud difficile erit conjicere, quomodo China China possit (quod est intentum nostrum) materiam febrilem, vel alterare, ac emendare in ipso suo Foco, vel intercipere, atque corripere in medio itinere, priusquam in sanguinem deferatur, nulla sensibili præter consuetas facta illius evacuatione.

In primo siquidem casu, cum China China diutius immoretur intra cavitates Ventriculi, & Intestinorum: quod segnior ramentorum illius excretio, & sæcum tinctura satis patefacit: item, cum ductibus omnibus Chyliferis secundum minimas sui particulas adhæreat, eosque lentius pervadat, poterit nullo negotio febrilem laticem ibidem conditum infringere, combibere, retundere, & ad naturalem crasim reducere, vias ipsas, Glandulasque Chylo-lymphicas abstergere, ac reserare, aliaque hujusmodi diuturno usu præstare, quæ materiam, & occasionem febrilem, nec non *ipsius* quandoque *occasionis initium*, ut verbo *Hippocratis* utar, sine ulla excretione admodum sensibiliter adaucta, valeant submovere:

In secundo vero casu, ubi fermentum febrile supponatur radicari ultra sanguinem, videlicet in glanduloso, lymphaticoque Systemate, cum istud e sua, ut ajunt, Minera dupliciter possit in sanguinem influere, nempe, vel mediate (& quidem magis abunde) per Chyli vias secandarias, vel immediate (& parcius) per ipsa lymphatica, statim in eundem sanguinem se exonerantia, dupliciter quoque poterit suscipere extra ipsum sanguinem actionem Corticis, & ab eo debitam alterationem recipere, uno nempe loco intra Receptaculum chyli; cæterosque illius ductus lymphæ communes in sanguinem tendentes, in quibus idoneam pariter, ut in primo casu, potest recipere a Cortice alterationem: & siquidem Minera ipsa remotior non plane attingatur, correcta tamen assidue per continuationem remedii nova fermenti illuc affluentis portione, a glandulis etiam longinquis subministrata, ipsa demum corrigi potest, aut exhauriri remota scaturigo. Altero vero loco correctionem suam potest a Cortice sortiri febrile fermentum ultra sanguinem stabulans, videlicet in ipsis glandulis, viscerum, & corporis ambitum, aliumve quemvis locum occupantibus, unde lymphaticorum origo, vel propagatio: quandoquidem ad extremam hujusmodi glanduloſam provinciam pot-

est

eſt pertingere ipſa tenujor ſubſtantia, tinctura, & actio Corticis, mediantibus arteriis in glandulas definentibus, quæ arteriæ ipſum forſitan febrile fermentum (non excluſo, ſi cui lubeat nervorum miniſterio) iiſdem glandulis antea ſubminiſtrarunt. Facile namqne concipere poſſumus, non modo, quod materia lymphatica in ſanguine (majore ſaltem ex parte) reſidens, quæ febrilis quoque fermenti glandulis imprimendi materia futura eſt, per Corticem alteretur, atque demulceatur: verum etiam poſſumus intelligere (quod mihi quidem magis arridet) quomodo eædem minimæ Corticis particulæ, ſub chyloſo vehiculo etiamnom integræ, ſuaque virtute pollentes, ſanguinem tranſmeent, illo intacto, videlicet eum notabiliter non immutando, ſuamque vim integram ſoli fermento imprimant ultra ipſum ſanguinem, ſive in glandulis, ſive ubivis exiſtenti, atque ibidem per eas abſorpto. Quod ſi etiam ipſi ſanguini taliter impreſſam quis velit Corticis virtutem, ut illum balſamico quopiam robore muniat adverſus fermentum ab extrinſeco undelibet adventurum, is, licet me plane conſentientem non habeat, actioni tamen Corticis citra ſenſibilem evacuatiouem febrifugæ plane favebit. Et hæc quo ad virtutem Corticis agentem contra fermentum, ſuum Focum, ſive, ut ajunt, ſuam Mineram agnoſcens, vel citra, vel ultra Provinciam ſanguineam.

Quotieſcumque vero intra ipſum cruorem immediate *orta* ſimul, atque *congeſta* ad turgentiam credatur, quouſque efferveſcat, febrilis Intermittentium materia (etſi hoc minus veriſimile reputem) adhuc facilior erit explicatio actionis Chinæ Chinæ in ipſum cruorem, nulla ſenſibili evacuatione ſubſequente; ſive id fiat per hoc tantummodo, quod illa fermentum febrile combibat, ac abſorbeat, ſive illud juxta *Conygium* diſgreget, atque diſpergat, ut Aquæ ſalſæ retundit aciem Aqua dulcis affuſa (quo pacto non inepte fortaſſis explicaretur diſpoſitio cruoris ad remorbeſcendum, quatenus ſcilicet eadem facile renovetur; ni impediatur per continuationem Remedii, ſalium febrilium coacervatio, priorque unio) ſive alio quovis modo ejuſdem fermenti energiam reprimat; quæ res, cum multifariam poſſit contingere, difficile eſt definire quo pacto præciſe contingat, interque varias probabilitates veritatem, quæ una eſt, exacte ſeligere.

Cum tamen aliquo ex prædictis modis ſe habere fermentum febrile certum videatur, æque certum per conſequens eſt, aliquo ex iiſdem modis haberi correctionem illius a Peruviano Cortice. Cumque vitioſus latex, qui tale fermentum conſtituit, vel in ſe continet, debeat redigi ad naturæ leges, vel per efferveſcentiam febrilem (reſtitante plurima illius portione utili, ſecreta vero inutili) vel per alterationem medicamentoſam, quæ ipſam portionem inutilem magna ex parte rectificet per ſolam contrariarum qualitatum alterationem, ſeu per vim occultam, provenientem a tota ſubſtantia, ut ajebant Antiqui; ſive denique, ut ſenſibilius loquamur, per variationem texturæ particularum minimarum febrile fermentum componentium, habitam quomodolibet a commixtione particularum minimarum Corticis; hinc eſt, quod nulla, vel pauca evacuatione ſit opus. Etenim, quandocumque etiam ad correctionem fermenti aliqua requiratur particularum ejus abſorptio, præcipitatio, & excretio, bene poſſunt hæc omnia integre haberi a China China; cum enim malitia fermenti febrilis conſiſtat in pauca mole (quod bene novit, qui novit, quam pauca ſint magnorum etiam morborum ſemina) poteſt ultro excerni, quod excernendum eſt per illas evacuationes, modo ſudoris modici, modo alvinæ dejectionis, modo (quod frequentius eſt) urinæ notabiliter adauctæ, & immutatæ, quæ poſt depulſas ope Corticis febres quotidie obſervatur. Sane poſtrema hæc evacuatio, lotii ſcilicet ſenſibiliter aucti, atque concocti, evidens eſt, ac perpetua; ſanguiniſque deferveſcentiam, atque deſæcationem aperte teſtatur; non quidem fortaſſe quia China China agat immediate intra ipſum ſanguinem, ſed quia agit intra Ductus Chylo-lymphicos, quorum latices dum corrigit, & primam ſic coctionem juvat, mediate ſaltem juvat & alteram, quemadmodum videmus ex ſola fermenti ſtomachici correctione debitam ſtatim urinarum coctionem ſubſequi. Quod eo facilius in hoc caſu ſuccedit, quoniam, impedita per Chinam Chinam nova ſanguinis conſpurcatione, ille facilius ſe expedit ab inquinamentis antea ſuſceptis, unde urinarum concoctio, earumque uberior proventus emergit.

git. Quid ergo de aliis copiosis excretionibus, quæ secundum *Hippocratem* -- *non multitudine sunt æstimandæ* -- sumus soliciti, cum, quid illæ per Artem institutæ conferre possint ad curationem Intermittentium, plane ignoremus?

Propterea (iterum repeto) numquam mirari desinam, quomodo in tanta rerum, & opinionum caligine circa Intermittentium causas, earumque sedem, quo nodo, inquam, Virtus Febrifuga Corticis per experientiam clara, tuta, certa, & evidens, quibusdam suspecta reddatur, eo quia nihil insigniter evacuando, doctrinæ Febrium, causarumque earumdem non satis videatur quadrare. Hoc sane nonnisi ex defectu experientiæ potest procedere, & ex defectu fidei erga experientiam alienam, ne dicam etiam ex carentia peritiæ in administratione remedii, si quando illud, vel unica tantum vice, vel bis ad summum, vel pluries quidem, sed parcius quam par sit, præscribant, vel si exhibeant admixtum Catharticis, ad evacuandam, ut opinantur, simul & semel materiam morbificam, vel si eadem Cathartica propinent postridie, aut paucis elapsis diebus ab exhibito Cortice: signum evidens infirmioris experientiæ, tum in illis, tum in Auctoribus omnibus, qui talem Methodum docent, utpote qua nil certius ad revocandam febrem, ut alias dixlmus, utque luculenter testatur *Restaurandus* his verbis -- *Si nonnulli Chinam Chinam usurpantes, ejus ope febres non expugnant, id illorum imperitiæ adscribendum est. Hodie Chinam Chinam exhibent, postridie purgans porrigunt. Qua die illa data est, febris desinit; purgans autem de novo paroxysmum accersit: adeo sibi invicem adversantur. Ego illam absque successu numquam exhibui. Si cæteri Medici voto exciderint, procul dubio id illorum culpa contigit.* Si non hanc culpam, saltem cautelam abstinendi a quocumque solvente vel levi post usum Corticis, fassus est *Sydenham* ipse, purgationi quondam addictus, in postremis suis Epistolis clara ista protestatione -- *Advertendum autem, quod, cum de Febribus Intermittentibus olim agens, Ægrum sublato morbo sedulo purgatum iri admonuerim, hoc intelligi velim de iis solum febribus* (rectius forsan de nullis) *quæ, vel sponte sua, vel alio, sive medicamento, sive methodo, præter Corticem Peruvianum, erant debellatæ. Etenim curatio, cum huic remedio, de quo jam loquor, innitatur, purgatione nec eget, nec eamdem plane fert. Ita potenter dictus Cortex sine ope Catharticorum non solum paroxysmis, sed & discrasiæ, quam corpori iidem infixerunt, subvenit. Vitandæ itaque ante omnia evacuationes qualescumque, cum vel blandissima catharsis, quinimmo Enema e lacte saccharato* (hæc autem cautela est nimia) *in morbi discrimen certissime, forte in morbum ipsum, denuo Ægrum conjiciet.*

Quod si nihilominus quispiam contenderet, succum febrilem Lacteas alicubi subeuntem non esse liquorem per accidens tantummodo vitiatum, solitumque in statu naturali illac cæteroqui confluere, cujus proinde crasis solum indigeat alterari, illiusque elaboratio, secretio, aut motus redigi ad Naturæ leges; sed potius vellet, illum esse aliquid plane præternaturale, vel mere excrementitium, insuperque tale, quod omnino debeat, ac possit affatim e corpore, & *elective* ut ajunt, educi, etsi illius extractionem e Minera irritam experiantur quotquot Catharticis, vel aliter evacuantibus medicamentis, Quartanarum *v. g.* (idem dic data proportione de Tertianis, ac Quotidianis) curationem tentant: in hoc casu, unicuique mordicus ita sentienti, relinquendo in primis Methodum suam positam in manu consilii sui, luberet tandem palpum obtrudere, & ad dirimendam litem cum eodem mitius deinceps agere. Quamobrem in rejectam hucusque sententiam per modum concessionis quodammodo descendendo, Antagonistam hujusmodi, si quis forte esset, sic alloquerer. Estne purgandum? Eja, purgemus. Mittendus etiam est sanguis? Mittamus. Omnifariam evacuandum adhuc est? Evacuemus, extenuemus, excarnificemus (non sic forsan supra corium suum luderet Antagonista) At post tot lanienas, saltem incassum, ni cum detrimento patratas, quando tandem Rutam, Serpillum, Verbenam, Chamædrym, quando Mithridatium, aut Theriacam, aliave Febrifuga Specifica, invalida tamen, & inertia comparative ad Corticem, præscribimus, quando carpis Bursam Pastoris, vel Auriculam Muris contusam: quando telas Aranearum, vel Ovi pelliculas digitis admovemus: quando denique Animalcula insontia Ægrorum collo suspendi jubemus, & alias hujusmodi, vel aniles, vel dolorificas nugas,

gas, ante Chinæ Chinæ adventum jam familiares (quarum tamen nullæ materiam febrilem evacuant) uſurpamus, tunc ſaltem, niſi citius, exhibeamus Corticem, ut ſolemne erat vel ipſis meticuloſis Auctoribus, qui tantum ſuperficie tenus Chinam Chinam noverunt Orbi noſtro primum naſcentem : exhibeamus, inquam, tunc Corticem, ſi non alio titulo, certe ob remediorum inopiam ; quoniam non ſine pudore fateri cogimur, ad conterendas, ni ſponte ſolvantur, diuturnas Intermittentes, ſi Corticem demamus, Artem prope deficere.

CAPUT VII.

Uſus methodicus Chinæ Chinæ *in vulgaribus Intermittentibus diuturnioribus, variæque illam præſcribendi formulæ.*

STatuto in antecedentibus Peruviani Corticis uſu, tamquam innocuo, utili, & nonnumquam neceſſario ad profligandas Febres Intermittentes, conſequens eſt, ut vulgatiores, ſelectioreſque illum præſcribendi formulas methodice proſequamur, in gratiam ſaltem Candidatorum Artis : cum cæteroqui ſatis notæ ſint, proſtentque ubique variæ, ac multiplices eumdem præparandi, ac propinandi Regulæ.

Atque, ut a primæva Praxi mea exordium ducam, ipſe quidem, ſtatim ac per obitum Præceptoris evaſi mei juris in Arte Medica, Methodum, quam didiceram, præciſe prout didiceram, & prout a Romana Scheda docebar, ſæpiſſime in uſum deduxi. Itaque, præmiſſis omnibus ex Arte præmittendis, pro certa ſubinde Febrium adhuc vigentium curatione, doſim integram *duarum drachmarum* Corticis ; ex Vino, ut mos erat, exhibebam hora ingruentis Paroxyſmi, & quidem die vehementioris inſultus, ſi Febris *v. g.* Tertiana, duplex erat ; quippe obſervaveram, quod ſi die minoris Cortex fuiſſet exhibitus, correſpondens tantum Paroxyſmus, levior videlicet, inhibebatur, graviore ſuperſtite, ac Tertiana duplici in ſimplicem mutata : ſi vero die gravioris acceſſus propinatus fuerat, minor quidem immediate ſubſequebatur Paroxyſmus, gravior autem correſpondens, non modo ſupprimebatur, ſed & poſt illum alter minor ; nec ullus alius deinceps viſebatur. Quod ſi eadem Tertiana, aliave Febris Intermittens ſimplex erat, nulla animadverſioni huic erat occaſio.

Quia vero, ſugatis Febribus, frequentes Recidivas, quæ ſuboriri conſueverant, ægre ferebam, eaſdem quodammodo mihi reputans indecoras, de iiſdem quoque præcavendis, ſerio, ac ſolicite intra memetipſum cogitare cœpi. Quamobrem ad repellendum pro viribus Febrium reditum, per octo circiter ſubſequentes dies, omni mane *Semidrachmam* pulveris exhibebam per modum alterantis cujuſpiam, ratus, me probabiliter inter paucos dies conſecuturum a Cortice illam humorum, ut ajebant, præparationem, quam alias per plures menſes a centum Julapiis, & juſculis fruſtra quæſieram ; immo, quo certior fierem de prohibenda recidiva, elapſis iterum quindecim, pluſ minus, diebus, utut optime convaleſceret Æger, per alios ſaltem ſex dies *ſcrupulum unum* ejuſdem Corticis ſinguſo mane fumi jubebam, qua repetitione, juxta exigentiam caſuum, quandoque etiam pluries inſtituta ante reditum Febris omnem fomitem, ac omne fermentum pro recidiva ſuperſtes non raro penitus tollebam. Et hac methodo etiamnum utor, ſi quando Febres Intermittentes longiuſculas per Chinam Chinam curare aggredior.

Non abſimili admodum via incedunt hodie cautiores quamplurimi, qui ad tollendam ſenſim, nec uno quaſi ictu comprimendam febrilem efferveſcentiam, ipſum Corticem exhibent a principio per modum levioris alterantis, imminuta ſcilicet ſemper, ac parca doſi (puta ad *Semidrachmam*, vel circiter) idque ſemel tantum in die, tempore, quo acceſſio deferbuit, vel omnino ceſſavit, ſive in forma ſolida, ſive in aqua etiam aliqua ſtillatitia, puta Card. b. Scorzoneræ &c. potius, quam in Vino ; quam doſim ſemper æqualiter ad plures, & plures dies protrahunt, uſquequo nempe Febris extincta ſit, ac ultra etiam, ut præcaveatur regreſſus. Atque hanc quoque methodum in naturis, palatiſve delicatulis, & *in debiliorum Febrium diuturnitate* haud infrequenter, & ipſe teneo.

Sed ſi cauſa Febrium valida ſit, uberior, & contumax, ob metum vero imminentium ſymptomatum, vel ob aliam juſtam rationem congruum videatur, Febrem longas admodum moras non admit-

tentem, ſupprimere, tunc ſatius eſt prius exhibgre doſim integram *duarum drachmarum*, poſtea ſenſim imminuta doſi procedere; ſic namque citius, & infallibilius effectum conſequimur. Neque enim *ſex ſcrupuli v. gr.* pulveris, per ſex ſucceſſivos dies aſſumpti, æquivalent activitati, licet æquivaleant ponderi duarum drachmarum uno hauſtu aſſumptarum; quod, ut maxime verum eſt, ita & maxime notandum in praxi. Hinc eſt, quod unus Medicus, cum *drachmis ſex*, vel cum *unc. ſ.* Chinæ Chinæ, quamlibet Febrem Intermittentem diuturniorem ſanet, & etiam præcaveat: alter vero cum *unc. iij.* vel *iiij.* vix, ac ne vix quidem, id aſſequatur; ſi videlicet primus *drachmas duas* prima vice porrigat (quibus ſolis Febrem immediate ſupprimit) dein poſt unam, vel alteram diem, *drachmam unam* iterum propinet, ac ſequenti die alteram ſimiliter *drachmam*, demumque interpoſito octo circiter dierum ſpatio, *ſemidrachmam* quotidie per alios octo dies continuos exhibeat, qua methodo omnis fere ſemper inhibetur recidiva: alter vero *tres uncias* integras ad *ſcrupulum unum* quotidie (prope inutiliter) impendat. Sane una tantum libra aquæ affatim effuſa par eſt extinguendo ignitorum carbonum cumulo; duæ vero libræ guttatim, & longiuſculis intervallis ſtillantes tractu temporis difficile idem præſtant. Sic purgatio per epicraſim inſtituta, quamquam perſæpe tutior ſit, ac utilior purgatione mediocriter valida, non eſt tamen citior, aut certior, quoad obtinendum ſinem evacuationis. Idem dicendum prorſus de Doſi congrua, & integra Chinæ Chinæ, quoad effectum certiorem pellendi Febres, cæteris paribus.

Practicæ hujus veritatis ope decerni quoque poſſe videtur de uſu liberaliori, prudenti tamen, omnium ferme Alterantium. Horum ſane doſes noſtris temporibus ſunt adeo diminutæ, & in dies diminuuntur, propter neſcio quamdam ſcrupuloſitatem magnorum etiam Virorum, minus tamen Practicæ addictorum, ut ſæpius fortaſſe cunctationi huic imputari poſſit felicium ſucceſſuum carentia frequentior, & fraudatio expectationis noſtræ, quam jure merito nobis indidit longa Patrum experientia, & auctoritas, ſed nimia noſtri ſeculi in uſu practico fefellit cautela. Ad hanc ſuperſtitioſam, ut ita dicam, medendi rationem referri quoque poteſt auſteritas nonnullorum Vini uſum pro Chinæ Chinæ infuſione, ac aſſumptione reprobantium, cum tamen illud, pro complendo hoc opere, cæteris quibuſcumque liquoribus ſine ulla ſuſpicione pſæferri poſſit. Neque enim ab illo, etſi nonnumquam generoſiore, per infuſum tamen Corticem aliquo modo enervato, quicquam detrimenti unquam eveniſſe dignovi, ſicuti nec intereſſe, album ne illud ſit, an rubellum, auſterum, an dulce &c. ut proinde liceat innoxie uti eodem, vel in Febribus plurimum intenſis, teſte experientia, & *Sydenhamii* auctoritate, quem inter cæteros lubet ſeligere. *Neque enim* (inquit ille) *mihi unquam contigit, ut viderem, Vinum, in quo propinatur Certex* (*quod jure quis poſſit ſuſpicari*) *febricitanti obfuiſſe; e contra vero calor, ſitis, cæteraque Febris ſymptomata ut plurimum, poſt aſſumptam hujus remedii quantitatem ſufficientem, mox evaneſcent, Vino haud obſtanti.*

Aliis itidem imitatoribus Methodi, quam ſub Arcani nomine tanti vendidit in Gallia *Talbotius* Anglus, in uſu eſt ſolam Corticis percolatam infuſionem ex Vino, rejecta ipſius Corticis ſubſtantia (ne videlicet ſtomachum gravet) ad *unc. v.*, vel *vj.* propinare, idque aſſidue repetere, interpoſito quatuor ſcilicet horarum intervallo, incipiendo a remiſſione cujuslibet Paroxyſmi (nequaquam vero a principio) uſque ad alterius adventum, & ſic primo ad plures, & plures dies, deinde mane tantum, & ſero, tandemque ſemel tantum in die, ad plures uſque hebdomadas ſenſim procedendo, Febre etiam ſublata.

Sed, ut verum fatear, licet hanc præparationem abſolute non improbem, ſua quippe præſtantia nequaquam carentem, ea tamen minus arridet, non quidem ratione temporis exhibendi Febrifugi, quod potius cum aliis commendo, cum tutius ſit hoſtem fugientem, Febrium nempe, inſequi a tergo, quam venientem aggredi a fronte: ſed primo, quia debilis admodum eſt hujuſmodi modus, & tardioris effectus, immo etiam incerti; ſecundo, quia ſic fieri ſolet inutilis conſumptio remedii præſtantiſſimi, ac in urgentiſſimos caſus ſolicite potius ſervandi, cum pro tali infuſione neceſſaria ſit magna quantitas Chinæ Chinæ, ad uncias nempe ſex, vel octo, ut ipſi fatentur Auctores Galli, pro uno tantum Ægro

per-

perfecte ſanando. Accedit, quod hujuſmodi infuſio, partitis etiam vicibus inſtituta, nonniſi in pluribus Vini libris, longa poſtmodum mora vappeſcentis, poteſt inſtitui: ſiquidem cuilibet unciæ Chinæ Chinæ, una ſaltem Vini Pinta Pariſienſis, continens *unicas xxxij*, immo, ſecundum *Lemerym*, duæ Pintæ ſolent affundi. Quod ſane impendium Corticis ad exceſſum uſque producitur pro morbo vulgari, qui cum exigua cæteroqui Corticis, & liquoris mole curari potuiſſet. Et revera ſolo Cortice tali infuſioni ſuperſtite, rejectoque jam ut effœto, ac inutili, plures Ægrotantes pauperes ſanatos novi, cum tamen pro uno ditiore vix tota, quanta erat, infuſio ſuffecerit. Tanta eſt ſubſtantiæ Corticis etiam per infuſionem præcedentem enervati activitas, & tam debilis eſt activitas ſimplicis infuſionis illius, etiamſi vegeti. Hanc nihilominus Methodum amplexa eſt Gallia fere univerſa, poſtquam ea uſi ſunt omnes Regii ſanguinis Principes, & Sacra ipſa Regis Perſona, cui tamen vere profuit ipſa Corticis epoti ſubſtantia. Edita proinde eſt, ac promulgata eadem Methodus cum approbatione Aulicorum Medicorum, ſcilicet Clariſſimorum *D'Acquin*, *Fagon*, *Le Bel*, & *Du Cheſne*, accedente univerſali aliorum totius Regni Medicorum uſu.

Laudabilior tamen meo judicio eſt mos eorum, qui facta dilutiori, ut ſupra, infuſione unciarum duarum, vel trium Chinæ Chinæ, eamdem non *percolatam*, ſed nonnihil *turbidam*, eadem pariter, ut ſupra, doſi, iiſdemque temporibus, cum non abſimilibus intervallis præbent; qua demum prope abſumpta, reliquæ portioni Chinæ Chinæ in fundo ſubſidentis, novum Vinum, quin etiam tantillum novi Corticis (ut & factitabat *Talbotius*) affundunt uſque ad veteris, & novi pulveris abſumptionem: ſic enim citius, & certius ſortiuntur intentum. Sed neque hoc plane ſatisfaciat, quatenus pro occaſione nimis levi nimium pariter fit Chinæ Chinæ proluvium, nimiſque diu vexantur Ægri nauſeoſa, & frequenter repetita ingrati medicaminis oblatione. Si ferat nihilominus Ægri ſtomachus, nec eum pigeat expenſæ ſupervacaneæ, hujuſmodi methodum improbare noa audeo.

Sunt aliæ plures China China utendi formulæ, ſingulæ ſuo robore præditæ: ex ea ſiquidem patantur Tincturæ admodum efficaces, Extracta pariter non parum activa (plus minus tamen pro ratione menſtrui, ac modi eandem conficiendi) quæ ſicut ſimplicem Corticis ſubſtantiam ſuperant quadam jucunditate ſaporis, efficiuntque ideo, ut aſſumantur facilius, ita ambigo, nec ſine cauſa, an æquent virtute, ac energia operandi, ut quandoque opus eſſet, præſertim ſi hujuſmodi artefacta diutius aſſerventur, immo niſi ſunt valde recentia. Quod ſi auctoritati Famigeratiſſimi *Malpighii*, & aliorum in hoc velimus ſubſcribere, ſanæ tincturæ potius, quam ſubſtantiæ, quippe ligneæ, ac proinde gravioris, ſicut & adminiſtrationis paulatim potius, quam cumulatim inſtitutæ, uſum tutiorem reputabimus. Ego vero ſolicitus de certitudine, & promptitudine eventus, ubi præſertim aliqua urgeat neceſſitas, circa primum caput, meum adhuc votum ſuſpendo, etſi ſatis felicem ſæpiuſcule (haud diffiteor) Extracti pariter, ac Tincturæ experientiam nactus. *Mortonus* tamen in adminiſtrando Cortice exercitatiſſimus, dum Tincturam ſuam ſatis elegantem, neque cum Vini ſpiritu (qui aliorum mos eſt) extractam commendat, eidem nihilominus aliquot drachmas pulveris in ſubſtantia præmittit pro fundamento Curationis. De doſi autem, quod ſecundum eſt, quid ſentiam, jam dixi ſuperius: nec majorem requiri quantitatem in Caſibus *vulgarium* Intermittentium, aut tunc edixerim; reor, utut idem *Mortonus* doſim agere ſoleat, non alio nomine, niſi quia ſpurium, & effœtum Corticem genuino, & integro copioſe mixtum, noſtris temporibus ſuſpicatur. *In Schedula Romana*, inquit ille, *doſis drach. ij. præciſe adultis præſcripta erat: Jam autem quia Cortex adulterinus eſt, coacti ſumut ſaltem unc. j. nonnunquam duas, vel tres ingerere, priuſquam ſcopum attingere poſſimus. Drachmas duas vix jam ſufficere Infantium, ac puerulorum Febribus fugandis, cuilibet in Medicina exercitato notum eſt.* Sic ille. Hujuſmodi autem fraudem in Cortice apud nos Ego, ut verum fatear, nondum deprehendi, eundem nimirum effectum, ac primis temporibus, a conſueta doſi etiamnum reportans.

Pariter cum Conſervis Roſarum, Abſynthii, Violarum &c. admixta China Chinæ, ſpeciei Opiatæ, vel Electuarii utiliter exhibetur; item, quod commodius eſt, cum Syrupo de Abſynth., de

Cortice Citri &c. vel cum ſolutione Tragacanthi, in formam boli redigitur, vel cum ſaccharo, & idoneo liquore coquitur ad conſiſtentiam Syrupi. Sic ego ſæpius tinctura ejuſdem forti in Julapium redacta pueros, quibus amarum ingratum eſt, ni fallantur ſpecie dulcedinis, curare conſuevi. En mea illius deſcriptio.

℞ *Chinæ Chinæ in tenuiſſimum pollinem redactæ unc. j. Irroretur Vini ſpiritu quouſque humeſcat tota, mox infundatur in unc. xvj. Vini albi generoſi. Digeratur in B. M. tepido per biduum, vel triduum, agitando Vas pluries in die, dein facta per linteum valde rarum colatura, cum forti expreſſione (ut portio ſaltem tenuior ſubſtantiæ, Cortici trajiciatur) adde Sacchari albi clarif. unc. viij. Et in Vaſe fictili coquatur lento igne ad conſiſtentiam Syr. Doſis unc. j. unc. j. ſs. unc. ij., & ultra, ſi lubeat.* Julapium iſtud eo efficacius erit, quo turbidius, & ſubſtantia Corticis magis impregnatum, ſecus vero quo magis perſpicuum. Poterit autem in tali caſu, vel ſi adultis ſit præſcribendum, acui, & roborari additione ſubſtantiæ Corticis ad *ſcrup. j.* vel ad *drach. ſs.* pro qualibet uncia, quæ commixtio tempore oblationis valde utilis eſſe poteſt, nec multum incommoda.

Omnibus hiſce modis, quorum unicuique ſua vis ineſt, exhibitionis debita, continuata doſi, tum in Paroxyſmo, ut olim, tum extra Paroxyſmum, ut modo, & quidem partitis vicibus, Peruvianus Cortex, in tenuiſſimum pollinem (quod ungue notandum eſt) probe redactus, Febres omnes Intermittentes fugat, modo citius, modo tardiuſcule, prout magis, vel minus valida, copioſa, aut frequens fuerit illius oblatio. Harum tamen Formularum nulla ex relatis promptiorem ſortitur effectum, quam ea, quæ primum fuerit inventa, exhibendo videlicet *drachmas duas* Chinæ Chinæ per aliquot horas (quod tamen minime neceſſarium) in Vino antecedenter infuſæ; invadente Paroxyſmo, vel, ſi mavis, eodem declinante: ſiquidem in principio acceſſionis metus eſt, ne vomitu tunc temporis facili rejiciatur: illo enim Paroxyſmo tranſacto, certo certius non redit alter. Et ſi conſtanter; ac opportune repetatur remedium modo ad *drachmam*, modo ad *ſemidrachmam* ad plures dies, ſemelque tantum, vel bis in die, prout opus videbitur, videlicet priuſquam ſemiconfoſſus hoſtis vires reſumat, præcavetur etiam recidiva. De reliquo non eſt, cur ſimus admodum ſoliciti de eleganti illius præparatione, niſi id fiat guſtus gratia, vel ob difficultatem aſſumptionis ex parte Ægrorum; tunc enim Tincturas tantum, vel Extracta, aliaſve Remedii contractiones, per infuſionem, decoctionem, expreſſionem &c. cogimur anteponere ſubſtantiæ illius. Extra hujuſmodi occaſionem abſque ullo fuco exhibeatur Cortex; quandoquidem, quocumque modo offeratur, noſtram ſemper expectationem implet, eo fortior, quo ſimplicior.

In hanc rem audiatur *Mortonus*, qui de Chinæ Chinæ Tincturis, Extractis &c. verba faciens, concluſt -- *Audeo palam affirmare, multa, ac diuturna experientia fretus, Chinam Chinam ſimplicem, & in ſubſtantia exhibitam (modo in pollinem ſeu Alcobol arte prius redacta fuerit &c.) certius, ac compendioſius vires ſuas exercere, atque finem optatum attingere, quam ſi multa arte, aut igne torqueatur, ac nativis viribus ſpoliata, more pompoſiſſimo, exhibeatur; adeo ut in iſtis præparationibus oleum, & opera perdatur. Neque cuiquam auctor ero, ut nugas hujuſmodi captando, atque reapſe nihil efficiendo, temporis pretioſiſſimi jacturam faciat.* Alibi pariter idem inculcat, ſic inquiens -- *Febres ſane Subſtantia Corticis citius, ac certius, quam quacumque ſpecioſiſſima ejus Tinctura, Extracto, vel Elixire fugari, atque fugatas ad recidivationem minus aptas eſſe certo certius conſtat.* Quod idem paucioribus his dixerat *Blegnyus* -- *Porro, me judice, ſimpliciſſimæ præparationes, & quæ minus artificium redolent, omnibus præferendæ ſunt.*

Neque tamen primos Chinæ Chinæ Fautores latuere iſtæ, quæ recentiores vulgo reputantur, illam præparandi formulæ; ſiquidem de ipſis expreſſam mentionem facit laudatus *Badus*, qui non modo Extracta, & Tincturas (quas inter celebris eſt, quam profert ex deſcriptione *Jo: Gregorii a Gonzalez* Medici Cæſarei) ſed etiam Sales, & Spiritus ejuſdem, immo & Aquam ſtillatitiam, vel tunc fabrefactam indigitat, de cujus tamen viribus nollem inexpertus quicquam ſpondere.

Sed tanto luxuriantium præparationum apparatu nondum contenta oſtentatio Medica cogitavit adhuc de adjungenda huic Achilli, qui ſibi ſolus ſufficit, aliorum

Me-

Medicaminum inutilium (utinam non contrariorum) ſocietate , ſi non titulo expugnandæ Febris, ſaltem leniendorum Symptomatum : quo nomine laudanum opiatum , ubi præſertim ſymptomatica diarrhæa , vomituſve frequens febribus adjungatur , communiter (nec tamen male) ſolet Cortici commiſceri. At licet injuria cæteroqui annectatur Chinæ Chinæ conſortium cujuſcumque remedii (ubi enim ea convenit, convenit ſola) cum omnium Febrium Symptomata quantumvis gravia , devictis per Corticem Febribus , tollantur penitus ; attamen , ſi cui lubeat eadem addere , non ſine plurimorum Scriptorum auctoritate , addat , licet ut plurimum ſupervacue.

Id unice admittere nequeo , etſi eorum nonnulli facile admittant , aut ſuadeant , nempe quod Cortici ulla Cathartica , utut levia , admiſceantur, vel poſt eam oblatam propinentur ; per ſolos enim Clyſteres repetitos ſatius eſt negotium abſolvere . Uſu namque ſatis didici (quod & a Scriptoribus magis expertis eſt animadverſum) ea ipſa familiaria Remedia , quæ vix , ac ne vix quidem , naturam alimenti traſcendunt , ſuntque convaleſcentibus uſui ordinario ad alvum lubricam ſervandam , ea inquam ipſa , poſt aſſumptum Corticem Febres iterum ſuſcitare . Quamobrem ea certitudine , qua Febris per Chinam Chinam expellitur , eadem pariter per Cathartica revocatur . Quod diutina obſervatione adeo conſtans reperiri , ac adeo perpetuum reputo , ut olim Quartanario cuidam bimeſtri , per Corticem curato , & adhuc nihilominus querulo , quod plura mala ex iſtiuſmodi curatione metueret , quam ex Febre non ſatis diu (ut ajebat) geſtata , impatiens reſponderim , quod ſi tanti Febrim ſuam faceret , ut , ea ſublata , re meliore per me ſpoliatum ſe ctederet , paratus eram illico Febrim ipſam illi medio Cathartico reſtituere . Melius conſultus renuit , & vixit incolumis.

Quoad modum diætandi Ægros tempore Febrifugi oblati , ego (quidquid aliis placeat) eandem ſervari jubeo victus rationem , qualem pro ratione Febris ante Corticis uſum præſcripſeram , ſervato congruo ſemper intervallo inter cibum , atque remedium , quemadmodum in aliis quoque caſibus mos eſt , ut ſcilicet purior , quantum fieri poteſt , ac impermixta deferatur quo tendit ſubſtantia remedii . Neque ex hac praxi ullum unquam incommodum in ſtomaco Ægrotantium , quale deſcribitur ab iis , qui ventriculum jejunum nolunt , ſed cibis refertum , ut melius Corticem ferat , contigiſſe memini. Forſitan id illis accidit , qui quarta quaque hora plures uncias infuſionis Chinæ Chinæ ſtomachum inundantis , aſſumunt . Non ſic certe in præſcriptione mihi familiari . Ingurgitationem idcirco , ac frequentem ciborum præſertim ſolidorum oblationem , quæ nonnullis arridet , in hac ſaltem Regione laudare nequeo .

Intra hos cancellos vulgo ſubſiſtit uſus frequentior Peruviani Corticis , tum quoad doſim , tempus , & modum offerendi remedii , tum quoad Febres , quæ pro ſcopo activitatis illius communiter deſignantur . Innumeras equidem alias Chinæ Chinæ præparationes , atque illius ante infuſionem prævias irrorationes , commixtiones &c. ex plurimis Auctoribus huc afferre poſſem longiori ordine , ſed crambem millies recoctam abnuo recoquere : nonnullas tamen ex iis , quæ præſtantiores creduntur , in gratiam Tyronum tantummodo minime gravabor tranſcribere . Interim , antequam pergam , mihi generaliter dixiſſe ſufficiat , *drachmas duas* genuini pulveris , ſive ſolitarii , ſive aliis Febrifugis aſſociati , & quomodolibet , una vice , tempore idoneo exhibiti ſive in forma liquida , ſive ſolida , ſive in Aquis ſtillatitiis , ſive in Vino (quod Ego , præſertim ſi tenuius ſit , cæteris liquoribus antepono) quamlibet Intermittentem fugare : eundem vero pulverem pro arbitrio , & pro morbi exigentia , parciore doſi ad plures dies ſimiliter exhibitum , ac ſubinde etiam repetitum , ejuſdem Febris reditum ut plurimum prohibere . Ne tamen ſicco pede aliorum præſcriptiones tranſigere videar , vel negligere elegantiores , ut ſpopondi , nonnullorum formulas hic apponam .

Sydenham in *Obſervationibus Medicis* ſimpliciorem hanc habet . ℞. *Peruviani Cort. ſub. pul. uns. j. Conſ. Roſ. rubr. unc. ij. M. Capiat Æger quantitatem nucis moſch. maioris , mane & ſero quotidie , diebus a genuino paroxyſmo vacuis , donec totam confectionem abſumpſerit . Repetatur porro ad tres alias vices , interjectis ſemper diebus quatuordecim* . In Epiſtolis poſtmodum ab eodem conſcriptis , poſtquam experientia profecerat , unciam unam pariter ejuſdem Corticis Syrupo Caryoph. , aut de Roſis

ſiccis commixtam, vel duobus Vini libris infuſam exhibet, duodecim partitis vicibus, ſingulo quadrihorio, tempore intermiſſionis; ea ſcilicet proportione, ut intra duos tantum dies tota quantitas abſumatur, atque octo tantum interjectis diebus, remedium repetit, idque ter, vel quater renovat ad arcendas recidivas.

Idem Auctor pro Infantibus ſequens (ut inquit) Julapium ſolet conficere ℞. *Aq. Ceraſ. nigr. Vini Rhenani an. unc. ij. Corticis Peruviani ſubt. pul. drach. iij. Syr. Caryoph. drach. j. M. f. Julapium. Capiat cochleare unum, alterumve, pro ratione ætatis, quarta quaque hora, donec paroxyſmi non amplius diſcrucient, inſtillando alternis doſibus (ſi diarrhœa adfuerit) Laudani liquidi gut. j. vel ij.* Limpidam autem ex diligenti percolatione infuſionem Corticis, quam pro delicatulis præſcribit, nullius fere roboris eſſe plurima fretus experientia pro certo habeo. Claris hujuſmodi infuſionibus, exigua Corticis virtute imbutis, anteponerem potius Vinum *Monginotii* (cujus tamen nullum mihi fuit unquam experimentum in praxi) paratum tempore vindemiarum ex China China immixta, in pulverem redacta, illiuſque probabiliter viribus media fermentatione validiuſcule impræ-gnatum.

Mortonus autem Corticis ſtrenuus adminiſtrator illum exhibet per octo, decem, vel duodecim vices ad *drach. j.* ſingulo trihorio, vel quadrihorio, tempore abſentis paroxyſmi, modo in forma potus, modo in forma boli, vel pillularum. Quæ quidem doſis ſic repetita, quemadmodum excedere ſolet exigentiam Intermittentium *benigniorum*, ita nonnunquam non æquat, ut ſuo loco videbimus, exigentiam quarumdam *Perniciоſarum*, utut Methodos aliorum efficacia ſuperet. Formulæ autem illius ſunt ſequentes. ℞. *Aq. Card. b. unc. ij. Aq. Epid. Syr. Caryoph. an. drach. ij. Chinæ elect. ſubt. pluv. drach. j. M. f. hauſtus, qui abſente paroxyſmo illico propinetur, repeteturque tertia, vel quarta quaque hora ad iij., x., vel xij. vices.* Vel

℞. *Cort. Peruviani elect. in ſubtiliſs. pollinem redacti drach. j. Syr. Caryoph. q. ſ. M. f. bolus ſumendus, ut ſupra.* Vel

℞. *Pul. Peruviani ſubtiliſs. triti unc. j. vel uec. j. ſs. Syr. e Rub. Idæ q. ſ. Balſami Peruv. ſcrup. j. vel drach. ſs. M. f. Elect. de quo ſumat Æger quantitatem nucis moſch. tertia, vel quarta quaque hora extra paroxyſmum.* Vel

℞. *Pulv. febrifug. elect. & ſubtil. triti unc. j. vel unc. j. ſs. Mucilag. Gum. Tragacanthi Aq. Plantag. extract. q. ſ. M. f. Pill. mediocres deaur. quarum viij. x. vel xij. quarta quaque hora intermiſſionis deglutiat.*

Pro iis autem, qui ægre ferunt ſubſtantiam Corticis, poſt doſim aliquot drachmarum illius pro fundamento curationis prius propinatarum hac tinctura utitur ad perficiendam curationem. ℞. *Cort. Peruviani craſſe pul. unc. iij. Coque leniter in Aquæ fontis lib. i. ad medietatis conſumptionem: deinde f. Colatura, atque reliquias Decocti, eadem Aq. quantitate recens affuſa, coque, & cola iterum, hoc modo repetendo operationem ad tertiam vicem, vel donec tota Corticis amarities fuerit extracta. Denuo omnes colaturas commiſce, & adde Aq. Epidem. Syr. Carioph. an. unc. iv. vel v. M. f. Apozema, ſive Tinctura, de qua ſumat Æger unc. iiij. v. vj. quarta quaque hora extra paroxyſmum, vel ſæpius ad libitum.*

Ex *Zodiaco Medico-Gallico* præter *Remedium Anglicum*, ſeu præparationem *Talbotii*, de qua infra, & alias præparationes aliorum, habemus ſpecialiter hanc Opiatam non inelegantem. ℞. *Quinquinæ pul. Eol. aut Flor. Centauri min. ſub. pul. Theriaces an. part. æqual. Confice ex his Opiatam, de qua ſumat Æger bis in die drach. j. ſs. ſex dierum ſpatio, ſuperbibendo hauſtum Vini rubelli optimi, & Aq. Plantag vel Bugloſſi.* Eandem, meo judicio, efficaciorem (quippe Chinæ Chinæ plus admittentem) reddit *Cl. Nigri ſolus* immutans hoc pacto. ℞. *Chinæ Chinæ pul. unc. ſs. Fl. Centaur. min. pul. Mitridat. opt. an. drach. ij. M. & cum Syr. de Abſynthio, vel de Cort. Citri, vel Aurantiorum f. pill.* (non præſcribit molem, aut pondus ſingularum, ſed facile eſt id cuique determinare) *quarum ſex, vel ſaltem quatuor aſſumat Æger quotidie, ſuperhauſto cyatho Vini generoſi, vel Aq. Card. b., aut Sonchi &c. continuando uſum talis Opiatæ per aliquot dies, etiam ſublata Febre, ad recidivæ præcautionem.*

Ex eodem denique *Zodiaco*, & ex ipſo *Nigriſolo* innuere ſolum juvat, minime vero tranſcribere celebrem præparationem *Talbotii*, utpote ſatis notam, ſci-

ſcitu facilem, relatu operoſam, & a vulgari infuſione parum diſcrepantem. Me tamen vade, ea per ſe imbecillis eſt; quidquid enim roboris eidem ineſt, illud a crebra tantummodo, & diuturna ejuſdem oblatione procedit. Cæterum excellentia, quæ illi a nonnullis tribuitur, eo quia virtutem nudam Corticis in ſe contineat extractam a craſſiore ſubſtantia, quæ proinde rejicitur (ſed perperam) ut effæta, tanta revera haud eſt, quanta creditur: & plane verſute id factum ad velandum remedium cognitu nimis facile, ut ſcilicet pro arcano poſſet venditari. Id unum expedit animadvertere, quod quotieſcumque ſimplici infuſione uti velimus, idque ſinat morbi benignitas, opus eſt doſim ſaltem duplicate, & macerationem duorum, vel trium dierum præmittere, ac ſæpiuſcule vas liquoris concutere: ut ſic liquore, quantum fieri poteſt, imprægnato, probabilem ſortiamur effectum ab infuſione duplicatæ doſis, quem a ſubſtantia dimidiæ certum conſequeremur. Qui magis elaboratas expetit hujuſce Remedii præparationes, illiuſve Tincturas, Extracta &c. adeat *Badum*, *Sturmium*, *Rolfinchium*; *Lemeryum*, *Donzellum*, *Doleum*, *Monginctium*, *Talbotium* modo memoratum, ſeu potius *Blegnyum* pandentem arcana *Talbotii*, *Helvetium*, *Charas*, & alios, quorum plurimos etiam reperiet in uno Antidotario Mediolanenſi acervatim citatos.

Similiter cum Confectionibus Cardiacis, ut de Hyacintho, Alchermes &c. ſolet a nonnullis ſimpliciore apparatu, & retenta illius ſubſtantia, miſceri Cortex, ſupervacanea, quidem impenſa, ſed eventu nihilominus æquali, dummodo illius ſit doſis, uſuſque ſufficiens, cujuſmodi exempla paſſim videre eſt apud Auctores fere omnes Cortice utentes. Mixturis autem hujuſcemodi, præſertim vero Opiatis amaricantibus paulo ſupra relatis, uti poſſunt ii præcipue, quibus occaſio eſt Corticem velandi, vel quia Ægrotantes panico terrore perculſi renuant aſſumere, vel quia ipſi erubeſcant palam offerre, eo quod alias incaute nimis, aut ſtudiis propriis ducti, illum damnaverint: odor enim, & ſapor Theriaces ſatis notus, ſimulque amarities Centauri ſaporem Chinæ Chinæ celabunt, ac obruent. Quod reliquum eſt, ut ingenue loquamur, cum quidquid illi commiſcetur (etſi ſimpliciter Bonum) eadem ſit imperfectius, non eſt cur moles remedii augeatur adjuncto aliquo imbecilliore, quod a ſola China China efficaciam fere totam debet mutuari. Satis appoſite in hanc rem ajebat Doctiſſimus *Sydenham* .... *Qui aliquid Cortici adjiciunt, præter vehiculum eidem in ventriculum tranſmittendo neceſſarium, aut ex ignorantia peccant, ut mihi videtur, aut dolo malo, a quo Vir probus ex animo abhorrebit.*

Extenſionem vero Remedii iſtius ad alias Febre expugnandas, puta Continuas, Malignas &c. a nonnullis propoſitam, vel uſurpatam: item ejuſdem injectionem per Clyſteres ab *Hadriano Helvetio* deſcriptam, & a me quoque aliquando inſtitutam, varioſque illius uſus ad alias Ægritudines, hic loci, ubi de uſu tantum vulgari ejuſdem in Intermittentibus agitur, examinare ſuperſedeo, cum ex profeſſo de his omnibus ſuo loco ſim plura dicturus.

CAPUT VIII.

Diligentior inveſtigatio, an liceat in principio quoque earundem Vulgarium Intermittentium Chinam Chinam *exhibere.*

QUÆ diximus hactenus de tuta, cita, ac certa actione Peruvianæ Corticis in diuturniore Febrium Intermittentium *progreſſu* exhibitæ, & quæ de Cauſis ipſasum Intermittentium ſuperficie tenus tetigimus, omnem locum videntur ſurripere propoſitæ quæſtioni, an ſcilicet illam etiam in *principio* earundem liceat offerre; quandoquidem omnibus temporibus: & quo citius, eo melius: morbum ſemper tolli debere, ſi poſſibile ſit, extra dubium videtur. Sed non eſt plane ita; Alia namque quærendum eſt prius, quod magis refert, nempe an vere hujuſmodi Febres ab initio liceat ſupprimere (quod & circa uſum ſuorum Alexipyretorum adnotarunt Antiqui) præſcindendo, an id mediante Cortice, vel alio quovis Febrifugo tentare expediat: nam quotieſcumque id facere congruam cenſeatur, nil profecto melius Cortice in hunc finem occurret. Sed non eſt res parvi momenti decernere, an congruat tempori.

Pro hujuſce nodi ſolutione lubet aliqua ex parte convenire cum *Sydenhamio* ad-

admonente -- *Curandum esse ante omnia, ne præmature nimis hic Cortex ingeratur, ante scilicet quam morbus suo se marte aliquantisper protriverit, nisi collabescentes, & jam fractæ Ægri vires* (virium autem collapsus in morbi principium nequit contingere, nisi ob ingravescentiam Symptomatum, quam ideo satius fuisset exprimere) *eundem temporius suggerendum esse dictaverint*. Sed quia ratio illius innititur suppositioni, quod causa Intermittentium, æque ac Continuarum tota deliteſcat in sanguine, alia idcirco nobis, hac de re diversimode sentientibus terenda est via, ut nihilominus, etsi discordes in ratiocinio, fere coincidamus in Praxi. Jamque in hanc rem præsto est quædam *Avicennæ*, aliorumque plurium Scriptorum distinctio ipsi quoque *Sydenhamio* accepta, qua uti solebant pro regula practica curandi Febres, insignem aliquam cutaneam eruptionem, *v. gr.* Variolarum, vel Morbillorum secum ferentes, quas si vere pro *Depurativis* (sic dictis) seu *Perfectivis* habebant, neque sanguinis missionem, neque ullam aliam opus illud inturbare valentem, celebrabant operationem: sed totum negotium committebant Naturæ sanguinis depurationem suo tempore media ejusdem ebullitione maturanti. Si vero *Corruptivas*, talis erat illarum nomenclatura: reputabant ejusmodi Febres, illas totis viribus artis statim aggredi, moderari, ac tandem expugnare conabantur. Hæc eadem itaque sit nobis norma, & distinctio in resolutione allati Problematis; si nempe Febris Intermittens *Depurativam* sanguinis, aliorumve succorum rationabiliter censeatur, ea uti expers periculis, & facile tolerabilis, vel nonnihil diutius, vel etiam omnino sinenda est, vel vulgaribus tantum remediis, cum circumspectione tamen, tractanda. At si ejusdem sanguinis, vel visceris alicujus læsiva, ac veluti *Corruptivam* videatur, tunc ab ipso *exordio* per Corticem supprimi poterit.

Pro hujuscemodi autem distinctionis ulterioris explicatione, & practica utriusque casus dignotione, huc iterum revocanda sunt in gratiam Tyronum, quæ de Febribus adnotavimus Capite præcedenti: ex duobus siquidem, vel tribus Theorematis generalibus ibidem relatis tota pendet solutio Problematis, & varia, rationalisque administratio remedii.

Suppono itaque ex jam dictis, Febres tam Continuas (eas saltem. quas putridas appellarunt Antiqui) quam Intermittentes in hoc convenire, quod illarum scena intra sanguinem peragatur: idque vel perpetuo, vel saltem utplurimum, ob rei alicujus non exacte miscibilis, aut improbum cruorem convertibilis, copia vero, aut activitate supra modum luxuriantis, heterogeneitatem. Suppono pariter, easdem Continuas, & intermittentes in eo ipso, in quo diximus convenire, ab invicem discriminari per hoc, quod illud congruum, nec probe miscibile, quod Continuas parit, illarumque Fermentum appellari potest, sit aliquid ipsum sanguinem integraliter constituens cum ipsa specie cruoris assidue, licet forte imperfectius circulum agens, & cum Chylo, lympha, aere &c. longo temporis tractu insensibiliter aggestum, sed nec unquam post diutinos labores eidem cruorem assimilatum, vel assimilabile, neque per repetitas circulationes in naturalibus viscerum Cribris secretum, aut expulsum. Quare facto sensim determinato illius cumulo, qui non amplius a reliqua utili sanguinis massa dilui, ferri, aut abscondi queat, eam necesse est, levi qualibet accedente occasione, insurgere luctam, & intestinam discordiam, quæ Febrilem effervescentiam. aut ebullitionem constituit. Hujusmodi autem effervescentia plurium dierum curriculo pari passu procedens, nec interrupta, sed æquali vigens duratione. unius accessionis adinstar (aliquam tamen etiam obscuram exacerbationem non excludentis) vel integram sanguinis depurationem ab intestino inquinamento, vel ejusdem integram pariter conspurationem, corruptionem, aut inflammatoriam stagnationem ascisit, unde dispar exitus aut salutis, aut mortis.

Intermittentium vero Fermentum, ut reor, est aliquid, quod sanguini confusam potius, quam mixtum, eundem cruorem nequaquam vere constituit, neque adhuc in eo specie liquoris assimilabilis deliteſcit, sed illi accedit omnino ab extrinseco, velut aliquid ab eodem plane diversum, quod periodice aliunde suggeritur, tanquam e Fodina peculiari, a sanguine diffita, ut eandem ebullitionis (periodicæ tamen, non assiduæ ut supra) sce-

ſcenam intra ipſum cruorem exerceat. Sed & hic idem ſucci extranei ingreſſus in ſanguinem, ſeu illius intra iſtum confuſio dupliciter poteſt contingere, nempe, vel quatenus intra breve temporis intervallum (quantum videlicet intercedit inter unum & alterum paroxyſmum) ſuccus hujuſmodi paulatim congeratur, & intra idem intermiſſionis tempus ſenſim ad turgentiam, mox & efferveſcentiam pertingat, vel quatenus affatim, & unico appulſu (ſucceſſive tamen ad breve aliquod temporis ſpatium continuato) cruorem invadat, illumque ſtatim perturbet, ac in febrilem efferveſcentiam cieat. Circa hoc haud diffiteor, quod licet primo modo facilior reddatur propoſitæ quæſtionis ſolutio, & explicatio actionis Corticis non tam in correctionem ſucci vitioſi affluentis, quam in ſubſidium, & adjumentum cruoris recipientis; ſecundus tamen modus, ut jam diximus, magis arridet, tanquam phœnomenis Intermittentium omnibus, præcipue vero quæ in invaſione contingunt; explanandis, magis conſentaneus.

Crediderim itaque haud improbabiliter, in exordio paroxyſmi Febrium Intermittentium ſuccum febriferum Lacteas ſtatim Venas, ſive omnes, ſive ſecundi tantum ordinis, undelibet illa iiſdem acceſſerit, pervadere, eo quidem pacto, quo Chylus per eaſdem delabitur: in quo itinere mirum non eſt, ſi peregrinus humor ille eaſdem excitet turbas angoris ſtomachi, vomitus, & alvi fluxus, quas etiam excitare ſolet Chylus ipſe ex re aliqua prava, ne dicam venenata, aut confectus, aut ſaltem infectus, ut proinde analogia quadam venenoſus quoque aliquando dici poſſit ſuccus ille Chyli venenoſi vices quodammodo gerens, ut alibi dicemus. Quo forſitan nomine excuſandus foret alias citatus *Mortonus*, ſi Venenum ſuum Febrile hoc pacto intelligeret, ſed revera ſe aliter explicare videtur. Ad ipſum vero cruorem jam jam pertingens in axillari latex antedictus, a ſcaturigine ſua fervidiore longe dimotus non modo ratione naturæ ſuæ, tunc cum ſanguine non ſociabilis, ſed forſan ratione ſuæ actualis frigiditatis (reſpective ſcilicet ad naturalem fervorem ſanguinis ob partium heterogeneitatem aſſidue fermenteſcentis) facile eſt intelligere, quo pacto poſtquam rigorem, & horrorem excitavit in regione Lumbari, in Dorſo, & Scapulis, utpote locis, per quæ excurrunt lacteæ inſigniores, & Canalis ipſe Thoracicus tali tunc ſucco ſcatens, facile inquam eſt intelligere, quo pacto idem Febrilis latex ſanguinem ipſum, cui pleno gurgite infunditur, quodammodo frigefaciat, ſaltem uſquequo moram trahit citra Cor, intra Axillarem & Cavam, ſuumque illi motum tam fermentativum, quam circularem interturbet, ac ad tempus retardet. Indicio ſunt pulſus arteriarum depreſſus, ac ferme abolitus, extremorum perfrigeratio, labia pallida, facies univerſa inſigniter immutata, & hujuſmodi. Sed & conjecturam hanc auget vulgata liquorum artificialium in Vaſa ſanguifera Viventium Brutorum per Syringam injectio, ex qua eadem ſuboriri ſymptomata, cuique obvium eſt experiri. Tandiu autem durat hæc Scena, quandiu durat extranei ſucci intra cruorem ingreſſus: quo abſoluto, ac ſubinde acquiſita ab eodem Succo intra utrumque ſucceſſive Cordis ſinum intimiori quadam cum ſanguine commixtione, majorique calore, ac ad efferveſcendum diſpoſitione, factaque idcirco primam tumultuaria utriuſque ſucci confuſione, mox lucta, ſenſim quod intruſum eſt, ab ipſo præpollente ſanguine quodam quaſi attritu comminuitur. Demum ſuſcitata per mechanicam neceſſitatem cuique ſenſato ſat notam, ſucci utriuſque ebullitione, ordinata ſubſequitur partium miſcibilium ſocietas, & immiſcibilium ſecretio; unde paroxyſmus media heterogenei facile ſeparabilis (quippe confuſi potius, quam mixti) excluſione, vel ſubactione qualicumque, omnimode ſolvitur.

In hoc opere viciſſitudinario per repetitos novi Succi febrilis acceſſus exercito, illud Lampadi noſtræ vitali, ſanguine, velut oleoſo pabulo, ſuſtentatæ (ſi methaphorice ſaltem, ni phyſice ſic loqui liceat) illud, inquam videtur accidere, quod veræ lucernæ accideret, ſi per intervalla, & regulato ſtillicidio ſupra ellychnium ea parte, quæ oleum inter & flammam mediat, aquæ guttula una, vel altera concideret. Aqua etenim recenter affluens, oleoque intra ellychnium præexiſtenti confuſa, ſtatim ac ad flammam, quæ debet ali (ita cum vulgo potius, quam cum Philoſophis loquor, ut expeditius me explicem) pertingit, flammulam eandem ſubinde langueſcere cogit, ac prope emori. Sed paulo poſt reſumptis viri-

viribus ipſa flamma oleoſis particuiis adjuta certamen init, & excitato crepitu tandiu durat lucta, quandiu præpollentes olei particulæ, illiſque inhærentes igneæ, aqueas peſſundant, ſubigunt, ac explodunt.

Hæc collectanea potius hinc inde excerpta, quam mea, ſeu ex aliorum opinionibus reſultantia, & per tranſennam tantum oculis eruditorum oblata, ſerio meditantibus, non longe fore diſtare a probabilitate reperientur. Quidquid tamen ſit, ea probare mei nunc inſtituti non eſt; Sat erit, ſi aſſenſum aliquem ab ingenuis aſſequar in re abſcondita, cujus principium verax nos latet. Id ſolum fidenter audeam proferre, nempe, per iſtam ſucci febrilis coacervationum extra ſanguinem, & dein ſubitaneam (ſucceſſivam tamen, ut ſupra) eidem affuſionem, dummodo ea non aliunde repugnet, longe melius explicari, ut modo innuebam, Intermittentium phœnomena, quam per lentam, & paulatim factam congeſtionem intra ipſum ſanguinem, ſive hæc dicatur abſoluta plane ante febres, plenoque acervo in ſingulas poſtmodum Acceſſiones dividendo, ſive tempore ipſarum Febrium, partitis tantum portionibus, quolibet intervallo repetitis, aut reproductis, non quidem ab extrinſeco, ſed ab ipſo ſanguine, velut ex radice, prodeuntibus; Quod pariter mihi dari, ſi licet, citra probationem peto. Probari autem maxime poſſet ex ipſa Peruvianæ Corticis actione, quæ impedit preciſe febriles Intermittentium acceſſus, antequam fiant, & ſolas Paroxyſmorum ſeſe mutuo excipientium periodicas renovationes, in Febribus Subintrantibus; ſeu per ſubingreſſum Continuis, nequaquam vero ſuffocat ipſam, qua Cortex offertur (ſi ſit inchoata, vel imminens) earundem Intermittentium acceſſionem, neque tollit Febres eſſentialiter Continuas, ſicut neque illam accidentalem, quæ Continuis per ſubingreſſum quandoque ſupereſt, ſublata periodo, continuitatem. Hæc enim, quæ uni jam ſanguini inhæret, non tollitur per Corticem, ut per eum tollitur ſtatim periodus, ſed ſponte abſumitur inſenſibiliter, inquantum nulla amplius ab extrinſeco accedit copia auxiliaria novi Fermenti febrilis, quæ ſuppetias ferat, utpote per Corticem impedita.

Ex hoc patet, Chinam Chinæ aſſumptam forſitan relinquere ſanguinem in eo ſtatu, in quo eundem reperit, ut dicebamus Capite antecedenti, illique tantum occaſionem præbente, ut a materia heterogenea propriis viribus ſe ipſum expediat, mediante præconcepta effervescentia. Quod quidem opus, ut ab eodem ſanguine citra impedimentum peragi poſſit, ipſa China China occurrit Fermento febrili adventuro, & ne vel influat, vel ſaltem nonniſi correctum, valide obſiſtit; atque ita non in Febrem (quæ non corrigitur facta, ſed præcavetur ne fiat) neque in ſanguinem directe agit, ſed in ſolam cauſam Febris aliunde illuc tendentem. Et hæc obſervatio non eſt parvi momenti in praxi; ſiquidem ducit nos in cognitionem, quod ſymptomata Febrium, quantumvis gravia, dummodo ab iiſdem Febribus producta, atque pendentia, nullo indigent poſt ſubratas Febres directo remedio; ſed ſufficit, ut per Corticem pugnemus adhuc adverſus cauſam Febrilem, ut eædem certius avertantur Febres, a quibus produci ſolent, atque foveri talia ſymptomata, contra quæ cæteroqui, quoties pendeant ab alio vitio ſanguinis non periodice febrili, vel facta ſint idiopathica, nil valet Cortex.

Iſtæ, & aliæ non abſimiles obſervationes practicæ me trahunt in ſententiam, quod hujuſmodi remedium parum agat in ſanguinem, repurgando illum a febrili miaſmate præconcepto, aut eundem firmando contra miaſma ſenſim acceſſurum intermiſſionis tempore; ſed potius agat immediate in ipſum Fermentum febrile, priuſquam ſanguini immiſceatur: ſive poſtea illius influxum dicatur avertere, aut quomodolibet impedire, ſive illud (influxu non impedito, ut probabilius videtur) corrigere, ac emendare. Quod dictum intelligo, etiamſi fermentum non modo in primis viis ſtabuletur, vel ad eas quomodolibet pertingat, verum etiam ſi degat in glandulis remotis, & in ipſo corporis habitu, quo dubio procul China China, ejuſve tinctura, a fluidis noſtris extracta poteſt pertingere, tanquam ad Mineram, prætergrediendo ſanguinem, atque intra illum tranſitorie vagando, altius tendens, ſi altior ſit Minera fermenti: prætergrediendo, inquam, ipſum ſanguinem habentem in ſe (ſi quidem in ſe tunc habeat) miaſmata febrilia diſgregata, &

di-

disperſa tantum, atque confuſa, agendo vero contactu immediato in nudum fermentum, ubicumque illud lateat. Intra iſtas conjecturas lubens ſubſiſto, nec ulterius tranſcendere ſuppetit animus, eaſque eſpono uni tantum probabiles: neque tamen ullam ipſarum adopto.

Sed ſi res ita ſe habet, dicet quiſpiam, allata nuper diſtinctio Febrium Intermittentium in *Depuratorias* & *Corruptivas* (in cujus diſtinctionis gratiam cuncta hæc fuere præmiſſa) corruit omnino; ſiquidem nunquam ut depurativa cruoris conſiderari poterit ulla Febris Intermittens, quæ ſuum focum non habet in Sanguine: neque is proinde dici poterit unquam peccare, niſi quatenus periodice conſpurcatur a ſucco febrili, a quo cæteroqui per ſe ipſum immunis eſt: adeoque Febris Intermittens ſemper erit Corruptiva, nunquam vero Depurativa ſanguinis, niſi ex ſuppoſitione, quod eadem ipſum antecedenter infecerit. Quapropter una corruet ipſa Praxis ex adducta diſtinctione reſultans: quo ad uſum Peruviani Corticis, qui proinde nulla potius interpoſita mora, ut ſentiunt Auctores quamplurimi, ſtatim ab initio præſcribendus erit, prohibendo ſcilicet, quam primum fieri poteſt, ne ſanguinis inficiatur. Vanum eſt enim velle illum, qui per ſe purus eſt deputari per febrem; quod idem eſt ac expectare, quod impurus fiat, ut poſtmodum depuretur.

Si hoc ductus ratiocinio controverſam exhibitionem Corticis in principio Intermittentium benigniorum indiſcriminatim ſuaderem, non aliud profecto agerem, niſi quod ante me Graviſſimi Scriptores egere, & quod Practici Celeberrimi adhuc agunt, & agi debere non ſine ſolida ratione contendunt: poteſt enim revera bene fieri utrumque, etſi forſan non æque bene. Quia tamen ego in hac materia forte ſum delicatior, & cautior, ac ſibi quiſpiam perſuadeat, ideo non tam facile, ut vulgo creditur, in hanc ſententiam delabor. Dico itaque, ſanguinem vere in Intermittentibus per ſe non peccare, nec, quantum eſt ex hoc Capite, depuratione indigere, cum ſe habeat mere paſſive, ad recipiendam conſpurcationem ab extrinſeco. Adhuc tamen, ſi non indiget depurari ſanguis, indiget depurari Corpus univerſum a vitioſo ſucco ſanguinem inficiente, vel indiget idem ſuccus depurari ab iis, quæ præternaturaliter ipſum alterant, inficiunt, & vitioſum, ſeu ſtagnantem reddunt. Cum autem experientia conſtet, raro per naturales, & ferre nunquam per artificiales evacuationes ante ipſam Corticis oblationem in principio inſtitutas, Corpus a tali ſucco, ſeu Fermento febrili radicitus expurgari: inſuper, cum talis ſucci congrua alteratio, correctio, vel purificatio per Chinam Chinæ quomodolibet obtenta (dentur ſemper locus veritati, maxime vero cum agitur de hominum vita) relinquat nos incertos de modo genuino, quo ejuſmodi attemperationem conſequemur, ſpectata quoque incertitudine opinionum circa ipſas Intermittentium Cauſas, quæ opiniones omnes, & ſingulæ, non plus quam par ſit faciendæ ſunt in praxi, cum ſecuritate ſemper ubicumque liceat inſtituenda: propterea non ſine aliqua præmeditatione, aut limitatione decernendum eſt in principio hujuſmodi Febrium uſus Corticis, ne forſan ſupra explicatam depurationem aliquo modo impediat, aut remoretur, eamve ſaltem nimis imbeciliter præſtet. Adde, quod cum Febrifugum iſtud, etſi optimum inter cætera, totam tamen radicem, vel ſcaturiginem haud ſemper perfecte tollat, aut attingat (quod crebriores Recidivæ oblationi præmaturæ Corticis, ubi cauſa Febrium valida ſit, pertinaciter ſuccedentes nonnumquam videntur teſtari) nec alius proinde ſuppetat modus ſuccum illum certo abſumendi, vel corrigendi, quam ſinere, ut partitis vicibus, atque portionibus transferatur in ſanguinem, ut ibidem ope Febrilis effervescentiæ, partim aſſimiletur cruori (ſi ſit quid capax) partim vero, vel etiam in totum (ſiquidem ſit quid omnino diſſymbolum) foras eliminetur: idcirco etiam pro ſupprimendis univerſaliter hiſce Febribus in earundem principio per præcocem Corticis oblationem, haud ita facile, aut indiſcriminatim calculum meum appono.

Sed & alia circa hoc ipſum adhuc occurrunt animadverſione digna, priuſquam propoſitum quæſitum integre reſolvatur. Nam ex una parte, non modo ex concurſu Febrium aliquandiu ſibi relicto, nec ſtatim præpedito, id commodum ſequitur, quod hac via per repetitas ſucci febrilis aſportationes in ſanguinem, & per repetitas utriuſque laticis

cis ebullitiones idem ſuccus ſecundum partem ſaltem vitiatam per vices ſenſim abſumatur, unde ſpontanea plerumque Inrermittentium ſolutio; ſed hac eadem occaſione poteſt inſuper contingere, quod idem ſanguti aliis ingenitis impuritatibus ſcatens, licet non dum lædentibus, media efferveſcentia febrili iiſdem quoque paulatim repurgetur, atque hoc etiam nomine Febrem ſinere tantiſper expediat, nec ſtatim ſupprimere. Ex alia vero parte poteſt æque contingere, quod idem ſanguis, per ſe forſitan non bene diſpoſitus, ab influente inſuper vitioſo ſucco ultro inficiatur, ac labem majorem contrahat, impotens eo magis hoſtem advenientem integre ſuperare. Sive poteſt contingere, quod, etſi ſit probe diſpoſitus, ab energia tamen, copia, vel pravitate ſucci affluentis adeo obruatur, ut nequeat ab eodem ſe penitus expedire, ſed aliquid ſubinde non ſubactum remaneat, quod vel acceſſiones protrahere, vel Febrem continuam inducere ſit potis. Sive denique contingere poteſt, quod, licet benignioris naturæ, faſilioriſque ſubactionis ſit ſuccus febrilis, ſanguis item ſat validæ conſtitutionis ad ipſum ſubigendum; adhuc tamen, ſi diutius protrahatur Febrium duratio, tandem idem cruor per crebras, & diutinas deflagrationes paulatim enervetur, ac vappidus fiat: unde, vel eodem in Viſceribus minus volatiliſato gignantur obſtructiones, vel in minera ipſa febrili facilior reddatur novi ſucci morboſi generatio, ejuſdemque (facta ſcilicet circulari noxa) pro nova ſemper periodi repetitione proventus. Atque ita pro diverſa habitudine tum cruoris, tum extranei fermenti, Febris Intermittens modo Depurativa dici poterit, modo Corruptiva. Quod maxime verum reperit ut in praxi; quandoquidem non raro Intermittentes diuturnæ, velut ignis Naturæ purgator (ut ajebat *Hoffmanus*) a pluribus aliis morbis ſanant, & ad longum tempus ab iisdem præcavent: ut ideo quandoque ſit optabilis hujuſmodi occaſio, quæ cujuſpiam quaſi lixivii loco ſordes omnes univerſaliter abluat, quas nulla forſan medica prophylaxis valeret abluere. Nonnunquam vero ex oppoſito eædem Intermittentes, puta Quartanæ, vel etiam Tertianæ longiores ſanguinem adeo, & viſcera infarciunt, ac lædunt, ut ex earum vel diuturnitate, vel pravitate, pravus item habitus, cachexia, aut hydrops haud infrequenter ſuboriatur.

Quamobrem, ut totum tandem negotium ad praxim contraham, ea Febris Intermittens Depuratoria cenſenda erit, ordine habito tam ad univerſum Corpus, quam ad ipſum cruorem, ſaltem data occaſione, ac eo, quo explicuimus modo, quæ tantumdem ſucci febrilis qualibet acceſſione maturat, & expellit, quantum fuit introductum in ſanguinem, nullis pravis reſtitantibus ejusdem reliquiis; immo aliis, ſi quæ inibi præextiterint, cum eodem depulſis. Itaque in tali Febre genuina ſit neceſſe eſt, & plane inculpabilis intermiſſio, vividus Naturæ vigor, & facilis ſymptomatum tolerantia: eademque ſymptomata, etiamſi alicujus ſint intenſionis, non tamen modum excedant, habito reſpectu morbi, temporis particularis ejusdem (alia ſiquidem debet eſſe intenſio ſymptomatum in principio, alia in augmento, & ſtatu) ſubjecti ægrotantis, regionis, & tempeſtatis. Item ſint vel ſigna, vel ſaltem rudimenta coctionis, excretiones moderatæ, & congruæ, morbo itidem reſpondentes, aliaque Practicis ſufficienter nota. Et in tali caſu, licet Chinæ Chinæ uſum non improbem, immo forte proficuum fore minime inficier, attamen tutior mihi videtur via uſu illius aliquantiſper ſuperſedere, tum ob rationes ſuperius allatas, tum etiam quia, ſi quando ex ſuppreſſione Febrium inchoatarum contingat, aliquam Fermenti febrilis reliquiam in ſuo foco non integre extingui, ſitque inde poſſibilis (quod incertum eſt adhuc) alicujus alterius morbi generatio, in quem commutentur Febres præmature ſuppreſſæ (quemadmodum ex intempeſtiva ſuppreſſione Scabiei nonnunquam depurativæ, Ulceris antiqui, Fiſtulæ, Fonticuli &c. gravior quandoque pullulat morbus) ſatius fuiſſet, illas prius tuliſſe pauliſper, in nullum tutiorem morbum commutabiles, vel eas vulgari tantum, cauta tamen, & prudenti methodo tractaſſe, vel denique ipſi Naturæ induſtrioſæ morborum medicatrici prorſus curandas reliquiſſe. Induſtrioſam morborum medicatricem cum *Hippocrate* Naturam voco; ſed propterea nollem (& hoc ſemel monuiſſe ſufficiat) *Naturæ* nomine intelligi quandam veluti Rectricem imaginariam, quæ corpus architectonice gubernet, ſed mechanicam ipſam noſtri corporis diſpoſitionem a ſummo Opifice con-

conditam, cum Solidorum, & Fluidorum viciſſitudinario ad invicem motu reciprocantium proportione tali, ut ea mediante (anima vero immortali eminenter agente) motiones omnes, coctiones, ſecretiones, & excretiones &c. organis Hydraulico-pneumaticis, aliiſque ad regulas præſertim ſtaticas, abſolvantur.

Corruptiva vero dicenda erit ea Intermittens, quæ oppoſito modo ſe habebit, ac ſupra deſcripſimus: videlicet, quæ ſuccum febrilem haud integre ſubigit, aut expellit, ſed potius eidem alias adjungit a ſe ipſo commotas impuritates, cujuſque ideo ſymptomata graviora ſunt, quam par ſit pro ratione morbi, cæteroqui cum facilitate, & utilitate ſolubilis. Quod quidem ex duplici capite poteſt procedere, nempe vel ex pravitate quadam cauſæ febrilis, vel ex ipſarum Febrium nimia diuturnitate. In primo caſu vitium rurſus ſe poteſt tenere, vel principaliter ex parte Succi febrilis, ſive copia, ſive qualitate, ſive inæquali, & irregulari (etiam intra eandem acceſſionem) influxu peccantis, vel minus principaliter ex parte ipſius ſanguinis antea etiam male diſpoſiti, vel ex parte utriuſque. Quomodocumque autem hæc fiant, quæ pluribus ſane modis fieri poſſe videntur, certum eſt ſaltem, hinc emergere identidem ſuſpectam paroxyſmorum extenſionem, quæ ad continuitatem gradum facit, pariterque acceſſionum inæqualitatem, immodicam intenſionem, irregularemque in ipſa acceſſionis declinatione, nedum in principio, recrudeſcentiam: item ſæpenumero emergere ſymptomata gravia, ut ſtagnationes fluidorum intra viſcera, deliria, comatoſos affectus, & hujuſmodi, quæ adhuc magis metuenda ſunt, ſi cum ſignis cruditatis appareant. In ſecundo vero caſu vitium fere omne ſe tenere videtur ex parte ipſarum Febrium, quæ licet benignæ ſint, in ſymptomatis moderatæ, & a miti cauſa (contumaci tamen) pendentes, tantam nihilominus ſortiuntur longitudinem durationis, ut ſanguis ex toties repetita effervescentia, & ut ita dicam, luctа defatigatus, exhauſtus, ac ſpiritibus depauperatus, tum piger in circulo, tum torpidus in fermentatione; tum refractarius in ſecretionibus, tum viſcidus alicubi, tum alicubi ſeroſior, & fibrarum inops evadat; indeque mille trahat morborum ſemina, niſi aliquæ ſaltem eidem impetrentur induciæ, ut tantiſper reſurgat, fortius dein, ſi opus ſit, pugnaturus. Et in utroque caſu, quolibet corruptivæ Intermittentis tempore (ipſo non excluſo, ubi hæc poſſint coire, morbi principio) expedit Corticem exhibere, & Febrem ſupprimere modis omnibus, & formulis luculenter jam recenſitis.

Quia vero & in hoc aliquis poteſt utiliter haberi delectus, e re fore putarim, ſi præ ſola Febrium diuturnitare præſcribenda ſit China Chinæ (& hoc ſit ultra Quæſitum de oblatione in principio) eam epicatrice, ac imminuta doſi propinare, ut ſcilicet vel in hoc imitemur Naturam, lento quodam gradu in eodem opere pro viribus abſolvendo procedentem. Si vero præ gravitate ſymptomatum ſit uſurpanda, id fiat magis viriliter, ea ſcilicet proportione, quæ ipſi exigentia reſpondeat, quemadmodum ſumus dicturi tum alibi, tum maxime *Capite 5. Libri 4.*, ubi Quæſtionem eandem de ancipiti oblatione Corticis in *principio quarundam Intermittentium Pernicioſarum* potiore jure inſtituemus. Prout enim citius, vel tardius opus eſt Febres ſupprimere, plus etiam, vel minus Corticis eſt offerendum, idque crebrius repetendum, vel rarius: quandoquidem in noſtra omnino poteſtate eſt Febrem ſiſtere eo præciſe, quo volumus tempore, ſi in Cortice exhibendo ſimus verſati, dummodo congruens detur, breve licet, temporis ſpatium, ut fuſius pariter alibi dicturi ſumus. Fateor equidem, quod cum character Febris Corruptivæ ſupra deſcriptus raro benignis Intermittentibus accidat, vel poſſit accidere in illarum principiis, quoniam neque diuturnitas combinari poteſt, ut patet, cum illarum principio, neque pariter cum eo ferocia ſymptomatum, ut quæ in Intermittentibus non Pernicioſis nonniſi poſt plures periodos poteſt apparere, tollentes jam rationem principii ab iiſdem Intermittentibus, ſi Quartanam excipias, cujus principium videlicet late ſatis extenſum hujuſmodi characteris eſt capax: fateor, inquam, quod penes me vix locum habere ſolet in earundem *Intermittentium benignarum principio* Chinæ Chinæ uſus. Immo ultro lubens edico (licet tanta, tantiſque rationibus de virtute, ac præſtantia ejuſdem hucuſque prædicaverim) me fere nunquam in illis etſi diuturnioribus conſueviſſe Corticem exhibere, niſi vel ſupervenientia gravia ſymptomata, vel Ægrorum tædio

affectorum preces me cogant. Mihi namque solemne est, saltem per totum Ver, & per primam Æstatem (quibus tempestatibus benigniores ut plurimum sunt, & *depurativæ*, etiam cum diuturniores sunt Febres (quasi perpetuo feriari ab exhibitione ejusdem Corticis), quem in usus longe digniores ampla manu profusurus reservo.

Neque etiam diffiteor; esse quandoque, rarissime licet, quasdam pervicaces Intermittentes, quibus curandis præsertim ab initio sit impar Cortex, quibusque alia idcirco medela conveniat. In iis etenim, etsi Fermentum febrile per Corticem copiose, vel diutius assumptum absorbeatur, remanere tamen potest in Visceribus ferax, & fixa radix assidue reproductiva novi fermenti consimilis, vel materiæ illius saltem remotæ, quæ potius Toti prospiciendum esse suadeat per alia remedia, quam ipsi Fermento per sola febrifuga. Memini siquidem, me observasse nonnunquam Febres hujusmodi Intermittentes benignas, adeo refractarias, ut ea facilitate, qua pluries redibant ante usum Corticis, eadem quoque recurrerent, etiam dum actu ille ad prophylaxim assumebatur, etsi ope illius fuerint antea pluries depulsæ. Hujusce naturæ fuit Tertiana modo simplex, modo duplex, quæ Nobilem Virum, Patritiumque Lucensem, Præfectum Aulæ Serenis. Principum Mutinæ, *Dominum Marchionem Nicolaum Lucheſinum* corripuit. Hic an. 1709. dum Corrigii decumberet, cujus Urbis Gubernatoris munere tunc fungebatur, circa morbi initia (nec tamen prima) morem, ut inquit, Patriæ suæ secutus, Corticem sumpsit suo marte, vix conscio Medico. Sed postmodum tota Ætate, Autumnoque anni illius, mox Hyeme, ac Vere anni subsequentis forsan duodecies recidit, duos identidem, vel tres, quatuor, vel quinque Tertianæ pariter nunc simplicis, nunc duplicis paroxysmos patiens: ad nihilum valente, pro impedienda Recidiva, repetita Soli mutatione, vel diuturno usu Corticis, modo meo, modo aliorum Medicorum consilio, modo proprio marte, modo Amicorum suasu, & quidem diversis formulis, ac Methodis etiam Transalpinis, assumpti; qui tamen Cortex pro iisdem Febribus qualibet vice ablegandis consuetum munus egregie præstabat. Sed & sponte quoque pluries abiit Febris, abiitque pariter aliis sine Cortice curata remediis; redibat tamen æque sponte soluta, ac aliis remediis depulsa. Et sicuti Cortex ad præservationem assumptus eam minime arcebat, ita nec cæteræ prophylaxes sedulo institutæ illam remorabantur tantillum, sive sermo sit de Purgantibus epicraticis, sive de obstruentibus, atque omnifariam alterantibus Remediis, sive etiam de iis, quæ loco Febrifugorum habentur.

Licet autem hæc monstra raro contingant, neque rarius contingere soleant ubi Febres absque Cortice curatæ sunt, nihilominus me quodammodo retrahunt, efficiuntque quominus Febres istas, ubi nulla suadeat necessitas, vel notabilis earum diuturnitas, per hujusmodi remedium curare aggrediar, Unde subit mirari, quomodo Obtrectatorum Corticis adeo me tangat magistralis Scutica, ut non semel contigerit, quosdam Ægrotantes ab iisdem aliquando deceptos, ne dicam seductos, priusquam se mihi committerent, voluisse mecum pacisci, ne Corticem (quasi in hoc sim nimius) illis unquam præscriberem, mori potius sine illo, quam ope illius sanari, ut ajebant, contenti. Quod sane eo magis ridiculum mihi visum est, quo certior sum, inter Medicos Cortice utentes neminem in Curatione *Benignarum* Intermittentium, quas sæpe pro *Depurativis* habeo, me parciorem esse, magisve sobrium circa usum illius.

CAPUT IX.

An Chinæ Chinæ *oblationem præcedere debeat Purgatio, aut Venæ sectio.*

REMANET adhuc alia solvenda quæstio, quæ Scriptorum vota divisit, an scilicet quocumque Febris Intermittentis tempore offeratur Cortex, debeat prius Corpus purgari.

Si hac quoque vice vellemus, ut maximo jure possemus, subscribere *Sydenhamio*, in promptu esset resolutio Problematis, dicendo nempe cum ipso, quod -- *Neque Catharsi, multo minus Venæ sectione subducenda est materiæ febrilis pars aliqua, quo liberius Cortex suo fungatur munere: Cum enim* (inquit ipse) *ab utraque labefactetur quodantenus œconomia Corporis, eo promptius, certiusque recrudescens Paroxysmi, evanescente semel pul-*

veris

veris vi; quod & paulo inferius confirmat subdens -- *Quod si Medicamenta purgantia subinde adhibeas* (*adhiberi scilicet solent eo prætextu, ut obstructiones expediantur, atque humores in primis viis stabulantes exturbentur*) *vel si quod præcipuum est, in constitutione epidemica Venæ sectio celebretur, fiet, ut morbus in longissimum tempus procurrat, atque interim, ut Ægri mille symptomatis, iisque periculosissimis exponantur* -- Hæc Sydenham.

Sed ut illius, aliorumque sepositа auctoritate, dicam pauci quod sentio, & mitius agam, quam credam, respondeo, facile esse ex alibi dictis colligere, me quidem a purgantibus in hoc quoque casu parum, vel nihil commodi unquam sperare, immo potius profiteri, si non absolute debere cum *Sydenhamio*, posse saltem præscribi in Intermittentibus Chinam Chinæ non modo impune, sed cum ratione, & cum felici successu, ut sum non semel expertus, cum idoneum tempus adfuerit, nulla purgatione præmissa; nihilominus ex alia parte ad evitandam calumniam, & ad aliquam Corporis expiationem, dummodo cautam, quin & ad meliorem forsan dispositionem pro suscipienda Febrifugi actione, posse prius alvum leniori, & venam secari; immo utrumque præsidium de more congruere nequaquam diffitebor, quippe hoc ipsum mihi quoque ferme solemne est.

Haud equidem tanti facio cautelam istam, quin sæpesæpius vel alterutrum, vel utrumque ex dictis præsidiis æque bene omitti posse sim certus, maxime cum neutrum, & præsertim purgatio, de qua principaliter procedit quæstio, nec ratione Febris, nec ratione causæ indicetur; immo & ratione Febris, si sit plurimum tensa, & ratione causæ, si sit facile agitabilis, potius prohibeatur, eoque fortasse magis, quoniam curatio, ut supponimus, est Cortice peragenda: siquidem, ut adnotat *Restaurandus* -- *Revera huic medicamento nihil magis repugnat, quam cathartica: quamobrem* (subdit) *id remedium in usum duxi majori emolumento impurgatis meis Ægris, præmissa solum phlebotomia, injectis clysteribus, exhibitisque jusculis refrigerantibus* --- Sed purgationem circumspectam, & levem, quæ sepius etiam uno, vel altero Clystere injecto (& quidem tutius) potest suppleri, non rejicio, quin & admitto; sed solum admitto, inquantum ea exigatur ab aliis peculiaribus corporis ægrotantis dispositionibus, neque ab ipsa Febre prohibeatur; non vero inquantum directe indicetur a Febre, vel a causa immediata ejusdem Febris. Huc forsan respiciens *Hippocrates de Affectionibus* in curatione Tertianæ, & Quartanæ Febris incipientium, non legem imponit de instituenda universaliter ante usum Specificorum sui temporis purgatione, sed conditionaliter loquitur in utroque casu, suadetque pharmacum dari tantummodo -- *siquidem Æger impurgatus sinuerit* -- *siquidem videbitur tibi non purgatos esse* -- signum evidens, purgationem in prædictis Febribus & absolute, & ante usum Specificorum omitti posse, eamque, ubi opportuna censeatur, solummodo instituendam esse occasione aliarum præexistentium corporis dispositionum; quæ Febrium hujusmodi curationem per Antifebrilia absolvendam (ubi veræ illæ adfuerint) possent remorari.

Quia tamen non pari semper passu, sive in quibusvis Corporibus, sive in quibusvis Anni temporibus incedendum est, priusquam de eadem purgatione, vel sanguinis missione instituenda specialius judicium feratur iterum cum *Sydenhamio* distinguere oportet (quod non parvi est in praxi momenti) inter Febres Intermittentes, Vernas, Æstivas, & Autumnales; de Hybernis enim non loquor, quippe quod tali tempestate incipiant fere nullæ, vixque ullæ soleant occurrere, nisi earum aliqua, ut Quartana, Æstate, vel Autumno orta, in Hyemem protrahatur. Alius ergo est status sanguinis, & fluidorum Vere, alius Æstate, & alius Autumno, quemadmodum diversus est status liquoris cujuspiam, qui fermentatur, qui fervet, & qui deferbuit. Vere siquidem succi omnes corporis nostri, non secus ac succi Vegetabilium, spiritu turgent per Hyemem compresso, & vivifico Anni juvescentis, Solisve calore perfusi, quaquaversum alacriter expanduntur, suntque ideo facile in fermentationes depurativas, & utiles secretiones proni. Æstate vero idem succi nimio fervore acti faciles fusiones patiuntur, dissipantur, ac sensibili, & insensibili transpiratione evaporant. Autumno denique ex prægressa Æstatis deflagratione spirituum inopes, & enerves redditi, vappescunt ut Vina, aut acorem contrahunt, unde in lentores, stagnationes, concretiones,

atque, his quodammodo oppositas, dissolutiones, ac corruptiones (aucto scilicet ad excessum ipsius concretionis gradu) haud difficulter aguntur.

His stantibus, si pro Febris Intermittentis curatione Verno tempore China Chinæ uti contingat (raro tamen tunc ob Febrium brevitatem, facilemque earum solutionem hujusmodi occasio solet contingere) suasor sum, ut tali tempestate, quæ *Hippocrati* quoque pro instituenda, ubi conveniat, purgatione, & Venæ sectione, videtur accommoda, levis aliqua præmittatur corporis expiatio, & concurrente vel modica plenitudine, ætate congrua &c. etiam sanguinis missio. Neque vere obstat usui circumspecto solventium ante oblationem Chinæ Chinæ ea, quæ inter hanc, & illa intercedit dissymboleitas supra allata ex *Restaurando*, & propterea ut fatear, non æque cavendum ab iisdem Solventibus ante, ac post exhibitum Corticem: quandoquidem in primo casu non impeditur, ut usus satis me docuit, futura illius actio, sicuti in secundo deletur prægressa. Sint tamen ex usu ad majorem cautelam Solventia tantum mitiora, *v. gr.* Cassia sola ad *unciam* circiter, vel cum *drachma una*, aut altera Cremoris Tartari admixta, sive Cremor ipse Tartari ad *unciam* pariter, sive Syrupus aureus ad *uncias tres*, vel *quatuor*, cui superbibatur serum lactis, vel aqua Nuceriana ad *libras tres*, vel *quatuor*, sive aliud simile diluens, & sine ulla quantum fieri potest irritatione alvum leniens medicamentum.

Si autem China Chinæ utendum sit Æstivo tempore, tunc in purgandis Corporibus, & sanguine mittendo cautius est incedendum; siquidem cum alvus tunc temporis soleat utplurimum esse lubrica, bile scilicet magis fluxili, & validius illam vellicante, sat erit pro eadem alvo abluenda potius, quam solicitanda, Serum Lactis simpliciter ad libras aliquot absque ullo, vel saltem cum leviſſimo vehiculo (puta pauco Cremore Tartari) propinare, vel Oleum amygdalarum dulcium sine igne recenter expressum, & tantillo juris dilutum, ad *unc. iv.* circiter, maxime si notabilis succorum acrimonia Ventriculi, & Intestinorum tunicas vellicet, cum inani, & sicca, vel etiam humida vomituritione. Phlebotomia pariter, vel parca sit, vel etiam omittatur, diebus præsertim caniculariibus, nisi fervor quidam sanguinis, ejusve quasi turgentia, Ætas vegeta, plenus habitus, & vasorum distensio id plane suadeant; experientia etenim clare comperimus, sæpe tali tempestate, eadem ipsa phlebotomiæ, aut purgationis die, febrem ex simplici duplicem fieri, quod tamen etiam haud raro sponte contingere, etsi nil tale Medicus præscripserit, nequaquam inficiabor.

Denique, si Autumno pro curatione Intermittentium, præscribendus sit Peruvianus Cortex (minori, generaliter loquendo, adhibita religione in purgando, quam in sanguine mittendo, præsertim si Febris curanda Quartana fuerit, quarum Febrium feracior est illa tempestas) ipsum Cremorem Tartari ad *unc. j.* vel Electuarium lenitivum, vel Cassiam, eadem dosi (admixto etiam, si lubeat, tantillo Rhabarbari) vel quid antedictis analogum, pro alvo lenienda, ex usu esse posse censuerim, superepoto juris potius tenuioris, vel hordeacei, si aeris temperies ad frigidiorem inclinet, quam Seri, largiore hausu. Sanguinis vero missionem parca semper manu, & nonnisi validis suadentibus indicationibus (quæ in Intermittentibus tunc maxime vix possunt adesse, nisi ingravescant symptomata) esse instituendam, ex jam descripta ipsius sanguinis diathesi videtur satis constare.

Exinde patet, quod quo minor est Febrium, atque Symptomatum intensio, eo liberalior esse potest Solventium moderatorum usus; & contra parcior, quo major est, & Febrium, & Symptomatum vigor. Hinc in febribus Lentis, & Chronicis, vel ad Chronicas saltem tendentibus (Intermittentibus tamen) tutior censenda est levis purgatio, etiam epicratice instituta, ante oblationem Corticis, quam in aliis nonnihil fortioribus, in quibus, ut dictum est, pro ratione majoris, aut minoris intensionis ipsarum, nec non Symptomatum earundem, plus vel minus indulgendum est purgationi ab aliis casuum singularium circumstantiis indicatæ, dummodo Febris ipsa intensa nimis non omnino prohibeat; quo casu prorsus est abstinendum ab omni Solvente, & tota Intestinorum expiatio Clysteribus absolvenda.

Neque inconsulte conditionem istam rursus appositi in usu Solventium, nempe illa posse adhiberi, si ab aliis circumstantiis exigantur, nec prohibeantur a Febre

bre. Præter enim id, quod pluries tetigimus, & præter noxam, quam ſuapte natura certo ſcimus ſemper inferre Purgantia etiam mitiora, niſi ſumma cum cautione uſurpentur (non hic loquor de morbis acutis, in quibus Cane pejus, & Angue vitanda eſſe, clamat Auctoritas, Ratio, & Experientia) præter, inquam, hæc, & alia innumera, quæ hujus loci non ſunt, poſſum teſtari fortuito quidem experimento, ſed non fortuita animadverſione, me Æſtate, & Autumno Anni ſpecialiter 1707. peculiari ſolertia in id totum fuiſſe, ut obſervarem quid præſtarent in Intermittentibus, quarum ferax fuit annus ille, evacuationes tum ſpontaneæ, tum artificialæs. Id quod ſine ullo Ægrotantium diſcrimine licuit experiri, cum magna pars eorum ab aliis primitus Medicis curaretur, ut Cortici averſis, ita purgationi facile indulgentibus: pars alia, etſi mihi uni commiſſa, illum potare renuerit: & alia denique me parum proclivem ad eum præſcribendum invenerit. Iſtis autem Ægrotantibus vel ſine Cortice, vel eo ſolum tardius aſſumpto curatis, cum plurimæ, etiam ſponte ſua, obtigerint dejectiones, hac arrepta occaſione potui melius memetipſum examinare, num ex vi alicujus præjudicatæ opinionis, plus quam par eſſet, a Solventium uſu diſtraherer. Ut rem paucis perſtringam, & Caput claudam, aliquem tantummodo caſum ſubnectam obiter.

I. Domina *Barbara Catanea*, Sereniſſimæ Duciſſæ Mutinæ glorioſæ recordationis Cubicularia primaria, duplici Tertiana laborabat circa initia ſua ſatis ſorti. Hanc cum Doctiſs. Amicus, atque Collega, Sereniſſimique pariter Ducis Medicus, *D. Davinius*, & Ego inſimul curaremus, eamque a principio ad finem morbi aſſumptioni Chinæ Chinæ, ut pluries (modeſte quidem) edixit, repugnantem agnoſceremus, ab illius propterea oblatione toto morbi decurſu abſtinuimus. Riguit illa, ſudavit, & alſit, ac præterea (quod unice notari velim) contumaci, copioſaque diarrhæa ſpontanea ad plures hebdomadas vexata fuit. Febris tamen, vix moderato primorum acceſſuum impetu, uſque perſeverabat. Suppreſſa eſt diarrhæa; at Febris nihilominus pari paſſu proceſſit. Rediit denuo eadem diarrhæa ad tempus non breve; Febris vero interim adhud eadem. Iterum diarrhæa ſuppreſſa eſt omnino, & Febris minime immutata: nil proficientibus videlicet repetitis Venæ ſectionibus, nec juſculis alterantibus, nec Febrifugis amaris vulgaribus, nec aliis quibuſcumque remediis, quorum enumeratio nimia hic eſſet. Tandem cum Febris videretur declinationi propinquior, remiſſa ſcilicet vi, ſed perſeverante jugiter contumacia, præſcriptum eſt a Collega (neque enim ſemper conveniebamus) Apozema ſolvens ad plures dies, Ægra, ut reor, inſtante, meque mox non diſſentiente, quippe qui Doctiſſimo Collegæ potius, quam mihi fidens, poſſe credidi ad iſtius quoque experimenti incudem ſoliditatem meæ opinionis examinari. Sed cum exinde potius augeri Febrem, quam imminui dignoſceremus, dimiſſo Apozemate, curationem Naturæ commiſimus, & Tempori. Revera a ſolo tempore emerſit medela morbi. Febris namque prima die Septembris orta, omnibus evacuationibus irritis, ultra Brumale Solſtitium perſeveravit, tandem ſponte, ac poſt feriationem omnimodam a remediis paulatim evanuit.

II. *Monialis quædam Carmelita Excalceata*, habitus gracilioris, valetudinaria, & Tertianis æſtivis obnoxia eodem pariter anno ex ſimplici Tertiana decubuit. Quadam intermiſſionis die Serum Vaccinum depuratum ad libras aliquot bibendum præſcripſi: ex quo tot bilioſæ dejectiones cum toleranria ſubſecutæ ſunt, ut idem remedium altera intermiſſionis die propinare non dubitaverim. Dejectiones adhuc plures, & faciles; idemque contigit aliis vicibus, repetito Sero. Febris de Tertiana ſimplici facta eſt duplex; ſed acceſſiones mitiores ambæ, ac veluti ex diviſione unius fortioris reſultantes. Alternis idcirco diebus (de aliis remediis nullam mentionem facio, cum non ſit opus) idem Serum offero, & ſemper cum pari ſucceſſu dejectionum copioſarum, ſumme bilioſarum, ſpumoſarum, & facile excretarum; Febres tamen ſemper æquales. Subſtiti ab uſu Seri ad aliquod tempus; ſed Febres non ſubſiſtere. Cum vero alvus non flueret, Serum rurſus, Ægra poſcente, alternis diebus potari permiſi. Sumpſit forſan vigeſies toto morbi decurſu. Mirum quot, & quanta dejecerit ſine fructu. Stupidus fere, eo quod nunquam Serum ſimplex, ut aſſolet in progreſſu, ſed ſemper dejectionibus acerrimis (non tamen plane humoralibus) infectum redderet, uſum illius nihilominus interdixi.

Poſt aliquot dies Febris adeo immutata eſt, ut prope evaneſcere viſa ſit : recruduit tamen paulo poſt . Iterum ad aliquot dies Serum exhibitum pari exitu . Tandem perſeverante pertinaciter Febre, dimiſſis evacuationibus , Peruviano Cortice particulatim aſſumpto, eademque in recidiva, quæ poſt menſem contigit, repetito, curata eſt.

III. Unus ex tenerioribus Ephœbis Sereniſs. Ducis noſtri *D. Marchio Joachimus Salviati* Florent. ſimplici Tertiana Intermittente correptus, materiam porraceam plane humoralem, oleo adinſtar, adeo copioſe per vomitum excernebat (reſpondente paulo poſt non abſimiliter alvo) ut vix credibile videatur, habita ætatis ratione; vomitus ſiquidem ſolus quatuor librarum pondus facile ſuperabat. Perſeveravit ſic per plures acceſſiones Febris ſemper intenſa, ſed plane intermittens, & copioſo ſemper ſudore ſoluta. Tractu temporis imminutæ ſunt excretiones, ſed durantibus Febribus per artem ſunt evocatæ. Exhibitum ſcilicet eſt aliquoties Oleum Amygd. Serum Vaccinum modo ſimplex, modo Syr. roſ. aur. aſſociatum, unde faciles, & copioſæ dejectiones, ſed irritæ. Poſt menſem Febris dedit inducias; at paulo poſt revixit ferox, ut prius iiſdemque copioſis cõmitata vomitibus. Iterum purgatus eſt Æger, præſcriptaque ſunt, præter Juſcula alterantia (non omiſſa ſuo tempore Venæ ſectione) ſalia etiam Vegetabilium Febrifugorum, quoniam Æger ob ſaporem Corticis ingratum erat ei omnimode adverſus, quidquid ex Patria ſua identidem audiret adverſus repugnantiam hanc puerilem. Procedebat nihilominus Febris, inſtitutæque inſuper per repetitam Rhabarbari infuſionem epicraticæ purgationes nequaquam cedebat. Uno verbo, ſeptiesſaltem recidit, ſemperque graviter, Febre modo ſimplicis, modo duplicis Tertianæ typum ſervante: & ſæpeſæpius cum videretur imminui tam quoad intenſionem, quam quoad extenſionem, ſtatim nulla occaſione recrudeſcebat ferocior, & primis perpetuo conjuncta vomitibus. Poſt duos tandem menſes cœpit Æger tædio victus, nec ullis ſublevatus evacuationibus, Corticem aſſumere per modum alterantis cum levamine notabili, ſed non prout expectaveram. Aucta eſt idcirco nonnihil doſis Corticis; ſed eodem pariter tempore aucta eſt Febris, ut conſueverat ſtatim ac cœperat imminui. Suſpicatus ſum de effœta ſubſtantia Remedii, de cujus infirma qualitate aliquod antecedens indicium habueram. Eo itaque rejecto, ſubſtitutus eſt melior Cortex, exhibituſque doſi modica tunc, cum Febres incrementum ſuum validius capiebant. Statim uno ictu ſuppreſſæ ſunt, & cum illis ſymptomaticæ excretiones: continuatoque leviter, ac repetito per aliquot dies remedio perfecte ſanatus eſt Æger, una tantum poſt menſem Febrem paſſus, quæ intra horas quadraginta ſudore ſponte ſoluta nullo ulteriore indiguit Corticis auxilio, aliove remediorum apparatu.

IV. *D. Viennam Mellinam*, canoram Scultennæ noſtri Sirenem, ultra bimeſtre ſpatium Tertiana duplici affectam nulla purgatio (prout illi ſpondebat, quoties præſcriberet, Medicus ſenior, & oſor Corticis) unquam ſanavit. Hanc ſine alia evacuatione illico ſanavit oblatus Cortex, & recidivam leviorem repetitus ſuſtulit.

V. *Tres filiolos D. Comites Sorræ* Tertiana duplici intermittente per æſtatem correptos, Syrupo de Cichorio cum Rhabarbaro quotidie utentes, & quotidie pariter copioſe alvum exonerantes, exacta ſemper victus ratione ſervata, tumidos tamen, & inflatos per tres menſes, & ultra aſſidue decumbentes vidi, donec Hyemale Soliſtitium opem aliquam, Vernale vero Æquinoctium (nonniſi tamen poſt plures, ac plures recidivas) integram valetudinem attulerit.

VI. Idem omnino *tribus aliis* contigit *filiis D.* quondam *Joſeph Galliani de Coccapanis*, Mutinenſis Patritii, quorum neque Febribus, neque inflationi ventris quicquam profuit diurna, leviſque purgatio, ſicut nec torminoſa, quæ uni eorum contigit diarrhæa ſpontanea. Hos omnes procul dubio, tranſacta aliquot tantum dierum epicratica purgatione citius, & certius ſanaſſet Cortex. At minime ſolus ipſæ Curæ incumbebam (illos enim majore aſſiduitate inviſebat de more *D. Candrinus*) neque in Febribus exitus cæteroqui ſalutaris, neque in ſubjectis puerilibus facile illas ferentibus, magna erat in me ipſo ad eum proponendum proclivitas.

Plurimos caſus haud abſimiles Ægrotantium ab aliis præſertim Medicis purgationi liberalius indulgentibus curatorum, ad quos inviſendos accerſitus fui, quoſque nullæ purgationes, ſed ſolus tandem

dem Cortex liberavit, non afferam, ne longior sim. Paucos inter tot, qui possent adduci, retulisse sufficiat, ut quam parum conferant purgationes, etiam benignius institutæ, in Intermittentibus (iis saltem, quibus altiores radices sunt) palam fiat: ut ideo parum interfit, etiamsi illæ non semper religiose præmittantur oblationi Corticis, præcipue si non ob morbi diuturnitatem, sed ob supervenientiam symptomatum (quæ duo in praxi sunt valde distinguenda) offeratur remedium. Sed jam illius administrandi fors varia tam in principio, quam in progressu vulgarium Intermittentium, ad leges scilicet, & normam cautionum tum in hoc, tum maxime in præcedenti Capite expositarum ex sequentibus Historiis clarius apparebit.

CAPUT X.

Doctrina præcedens de Cortice *modo propinando, & modo non in principiis Intermittentium, variis confirmatur Curationum Historiis.*

ETSI ad Febrium *Corruptivarum* categoriam revocaverimus eas etiam Intermittentes, quæ sola *diuturnitate* nostri Corporis œconomiam notabiliter pervertunt, earum tamen curationes per Chinam Chinæ feliciter absolutas non lubet referre; cum hujusmodi casuum tanta suppetat copia, ut quilibet Medicus in usu hujusce remedii vel mediocriter versatus centenas facile Historias istius generis possit congerere. Ea propter nonnullas tantummodo in medium proferam, in quibus aliquid occurrat ad rem nostram notatu dignum, quod nimirum respiciat vel oblationem Corticis in Intermittentium benigniorum *principiis* vario cum successu administratam, vel eamdem usurpatam tantum in illarum *progressu* ob supervenientiam graviorum symptomatum; eorum tamen, quæ remotum solummodo periculum a longe minantur, non quæ proximum, & præceps afferunt; quandoquidem de hisce postremis specialior suo loco habenda est consideratio. Ut ergo ab iis exordiar Casibus, in quibus præcox contigit exhibitio Corticis, nullo prævio examine, an Febris curanda *Depurativa* fuerit, an *Corruptiva*, progrediendo postmodum ad eos, in quibus Corticis oblatio fuit maturior (Febribus scilicet jam ad *Corruptivas* vergentibus) in promptum sunt qui sequuntur.

I. *D. Flaminia*, Uxor Clarissimi quondam Viri, *D. Nicolai postea Comitis de Sanctis*, a Secretis, & Status Consiliarii Serenis. Ducis nostri, dum Lauretum pergeret, in medio circiter itinere sub die ipsa Æquinoctii Autumnalis anni 1704. correpta est simplici Quartana Intermittente, adeo quidem leve, ut cum vespertinis tantum horis recurreret Ægra somnum placidum traheret per noctem, & mane vegetior surgeret, ac ante morbum: idque sibi perpetuo accidisse quamdiu viguit Quartana, pluries asseruit. Post paucos dies ab invasione Febris in Patriam redux, in medio pariter itinere, mihi unde illa discesserat proficiscenti occurrens narrat quæ sibi contigerant. Suasor sum, ut bene se regat in itinere, remedia postea, si opus fuerit, administraturus in Patria cum illuc appulerim. His auditis, iter ptosequitur: cumque alia de causa Bononiæ per duos, vel tres dies moram trahere cogeretur, jussu vigilantissimi Conjugis eximios aliquot inclyti illius Archilycei Professores consuluit, qui habito forsan gracilioris constitutionis, ætatisque paululum inclinantis respectu, vi quorum imparem diuturno morbo ferendo fortassis Ægram sunt suspicati, Extractum quoddam Chinæ Chinæ (ut mihi relatum fuit) satis blandum, partitis, & parcis dosibus assumendum statim præscripsere. Annuit iis libenter amantissimus Conjux, qui mirandas quondam noverat, me præscribente, in lethali ægritudine Filii sui unici Corticis vires: illiusque proinde Extracti sufficientem quantitatem Ægra secum detulit Mutina, ubi cœptum Bononiæ usum prosecuta est cum notabili paroxysmorum imminutione. Mihi interim in Patriam restituto narrantur quæ acta sunt, Ægra tamen submurmurante, se quodammodo gravius habere, & quandam veluti majorem lassitudinem percipere post imminutas accessiones, ac antea. Culpatur tamen iter: ast ego subdo, quod libenter illi adstitissem, cum Professores Bononienses consuluit, ut nonnullas animadversiones meas circa Ægræ statum ex notione rerum jamdudum prægressarum petitas, iisdem minime conscius potuissem exponere, executurus postea quidquid illis placuisset, re clarius intellecta. Dixissem nempe, illam ex gravi-

bus prægreſſis animi pathematis (occaſione præſertim graviſſimarum ægritudinum Conjugis , & Filii) etſi nunquam complete ægrotantem , valetudinariam tamen perpetuo fuiſſe , ac in Cachexiam, vel pectoris hydropem, quandoque proclivem , ſuadente id diuturna modica licet pedum , ac tibiarum intumeſcentia , ſcabiei cujuſdam retroceſſione &c. , quibus pravis diſpoſitionibus adhuc latentibus in una lance poſitis, & levibus Quartanæ adeo mitis acceſſibus in altera, cenſuiſſem Viros illos doctiſſimos , rem totam Naturæ concredituros fuiſſe , ut ego dubio procul inſtitiſſem , reſervato uſu Corticis in caſu tantummodo gravioris recrudeſcentiæ. Ad hæc inſtabat amantiſſimus Conjux , progreſſum remedii ſuſpendi , ſi mihi de rebus prægreſſis optime conſcio illius uſus non arrideret . Huic tamen reſpondi , me quidem dubitare , an feliciorem partem elegerint Magni illi Viri ; ſed non proinde mihi conſtare de oppoſito , neque conjecturas meas eſſe tanti ponderis , ut eorum placita infirmare valerent : meque ſolum optaſſe , poſſe illas tunc iiſdem exponere , eſto forte ſuper illis idem quoque potuerit cum ratione decerni , quod decretum jam fuerat . Tandem omnem hæſitationem reſecui concludens hæc omnia fortaſſe locum habere potuiſſe re integra , non cum jam remedium magna ex parte Febres ſuſtulerat : neque ideo ſuſpiciones meas , forſitan vanas , effectum jam prope completum debere , aut opportune poſſe impedire . Et revera , paucis vix elapſis diebus , Febris in totum evanuit . Paulo poſt laſſitudo cœpit ad articulos determinari , & ſenſim in arthritidem univerſalem , ac dolorificam , cui nunquam Ægra obnoxia fuerat , commutari . Quid multis ? Duravit ad longum tempus arthritica affectio non ſine aliqua pulſus perturbatione . Invocabatur tamquam Numen aliquod denuo Quartana Febris , ut accederet , quemadmodum colebatur antiquitus , ut procul abeſſet . Acceſſit , & nonnihil levaminis attulit ; non tamen affectionem ſuſtulit : immo Ægra & Febre , & arthriticis cruciatibus longa viciſſitudine alternatim torquebatur . Poſt plures tamen , & plures menſes , repetitis ſudoribus , in acceſſionum declinatione , medio etiam diaphereticorum uſu , promotis , tandem convaluit ; reſtitante ſolum diuturna in partibus affectis imbecillitate , de qua etiamnum , humidioribus præſertim tempeſtatibus , quandoque conqueritur .

Ex hujuſmodi caſu poſſet forte illuſtrari Theoria conſtituentium cauſas Intermittentium in Nervoſo ſyſtemate . Sed , ſi illum ad leges in antecedentibus ſancitas fas ſit revocare , dicendum erit , ob inhibitum influxum fermenti Quartanarii (quodcumque ſit illud) in ſanguinem , vel ſaltem eodem , priuſquam influat correcto atque retuſo , ceſſaſſe quidem febrilem efferveſcentiam , per quam depurabatur ſanguis , non modo a ſupradicto affluente fermento , ſed & data occaſione , ab aliis quoque impuritatibus non febrilibus intra illum præexiſtentibus ; veruntamen remanſiſſe ſuperſtitem in eodem cruore , velut in Mari , ſedata licet procella adhuc turbato , motum quemdam , vel diſpoſitionem irrequietam ad facile fermenteſcendum , illi impreſſam a prægreſſa efferveſcentia , ſeu ab humore , qui efferveſcentiam hujuſmodi ſuſcitavit . Hinc particulæ ſanguinis ſuopte jam ingenio non bene diſpoſitæ fluctuantes adhuc , atque tumultuantes , neque ſibi placide cohærentes amplius , ut cohærebant in ſtatu ſano , loco febrilis ebullitionis clandeſtinam , & occultam potius iniere fermentationem , ac inde imperfectam ſecretionem , vi cujus impuritates ejuſdem Cruoris antecedenter aggeſtę decubuere ad articulos , necnon etiam ad univerſalem corporis habitum , quaſi Rheumatiſmi adinſtar . Et hoc caſu locum habere videtur , quod non ſemel ſe obſervaſſe refert *Sydenham*. (ſubdens tamen hoc eſſe unicum incommodum , quod a Cortice allatum noverit unquam) nempe , quod qui pluries Chinam Chinam aſſumpſerint , Rheumatiſmo fiant ad breve tempus nonnunquam obnoxii : quo tamen mihi , ut verum fatear , alias nunquam videre contigit , hoc , & ſequenti caſu excepto , ubi quoque uſus Chinæ Chinæ diutinus aut exuberans non fuit , ſed fortaſſe potius immaturus .

Itaque a poſteriori videtur conſtare , quod ſatius fuiſſet , vel Febrem , quæ *depurativa* erat ; ſinere , quouſque talis manſiſſet , nec Corticem exhibere , vel ſaltem priuſquam exhiberetur , ſanguinem ab inquinamentis ſuis mundare , ſive remediis diaphoreticis occaſione defervescentiæ febrilis facile in actum reducibilibus , ſive diureticis , aliiſve ſimilibus , præmiſſa etiam blandiori ventris expia-

tio-

tione, quin & parca forsitan (quam Ægra facillime, non obstantibus iis quæ diximus, ferre consueverat) sanguinis detractione: ut sic purus, & fluxilis, quantum fieri potuisset, redditus idem Cruor, inhibitæ postmodum Febris commodo tutius, atque tranquillius perfrui valuisset.

II. Haud longe absimiliter contigit *D. Pegault* Obstetrici olim Aulicæ, habitu corporis valde obeso præditæ, atque a toto tempore suæ mansionis in Italia (quippe, quæ Parisiensis erat) variis ægritudinibus obnoxiæ, fluxui scilicet immodico sanguinis ab utero, efflorescentiæ cuidam cutaneæ acerrimæ per singulas Æstates, aliisque diversis incommodis, quæ robustam licet, sæpius perturbare consueverunt. Hæc anno 1700. dum appropinquaret, immo immineret partus Sereniſſimæ Duciſſæ Mutinæ, correpta est Tertiana simplici Intermittente satis valida, & non modicæ diuturnitatis signa præbente ob copiosos vomitus, & alvi dejectiones, profusoque in ipso Febris augmento sine levamine sudores. Quapropter, cum ei admodum curæ esset excipere partum Dominæ tum suæ, tum meæ, rogavit me, ut Febrim quam cito vellem supprimere saltem, si penitus extinguere datum non esset. Tertio itaque vix elapso paroxysmo, præmissaque diebus antecedentibus phlebotomia, & Clysterum administratione, Corticem propinavi, cujus usu opportuno continuato, impetratæ sunt induciæ Febri, quantum exigebat opus illud, quod propterea ad ultimum usque terminum feliciter perduxit. Post mensem circiter recidit, & curata est methodice, purgata scilicet, aliisque consuetis omnibus adjuta remediis. Sed neque plane profecit hæc methodus: siquidem alias recidit, nec semel; quamobrem nova Corticis oblatione, quam efficaciter imploravit, iterum est sanata. Sed (quod adnotavit *Sydenham*, ut supra diximus, & quod forsan Transalpinæ magis, quam Cisalpinæ genti est familiare) non multo post vagos in regione præsertim lumbari passa est dolores, a Rheumatismo non longe absimiles: ac demum, iisdem flexuræ genuum pertinaciter infixis, non sine incommodo descensum scalarum, & stationem ipsam ad aliquod tempus valuit exercere, nec nisi serius in pristinum reflitui. Illud insuper de illa notandum, quod quotiescumque sumebat Corticem (sumpsit autem pluries, ac pluries per modum alterantis) toties illi alvus copiose fluebat, ferme ac si solvens aliquod ea sumpsisset, quod & aliquando se observasse *Mortonus* asserit, & *Sydenhamius* -- *ob peculiarem*, ut inquit, *quorundam corporum temperiem, atque idiosyncrasiam*. -- iique proinde Auctores in tali casu Laudanum miscent cum Cortice; neque tamen per hoc admodum feliciter ea curabatur, ut retuli: iisque diebus, quibus feriebatur ab assumptione Corticis, (ut pluries mihi placuit experiri) illis eisdem alvus in statum naturalem redibat. Quod sane in ulla alia persona mihi nequaquam contigit observare; cum in Italis Ægris aliquam potius alvi stipticitatem, quam lubricitatem, utpote -- *operationem tam suæ naturæ* (eodem *Sydenhamio* judice) *quam morbo plane contrariam* -- consuescat inducere.

Atque hi duo casus respiciunt oblationem Corticis haud satis felicem in Intermittentium principio, ubi sanguis depurari indigeat non modo a fermento febrili, verum & ab aliis inquinamentis in eo præexistentibus: nunc duos alios subdam longe minus felices, & notatu dignos? quos, mihi nuper tantum, sexdecim videlicet annis a prima hujusce Tractatus editione mihi contigit observare; commoſtrantes eamdem oblationem ne semper quidem tutam in ipso febrium intermittentium, plane tamen depurativarum progressu.

III. Estate Anni 1728. dum Ruri agerem, Nobilis quidam Adolescens a Villa mea mille passus distans corripiebatur leviſſima intermittente Tertiana, primum simplici, mox duplici, sed quæ intra paucas horas copioso sudore integre solvebatur, remanente per totum tempus intermedium omnimoda actionum alacritate. Perseverante jugiter hujusmodi statu, nil prorsus faciendum duxi, sed totum negotium Naturæ relinquendum ad excoquenda per ignem febrilem tam blandum quæcumque fluidorum vitia, quæ ob prægressos errores, præsertim in potu, insolatione, & nimio corporis exercitio commissos, potuissent in ægrotante latere. Jamque vigesimus tertius præterierat accessus, cum ab importunis precibus Adolescentis alias a me rejectis tandem commotus, illi morem gerendum censui, Peruvianum scilicet Corticem dosi saltem paulatina eidem præscribens, præcipue cum ille clam domum meam ob idipsum pedibus venisset, mihique asseverasset,

sed

ſed falſo, nullo amplius, aut ferme nullo ſudore paroxyſmos leviſſimos, nec ultra tres, vel quatuor horas protractos, ſolvi conſueviſſe. Præſcripſi ergo *tres drachmas* Corticis in ſex partes diviſas, & intra ſex pariter dies omni mane ſumendas. Aſſumpſit ille, & circa tertiam, vel quartam diem febris evanuit. Cumque vero duas alias portiones ſuperſtites duobus diebus ſubſequentibus ad præcautionem potaſſet, prima poſt abſolutum medicamen die, ex improviſo correptus eſt paroxyſmo, quem Oppidanus Chirurgus epilepticum reputavit, cui tamen morbo Adoleſcens ille numquam antea fuerat obnoxius. Nunciata mihi per eumdem Chirurgum eventus ſerie, ſtatim venam ſecari juſſi; quæ tamen operatio, nonniſi poſt horas quinque, vel ſex fuit celebrata: ab ea vero motus convulſivi, ſeu jactationes Corporis cœpere quidem, ut fuit relatum, illico imminui, ſed eos excepit profundus ſopor, vi cujus Æger ferme exanimis videbatur: qua de re novam iterum venæ ſectionem præcepi, & perſeverante jugiter ſopore, ac oppreſſione mentis, veſſicantia quoque brachiis, & cruoribus affigenda propoſui. Hæc tamen omnia cum incaſſum acta intellexerim, mane ſequenti Ægrum mihi inviſendum omnino credidi; quem cum deprehendiſſem obmuteſcentem, ac veluti obdormientem, ſed nonnullos nihilominus motus, quos per evulſionem capillorum ipſe excitaveram, facile edentem, eoſque tunc obſervaſſem ſopiti potius, atque ſubdeliri, quam Epileptici hominis proprios, ſecuritatem omnimodam Matri ſum pollicitus, ut revera contigit, etſi nonniſi poſt horas 38. per novæ, ac unicæ febriculæ ſupervenientiam ab ejuſmodi paroxyſmo integre liber evaſerit. Evaſit tamen, neque amplius uſque adhuc quidquam ſimile, vel ullum aliud incommodum paſſus eſt, optimam quippe, ac firmam valetudinem Deo dante aſſecutus. Una remanſerat adverſus Corticem Parentum querela, quam tamen ego ſtatim ſuſtuli, aſſeverans febrifugum ex ſe inſons fuiſſe, ac ſtrenue ſuo munere functum; me potius haud ſatis cautum in conceſſione mea, & ſubdolo Adoleſcentis relatui nimis credulum ingenue confeſſus.

IV. Inclinante Autumno ejuſdem Anni Urbi reſtitutus in conſilium vocabar pro Aulico Equite noſtro florentis ætatis, qui dum Viennæ Auſtriacæ hyberno tempore moram traheret, levi Tertiana duplici intermittente, & copioſo ſudore ſolvi conſueta, fuit ibidem correptus. Eam tamen ad decimam ſextam uſque diem protractam cum diutius ferre ob impatientiam detrectaret, Medicus, etſi quodammodo invitus, fervidis petitionibus illius tandem indulgens, Chinam Chinam frequenti hauſtu, per brevia videlicet intervalla potandam præbuit; quo factum eſt, ut ſequenti die febris nullatenus apparuerit, ſed ejus loco ſucceſſerit perturbatio quædam Ventris infimi, tremor Viſcerum, evaporatio ad caput, & dein manuum, ac digitorum convulſiva contractio: itaut affectio iſthæc ab Epileptica parum abludere viſa eſſet, niſi mentis, & ſenſuum omnium uſus integer aliud ſuaſiſſet. Injecto ſtatim Clyſtere, ſedata ſunt omnia; notus tamen bis, aut ter, etſi levior rediit inſultus, qui poſtmodum irregulariter ſe ſe exerere non deſiit. Progreſſu temporis ſupervenere iterum febres, quæ per ſexaginta dies, & ultra, modo Tertianæ, modo Quartanæ typum referebant, modo nonniſi erraticarum more invadebant; iiſque etiam vigentibus recurrebat identidem inſultus ipſe, quamvis debilior. Febribus tandem per amara depulſis, remanſit nihilominus larva quædam tranſitoria ejusdem inſultus, quæ a primariis Urbis illius Medicis pro mera hypochondriaca affectione fuit habita conſenſu unanimi. Cum tamen ea poſt epotas etiam quasdam Thermales aquas recurrere, quamvis imbecillius, nequaquam ceſſaſſet, reditus ad nativum aerem pro medela fuit Ægrotanti præſcriptus. In Italiam itaque reduci meo ſuaſu ſecta eſt vena prope hyemale ſolſtitium, non neglectis familiaribus quibuſdam remediis, quæ Medicus illius ordinarius præſcripſerat, quibus extenuata quidem remanſit hujuſmodi affectio, non tamen plane ſublata; illius namque eradicationem ad Vernum Æquinoctium differre fuit opus, martialibus tandem remediis abſolvendam.

Hi duo itaque Caſus ſatis clare videntur oſtendere, non quod Cortex in ſe, vel ex ſe ſit umquam noxius, quemadmodum quiſpiam male feriatus poſſet opponere. Cortex enim hiſce Caſibus febrim intercipiens non aliud præſtitit, niſi quod debebat, & quod ſolet etiam

tunc

tunc cum pereuntis hominis vitam ab imminente vindicat morte ; ſed ſolum videntur oſtendere , quod Medicus debeat ſumma cautela procedere in ſupprimendis quocumque vero ſpecifico febrifugo (ſi quid aliud ſit præter Corticem) Febribus depuratoriis, non modo in earum principio , verum etiam in earumdem progreſſu , quando nulla id exigunt ſymptomata , ſed potius oppoſitum ſuadet facilis Ægrotantis tolerantia : poteſt enim nonnumquam contingere , raro licet , quod non modo ſaburra in ſanguine præexiſtens , & lactens ; ſed & ipſum fermentum febrile a Febrifugo abſorptum non integre ſubigatur a Natura , itaut poſſit vel inſenſibiliter diſſipari , vel per urinæ vias , uti frequentius mos eſt , vel per alias æquivalentes excerni ; ſed feratur per Metaſtaſim infrequentem quidem , ſed tamen poſſibilem , ut in duobus hiſce caſibus , ad caput , vel alio , ibique non contemnenda producat phœnomena , quamvis millies in ſimilibus Caſibus id non acciderit . Quamobrem Medicos monitos velim , ne febrium omnino depurativarum , & plane ſalutarium , etſi nonnihil provectarum , ullo vero febrifugo ſuppreſſionem etiam paulatinam tam fidenter , ut ſæpe aſſolet , tentent , niſi earum diuturnitas ſenſibilia quæpiam gignat incommoda , quorum ratione Febres hujuſmodi ob ſolam diuturnitatem ſuam videantur jam Naturam nonnihil corruptivam adipiſci : quod non prius quam ultra quadrageſimam diem ſolet de more contingere . Interim tamen ſicut nimiam fidentiam in animoſioribus per exempla iſthæc temperandam credidi , ita ne nimiam trepidationem pavidioribus incutiam , ad feliciora exempla oblationis Chinæ Chinæ in ipſo Intermittentium principio progredior .

V. *Matrem meam* , tunc prope octogenariam , adhuc tamen robuſtam pro ratione ætatis , & ſanguine ſatis vegeto etiamnum refertam , querulam licet , menſe Novembris anni 1706. Quartana Febris adorta eſt . Tribus elapſis acceſſionibus mediocris intenſionis , cum non ſatis fiderem virium nonnihil proſtratarum robori , id tam provecta ætate facile reſolubili , & cum nihil incongruum intra illius ſanguinem præexiſtens agnoſcerem , quod occaſione febrilis incendii indigeret abſumi ; ſed contra metuerem potius ejuſdem cruoris conſpurcationem a Fermento febrili (quod tractu temporis non ſemper perfecte ſubigi ſolet) vel ſaltem enervationem ipſius ſanguinis a modici etiam temporis lucta , ſeu effervescentia , ad ejuſdem fermenti ſubactionem requiſita ; idcirco ab ipſo initio ſufflamen aliquod paroxyſmis imponendum duxi , ne nimium excurrerent . Quapropter ſtatim Corticem ad *ſcrup. j.* quotidie mane propinavi , per modum ſcilicet levioris alterantis, ratus me forte intra decem , vel duodecim dies febriles acceſſus ad ſummam extenuationem , vel ad totalem abolitionem paulatim deducturum . Sed mea me fefellit opinio ; ſiquidem tertia die aſſumpti remedii , qua die quarta acceſſio expectabatur , vix ea ſenſibilis ſit : quare continuato ad duos alios tantum dies , eadem quoque doſi , eodem medicamine Febris penitus abiit contra expectationem meam . Subſtiti proinde ab uſu Corticis expectans poſt aliquot dies reditum Febris , quam nonnihil ſinere decreveram ; ſed ea non amplius reverſa eſt . Immo , cum poſt aliquod tempus occaſione cujuſdam errati in victu , vomitum nocturnum paſſa eſſet Ægra , cui ſe adjunxit incaleſcentia febrilis , hæc nihilominus pari velocitate ſponte abiit , ac advenerat . Neque ab eo tempore uſque ad ejus obitum ullum inſultum febrilem experta eſt Genitrix mea , quæ Deo favente deinceps vixit incolumis .

VI. *D. Margaritam de Marcheſiis 76.* annos natam , & alioqui ſanam , Hyeme Anni 1708. Febris Quartana corripuit . Tribus elapſis paroxyſmis , Filius Chirurgus domum meam petit , conſilium capturus , an Corticem Matri debeat offerre , nec ne . Abſente me ab Urbe , Juniorem Medicum , quem tunc inſtituebam in Praxi , allocutus eſt , votum illius ſaltem excerpturus . Cautus Adoleſcens ſe præbet ancipitem ; ſubdit tamen ſibi notum eſſe , quod Matrem meam in principio Quartanæ eo remedio feliciter ipſe curaverim . Hac notitia contentus Chirurgus , nec quicquam ultra quærens , ſtatim prima die vacua , poſt tertium paroxyſmum exhibet Matri ſuæ *drach. j.* Corticis : altera die pariter vacua , alteram ſimiliter Corticis *drachmam* , & die quarti futuri paroxyſmi *drach. ij.* quibus epotis , idem quartus paroxyſmus minime apparuit , nec ullus alius deinceps : immo nec recidiva , nec ullum

ullum amplius (quod unice notandum occurrit) ex ſuppreſſa cito Quartana ſucceſſit incommodum , ſed integra plane , conſtans , & inculpata valetudo.

VII. *Filiolus* bimus , unicuſque *D. Petri Joannis de Padronis* , cæteroqui vividus , ac probe valens , Febre Quartana duplici ex improviſo corripitur , quæ illum intra paucos dies plurimum extenuat , angit , atque debilitat . Huic præmiſſis aliquoties intermiſſionis tempore nonnullis cochlearibus *Sir. de Cichorio* cum *Rhabarbaro* , qui alvum vix tantillum ſubduxit , exhibitum eſt ſtatim Extractum Peruviani Corticis , pauco *Syr.* ex Corticibus Citri edulcoratum , paucaque ſimiliter aqua ex ejuſdem Floribus aromatizatum : quo per aliquot dies exhibito , ſublata penitus eſt Febris , cui ſucceſſit nullo interturbata incommodo perfecta ſanitas.

Ex tribus hiſce poſtremis exemplis cum pateat ex adverſo adhibitum eſſe feliciter in ipſo Intermittentium principio Peruvianum Corticem , videtur inferri poſſe , quod ubi nil purgandum in ſanguine præexiſtit , ſed ſolum peccat in ipſo fermentum febrile adveniens ab extra , capax tamen tractu temporis , ſi paulatim reſtitet ; febrim naturæ anticipitis in corruptivam convertere , non ab re ſit eodem nonnumquam in ipſo pariter principio , caute tamen , ac prudenter uti . Modo tranſitum faciamus ad alias recenſendas hiſtorias itidem felices citæ oblationis Chinæ Chinæ in febribus corruptivam naturam nondum quidem adeptis , ſed tamen ad eam acquirendam non longe diſpoſitis.

VIII. *Amita mea Monialis* 78. annum agens , inſultum apoplecticum ante tres circiter annos paſſa , atque ex eo hebes jam , immemor , ac ferme ſtupida reddita , anno demum 1708. capitur Tertiana duplici ſuapte natura Intermittente , cum paroxyſmis tamen ſeſe invicem excipientibus . Vix elapſis primis diebus , quibus præſidia medica conſueta , & poſſibilia uſurpata fuerant , eo devenit ſtupiditatis , ut nec cibum capere , nec urinam reddere , neque aliud quidpiam ſciens , aut volens , exercere potis eſſet , durante acceſſione , præſertim potiore , vel ſaltem nonniſi circa extremam declinationem ejuſdem , cui poſtea fere immediate ſubſequebatur altera cum rigore paulo minore . In hoc ſtatu dixi Monialibus aſſidentibus (quoniam Ægrotans eo paſſu ad obitum tendebat intra paucos dies , non tam ratione Febris , quam ratione adjunctorum) non aliunde quicquam ſpei ſupereſſe niſi forſitan ex tentamine Chinæ Chinæ , ſi eam aliqua hora minoris ſtupiditatis deglutire valeret : cujus tamen remedii adminiſtrationem , utpote in tali ſtatu difficilem , & probabiliter inanem , earum arbitrio relinquebam , ut ſolum ſi luberet , tentarent . Faciles ſe præbuere Moniales : & quoniam intra Clauſtra Pharmacopolium uſuale habent , ſtatim attulere remedium , quod ſumma charitate , & induſtria adminiſtratum fuit , & quaſi vi illata , ab Ægra deglutitum ad *ſemidrachmam* . Veſpere repetitum eſt eadem doſi , & facilius hauſtum , quoniam declinabat jam fortior acceſſio . Mane ſequenti oblatum eſt ac *drachmam unam* (ſemper enim facilius potabat) & veſperi ad *ſemidrachmam* cum debito intervallo , & congrua ab alimento diſtantia . Altera die , propinato ad *ſemidrachmam* pariter mane , & ſero eodem remedio , vix tantillum Febris apparuit , quæ brevi poſtmodum , continuato pauliſper medicaminis uſu , diſparuit omnino . Hoc autem mihi nequaquam mirum . Illud potius miratus ſum , & etiamnum miror , quod ſoluta Febre , ſtatim Ægrotans adeo vegeta , prompta , & memor evaſerit , ut vix talis fuerit ante inſultum apoplecticum , nedum ante Febrem . An vero phœnomenon iſtud plane mirandum Cortici adſcribendum ſit , an acerbo & continuo tumentium hæmorrhoidum dolori (quod ſymptoma ſublatæ pariter Febri ſtatim ſupervenit) anceps hæreo . Eventum tamen non abſimilem ab uſu Corticis refert de ſuo Avunculo *Morton* , *Hiſt. 26. De Proteiformi Febr. Intermitt. genio* . Perſeveravit ad aliquot hebdomadas , paucas tamen , Ægra in hoc ſtatu , ſolum hæmorrhoidum dolore vexata , & adjuncta alvi ſtipticitate , Clyſterum uſum ægre admittente . Tandem ſive propter hoc , ſive ob intermiſſum præmature nimis , nec diu continuatum , aut repetitum Corticem (metu ſcilicet , ne ab illius actione emerſerit in hoc uno caſu hæmorrhidum tumor , ac dolor) Febris rediit , & cum ea mentis , ac ſenſuum torpor conſuetus , quin etiam major . Aberam forte tunc ab Urbe , neque Ægram inviſi , niſi

poſt

post tertiam diem, quo tempore vix percipiebat, quæ circa eam fierent, aut dicerentur, meque ipsum vix dignoscebat. Quinta die cum esset nonnihil vegeta, sibi, ut ajebat, brevi morituræ instituit ministrari Sacramenta Ecclesiæ, quibus integre munita, redeunte statim accessione, quæ vehementer invasit, fere lathargica facta est, & deglutiendi impotens: ac propterea de China China propinanda ne cogitandi quidem fuit locus; quamobrem nullo perturbata remediorum incommodo, septima circiter die animam Deo reddidit. Ex hoc casu, si non aliud in rem nostram, saltem efficaciam remedii in subjecto constitutionis jam descriptæ, veterum affectionum temporaneam correctionem, & vitæ ipsius, laboriosæ licet, protractionem ab administrato, necessitate cogente, circa initia remedio, subit animadvertere.

IX. *Aliam Monialem* ex ordine Carmelitarum Excalceatarum, anno 76. natam, habitu corporis a multis jam annis cachectico, & squallore faciei cadavericum prope æmulante refertam, suffusione oculi utriusque fere obcæcatam, antiquoque insuper, & continuo asthmate laborantem, ita ut unum, vel alterum gressum movere non posset, quin anhelitu gravissimo ipsam loquelam præpediente corriperetur, Autumno an. 1707. invasit Tertiana duplex Intermittens, nec admodum fortis. Roganti, ut præmisso leniente levissimo, phlebotomiam jamdiu intermissam, antiquitus vero pro minuenda spirandi difficultate, sibi (etsi ex tunc etiam cachecticæ) familiarem, æque ac proficuam permitterem, annui limitata ad tres, vel quatuor uncias sanguinis detractione: ex qua facillime tolerata nullum sive commodum, sive incommodum subsequi dignoscere potui. Processit Febris de more nonn hil intensior in augmento morbi. Cumque in quinto Paroxysmo, quintaque pariter die non parum somniculosa videretur, licet quo ad alia non plus gravaretur, quam par esset: perfectis, quæ illi aliunde imminebant periculis, si Febris vel tantillum ingravescceret, vel modice protraheretur, præscripsi *scrup. j.* Extracti Chinæ Chinæ quotidie mane assumendum: quo bis tantum adhibito septima die vix umbra Febris se prodidit. Continuato deinceps, Febre licet jam extincta, ad alios tres dies eodem remedio, Ægra integre convaluit, & (quod magis refert) sine ulla penitus recidiva.

X. *Alia pariter Monialis*, degens in Cœnobio S. Claræ senex gracilis, & valetudinaria, inclinante Æstate anni 1709. corripitur Quartana simplici intermittente. Hæc ante quatuor circiter menses passa erat insultum levis Apoplexiæ, statim solutum per decubitum materiæ ad nervos partis sinistræ (unde ejusdem partis stupor universalis) nec non ad nervos opticos, & linguæ motorios, unde hæsitatio sermonis in illa, in oculis vero fen estratorum objectorum repræsentatio, & tandem stabilis caligatio. Superveniente Quartana credidissem, auctoritate *Hyppocratis*, materiam in nervos tum deturbatam, tum influere valentem, posse attenuari, digeri, atque resolvi; sed fortassis ætas, & debilis constitutionis languor obstiterunt. Quamobrem, licet Febris primis insultibus non admodum gravis videretur; cum tamen paulo post sumpserit incrementum, & robur, metum aliquem incussit tum Ægræ, tum mihi, ne scilicet ea suapte natura debilis pluribus accessibus valeret diu sufficere. Eapropter cum potius debilitari, quam refici partes affectas, & præcipue visionem, quotidie noscerem: in ipso etiam morbi *principio*, videlicet circa quintum (ni fallor) Paroxysmum, vel eo vix transacto, cœpit Corticem offerre ad *drach. ss.* singulo mane. Substitit Febris etsi valida post sex circiter oblationes; nihilominus continuatum est remedium usque ad dies 14. postea, quiete duarum plus minus hebdomadarum interposita, iterum exhibitum est ad *drach. j.* quotidie per tres dies. Immo ad majorem præcautionem altero simili intervallo posito, circa Æquinoctium Autumnale rursus exhibita est quotidie *drach. j.* Corticis per alios tres dies; unde stabilis sanatio, & præservatio absque ullo alio incommodo; immo potius cum levamine, & alacritate ad motum, sola oculorum caligatione superstite: a qua nihilominus nequaquam impedita est, quin sola, & sine adminiculis etiam post biennium quaquaversum vagaretur, & consueta munia mediocriter exerceret.

Atque Casus istos circa oblationem Corticis bono successu institutam in principio Intermittentium, *corruptivam* nondum naturam vere adeptarum, sed tamen in eamdem proclivium, retulisse sufficiat. Modo nonnullos alios circa eamdem oblationem præ urgentia symptoma-

tum

tum administratam, Febre scilicet in deterius labente, recensemus.

XI. Honestus Juvenis *Franciscus Degeli*, structura corporis universa ad Tabem apprime dispositа donatus, cujusque Frater jam tabibus, & Mater peripneumonica obierant, correptus est Anno 1699. circa medium Augustum Quartana simplici, quæ paulo post duplex est facta, illique adjuncta Tussis importuna noctu, & interdiu præcipue vero toto accessionis etiam declinantis tempore Ægrotantem concutiens, cum plurimo sputo materiæ spumosæ insipidæ. Hunc a principio hortatus sum, ut Febres ferret, opem postea idoneo tempore laturus, & citius etiam, si Tussis admodum increbresceret. Tulit ille tacitus Quartanam duplicem per duos Menses, tussimque contumaciissimam, & molestissimam, qua ad marasmum usque deductus est, cum tanta sputi spumosi copia, ut quanta fuerit; vix credi possit. Deerat a sputo omnis purulentia, non omnis tamen deerat intermissionis (qualiscumque) die febrilis incalescentia; cætera Tabidum consumptum referebat. Rursus accitus Ego, ac prædicta omnia considerans, statim, paucis præmissis, exhibui Corticem ad *drachmas duas* in Vino, ingruente Paroxysmo graviore, & confestim utraque jugulata est Quartana, tussisque inde manifeste imminuta, ipsumque adeo sputum. Per octo dies assumpsit *semidrachmam* ejusdem pulveris, & interim sedata est Tussis, Febre jam ante depulsa. Hinc ad duos Menses abfuit æque Febris ac Tussis; sed circa brumales Solstitium utraque reversa est, & utraque repetito pulvere iterum fugata. Quia tamen Quartana modo duplex, modo simplex, levior licet, irregulariter nonnumquam redibat, & cum eadem Tussis acerrima, sputumque suspectum, ideo Æger coactus fuit pluries idem Remedium parca dosi haurire, donec prope Solstitium Æstivum Anni 1700. a Febre, Tussi, & Macie, cui in dies succedebat proba nutritio, perfecte sese extricavit, nullum amplius morbum ab eo tempore passus ad Annum usque 1727., quo tempore e vivis sublatus est.

XII. *D. Carolo Antonio de Agnanis* Sacerdotis. Tertiana simplex Intermittens, quæ illum die 26. Julii 1707. adorta est, post septem leviores circuitus duplex est facta, æque tamen adhuc intermittens, ac levis. Curata est methodice, sed loco levaminis, potius paulatim exacerbata est Febris, quæ eousque processit, ut rigoribus, tremoribus, ac concussionibus intolerabilibus in invasione Ægrum vexaret, succedente dein plurima in somnum proclivitate, cum torpore mentis sat gravi, & postmodum delirio: quæ tamen omnia symptomata copiosus tandem sudor una cum Febre solvebat. Instabat Mater, ut Chinam Chinam præscriberem, Natum imparem oneri morboso credens. Renuebam tunc ego, ut qui vigesimam saltem diem jam prope imminentem expectare decreveram, vires enim erant ferendo. Transacta vigesima, Febris fit fortior, illiusque simul ingravescunt symptomata; insuper urina crassa est, pauca, & impense rubra. Renovantur querelæ de Cortice non adhuc propinato. Cunctabundus hærebam, videns morbum in summo vigore, quem proinde tunc veluti suffocare minime audebam, certus (ut opinabar) de recidiva longiore, cum tamen Febris adhuc intermittens securitatem cum diuturnitate polliceretur. Augebatur interim nonnihil qualibet accessione sopor, atque delirium. Et licet solveretur utrumque, soluta Febre: cum tamen relinqueret aliquod vestigium sui, instante viriliter Matre (mihi dubio procul infortunia quæ accidissent, exprobratura) Corticem præscripsi ad *semidrachmam* tantum mane ante Febrem, & sero declinante Febre. Sed cum postremus accessus iisdem non modo symptomatis, sed & ultra morem gravioribus fuerit comitatus, sequenti die dosim duplicavi, ut & die tertia. Statim Febris abiit; Urinæ factæ sunt concoctæ, & omnia tranquilla. Sumpsit Corticem iterum ad *drachmam semis*, semel tantum in die ad modicum tempus: quo elapso, Rus adiit, ubi paulo post, spontanea diarrhæa superveniente, perfecte convaluit, duos vel tres tantummodo Tertianæ paroxysmos post Æquinoctium Vernum anni 1708. iterum passus.

XIII. Generosum Virum, Supremum Domesticæ Ducalis Rei Præfectum, D. *Comitem Ludovicum de Marsciano*, Quartanæ prope bimestris, ni fallor, qua tenebatur (contigit id anno 1696.) ad nauseam usque tedebat. Curabat illum de more *D. Davinius*, meque tunc propter

pter ægritudinem impedito, & cæteroqui in consilium vocari solito, socius illi jungebatur in curatione Vir Scriptis suis, & multifaria eruditione Clarissimus, ac Orbi notus, *D. Bernardinus Ramazzinus*, Comprofessor quondam meus, summopere colendus in Lycæo Mutinensi, postea suspiciendus in Patavino, ubi Primariam merito occupavit Pract. Med. Cathedram. In morbi progressu accitus sum & Ego, ut qui meam jam cœperam circumferre convalescentiam. Nobis itaque omnibus in consilium vocatis, suum Æger de sumendo Cortice desiderium ardens exposuit. Jam Lien illi cœperat nonnihil intumescere, ac propterea ne ultro, ut mos est, durantibus Febribus intumesceret, instabat easdem illico supprimi. Me autem præ cæteris mirabatur cunctantem, quem faciliorem sibi persuaserat, quippe tunc a morbo gravissimo Corticis ope convalescentem. Ponderato symptomate, & iis omnibus, quæ contra usum Corticis adduci potuissent (quatenus metuendum foret, ne plus ob suppressam hoc pacto Febrem augeretur lienis tumor, quam si illius curatio vel omitteretur, vel remediis consuetis absolveretur) decretum fuit, paucis præmissis, esse annuendum votis Ægri, qui propterea statim sumpto Remedio eodemque modis jam dictis continuato, tum a Febre, tum a Splenis tumore absque ulla recidiva liberatus est: nisi forte Morosus quispiam recidivam morbi illius appellare velit lethalem ejusdem ægritudinem post septennium a causa evidenti productam, Febrem videlicet acutam, ex suppressa cutanea quadam habituali affectione oriundam, & intra 14. dies per abscessum ad anum imperfecte judicatam; quo demum abscessu prius in Gangrænam converso, mox difficulter curato, translatoque interim Ægro in aerem palustrem, Febris erratica subsecuta est, quæ tractu temporis lienis tumorem ascivit, dein Icterum, mox Hydropem, & mortem.

XIV. Gracilis *Uxor D. Francisci Guicciardi* Cantoris egregii anno 1708. duplici Tertiana Intermittente laborans, intra paucos dies, accessionibus sese mutuo excipientibus, eo devenit, ut jam versaretur in non levi discrimine, tessante id pulsu exili, motibusque manuum, & linguæ tremulis, cum subsultibus tendinum, & hujusmodi gravibus symptomatis, ratione quorum Viatico Eucharistico fuit munita. In Consilium vocor, & quoniam reliqua remedia ex arte præscripta fuerant, & Febris adhuc motum sensibilem suæ invasionis servabat, priusquam iste obliteraretur, statim Corticem Peruvianum proposui. Obstabat, vel videbatur obstare insignis, & amplius lienis tumor tempore morbi, brevi licet, genitus, qui *D. Floranum* Medicum curantem, Doctum, ætateque magis provectum, nonnihil hæsitantem reddebat. Cunctantem nihilominus hortatus sum, ne in gravi periculo præsentaneum, quod spondebam Corticis auxilium omitteret ob suspicionem augendi lienis tumorem, quem tractu temporis postea Ægra superstite curare poterat, nisi, sublata per Corticem Febre, sponte evanescceret: quod pluries mihi contigisse asseverabam. Annuit ille; & oblatis in remissione Febris *duabus drachmis* Chinæ Chinæ, & *drachma una* quotidie per duos sequentes dies, Febris omnimode depulsa est. Præscribitur tamen ad majorem cautelam alia *semiuncia* in octo parte dividenda, qua ad impediendam recidivam assumpta, præter illius expectationem Splenis tumor evanescit in totum: & sic eodem fere tempore a Febre simul, & a tumore lienis curata est absque ulla penitus recidiva. Plures Casus istiusmodi, præsertim Quartanis, tumore Viscerum infimi Ventris comitatis, & per Corticem una cum tali symptomate sanatis, afferre possem, quos tamen, utpote triviales, & passim obvios, satius est silentio præterire.

XV. Non æque tamen silentio præteream (ne scilicet meæ numquam desim ingenuitati) Casum singularem inter tot felices minus faustum, qui non mihi quidem, sed meo quondam Præceptori contigit, dum viveret; quamquam nec illum inter meos connumerem, neque Cortici imputandum credam, ut ei fortasse imputarunt mussitantes quidam Cynici illius temporis. Referam tamen, ut alii judicent.

Meus itaque colendæ semper memoriæ Præceptor, *Frassonus*, Nobili cuidam Viro Quartana Febre per mensem circiter detento, & supra modum vexato, cum notabili anhelitus difficultate, atque œdematoso pedum tumore, ante Febrem exortis, & cum ea in dies crescentibus Chinam Chinam exhibuit, & Febrem sustu-

ſuſtulit. Poſt aliquot alios ſucceſſive dies tumor œdematoſus ſuapte natura in incrementum pronus major eſt factus ad tibias, & crura ſenſim procedens Ventre non immuni; atque ita, increbreſcente anhelitus difficultate, intra paucos tandem menſes a ſeroſa colluvie univerſaliter obrutus Æger Fato ceſſit, Hydropicus Abdominis ſimul, & Pectoris.

Si Caſum hunc juſta lance obiter penſitare velimus, pro Cortici idemnitate ſubit animadvertere, non modo ante illius oblationem, verum & ante Febrem inchoata jam eſſe utriuſque Hydropis rudimenta, cui Cauſæ quoque prægreſſæ (quas modo recenſere non vacat) plurimum contulerunt: unde ex præexiſtente diſpoſitione in actum jam partim deducta potius quam ex ſuppreſſione Febrium, quibus non ſolum vigentibus, ſed & ante eas, ab alia cauſa ortum duxerat, Hydrops ille accenſendus videtur, quemadmodum egregie diſtinguit *Raymundus Reſtaurandus* -- *Vel enim* (inquit ipſe) *Hydropem præcedunt Febres, præſertim Quartanæ, ſicuti Celſus adnotavit, vel hæ ſubſequuntur Hydropem. Poſterioribus his inutiliter exhibetur China China; quandoquidem ſunt productum cauſæ, utplurimum curationem reſpuentis. Id remedium aliquando a me uſurpandum eſt in gratiam Ægrorum illud efflagitantium, ſolatium aliquod illis quæſituro: deſinebat revera Febris, ſed paucis poſt diebus revertens, vel ſaltem Hydropi nihil detrahens, utplurimum lethali* -- Quod & confirmat propria experientia Cl. *Nigriſolus* in Scholio ad hunc Textum -- *Non eadem eſt ratio* (ſequitur Reſtaurandus, celebris licet Humoriſta) *ſi Febres antecedunt Hydropem: nam non admodum difficulter curantur, nam ſæpenumero Hydrops recedit, dummodo omnia convenienter accedant, præſertim in catharticorum uſu, quæ eadem die Febres revocantia, hoc pacto Hydropi augmentum, & fomentum præbent.*

Sed etiam præter hoc, quod maxime verum obſervatur in Praxi, certum eſt ex adverſo, & omnibus notum, plurimos ex Quartanis per Chinam Chinam nequaquam depulſis ſponte ſua in Hydropem labi. Immo Æſtate anni ſpecialiter 1707. non paucos vidi in Urbe noſtra ex Tertianis ſimplicibus, atque duplicibus, quibus Cortex adminiſtratus non fuerat, intra paucos dies tumidos factos, ac veluti Anaſarca (rectius pectoris Hydrope) correptos obiiſſe, inter quos Puerula *D. Comitis Sorræ*, tres circiter annos nata, Parentum ſuorum antea deliciæ, mox luctus. Contra, eodem tempore Germanus quidam ex ignobiliore famulatu Sereniſſimæ Duciſſæ Brunſvicenſis Dominæ meæ, Quartana triplici laborans, cum univerſali Corporis, præcipue vero Abdominis intumeſcentia, itaut jam Hydropicus conclamaretur, curatus eſt a *D. Clerici*, me tunc abſente, vocato, per Chinam Chinæ: per quam fugatis Febribus, fere ſponte, vel ſaltem pauciſſimis, atque leviſſimis adminiculantibus remediis, Hydrops ille, plus quam incipiens, utpote Febrium vel ſoboles, vel comes prorſus evanuit. Immo, dum hæc actu conſcriberem, Quartanarium *Sacerdotem Eccleſiæ S. Viti Rectorem* China China ipſe curavi, cui Quartana ſimplex in duplicem converſa pedum, tibiarum, crurum, nec non ipſius abdominis intumeſcentiam intulerat, cum reſpiratione difficili, & ad quemcumque corporis motum valde anheloſa. Huic ergo, ſublata ope Chinæ Chinæ Febre (ſimplici tantum leniente præmiſſo) partes omnes antea turgidæ, ſponte, ac brevi detumuerunt, & reſpiratio in ſtatum omnino naturalem rediit, itaut libere ambulare: ac ipſi venationi indulgere facile potuerit. Et licet mox recidivam ſit paſſus quoad Febres, non tamen ullam paſſus eſt intumeſcentiam, aut anhelitus difficultatem; unde nullo negotio, poſt modicum temporis repetito remedii uſu, prorſus convaluit.

Si ergo ex una parte ſine uſu Chinæ Chinæ Quartanæ Febres ſæpius Hydropem accerſunt: ex alia vero parte, ſi ope illius evaneſcit cum Quartanis Hydrops inde productus, ut modo retuli, cur in caſu unico, ubi, fugatis per eamdem Febribus, proceſſit ultro jam inchoatus Hydrops; adſcribendus erit ille ipſi Chinæ Chinæ, non vero antecedenti diſpoſitioni poſt depulſas Febres adhuc ſuperſtiti? Exempla Febricitantium, quibus Hydrops adjungebatur, curatorum ope Chinæ Chinæ, ſunt adeo in Praxi obvia, adeoque familiaris eſt hujuſmodi curatio utentibus Peruviano Cortice, ut minime hæſitarit idem *Reſtaurandus* peculiare Caput inſcribere -- *De Hydropis ſuccedentis Febribus Curatione ope Chinæ*

Chinæ Chinæ : ubi plures adducit hiſtorias hujuſce generis notatu digniſſimas. Idem vide apud *Monginotium*, *Joneſium*, *Blegnyum*, *D' Acquin*, *Badum*, *Glantzium*, & alios ; quod Lectori lubet indicare, ne unum tantum uni Caſui videar opponere, cum proſtent mille favorabiles.

His ſtantibus, decernat modo pro libito quicumque vult ſuper eodem Caſu infauſto ſuperius allato, intra annos triginta unico, quantum novi, videatque, an tanta illum teneat fiducia, ut Corticem propterea vel abſolute noxium valeat damnare. Ad me quod attinet, crediderim, illum non ſuffeciſſe quidem curationi Hydropis a Febre nequaquam pendentis, ut ſuffecit curationi ipſius Febris; minima vero putarim ulli eorum obfuiſſe : cujus rei exemplum non abſimilem afferam ipſe *Lib.* 3. *C.* 5. *Hiſt.* 5. Quod ſi vere obfuiſſe contendatur, id ſaltem præcipitanter non imputetur Remedio ſuapte natura inſonti, ſed inopportunæ forſitan, aut præmaturæ illius oblationi. Hanc ob cauſam conſtitutæ a nobis ſunt, quæ in antecedentibus exſtant, pro congruo illius uſu Regulæ, ac Exceptiones : quibus cum hoc Caſu collatis ſatis patet, ſuſpectam de inani eventu quo ad ſublationem Hydropis eſſe potuiſſe ab initio oblationem Febrifugi. Quandoquidem, etſi vere Depurativa non erat Febris adjuncta, itaut Corticem abſolute reſpueret, neque tamen erat vere Corruptiva, itaut plane eumdem admitteret, quippe Hydropem illum ante ipſam ſponte ortum nequaquam producens. Notum eſt autem, quodvis Remedium, utut innocuum, ſæpe non prodeſſe, & nonnumquam etiam obeſſe, ſi minus tempeſtive adminiſtretur -- *Sed hoc eſt peccatum temporis* (inquit *Badus*) *non eſt Medicinæ peccatum*.

XVI. Eo ipſo tempore, quo curabam *D. Comitem Nogarolam* a Quartana ſimplici in *Pernicialem* converſa, inſignemque illius curationem ſpecialiter deſcribendam *Cap.* 6. *Lib.* 3. trahebam feliciſſime media valida methodo tunc primo a me excogitata offerendi Chinam Chinam in caſibus hujuſmodi, eodem quoque tempore habebam præ manibus *D. Geminianum Levizzanum*, Virum Patritium, decumbentem ex Tertiana Intermittente primo ſimplici, mox duplici, tandemque naturam *ſubcontinuam*, & *corruptricem* adepta. Circa morbi initia, cum erraca in victu prægreſſa, & repletionem Ventriculi fateretur Æger, oblatum eſt vacua die, nempe 13. menſis Septemb. an. 1695. Elect. lenitivum ad *unc. j.* mox altera die vacua correſpondente celebrata eſt phlebotomia, & in progreſſu adminiſtrata ſunt ex arte conſueta remedia. Cum hæc nihil proficerent, ſed Febris quotidie magis invaleſceret, vocatus eſt in conſilium *D. Ramazzinus*, cujus ſuaſu exhibitus eſt 23. Septembris die inter reliqua Cardiaca Lapis Bezoardicus, & die 25. affixa ſunt femoribus veſſicantia, ob motus artuum convulſivos, gravemque totius nervoſi ſyſtematis affectionem. Quia vero morbus in deterius labebatur, & qualibet acceſſione pulſus fiebat humilior, ac abolitioni proximus, algorque feralis artus omnes univerſaliter detinebat ad plures & plures horas : ideo metuentes ambo, ne una, vel altera acceſſione ſuperveniente Æger occumberet, de antevertendo totis viribus paroxyſmo eramus ſoliciti ; idque ſperabamus quidem unanimiter a China China, ſed cum hoc diſcrimine, quod *D. Ramazzinus* ei non ſatis fideret in tali caſu ad exitium tendente (eſto quod periodi adhuc non obſcure ſe proderent) Ego vero certam illi fiduciam adhibere, eo quod inſignes ejus vires in caſu longe graviore, & morti proximo, nempe in memorato *Comite Nogarola* actu experirer. Cum autem die 27. illius menſis Corticem exhibuiſſem eidem *Comiti*, & mane diei 28. eum jam morti ereptum, ut referam ſuo loco, inveniſſem, eadem die 28. Septembris enarrans *D. Ramazzino* caſum, & exitum felicem, omnem ab eo hæſitantiam ſubmovi circa oblationem Chinæ Chinæ in hoc quoque caſu magis vulgari, etſi graviſſimo. Quamobrem ea ipſa die 28. qua mirus effectus Corticis die prægreſſa oblati *D. Comiti Nogarolæ* jam per Urbem celebrabatur, illum obtulimus D. quoque *Levizzano*, ſed methodo tantum vulgari, ut vulgaris adhuc quodammodo dici poterat (quantumvis graviſſima, ſed tamen inducias aliquas adhuc præbens, morbi conditio. Oblatus ergo eſt Cortex ad *drachmas* tantum *duas* juxta morem, quoniam ſufficiens erat a futuro paroxyſmo diſtantia, ut vis remedii juſta doſi exhibiti in actum deduceretur. Repetitus eſt dein illius uſus die ejuſdem menſis 30. ad *drach. j.* & per quinque dies ſic continuatus : unde celer, & integra Febris quondam *benignæ*, mox naturam *corruptivam* ſenſim adeptæ, ſolutio.

XVII. *D. Carolo Tamburino*, præclaro, & egregiæ indolis Adoleſcentis, poſtea Caſſinenſi Monacho. Quartana correpto, in tertio Paroxyſmo ſupervenit ex improviſo cæcitas fere omnimoda cum dilatatione pupillæ utriuſque oculi. Symptomata hoc viſus abolitionem minitans uno, vel altero repetito Febris acceſſu *D. Candrinum* illi aſſidentem impulit, ut de Febre graviſſimi hujuſmodi affectus productrice ſupprimenda cogitaret. Super hac re tamen me privatim conſuluit, & annuentem habuit; dein conſilio inito cum *D. Ramazzino* (ſic exigente Ægrotante) ſancitum fuit inter ipſos, Corticem nulla mora interpoſita eſſe propinandum: quo facto, ſtatim ſubſtitit Febris, nec amplius rediit, viſuſque ſenſim cœpit in priſtinum ſtatum reduci, mediantibus etiam aliis remediis materiæ jam parti infixæ diſcuſſionem promoventibus: quod egregie præſtitum fuit, remanente tantummodo ea viſus imbecillitate, quæ pro acutiore, ac minutiore obtutu, opem Specillorum expoſcit.

XVIII. Pro Coronide caſum hunc addam, qui meo quondam *Præceptori* pariter contigit, & qui ſignate adnotetur velim, cum ſuper hoc uno fundata primo fuerit Praxis mea circa uſum meliorem Corticis, translatum ſcilicet, atque promotum ad curandas Febres Exitiales, de quibus tum Libro ſequenti, tum præſertim tertio. Caſus autem fuit hujuſmodi.

Patritius quondam Vir *D. Octavius Maſſellus* quinquagenarius, habituſque Corporis ſummopere obeſi, corripitur Febre Quartana ſimplici Intermittente circa annum 1678. Poſt aliquot Paroxyſmos incipiunt acceſſiones fieri aliquantulum fortiores, & in ſua duratione protrahi. Obſervantur tractu temporis in vigore febrilis efferveſcentiæ aliqui motus tremuli, & ſubſultus tendinum, lingua fit ſcabra, urinæ imminutæ, ac craſſæ, menſque non omnino conſtans: ſoluta tamen acceſſione, ſolvuntur omnia. Quia vero quolibet Paroxyſmo gradatim intenduntur eadem ſymptomata, & paroxyſmi iidem majorem extenſionem acquirunt, de propinando celeriter Cortice, priuſquam Febris reddatur Continua, decernit *Experientiſſimus Fraſſonus* curans. Et quoniam eundem Ægrotantem amicitiæ ergo inviſere ſolebat alter Medicus majoris auctoritatis, & gradus, licet nec majoris eruditionis, nec æqualis experientiæ, huic quoque communicari *Fraſſoni* conſilium, congruum viſum eſt aſſidentibus. Horruit hic, iis auditis, mala innumera Ægro ominatus, ſi China China oblata fuiſſet, cui potius remedia Cardiaca, & Bezoartica ſubſtituenda eſſe clamabat, repetita inſimul, quæ paulo ante luculenter celebrata fuerat, Venæ ſectione, hirudinum quoque, & cucurbitularum appoſitione inſtituta, & aliis hujuſmodi. Hæc *Fraſſono* relata impedimento fuere, ne Corticem offerret; proteſtabatur tamen, quod cuncta male ceſſura erant Amico Ægrotanti, neglecto uſu Corticis opportuno. Differri in alteram ſaltem acceſſionem hujuſmodi remedium inſtabant Conſanguinei Ægrotantis. Periculum eſſe in mora, reſpondebat *Fraſſonus*: ſe tamen nolle, altero Medico non approbante, immo palam improbante, Corticem exhibere. Interim non obſtantibus, quotquot præſcriberentur, Cardiacis, aliiſque præſidiis, novus de more Paroxyſmus acceſſit, iiſdem, ſed longe intenſioribus ſtipatus ſymptomatis, quibus inſuper ſingultus frequens, atque importunus addebatur. Neque evanuere brevi, ut antea, eadem ſymptomata, ſed tantum imminuta fuere cum proportione aliqua ad decrementum Febris, quæ tamen protrahi cœpit uſque ad alterum paroxyſmum, remiſſionem tantummodo modicam paſſa loco conſuetæ intermiſſionis. Intra duas, vel tres acceſſiones mortem futuram non ſine lacrymis ominabatur *Fraſſonus*, omiſſionem culpans ex una parte, & ex alia gratias Deo reddens, eo quod ſors veluti quædam obſtiterit oblationi Corticis, quem fortaſſis inaniter, & cum calumniæ periculo tentatum (quandoquidem tentatus foret) ex iis, quæ ſubſecuta erant, ſuſpicabatur. Clamabat contra alter Medicus, optimum conſilium fuiſſe, abſtinuiſſe a Cortice, quippe remedio ſemper quidem ſuſpecto, maxime vero in hac Febre, occultam prius, mox remediorum methodicorum ope develatam malignitatem præſeferente. Clar. interim J. C. Philologus eximius, & Mathematicus Seren. Ducis, D. quondam *Jo. Baptiſta Boccabadatus*, Amicus Ægrotantis amantiſſimus, *Fraſſonum* privatim interpellavit, ſuaſitque, ut Corticem vellet exhibere, poſthabitis alterius Medici in Curam nequaquam vocati ſophiſmatis, quotieſcumque eo remedio Ægrum ſanari poſſe haud improbabiliter crederet, quem cæteroqui ad

exi-

exitium properantem, ipſe clare dignoſcebat: ſubdens inſuper, æquum non eſſe, ut propter Medicas cavillationes, vel politicas cautelas, vel vana officia periret homo, intentato remedio probabiliter profuturo. Ad hæc reſpondebat *Fraſſonus*, occaſionem ſuapte natura præcipitem jam lapſam eſſe, Febrem jam, nedum Continuam (etſi remittentem) ſed & malignam eſſe redditam, & conſequenter Cortice inexpugnabilem. Interroganti vero, num ſaltem ſine damno poſſet remedium tentari, ultro reſpondebat, ſe credere Corticem in hoc caſu æque inſontem, ac invalidum: nolle tamen proinde dubio tentamine illum Ægrotanti præſcribere, *nec ſubire ſpectem ejus ut occiſi, quem brevi ſors ipſius erat peremptura*. Si res ſic habet, ſubjunxit alter: offeram ipſe; nec refert, ſi Virum mihi amiciſſimum, cæteroqui moriturum jugulaſſe dicar, quem interea forte ſervare per remedium tutum in periculo certo, & in occaſione ancipiti, extra ſpem non eſt. Hoc dicto, abiit ſtatim, *drach. ij.* pulveris Chinæ Chinæ a Monialibus emptis ſecum detulit, eaſque ex Vino, ut mos erat, Ægro potandas dedit ingruente paroxyſmo: quo non ſine magno diſcrimine tandem tranſacto, novus non rediit. Inſcius rei geſtæ alter Medicus triumphum canebat, reportatam de morbo victoriam Cardiacis adſcribens. *Fraſſonus* vero totius ſucceſſus conſcius jam factus, dolo laudabili, eumdem Corticem adhuc præſcribebat ad *ſemidrachmam* ſingulo mane in forma boli, ſub nomine Confectionis Alchermes, & de Hyacintho. Hic pia fraude citra aliud pharmacum Æger a reliquiis febrilibus, a motibus convulſivis, ſingultu &c. intra paucos dies feliciter evaſit, nullam omnino dein recidivam paſſus.

Hujus eventus menti meæ tunc validæ impreſſi crebra poſtmodum reminiſcentia quemadmodum mihi occaſionem præbuit olim excogitandi Methodum efficaciorem China China utendi pro Febrium Pernicioſarum tum Intermittentium, tum Subcontinuarum medela, ut nuper innui: ita poſtea fidentius animum addidit pro faciliore, vulgarique illius uſu in quibuslibet Intermittentibus non plane quidem *Perniciofis*, ſed ob adjuncta in progreſſu gravia ſymptomata naturam *valde corruptricem* nactis. Sic nuper (ut unum, alterumve hujuſmodi exemplum curſim ſubnectam) tenellam Virginem, Neptem ipſius Præceptoris mei *Fraſſoni*, Tertiana duplici primum Intermittente, mox Subcontinua cum præexiſtente Chloroſi, ac Cachexia detentam, dum tranſacta decimaſeptima morbi die Febris in Acutam jam ſenſim degenerantis indicia ſe proderent cum notabili periodorum obſcuratione, China China bis in die parca doſi propinata ſatis laudabiliter curavit: Chloroſi quidem pro tunc ſuperſtite, ſed & ea quoque propriis remediis opportuniori demum tempore ſublata. Aliam denique (ne longior ſim) Adoleſcentulam, Infectoris cujuſdam filiam antiqua item Choloroſi, tuſſi moleſtiſſima, diuturnaque ſimul Tertiana duplici Subcontinua, quæ acuta palam ſymptomata tandem aſciverat laborantem, unde illi vel Vitæ periculum proxime imminebat, vel tranſmutatio Febris in habitualem (id quod macies inſignis cum calore ad tactum acerrimo, tuſſis contumax, & ſymptomatica indefinens ſudatiuncula ſatis indicabant) exhibitus in his circumſtantiis Cortex, idemque ad diutinum tempus continuatus, ac repetitus, perfecte ſanavit.

Atque has tandem Hiſtorias, quarum ferme quælibet rationalem, & cautam Chinæ Chinæ adminiſtrationem oſtendit in Febribus Intermittentibus, ſuapte quidem natura *benignis*, ſed quopiam ſui progreſſus tempore ob ſuperventum graviorum ſymptomatum naturam *corruptricem* adeptis, placuit recenſere: immo & aliquam ex iis inſerere, in quibus Febris neque Perfectiva quidem, ſed neque ex ſe plane Corruptiva, alicui morbo etiam inſanabili prærorto, vel ſaltem præconcepto, ſupervenit, qualem *num.* xv. ſupra retulimus. Quæ ſane omnia non alio nomine hic fuimus complexi, niſi ut multifariæ oblationis Peruviani Febrifugi in quibuslibet Intermittentibus non Perniciofis, ut & in quibuſvis illarum circumſtantiis, & quolibet pariter ipſarum tempore inſtitutæ, exemplum aliquod proſtaret modo magis, modo minus felix, ad illuſtranda ſecundum praxim, confirmandaque cuncta, quæ antea ſtatuimus, & ad complementum integrum primi hujuſce Libri: cui propterea, omnibus jam, quæ in eo proponere contigit, abſolutis, Deo dante, finem imponimus.

THERAPEUTICES SPECIALIS

LIBER SECUNDUS.

Febrium Pernicioſarum Intermittentium (ſaltem ab ortu) deſcriptionem, & curationem continens, ex aliorum Auctorum obſervatione, additis Scholiis materiam hanc magis illuſtrantibus.

CAPUT PRIMUM.

Malignus mos, & prava in univerſum Febrium hujuſmodi Pernicioſarum Natura indicatur. Accurati circa hanc materiam Auctores perpauci. Vis Peruviani Corticis *adverſus eas eximia.*

JAM vero poſtquam latiuſcule ſpeciati ſumus, fas eſt paululum vela contrahere, & recta deinceps terminum petere, in quem ab exordio, totoque pariter primi Libri decurſu ſaltem indirecte collimavimus. Etſi autem, quæ hactenus tradidi, reputem talia, ut cum ſubſequentibus, licet longe certioribus, non male cohæreant, quippe nec in ſemetipſis vana, nec in praxi abſona, vel contemnenda: ſi cui tamen ea non prorſus arrideant, liberum ſit ei ſentire quod velit in rebus identidem tam incertis, ac dubiis, me quidem hic loci minime reluctante. Quamobrem mutata in totum priore ſcena, fingere ſaltem non renuo, fallaces fuiſſe uſque adhuc omnes ratiocinationes meas. Atque hac fictione ſuppoſita, do lubenter cuicumque (nec piget) Chinam Chinæ in benignis Intermittentibus, etſi fuerint diuturnioris, aut difficilioris judicationis, non adeo liberaliter eſſe uſurpandam: do, quod ignoto nobis modo intimiore operationis illius, quaſi agentis incantamenti adinſtar, detur anſa ſuſpicandi, quod cauſa Febris intus detineatur, quod Febris ipſa conſopiatur potius, quam ſanetur, poſt repetitam quandoque pluries, ac pluries remedii oblationem nihilominus reverſura. Hæc, inquam, omnia do cuicumque contra Febrifugum iſtud pertinacem etiamnum antipathiam foventi: immo fateor, quod hæc ipſa qualiſcumque nonnullorum conſtans averſatio, quantumvis vana, non poteſt, quin mihimetipſi, oppoſitum licet palpanti, ſed de imbecillitate mea, ut par eſt, demiſſe ſentienti, quidpiam vel demat, vel ſaltem enervet fiduciæ meæ: ut propterea Peruvianum Corticem rariuſcule in iiſdem Intermittentibus *benignis*, quæ ſcilicet non raro *depuratoriæ* ſunt, niſi aliqua inde emergens urgeat neceſſitas, conſueſcam præſcribere, ut alias edixi. Quod forte haud facile credidiſſet quiſpiam ex iis, qui me pro hujuſmodi remedio in antecedentibus quaſi declamantem (neque tamen dicti me pœnitet) ac veluti pro aris, & focis dimicantem legerit.

Revera minime ex animi proclivitate ingenita erga illud, remedium iſtud tueor, vel opiniones meas, vel dicta mea, quæ parvi facio: ſed miſeros tantum Ægrotantes ſtudeo tueri ab exitio, cæteroqui nonnumquam irreparabili, quomodocumque illos & prompte, & certo tueri valeam, Neque enim refert in præcipiti caſu, & inſtante morte quærere, utrum tollatur omnino, an ſolum conſopiatur, vel figatur Cauſa Febris, ſicuti neque, an Curatio ſit quodammodo Palliativa, & an metus ſit Recidivæ. Qui enim jam prope moritur, quoquo modo ſanari queat, ſanetur ſaltem ad tempus, ut iterum poſſit ægrotare, ut in poſterum, dummodo ſerius, poſſit occumbere. Hoc unum ſi ſponderem, non quid minimum ſane ſponderem. Quid ſi integram, favente Deo, incolumitatem polliceat? Cum ergo iſtam & firmam, & tutam opportuno Peruviani Corticis uſu in quibuſdam Caſibus, etiam ferme deploratis, obtineri poſſe plu-

rimo

rimo uſu compererim : ideo, poſthabitis Theoriis omnibus, quæ fallaces eſſe poſſunt, & fortaſſe ut plurimum ſunt, certam tantummodo ſanationem in certo periculo oſtendam ; quod eſt potiſſimum totius noſtri Tractatus argumentum.

Contigit itaque aliquoties, ut Intermittens Febris quælibet, maxime vero Tertiana tum Æſtiva, tum Autumnalis, tantam præ ſe ferat pravitatem, eamque primis paroxyſmis adeo occultam, adeo latentem, ut quantumvis Medicus (niſi admodum cautus ſit, & expertus) nil tale metuat, illa tamen inopinato tertia, quarta, vel quinta acceſſione Ægrum tollat de medio, omnibus artis conatibus plane irritis, excepto peruviano Cortice : cui uni, ſi valide uſurpetur, indita fuit a Deo facultas, hominem in extremo periculo conſtitutum præſentaneo auxilio ab Orci faucibus eripiendi, dummodo ad vigintiquatuor horas circiter victurus ſit, quatenus ſcilicet per totidem diſtet a nova acceſſione ipſum proxime interemptura. Priuſquam tamen certam Methodum prodam ducendi in uſum ſtrenuum iſtud Medicamentum in hujuſmodi caſibus, in quibus poſſe illud perficere, ne per ſomnium quidem ante me (abſit a verbo veritatis jactantia) cogitaverat quiſquam apud nos neceſſe eſt, caſus ipſos, ſeu Febres illas peculiares, atque exitioſas, in quibus ſpecialiter convenit, exacte deſcribere : maxime cum iſtiuſmodi Febres conſtituant intra genus Intermittentium ſpeciem ſuam determinatam, in varias etiam differentias ſeu ſublaternas ſpecies diviſibilem. Neque enim illæ, licet non admodum frequentes ſint comparative ad Intermittentes benignas, ſunt adeo infrequentes, ut quolibet anno aliquas ſaltem earum cuilibet Medico Ægros plurimos inviſenti non contingat obſervare ; immo audeam aſſerere, illas in quibuſdam conſtitutionibus præſertim fervidioribus, & prope dies in primis caniculares, necnon etiam ultra Autumnale Æquinoctium, adeo familiariter nonnunquam, graſſari, ut neſcio quid, fere dixerint, Epidemici redolere videantur. Atque ideo non parum forte præſtitero, neque Monſtri cujuſpiam in Medicina perrari jugulationem tradidero, ſed morbi ferociſſimi, & paſſim obvii, ſuamque, ut dictum eſt, ſpeciem apud Medicos ſaltem accuratiores obtinentis, ſi Febrium harum prius Naturam, aut morem deſcribam, ut poſſint dignoſci ; mox Methodum exhibendi in iiſdem Peruvianum Corticem proferam, ut poſſint expugnari.

Ne tamen videar affectare novitatem, ubi ea vere non eſt, palam profiteor, in ore Medicorum identidem ſubaudiri illarum nomenclaturam, eaſque vulgo *Perniciosas* appellari. Sed id fere tantum dici conſuevit, cum jam hominem interfecere : quaſi Medicus eo caſu non ultra teneatur pro ſui tutela, niſi de aperiendo poſt obitum Ægrotantis nomine Morbi inopinato lethalis facti, ſitque ſatis, ſi re infeliciter geſta ſtupidus exclamet, ac terrefactus -- *Quis unquam credidiſſet ?* Neque plane reprehenſibilis hucuſque fuit hujuſmodi excuſatio : cum retroactis temporibus vix tantillum luminis proſtaret Medicis pro tempeſtiva fraudulenti hujuſce Morbi dignotione, aut curatione. Etenim nulla fere apud Auctores (exceptis infra recenſendis) facta reperitur niſi per tranſennam mentio Intermittentium *Perniciosarum :* & ſiquidem reperitur ; nulla tamen peculiaris earundem præſcribitur cura, ſed oſcitanter prætermittitur : dum ex adverſo *Benignarum* ſola periodo ſe prodeuntium, & ſepteno ut plurimum circuitu ſponte ceſſantium, graphica traditur deſcriptio, & copioſiſſimus inſtituitur pro ipſarum curatione remediorum apparatus.

Unus inter Antiquos excipitur, ut qui utrumque egregie præſtitit, *Ludovicus Mercatus*, Vir celeberrimus ſuorum temporum, & duorum Hiſpaniæ Regum, Philippi Secundi, & Tertii Protomedicus, qui Tertianarum Intermittentium Pernicioſarum deſcriptionem æque ac curationem diſtinctam pro viribus Artis illius ſeculi incomparabili ſedulitate complexus eſt. Illius deinde animadverſiones Diagnoſticas tantum, atque Prognoſticas in fide Auctoris potius, quam ex propria obſervatione retulit, ac in epilogum ſatis luculenter contraxit *Daniel Sennertus*, ommiſſa tamen multifaria primi Auctoris curatione, ſingulis Pernicioſarum ſpeciebus, aut differentiis ab ipſo conſtitutis, accomodata. Et quaſi nil de hac re poſſit ipſe teſtari, priuſquam ſenſa *Mercati* referre aggrediatur, hanc veluti proteſtationem partes tantummodo relatoris agens præmittit - *Verum, licet Tertianas Febres Intermittentes omnium Putridarum breviſſimas, & ſecuriſſimas eſſe vulgo tradatur : quia tamen Ludovicus Nereatus* lib. de febr. 6. *experientia ſibi compertum* ſcri-

ſcribit, etiam tertianas nonnunquam periculo non carere, febres etiam Intermittentes inopinato Ægros non paucos perdidiſſe, breviter complecti libet, quæ ille adnotavit -- Reliqua vide apud eundem *Sennertum* ſuo loco. Alii quoque Auctores (quod & alibi ſum dicturus) Pernicioſas Intermittentes dari ſcripſerunt, aut docuerunt exemplis, ſed obiter; nemo autem, quod ſciam, Spartam hanc, ut *Mercatus*, adornandam ſuſcepit.

Inter Recentiores vero *Richardus Morton* Practicus Londinenſis feliciſſimus Intermittentis Pernicioſæ deſcriptionem ſub aliorum potius Morborum nomine, quam ſub nomine ipſius Febris (cujus tamen iidem morbi ſive veri, ſive crediti, ſunt mera ſymptomata) aggreſſus eſt: & quod magis refert, illius Curationem ope Chinæ Chinæ (mihi quoque, antequam ipſe ſua ederet ſcripta Urbe mea teſte compertam) auſpicato attigit, & experientia multiplici confirmavit; licet apud nos, neſcio quo Fato, perexiguam, ac fere nullam viſus ſit fidem obtinuiſſe; forte quia, vel quæ protulit de ſuo Veneno Febrili, & de actione Peruvianæ Antidoti in illud, communiter parum arriſerint, vel quia larva illa Proteiformis, quam ipſe febribus Intermittentibus impoſuit (eaſdem ſub aliorum morborum ſpecie, omni ſuppreſſa Febris ſignatura, latere aſſeverans) illas adeo velarit, ut potius Morbos illos, quam Febres velle curare per Chinam Chinam ſit creditus. Quod equidem, ſicuti in his terminis falſum eſſet, ita ſic intellectum pro falſo forte reputatum eſt? licet Auctor omni laude, omnique fide digniſſimus, ſi attente legatur, vere aliter ſentiat.

Cum itaque contra Methodo clariſſima in Pernicioſarum Intermittentium deſcriptione procedat *Mercatus* Illi propterea, urpote Primo Obſervatori, concedenda eſt in præeundo dignitas ordinis. Et quoniam tam dilucide ſcripſit, ut non facile fas ſit æquali claritate, ac ordine idem præſtare, liceat potius, quam vel id intentare vel Lectorem illuc relegare cum incommodo, liceat, inquam, quæ ipſe exaravit, tranſcribere ad literam, prout jacent in Codice meo, & brevibus tantummodo Scholiis appoſitis, a veteris Doctrinæ Zizania tantillum purgare. His abſolutis, *Mortoni* poſtmodum ſenſa lubet adjicere in ſubſequentibus, ad hoc, ut Lector commode poſſit utramque deſcriptionem ob oculos poſitam, cum utilitate ſimul conferre: ut demum, tantis toto ſecundo hoc Libro præmiſſis luminibus, clarius quæ ex obſervatione mea, & diutina praxi, ipſe tandem ſum prolaturus in tertio, valeant intelligi, credi, & in communem uſum adoptari.

CAPUT II.

De Tertiana Pernicioſa ex *Ludovico Mercato*, Scholiis aliquot inſuper adjectis.

IN eo febrium genere, quod febres complectitur tertio die exacerbationem efficientes, pernicioſa hæc, neque ſatis vulgata, aut cognita tertianæ ſpecies, non ſine magno laborantium exitio, & Medicorum admiratione reperitur. Quæ ſane ut rarius accidit, ita difficilius noſcitur, graviuſque ob id invadit, & ob ignorationem, majorem infert terrorem, & admirationem; & quod pernicioſius eſt, negligentius curatur. Quis enim credet uſquam, tertianam febrem poſſe lethalem fieri, eo maxime cum ab Hippocrate dictum ſit: Quocumque modo intermiſerit, periculum abeſſe ſignificat, *& mille aliis in locis tertianam breviſſimam, ſecuriſſimamque eſſe. Sed mirari jam deſinat quiſque, cum experimento non admodum raro conſtet, febres multis modis intermittentes inopinato laborantes non paucos perdidiſſe, decepiſſeve Medicos, vel doctiſſimos. Quamobrem quod experimento mihi in hac re habeo compertum, hoc uno capite patefacere ſtudui.*

SCHOLIUM I.

Auctor reapſe ad Pernicioſæ Febris genus ſolas tantum Tertianas tum ſimplices, tum duplices refert; quod quidem frequentius, & infortunio magis præcipiti ſolet contingere: nihilominus etiam Quartanis Intermittentibus tam ſimplicibus, quam duplicibus, aut triplicibus eundem characterem (rarius licet, ac lentius) nonnunquam accedere, ſatis oſtendunt Hiſtoria ultima Libri antecedentis, aliæque in ſubſequentibus exponendæ. Idem quoque videre eſt apud *Donatum*, *Mortonum*, & *Horſtium*. Idque ipſum pariter Intermittentibus quibuſvis quandoque accidere poſſe; nullus dubito. Pravam autem hujuſmodi Febrium naturam ſatis aperte in ipſa definitione patefacit, ubi eas *lethalium* nomine ſtatim deſignat.

Est itaque pernicioſa tertiana febris quædam, quæ ſimulata tertiani circuitus effigie, lethalis, & mille accidentibus periculoſiſſimis implicata exiſtit. Tertianæ tamen vocabulo, & ſimplicem, & duplicem ſubaudiendam eſſe diximus, cum utramque pernicioſam eſſe haud raro mihi, & multis compertum ſit.

Fieri quidem pernicioſam aliquam tertianam, contingit uno e ſex modis. Primo *quidem, occaſione membri alicujus præcipui, in quod decumbat humor, quem natura a vaſis ad eorum extrema tranſmittit: nam cum membrum ex præcipuis ſit, dubium non eſt, vitæ periculum impendere ex læſione quavis in ipſum illata, haud ſecus quam in turgentibus humoribus, a quibus factam affectionem ob id periculoſam arbitramur, quod vereamur, ne humor turgidus in aliquod membrum princeps irruat.* Secundo *talis efficitur, quia humor, qui a venis ad prædicta extrema ejicitur, tenuis admodum ſit, & ſumme putridus, qualis cenſetur tenuiſſima bilis copioſo ichore plena: quo fit, ut qui hac febre laborant, frequentiſſime ſyncope corripiantur, & eo, quod facillime exolvantur, inanitione periclitentur, ſudore enim pernicioſo diſſipantur, quod ſex humoris vitio, ſpirituum, & alituræ ſubſtantiæ plurimum cum ſudore habeat.* Tertio *ab humoris* (non putredinem quidem) *ſed ſummam pravitatem, vi pravorum alimentorum contractam, cujus conſtat meminiſſe* Hippocratem 7. popul. tex. 81. *referentem cauſas, & occaſionem choleræ morbi, quem in has febres commigrare plerumque refert, ut optime intellexit Valleſius: aut prodeunt ſic vitioſi ob uſtionem, & peculiare vitium, quale ſortiuntur* bilis vitellina, praſſina, æruginoſa, *& quæ in confinio eſt atræ bilis, quippe cum tanta ſit horum humorum pernicies, ſi accedat inſuper putredinoſus calor, eoſdem adeo excitat, & acerrimos reddit, ut quocunque ierint, pernicioſiſſima inferant, & lethalia accidentia. Multi vero ex barbaris Medicis arbitrati ſunt, impoſſibile eſſe; ex prædictis humoribus febres fieri, cujus cenſus fuere* Iſaac, & Raſius, Avic. Serapio, & Halia, *eo quod humores ejuſmodi,* ut Averro 7. collig. *ſcripſit, de natura eſſent veneni: quos protinus in quovis affectu natura per vomitum trudit, licet læthaliter ſæpius: & nituntur probare ſuum dogma ex Ariſt. qui* 4. meteor. *profert, ignem, & quæ ignea ſunt, putreſcere non poſſe. Verum ſi quis rem ipſam, & auctores penitus conſulat, reperiet, hos humores, & febres, & alios etiam affectus excitaſſe: nam primo eorum meminit* Galen. lib. 12. method. *in exemplo de juvene febriente, qui æruginoſam evomuit choleram, & ob id convulſione correptus. Zoarrus etiam expreſſe* 3. theiſir *febrium reminiſcitur, quæ ex his humoribus concitantur, dicens:* Febris, quæ fit de genere tranſitionis febris ephemeræ ad febrem cholericam, ſi fuerit de genere praſſinæ, aut eruginoſæ, habebit accidentia magis fraudulenta. *Item dicit:* Febris ex cholera, quæ in ultima caliditate, ac ſiccitate exiſtit, cum ſubſtantia denſa, & craſſa, ſicut eſt cholera vitellina, praſſina, & æruginoſa, febres pernicioſas gignit, *& Aver.* 4. *collig. ſcripſit etiam in confirmationem hujus veritatis.* Pejor ſpecierum cauſonis eſt illa, quæ fit ex cholera zinaria, vel praſſina, & tertiana inſanabilis. *In tanta autem Auctorum controverſia cenſeo primos ſenſiſſe, non poſſe fieri febrem ſalubrem ex prædictis humoribus, non autem ex toto negaſſe ejus* generationem. *Quinimmo ex eorum rationibus ego colligo, non raro poſſe ſuccreſcere febrem interpolatam: nam ut Iſaac ſcribit, tantum eſt odium, quod natura habet cum cholera praſſina, & æruginoſa, quod non patitur ejus malitiam in venis: quo fit, ut certius ſit ab hoc umore febrem interpolatam fieri, quam continuam; quam ſane fore graviſſimam, & malignam, nemo dubitubit.* Quarto, *tertiana efficitur pernicioſa, ob humoris crudi, & inæqualis craſſitiei, ac tenuitatis maximam copiam: cujus ratione more febris ſyncopalis humoroſæ: tertiana etiam talis efficitur, unde non raro, ſicut illa cordis calorem, ita hæc totius corporis calorem extinguere nititur, & ob id periculoſiſſima exiſtit.* Quinto, *non minus pernicioſa efficitur ex adjuncto aliquo accidenti, nimirum ob aliquem defluxum, quem calor febrilis mox a principio concitat, cujus ratione thorax, pulmo, & cor non raro, aut ventriculi os anxietate, difficili reſpiratione, & pulſus interceptione, mille modis periclitantur. Quod etiam & longe gravius accidere conſpicimus, ſi uterus, aut uteri aliquod vitium febrilis caloris vehementia in conſortium trahatur.* Sexto *vero & ultimo pernicioſior efficitur tertiana ob venenoſam ac peſtilentem, & contagioſam aliquam humoris, qui e vaſis ejaculatur conditionem,*

nem , qui ſane eo quod moveatur , longe graviora efficit accidentia . Quinimmo die intermedio latitans , & quieſcens , ae humoribus aliis adjunctus videtur nil mali efficere , neque corpus laborare , poſt vero in acceſſione propriam naturam , ac venenoſam conditionem , non ſine magno laborantis malo oſtendit . Hæ ſunt in univerſum , optime Lector , cauſæ hujus pernicioſi mali , quas hucuſque adinvenire valui , quarum omnium ſeorſum meminiſſe opus erit , ut cujuſque conſtent natura , ſigna , & medendi ratio , ſi prius omnis tertianæ pernicioſæ in communi ſigna , & præſagium ſcripſero .

SCHOLIUM II.

Cum notabilem in his Febribus diverſitatem noverit Auctor tum ratione ſævitiei , & pravitatis iiſdem veluti intrinſecæ , tum ratione celeritatis motus , tum ratione ſymptomatum variæ conditionis pluſque , vel minus intenſorum , tum denique ratione aliorum adjunctorum , indolis etiam , atque ſpeciei diverſæ , mirum eſt , quam ingenioſe conatus ſit , cunctas hujuſmodi differentias diſtinguere per ſuas cauſas , labentibus licet innixus ſui ſeculi fundamentis . Negari idcirco non poteſt , quin ipſis in tenebris aliquod cæſpitanti lumen affulſerit , vi cujus nonnunquam abſtruſam hujuſce materiæ veritatem a longe ſaltem ſalutarit . Sic & Philoſophi Ethnici , innumeris licet erroribus involuti , in veritates quandoque orthodoxas inſcii impigerunt . Si vixiſſent Atavi noſtri in hæc uſque tempora , fortaſſis & ſupra nos profeciſſent . Ob id ſemper colendi , & ſuſpiciendi , dummodo non eo uſque , ut nos ab ulterioribus inquirendis avertant , aut remorentur : unde quis merito nobis exprobret cum *Tacito* ſocordiam noſtram -- *dum vetera extollimus ; recentium incuriosi* .

Monſtrant quidem tertianam fore pernicioſam gravia quædam & pernicioſa accidentia , quæ ſtatim primo acceſſu neceſſum eſt hæſitabundum reddant Medicum . Hujus naturæ eſt laborantis vultus , *prima acceſſione* cadaveroſus , *aut nimis* tumidus , *cum pulſus inæqualitate , parvitate , debilitate , aut interceptione , vel aſphyxia . Urina nimis craſſa , & pravi coloris , inquietudo inſolita , anxietas , ſyncopis , animi deliquium , exſolutio , & frigidi ſudores , vel toto acceſſionis tempore inordinati rigores , difficiles reſpirationes , deliria , aut ſomni profunditas , vomitus etiam æruginoſus , paucus , cum gravi nauſea : & qui non confert . Alvi fluxus pinguis , dyſentericus , variegatus , aut ſynceri humores , ingens totius corporis gravitas , aut inquietudo , & ſitis quæ nullo potu ſedatur . Sed præcipue tertianam pernicioſam eſſe oſtendunt hæc ſigna , & alia , quæ cæteris tertianis ſunt communia , cum ab eis nondum ex toto in dle quietis liber evadit laborans : ſic etenim malum portendit delirium aut ſomnus . qui uſque in diem quietis protrahuntur : item eadem die languidos , inquietos , anxios , & ſiticuloſos ſupereſſe laborantes , aut alio quovis accidenti oppreſſos , quantumvis febris vel leviſſima , vel nulla appareat . Sic rigorem vigente febre ſupereſſe pernicioſum cenſemus : aut rigoris tempore corpus ſudare , vel ſudando frigere , animo linqui , & plurimum vexari . Quæ ſane omnia diligenti animo expendat Medicus oportet , ut diſcat primo acceſſu quantum mali affectio minari poſſit .*

SCHOLIUM III.

Diagnoſis in univerſum completa eſt , & Medici practici conſideratione digniſſima , quia omnia ſigna generaliter comprehendit . Sæpe quidem ex iſtis pauca concurrunt , ac quandoque vix unum tantum ; quod tamen , ſi vehemens ſit , & ex deterioribus , plurimi faciendum eſt . Nec ideo fraudulentæ quieti ſubſequentis intermiſſionis nimium fidendum , ſicut ex oppoſito neque nimis metuenda afflictio , qualitercumque gravis . Et in hoc *judicium difficile* ; quod , ut maxime opporteret , ita maxime nequit doceri .

Atqui licet prædictas tertianarum ſpecies pernicioſas eſſe conſtet , non ſubinde exiſtimandum eſt , omnes fore lethales : quædam enim pernicioſæ , & timore plenæ ſunt , aliæ in alios morbos migraturas ſe oſtendunt : nonnullæ in diutinos affectus , & plerique licet ſæviſſimis accidentibus inſigniantur , non omnino lethales exiſtunt . Sic profecto quæ ex defluxu ad membrum aliquod princeps fiunt , plerumque pernicioſæ ſunt , & lethales , ſed ex his quædam magis , & quædam minus : quæ autem ad cerebrum tendunt , lethales fiunt , ſi in lethargum , aut phrenitidem commigrent : quæ vero in cor irruunt , ſive ex oppreſſione , ſive ex humoris vitio : omnes lethales ſunt . Inter quas hæc eſt differentia , quod hæ , quæ ex oppreſſione fiunt , in principio acceſſionis interficiunt ,

quæ

quæ vero ex humoris vitio, non niſi in declinatione, ob virtutis, & caloris vitalis diſpendium. At ſi in os ventris humores irruant, partim fiunt lethales, & partim ſecus: nam ſi ex ventre per vomitum fiat copioſa, & ſpontanea vacuatio, conjectabile eſt conferre, ſi laborans toleraverit; ſin aliter, minime: verum, ſi plurimum laborans conqueratur, & nihil notatu dignum excreverit, vereri oportet, ne præ nimio dolore ſuccumbant vires, & morbo non ſufficiat. Item ſi ſyncopis frequenter accidat, mortem ocyſſime venturam commonſtrat; ſin aliter, minime, ſed morbum fore gravem: Quod ſi in jecur malum incumbat, vel morbi diuturnitatem, vel hydropem pertimeſcere oportet. Et tandem in his omnibus malignam, & continuam febrem poſſe ſubſequi exiſtimandum eſt; ſic profecto ex his, qui ex putredine tenujum humorum exolvuntur, vel ſubitum virtutum caſum, vel hecticam febrem vereri oportet: hoc quidem conſumptis tenuibus ſolidorum membrorum humiditatibus, illud quidem nimium reſolutis ſpiritibus. Qui vero ex crudorum, & inæqualium ſuccorum copia laborabant, plerumque ſuffocatione periclitantur, & maxime ineunte acceſſione: vel ſaltem febris in diuturniſſimum commigrat affectum. Item qui ex humoribus aduſtis, & omnino perniciosis infirmantur, vel in cauſonem, vel in hecticam febrem, vel in gravem dyſenteriam degenerant. At qui fluxu alicujus humoris ſimul cum febre interpolata detinentur, vel ſuffocantur catarrho (ut ajunt) ſuffocativo vi acceſſionis evocato, vel ceſſante tertiana, difficulter deinceps reſpirant, aut tale ſymptoma patiuntur, quale fuerit membrum, in quod defluxus prolabitur. Cæterum, qui veneſico, & peſtilenti humore abundant, licet interpolata febre corripiantur, non ob id minori periculo verſantur, quam qui peſtilenti alia febre laborant, ſed forſan majori, quod in die acceſſionis veneficus ille humor valde moveatur, quod ſolet in peſtiferis morbis perniciosiſſimum eſſe, & ſic non raro conſpicimus, ſubita morte quamplurimos inopinato interiiſſe.

SCHOLIUM IV.

Prognoſis pariter undequaque abſoluta, tam hic, ubi generaliter inſtituitur, quam infra, ubi inſtituitur ſpecialiter, quamlibet perniciosarum differentiam reſpiciens. Digna ideo ubique, ut diligenter perpendatur ſicut Diagnoſis, ita & Prognoſis Auctoris, quarum poſtrema eo verior, quo funeſtior. Febres namque vere Perniciosæ Ægrum interimunt ſæpius (niſi illis cito; & valide Cortice opitulemur) quam in diuturnos morbos commigrent. Nonnullas equidem, antequam in iiſdem curandis Cortice uterer, etiam ſine illo ſanatas vidi; at paucas, & difficillime. Sed ehuu! quod vidi contra iiſdem ſublatos, quos vix dubitem fuiſſe ſanabiles, Cortice exhibito, ſi tunc virtutem illius integram, validamque (quod ſeriuſcule comperi) ejuſdem adminiſtrandi methodum perſpectam habuiſſem.

His habitis opus erit, uniuſcujuſque prædictarum cauſarum ſeorſum meminiſſe, ut cujuſque conſtent peculiaria ſigna, præſagium, & propria, ac genuina curandi ratio.

CAPUT III.

Prima Tertianæ Perniciosæ differentia ex eodem *Mercato*, additis, ut ſupra, Scholiis.

EFFICITUR *quidem perniciosæ tertianæ ſors, & differentia, quod humores tranſmittat natura errans, aut impotens in partes, & extrema vaſorum membri alicujus cordi, vel alteri membro principi vicini. Accidit profecto hoc mali genus his corporibus, quibus adeo totius corporis vaſa, vel obſtructa, vel carne, aut pinguedine oppreſſa ſunt, quod ad extimas vaſorum propagines, & eas quæ degenerant in carnoſas partes ſeſe natura exonerare minime poſſit, vel quod ipſa nimis languida, & impotens ſit. Quo fit, ut cum e vaſis majoribus primum ſe nitatur exonerare, humorem ad partes internas per vaſa ſibi proxima ſtudeat tranſmittere; qua in re conjectabile eſt, neceſſario humorem tranſmiſſum prope aliquod membrum princeps prolapſurum. Occaſio autem tranſmittendi humores communis naturæ eſt cum reliquis febribus interpolatis, nimirum copia, aut vitium irritationi naturæ ſufficiens, ſed in hac febre non æque valens, quod longe a partibus præcipuis non poſſit pellere, vel impedita, ut dictum eſt, ſi id ſua ſponte poſſit.*

SCHOLIUM I.

Quod inquit Auctor, fieri per affluxum, humorum decumbentium in partes, mediantibus venis illuc eoſdem propellentibus, intelligere facile poſſumus, fieri per ſtagnationem eorumdem, mediis arteriis illuc delatorum, nec pari facilitate abſorptorum a venis, ſive ſanguiferis, ſive lym-

lymphaticis. Reliqua fundata supra vanas hypotheses de Natura transmittente in partes internas, & viscera, cum non possit, sive propter imbecillitatem propriam, sive propter impedimentum aliquod, transmittere ad remotas, & externas, corrigantur mechanice, & redigantur ad eumdem modulum.

Verum licet in hac febris forte hæc sint communia, nihilominus tamen duplex ex hac causa suboritur febris conditio, duplicia, & varia accidentia, & longe diversa signa, ac ex consequenti varia præsagiendi, & curandi via, quæ omnia specialius expendisse oportet.

Ad primum igitur accedendo, conjectandum est, transmissum humorem ad extrema vasorum membri præcipui, aut juxta ipsum, vel esse copiosum, vel malignum: quippe ex hac varietate reliqua, quæ sequuntur necessum est insigniri. Verum potissima varietatis ratio ex membri, prope quod incumbit humor, natura, & præstantia petenda est; si vero in venulas juxta cor vitiosus humor illabatur, tunc procul dubio syncopem, pulsus parvitatem, frequentiam, inæqualitatem, & aliquando omnimodam asphyxiam sequi necessum est. Quæ omnia accidere solent, cum faciei rubore, sudore, & oculorum cavitate ob impensam spirituum vitalium resolutionem, ex quo subitum virium casum, & inopinatam mortem vereri oportet, ac plerumque in accessionum inclinatione, vigore vitali simul cum febrili calore solutis. Quod si humorum crassities potius quam malitia prope idem etiam membrum causam præstiterit, tunc quidem pulsus magna inæqualitate inter magnitudinem, & parvitatem pollet, ubi parvitas elucet magis, & intercadens nonnunquam efficitur, ac non raro myurus deficiens. Torpet laborans, fronte exsudat, & maxime frigidum, suspiriosus est, & nesciens referre quid sentiat, plerumque angore premitur, & impotens ad motum, quasi gravi onere pressus efficitur. Ex qua sane affectione laborantes, vel cum frigido sudore, & pulsu formicante, aut omnino deficiente, tertia, aut quinta accessione pereunt, vel si has effugerint, gravi febre, eaque continua, & plerumque de malignarum sorte, corripiuntur.

Si tamen ad vasorum extrema, quæ ad ventris os terminantur, vel juxta ipsum projectus e vasis humor profluat, ibidemque diu immoretur, dolorem orisque ventriculi morsus sequi est necessum, nec non & cardiacum affectum, cum biliosis, æruginosis, aut nimis crassis, aut viscidis vomitibus, cæterum minutis, aut præcedenti ingenti nausea, utpote humore penitus in carnis venulis imbibito (nam in reliquis tertianis licet copiosior in ventrem confluat bilis non quidem ad carnem oris ventriculi, & per venas alimenti, sed ad cavitatem per communes canales) *quod quidem monstrat anxietas, inquietudo, exolutio pulsus, vel ingentissima frequentia, & parvitas, vel raritas, maxime si prope syncopim fuerit laborans, ut multis videatur febre carere, adest & frigidus prope frontem sudor, faciei pallor, oculorum grandis cavitas, & calor. In quo quidem vereri oportet* (ni cito præveniatur, potissime si frequentior succrescat syncopis) *mortem quinta accessione, aut ante, nisi affectus factus fuerit continuus, in quo jam nihil transmittitur in os ventris, utpote cessantibus accessionibus, & humoribus intra vasa manentibus, licet ob id laborantes non omnino videantur periculo carere, verum præbet expectandi inducias, quod accidentia majori ex parte cessaverint.*

SCHOLIUM II.

Quæ dicuntur in ambobus hisce locis de translatione febrilis humoris per vasa alimentum deferentia (quæ pariter, non pro Venis, quæ revehunt, sed pro Arteriis, quæ deferunt, sunt habenda) ad Cor, & ad os ventriculi, non sunt omnino extra probabilitatem inquantum Fermentum febrile sanguini affusum, per omnes Arteriolas, &, si cui lubeat, etiam per Nervos, (inquinato eadem occasione illorum succo) ad ea viscera tendentes potest dispergi. Probabilius tamen credidetim, Cor ipsum ab affluente intra suos sinus una cum sanguine eodem febrili latice, molestiam fere omnem, quem patitur, posse recipere; Ventriculum vero eam mordicationem pati, non modo a succis intestinalibus, motu inverso in eum assurgentibus, propter irritationem factam a Fermento febrili in ductibus Chyliferis, & partibus circumjacentibus (unde & tunicarum, nervorumque stomatichorum consensus) verum etiam a succo glandularum ipsius ventriculi, aut depravato, aut immaturo, & per violentam expressionem ab iisdem stillante, illius sensile orificium spasmodice vellicante, portionemque febrilis fermenti forsitan constituente. Quæ omnia, & singulis suis temporibus Auctor nosse non poterat. Animadversione denique dignum est, quod legitur Cap. *Si tamen* ec. prope finem, nempe Febrem hujusmodi Cardialgia comitatam quarta, vel quinta accessione mortem minari, *nisi affectus factus fuerit continuus*. Revera etenim observatione didici, rem ita se habere: ac proinde pejoris conditionis esse hanc Febrem, si sit Intermittens, quam si fiat

fiat Continua; si quidem tunc cesset, ut assolet, symptoma ferox lethalis Cardialgiæ: sicuti æque verum est, quod ex hujusmodi transmutatione Febris Intermittentis in Continuam impetrantur quidem indutiæ, non tamen auferatur periculum; sed saltem differtur.

Verum si vel ad capitis vicinam partem mutatur humor, vel ad ipsum caput, aut omnino ex humore vapores conscendant, in gravem somnum laborantem delabi, vel in gravem aliam ex soporiferis affectionibus conspicies, maxime si caliginosus, & ex crassa materia ortus prodeat vapor: sicut dum acris est, & mordax, in paraphrenitidem migrat affectio, cessat tamen in die quietis. Cæterum si humoris aliquid errabunda natura illuc miserit, non omnino ad antiquum statum laborantem redire conspicies: ac pertimescendum est, ne tertia, aut quarta accessione iterum in ipsum caput novo humore irruente omnino essentiale fiat malum. Quod sane ostendit dies intermedia, in qua laborans non omnino resipiscit, si vel dormierat, vel phrenetico aliquo affectu laborabat.

SCHOLIUM III.

In Capite Tragœdiam fieri, vel propter stagnationem succi febrilis, per arterias cum sanguine ad Cerebrum; & meninges delati, vel propter illius adhuc vividi transmissione in nervorum principia, superatis glandulis corticalibus ejusdem Cerebri, certum videtur, nedum probabile.

Præterea si in jecur humores irruant, minus quidem periculi est, sed affectio mox continua fiet, & morbus diuturnior ob ingentes obstructiones, & magnam jecoris imbecillitatem. Cujus occasione in hydropem sic affecti non raro deciderunt, quod nosces ex majoribus pulsibus, majorique febre, dolore ipsius hepatis, cum gravitate, & difficili respiratione, donec febris solvatur. In plerisque enim ex his qui hac occasione laborant, tussicula quædam in principio accessionum reperitur, sicca quidem, & cum ipsius jecoris ponderoso dolore, præludium quidem futuræ in ipso inflammationis.

SCHOLIUM IV.

Hepar affici periodice, ut periodice afficitur Cor, Ventriculus, & Caput, in Intermittentibus Perniciosis præcise non novi; nec ob id fortasse illas (quippe, ut fatetur Auctor, minus periculosas, & potius diuturnas) *Pernicioſarum*, nomen proprie mereri crediderim, ut qui hunc characterem adscribo Febribus Intermittentibus citatioris motus, & inusitatæ sævitiei. Quæ de Diagnosi vero, ac de Piognosi dicuntur in casibus enunciatis, ut & quæ dicentur in subsequentibus, nulla indigent limitatione, aut additione, quippe quæ sunt exactissima; quod semel tantum hic monuisse sufficiat.

Utcunque, & ad quovis membrum humor irruat, diligentissime cognita, & accepta occasione curationem aggredi oportebit: quippe si in his malis differas, periculum ocyssime accersis: procrastinatio enim in his nunquam non fuit perniciosa. Commune autem præceptum sit, sive in cor, sive in cerebrum, sive in ventrem irruat humor, maxime si vitiosus sit, protinus expurganti medicamento uti, haud secus quam in quavis alia humoris turgentia facies, præcavens, ne in membrum princeps agitati humores irruant: verum expurgantia medicamenta non tenentur trascendere rhabarbari vires. Itaque cognita ex prædictis signis accessionis prava conditione, mox sequenti die citra cunctationem corpus purgabis manna, vel cassia fistula, cum infuso rhabarbari, vel syrupo ex novem infusionibus. *Cui usui censeo proficuum fore dilutum* drach. j. rhabarbari, cum unc. ij. & ss. mannæ electæ, vel pulpæ cassiæ fistulæ drach. vj. superbitis unc. iij. & ss. syrupi solutivi rosarum. *Item* drach. v. catholici, cum drach. j. rhabarbari. *Quo facto, si sequens accessio par afferat periculum, & æque gravia symptomata, pronunciato prius discrimine, & viribus constantibus, sanguinem detrahes ex* dextra basilica. *Verum si vires ex purgatione, & accessionum gravitate lapsæ sint, ex salvatella, vel talo censeo plus commodi laborantes suscepturos. Quibus factis pro virium robore, & enematis alvo laxiori facta, & aliquando irritata, his, quæ acria sint, victu utendum erit copiosioris nutrimenti, sed facili, ea lege, quam* cap. de tertiana exquisita *adduximus: si tamen accessionis periculum ex humoris copia suboriatur, consultius te facturum arbitror, si mox a principio sanguinem miseris, maxime viribus robustis existentibus, & urina aliquo modo id poscente, idque prima, aut secunda quietis die, præsertim si symptomata non accidant vitio oris ventriculi, quo tempore a sanguinis detractatione abstinendum esse, fere omnes consulunt Auctores; nec displicet in hoc tertianarum genere vel a poplitis, vel a manus dextræ, vel sinistræ venis sanguinem fundere, quo longius a partibus affectis, & quarum ratione pericu-*

riculum ſuccreſcit , humorem diſtrahas : quo facto , ante quintam acceſſionem , ſi fieri poteſt ; Ægrum purgatum aliquo ex prædictis pharmacis . Poſtea autem curandum eſt , omni arte ad extimas partes , & carnoſum genus humores evocare duriuſculis frictionibus , & linteis odorato aliquo ſuffumigatis , extremas partes ligare , aut plurimas , & minutas cucurbitulas toti corpori affigere , quibus extremæ , & extimæ corporis partes patentiores ſint , & ob caloris in eis revocationem humores ad ipſas natura pellat : quo forſan a periculo ſuffocationis liberabis , & accidentium immanitatem compeſces . Servabis tamen hanc legem in adhibendis cucurbitulis , frictionibus , & ligaturis , quod in his acceſſionibus , in quibus periculum ſuffocationis imminet , eis uteris parum ante acceſſionem , & ipſa adhuc incipiente , quo ad extimas motum a natura humorem evoces : in reliquis vero , quibus ob diſſipationem caloris periculum incumbit , cenſeo tutius eſſe in die quietis naturam ad extima evocare , ut diſſueſcat a conſuetudine mittendi ad interiora , quam dum laborantes diſſipantur humoris malitia , his auxiliis ulterius ſpirituum , & calorem diſſipare . Sed ad peculiaria cujuſque membri affecti auxilia tempeſtivum eſt devenire .

SCHOLIUM V.

Curationem , tam modo , quam impoſterum ſicco pede ſemper tranſigam , ne a propoſito nimium aberrem . Univerſaliter tantum dico , eam eſſe prompte , & quam cito in hiſce caſibus inſtituendam ; *quippe* (ut inquit Auctor) *ſi in his malis differas , periculum ocyſſime accerſes ; procraſtinatio enim in his nunquam non fuit pernicioſa* ; quod maxime locum habet , ubi negligatur Methodus apta ad inhibendos paroxiſmos lethales , qualis eſt ea , quam proponemus Libro ſequenti . Interim Methodus curandi ab Auctore adducta , licet non ſit notionibus noſtri ſæculi omnino cohærens , ac proinde non levi caſtigatione indigeat , circumſpecta tamen admodum , & prudens eſt pro ratione illorum temporum , adeoque admittenda etiamnum , & in pluribus uſurpanda , dummodo in Purgationum uſu , quem tantopere metuit Auctor , mitius adhuc , & timidius procedamus , ac præſcripſerit ipſe , potius ex conſuetudine , quam ex voluntate nonnihil delinquens . Cæterum illius religio , atque cautela in tractando leniter , ut decet , effero hoc morbo , vel ex eo patet , quod , etiam ubi ſoporoſi affectus lethaliter ingruant , Veſſicantia nihilominus , indiſcriminatim in hiſce caſibus Medicis vulgaribus adeo familiaria , ſibi vero (ut ex hoc ſatis patere videtur) ſuſpecta , nuſquam propoſuerit .

Præmiſſis igitur his , quæ generalia , & omnibus membris communia ſunt , cordi , ſi in hac affectione patiatur providendum eſt , non quidem frigidis epithematis , ne penitius in ſeipſum ſeſe inſerant , & inſinuent humores , quinimmo ante acceſſionem unguento naphtæ , *aut* ejus oleo cum pulveribus electuarii de gemmis vel diamargationis frigidi , & granæ : *In acceſſione vero , quia opus eſt , quod juxta exiſtit reſolvere* (antea enim non reſolvere , ſed roborare ſolum expediet) oleo Matthioli , & electuario de gummis , aut de hyacintho *ipſius regionem inunges : & oleo etiam* Angelicæ , *quod in diſcutiendis , & evocandis ad cutem humoribus miram habet efficaciam . Item hæc eadem adjicies* oleo , & unguento naphthæ *cum prædictis pulveribus , aut aquam ſtillatitiam ex* cinnamomo *cum guttis odoratiſſimi vini ; interius tamen ea porriges , quæ & flatus corde irruentes diſcutiant , & longe ab ipſo , ſi quid ibidem moratur , pellant , ac rurſus ipſum roborent , velut ſunt* tabellæ diamargaritonis frigidi , aut electuarii de gemmis , & modico diamuſco confectæ vino , aut aqua ſtillatitia cinnamomi . *Verum quod efficacius eſſe arbitror , eſt electuarium* de hyacintho miris encomiis *a pleriſque commendatum . Ante acceſſionem tamen cucurbitulis uteris , & in die acceſſionis rarius , & in hypochondrio ſiniſtro : ac in dorſo e regione cordis , ſi forſan cogaris adhibere , ſcito opus eſſe aliquam ſcarificare , ne plus quam evoces extra , intus magis allicias .*

Quod ſi caput periclitari , & pati videatur , præmiſſis diſtractionibus , crurum lavacris , & evacuationibus , quæ ſatis ſint , oxyrrhodino *utendum eſt , maxime in quietis die . Quod ſi ea die accidentis alicujus , ſive delirii , ſive profundioris ſomni aliquid ſupererit , vel ſanguinem detrahes ex vena cephalica juxta carpum manus , vel cucurbitulas in brachiis ſcarificatis ; quas ſi parum ante acceſſionem adhibueris , magis ex uſu facies ; nam in die quietis eas affigere oportet a cruribus ad nates , in die vero acceſſionis a cervice ad nates per dorſum . Providendum etiam eſt , ut laborans acetum roſaceum olfaciat , aquam roſaceam , & alia frigida odoramenta , quæ latius ſcripta reperies* libro *hujus operis 7. in correctione accidentium , quæ febribus ſuccreſcere ſolent .*

Si tamen ventriculi os pati in hac febre compertum ſit , præterquam quod mox ſan-

gui-

guinem mittere recuſabis (ſunt enim hujus viſceris accidentia, maxime dolor, ex his quæ ſummopere vires labefactant, non ſolum ut ſanguinis detractionem non ferant, ſi acceſſio præceſſit, & vereamur talem futuram quæ ſequitur, verum neque morbum adhuc ipſum, niſi vires poſt acceſſionem iterum robuſtæ appareant, maxime ſi conſtiterit jecur in os ventris bilem rejicere: quo tempore tutiſſimum erit ex dextra baſilica, aut ſalvatella ſanguinem mittere; nam ſi vires in die acceſſionis etiam languidæ ſuperſint, cavendum eſt ab hoc auxilio) *protinus aliquo ex prædictis pharmacis, quæ purgationi idonea eſſe diximus, utendum eſt. Ac ſi vires adeo eſſe dejectas conſtiterit, per epicraſim purgabis ſingulis diebus intermediis, pauxillulum purgantis exhibens cum* ſyrupo acetoſo, *aut* cichorii, & violarum. *Et a purgatione ventrem roborabis* oleo melino, roſarum, & omphacino, ſparſiſque deſuper pulveribus coralli, roſarum, ſantalorum, & diarrhodonis. *Cataplaſma etiam conficies ex* toſto pane, vino rubro madefacto, cum prædictis pulveribus, & oleis, vel ex eo quod ex furfure, vino, & ejuſdem pulviſculis conficitur. *Cui etiam* (gratia vitandi animi deliquium) *modicum aceti addere poteris: tandem omni arte curandum eſt, aut roborare, aut quodammodo adſtringere, ut vel non recipiat venter, vel ſi quid receptum habet, ocyſſime pellat. Quod ſi id fieri ſit difficile, ſtudendum eſt, humorem in os ventriculi jam fluxum compeſcere, & attemperare, vel* aquæ calidæ potibus, vel ſucco granatorum, agreſtæ, papaveris, aut de portulaca, vel potu aquæ frigidæ, vel (*ut etiam vires roborentur, & ſpiritus reficiantur*) vini albi, & optimi modico hauſtu. *Cæterum quod ſatius eſſe frequenti experimento comperimus, eſt vel ante acceſſionem clyſtere aliquo, quo laborans aliquid purget, uti: vel ſaltem vomere, maxime ſi id ventriculus tentaverit, & in ejus cavitate aliquid immorari conſtiterit, non tamen iſtante acceſſione, ne vomitoriis motibus, & auxiliis plus bilis ad ventrem ipſum evocetur. Curandum quidem eſt in hac febre, ſi his quæ diximus non cedat, correctionem, & præparationem humoris moliri, ut vel copioſius purgetur, vel natura promptius ipſum devincat. Quod ſi in alterius naturæ febrem tertiana hæc migraverit, longe ſalubrius fore exiſtimato.*

CAPUT IV.

De Tertiana Pernicioſa ob tenuis humoris putredinem ex *Ludovico Mercato*, cum iiſdem pariter Scholiis.

Efficit non minus pernicioſam Tertianam tenuis, ſeu bilioſus humor plurimo, & copioſo ichore permixtus, ſecretuſque, & ſeparatus ab aliorum humorum conſortio, & in extrema vaſorum projectus, ubi ſummam nanciſcitur putredinem: tum quod ipſe ſit vitioſæ naturæ, tum quod aliis non temperetur, tum etiam quod locus ſit arctus, & concluſus. Quibus etiam accedit, ut affectus gravior fiat, corpus eſſe raræ contexturæ, & poroſum, & maxime excalefactum, ita ut poſſint partes extimæ, & extrema vaſorum facile ſuſceptare prædictos ſuccos. Quem ſane affectum etiam accidere comperimus his, qui plurimos horarios fructus ingeſſerunt, ut Hippocrat. 7. popul. tex. 81. de cholera morbo recenſet, *qua parte etiam in malignos morbos, & ut* Valleſius *exponit, in febres intermittentes degenerari refert; qui ſane ſuccus cum putreſcit, quocumque loco ſit, adeo eſt pernicioſus, ut graviſſimam, & pernicioſam non raro efficiat tertianam, maxime ſi laborans raræ ſit contexturæ, & facilis reſolutionis. Quo profecto fit, ut ex ingenti illa putredine, quam ſtatim illius ſucci conditio, & peculiaris natura contrahit, & ex prædicta hominis contextura, facile qui ſic afficitur, reſolutione, & anxietate animo linquat, aut ſyncopi, & mille aliis accidentibus prematur. Quippe tales ſucci adeo malefica qualitate ſunt affecti, ut ex motione, vel levi eorum agitatione laborantes ocyſſime prædictis ſymptomatis corripiantur, affectio quidem ſyncopali minutæ*, ut refert Avicen. ſen. 1. 4. tractat. 2. cap. 53. *per ſimilis, nomine tantum febris* ſyncopalis minutæ, *in qua ſane diſpendium ſit immodicum ſpiritus ob ſanguinis attenuationem, atque etiam ob expultricem facultatem immoderatius in toto corpore concitatam: quod etiam ex imbecillitate retentricis plerumque accidere monet* Galenus 12. method. cap. 6. *ut paulo inferius latius ſum probaturus. Hujuſmodi enim humores quam citiſſime exhalant, quia tenuiores a febrili calore reduntur, in iis maxime quorum retentrix imbecilla exiſtit, qua ratione diaphoreticis ſudoribus ſic affecti exſolvuntur. Quapropter*

pter tria necessaria in hoc affectu reperiuntur, nimirum humorum tenuissimorum in ventriculo, & universo corpore copia: *secundum* virium imbecillitas: *tertium vero* vitiata meatuum, & venarum in laxitate compositio, *a quibus procul dubio necessum est subsequi immodicam resolutionem, & subitum virium lapsum.*

SCHOLIUM I.

Totum hoc Caput dignum est, ut attente legatur, illiusque omnia fere dogmata ducantur in usum. Theoria ipsa non paucam laudem meretur; in ea siquidem elucet perspicacia Auctoris, adjungentis bili ab iis, quæ illam temperare valent, secretæ, consortium copiosi ichoris, ulteriorem labem incongrua mistura sua illi communicantis. Si Auctoris innotuisset via, qua isti humores in sanguinem possent vehi, nonne Sylvianam hypothesim fere attigisset, permutato tantum ichore illo in succum Pancreaticum, tunc temporis nondum detectum? Curatio quoque ista peculiaris est summe cauta, pauciisque modificatis, aut semotis recipienda, præsertim ab initio, cum scilicet occasio, vel opportunitas exhibendi Corticem nondum adfuerit.

In hoc Capite, cum iterum recenseat Auctor elegantem *Hippocratis* Textum, quem & primo Capite attulerat, simulque Doctissimi *Valesii* expositionem, utrumque lubet hic transferre, ut a *Divino* etiam *Sene* notatas videamus hujusmodi Pernicioſas Febres, vel aliquam saltem illarum speciem. Inquit itaque *Hippocrates* loco citato, juxta interpretationem Eruditissimi *Mercurialis* -- *Cholericæ affectiones magis in Æstate fiunt, & Febres Intermittentes, & quibus horrores accedunt. Hæ quandoque malignæ fiunt, & ad morbos acutos perveniunt. Verum cavere oportet. Judicat autem tales morbos maxime quinta, & septima, & nona dies. Melius tamen est cavere usque ad decimamquartam.* Juxta *Valesium* vero sic habet Textus -- *Cholerica præcipue in Æstate, & Febres Intermittentes, & quibus vigore accedunt, hæ aliquando malignæ fiunt, & ad morbos acutos perveniunt; sed cavere oportet. Maxime autem tales morbos arguit quinta, septima, aut nona? melius autem usque ad quatuordecimam observare.* Hunc ergo *Hippocratis* Textum sic exponit idem *Valesius* -- *Dicit* * *Cholerica* * -- *id est Choleras morbos fieri præcipue in Æstate &c. Addit* -- * *& Febres Intermittentes, & quibus rigores accedunt,* * -- *quæ periphrasis significat Febres Tertianas præcipue, deinde vero & Quartanas &c. Addit nunc Hippocrates, has Febres in Æstate ortas aliquando malignas fieri, & in Febres continuas, & acutas mutari; ac proinde cavere oportere, id est timere, & curare caute* (sunt verba aurea) *neque quippiam erroris committere, etsi principio exiguus prorsus morbus, & contemptibilis esse videatur &c.* & paullo post subdit, quod *suspectos semper habeamus morbos, qui alioqui ob propriam figuram videantur esse securi*; tandemque concludit -- *Hippocratem nolle, nos ab Intermittentibus Æstivalibus securos esse, usque dum præteriisse quatuordecimam periodum* (an potius diem?) *viderimus, neque fieri continuas.* Quæ interpretatio, ut patet, restringit sententiam *Hippocratis*, saltem ad genus illud pravarum Intermittentium, quæ in Continuas, Acutasque degenerant. Istæ autem in linea Pernicioſarum, etsi admodum periculoſæ, sunt minus formidabiles reliquis, vel saltem longiusculas, etiam cum interemerint, præbent inducias, ut supra diximus. Si ergo in his tantopere metuendum est ex *Valesio* quanto magis erit metuendum de terribilibus illis, quæ Intermittentes adhuc manentes, quarta, vel quinta accessione, post dolosam intermissionis quietem hominem jugulant.

Quamobrem qui sic laborant, vel levi corporis motione animo deficiunt, faciliter citra levamen sudant, pulsum habent parvum, debilem, ac frequentissimum, urgent vigiliæ, caput vaporibus infectatur, adest vomitio, aut inanis nausea, quam antecedit oris amaritudo, inappetentia, & tenebrosa vertigo, ut Hippoc. refert 4. aphor. 17. *ac mox sequitur syncopis. Vultum etiam, qui sic affecti sunt,* Hippocr. *habent quam simillimum, ob ingentem resolutionem citra dolorem in aliquo signato loco. Tandem loquens* Avicenn. citato capite de febre *ex hujusmodi humore oborta, profert eam esse acutam, & quandoque non sufficere in ea virtutem usque ad quartum: quo fit, ut jure optimo inter lethales numeranda sit.*

Curationem autem hujus febris longe aliter institues quam reliquarum: quippe in hac præter levem quamdam purgationem, quam pari ratione a principio mali, & antequam vires labantur, institues, omni arte cutis coarctanda est, & humores densandi. Sic profecto, quo citius possibile fuerit, corpus purgabis syrupo solutivo e rosis Hispanis, cum decocto corticum myrobalanorum citrinorum, vel cum unc. ij. mannæ, & eodem decocto, vel pulveribus earumdem corticum, cum pulpa cassiæ fistulæ, vel rhabarbari infuso largiori cum syrupo rosarum. *Deinceps tamen humorem compesces ante accessionem* syrupo rosarum siccarum, & violarum, ana unc. ss. syrupi rosarum unc. j. aquæ deauratæ unc. iij. *cui adde pulveris* diamargaritonis, aut coralli, aut electuarii de gemmis gr. vij. *quibus humores densiores fiunt, & longe melius coquuntur. Sed humores amplius densabis, ineptioresque ad fluxum, & putrefactionem reddes his, quæ intus sumuntur, qualis naturæ est* syrupus

rupus rosarum siccarum, de malis punicis, de portulaca, & papavere, cum aquis, aut decoctis rosarum, portulacæ, oxalidis, cum aqua ferrata, aut deaurata. *Cæterum prodesse non parum comperies, abluere in aliqua prædictarum aquarum* boli Armeni, aut terræ sigillatæ scrup. j. aut drach. ss. cum modico syrupo papaveris, aut agrestæ: *hoc sane medicamentum, præterquam quod humores densat, & corpus comprimit, inhibet quoque putredinem, & viscera roborat, ac præcavet. Confert etiam id, q.* ℞. pulveris triasantali, & rosatæ novellæ, ana drach. j. succini scrup. j. sacchari rosati soluti in aqua rosacea, *quod sufficiat, ut fiat electuarium in rotulis, cujus sumat laborans* drach. j. & ss. cum hausta frigidæ aquæ, aut alicujus ex dictis. *Utilissimum quoque est aliud, q.* ℞. conservæ rosarum unc. ij. pulveris electuarii de gemmis, aut diamargaritonis frigidi drach. ss. confectionis Alchermes, vel de hyacintho scrup. j. succini, ossis de corde cervi, pulveris granæ ana scrup. ss. *misce, & fiat conditum: Cordi præterea, ac cerebro roborantibus, providebis*, ut Galen. consulit lib. 12. method. cap. 6. *Sic quidem primo facies attemperanda est frequenter* aq. rosarum, & plantaginis cum modico aceto rosaceo. *Cujus indicationis gratia involvitur etiam Æger linteo* aqua rosarum madente, *aut conspergitur multo* rosarum rubearum pulvere, vel myrtillorum. *Verum ut ex toto syncopticis accessionibus, & sudoribus subveniamus, adhibere oportet epithema fœminarum mammis, aut virorum testibus, q.* ℞. aquæ rosarum unc. x. aquæ oxalidis, & bugloss, ana unc. j. & ss. vini optimi unc. ij. aceti rosati unc. ss. pulveris margaritarum, santalorum, coralli, seminis acetosæ, succini, ana unc. ss.

SCHOLIUM II.

Potissima indicatio, quam pro curatione elicit Auctor, est, ut humor densetur, a fluxu, & putrefactione prohibeatur, & quantum fieri potest, ante accessionem compescatur. Quæ quidem indicatio maximi est momenti, illamque nonnunquam mihi contigit cum fructu adimplere, priusquam vires Peruviani Corticis plane nossem in hisce Febribus, bolo isto, duabus, vel tribus ante accessionem horis exhibito, quo etiamnum utor in casibus non extreme periculosis, & in quibus nondum placeat ad Corticem devenire. ℞. *Theriaca vec., Conf. Hyacinth., Salis Absynth.* (vel, pro re nata, *Crystall. Mont. præp.*) *ana scrup. j. Laudani opiati gr. j.* vel ad summum *gr. ij. M. f. h. sumendus, ut supra, superepoto Vini rubelli momento, vel haustu modico Aquæ Plantag., Buglossi, vel totius Citri, prout magis placuerit.* Quod remedium eximie confert, præsertim ubi evacuationes immanes, & quasi Cholericæ Paroxysmum ingruentem solent comitari, atque ideo valde gravem, ac tandem perniciosum reddere.

Aer, quomodo & cutis, attemperetur, refrigereturque frigidis asperginibus, sparsis humi floribus, & foliis rosarum, pampinorum vitis, salicis, cannarum, & myrti, supersparsa aqua rosacea cum modico aceto: *item eumdem aerem flabellabis linteo aliquo madido aqua frigidissima, aut rosaceo cum modico aceto. Præstat quoque cordis regionem inungere unguento*, q. ℞. pulveris electuarii de gemmis, & diamargaritonis frigidi, ana. drach. j. lapidis Bezoar. gr. xv. pulveris granæ drach. ss. olei foliorum nymphææ luteæ, aut olei rosarum omphacini unc. ij. ceræ albæ, quod sufficiat, ut fiat linimentum molle: *item prædictos pulveres unguento rosaceo excipies, addesque* terræ sigillatæ drach. ss. rasuræ eboris, & cornu monocerontis scrup. j. *& eamdem partem inunges. Thoracem etiam, & abdomen illinies hoc unguento, q.* ℞. olei rosati omphacini, & myrti unc. ij. olei melini unc. j. bulliant cum unc. ij. aquæ rosarum ad consumptionem aquæ, & adde pulveris rosarum rubearum drach. j. santalorum omnium, ana drach. ss. ceræ q. s. ut fiat unguentum. *Hepati etiam, ac fronti gratia inhibendæ dissipationis, adhibebis præsidium, q.* ℞. mucaginis tragacanthi, & seminis psyllii, & citoniorum unc. 6. albumina duorum ovorum, *misce, & prædictas partes illine, spargeque desuper pulverem, q.* ℞. santalorum omnium, rosarum, seminis arnoglossæ, an. drach. j. *Quibus profecto & sudoris impetum, & virium resolutionem compesces: id tamen prudenter, & paulatim facito, ne ex cutis densitate intensior fiat febrilis calor. Securissimum tamen est, & utile jecur illinire* oleo rosaceo omphacino cum pulveribus santalorum, positis desuper pannis aqua intybi madidis, vel succo agrestæ, & aqua plantaginis, rosarum, & solatri. *Maximi etiam sunt momenti, cerebri adhuc roborandi gratia, odorata omnia tum naribus, temporibus, ac pulsibus adhibita, tam super faciem roris modo insperse, cujus censendus est id, q.* ℞. rosarum,

rum, ſantalorum omnium, opodii, ana ſcrup. ij. ambræ gr. iij. moſchi, & camphoræ, ana gr. ij. aquæ myrti unc. j. aquæ roſarum unc. iiij. *miſce ad cujus penſum odorata omnia frigida prodeſſe poſſunt.*

SCHOLIUM III.

Quantum ad morborum curationem conferat bene diſpoſita Aeris temperies, ſatis patefacit varia locorum, & tempeſtatum ſalubriorum, vel inſalubriorum conſtitutio, varias quoque gignens nonnunquam conſtituriones morborum, ob id modo facilius, modo difficilius ſanabilium: ut ſileam, quæ hac de re per ſe nota, tum ſparſim, tum cumulate in Libris peculiaribus olim ſcripſit *Hippocrates*, & quæ plurima eruditione, ac doctrina, plurimoque ſtyli nitore edidit Doctiſſimus *Lanciſius* Pontificius Archiater -- *De nativis, deque adventitiis Romani Cœli qualitatibus*, & de emendanda accidentalis Aeris illius inſalubritate.

Certe noſtro Seculo, quo Aer non modo Thermometrorum, verum & Barometrorum, Hygrometrorum, & Anemometrorum examen ſubire coactus eſt, atque ita, ope Fiſtulæ Torricellianæ, Staticæ quoque judicium ſuſtinere, quin & mirabili Scloppi Pneumatici artificio, propriæ elaſticitatis vim dimetiendam exhibere, non ſecus ac violento Machinæ Boylianæ tormento, pati dimotionem e ſede ſua, vacuis tandem relictis, quæ antea tam pertinaciter occupaverat, latibulis, inanitionem ſui ſtupentibus quidem, ſed tamen ferentibus, Ars quoque Medica his inventis ditior facta, Aeris ipſius, quo nil ad Vitam magis neceſſarium, penitus cogniti uſuram meliorem cœpit inſtituere. Hinc Eruditiſſimus *Ramazzinus* Libro ſuo jam edito -- *De Principum valetudine tuenda*, -- ſano conſilio monet, non negligendum eſſe varium Aeris pondus, quod nobis exhibet aſſidua inſpectio Barometri, qua facta animadverſione, quemadmodum Sanorum valetudinem tueri, ita & Ægrotantium caſus dignoſcere, præcavere, necnon iis opportune ſubvenire valebimus. Idque eo magis cum plauſu, & utilitate eximia poterimus aſſequi, quo remotior eſt a vulgari cenſu cognitio, quam medio Barometro acquiſivimus, de vario variis temporibus Aeris pondere: ut proinde aſſertione, cæteroqui propemodum paradoxa, liceat ſtatuere, Barometro judice, Aerem nebuloſum, pluvioſum, ac turbidum, econtra id, quod cenſuit Famigeratiſſimus *Borellus* (quem tamen fortaſſe fefellit magis obſervatio circa experimentum minus exacte inſtituta, quam ratiocinium inde elicitum) leviorem eſſe Aere ſereno, ſicco, & perſpicuo: pariterque eundem Aerem leviorem eſſe in Auſtrali, quam in Boreali conſtitutione, licet hujuſce phœnomeni nondum a quopiam ſatis dilucidati difficilima ſit explanatio; ut ideo tam famoſi Problematis adhuc germana ſolutio deſideretur.

Neque enim ipſe inficiabor (ut hoc quoque innuam, perfunctorie licet) ea, quæ anno 1695. Academico potius luſu, quam philoſophice, ac ſerio circa hanc materiam conſcripſi in peculiari Diſſertatione mea, *Ephemeridibus Barometricis* Cl. *Ramazzini* adnexa, ad tutamen aliquod ipſius Borelli, minus forſitan, ac fuerit creditum, hac occaſione decepti, rem minime fefigiſſe: ſicut neque negaverim, id a me ne poſtea quidem fuiſſe præſtitum iis omnibus, quæ in altera Tricipiti Diſſertatione iterum edidi anno 1698. In ea ſiquidem, licet non plane improbabilia cenſeam, quæ Viris Doctiſſimis *Rodulpho Jacobo Camerario* Medico Profeſs Tubing., & *P. D. Cajetano Fontana* Mutinen. repoſui: immo, licet reputem abſolute vera, & demonſtrabilia ea ſaltem, quæ adverſus hypotheſim alterius Cl. Vivi *Guntheri Criſtophori Schelhameri* Prof. Medici kilon. haud hæſitanter ibidem adſtruxi, nihilominus neque hinc ſolidam Problematis ſolutionem emerſiſſe, lubens admitto. Aliud eſt enim aliorum hallucinationes, aliud rei ipſius naturam detegere. Quod ea non hoc, vel illo modo ſe habeat, facile eſt aſſequi: quo vero præciſe ſe habeat, difficile. Interim neque diffitebor, ea, quæ adverſus *Schelhamerum* protulit eodem tempore, quo illius hypotheſim ipſe rejeci Clariſſimus *Ramazzinus*, eaque pariter, quæ contra repetitos ejuſdem *Schelhameri* conatus recenter adduxit Vir Perſpicaciſſimus *Jacobus Placentinus*, eaque tandem, quæ pro ſolutione completa controverſi Problematis, nupera ad Celeberrimum Scroekium Epiſtola, ex eleganti hydroſtatico Famigeratiſſimi *Leibnitii* experimento, typis tradidit idem *Ramazzinus*, illuſtravitque demum laudatus *Placentinus*, plurimum ſaltem luminis contuliſſe, ad dilucidandam hanc rem, ceteroqui ſatis obſcuram. An ea nihilominus ſit proinde plane confecta, adhuc ambigo. Sed quæcumque ſit ratio phœnomeni, certe experimentum ipſum accuratis Medicis, pro utili Ægrotantium regimine, juxta varium Aeris ſtatum, aliquod opis afferre poſſe, extra dubium videtur: quemadmodum extra dubium eſt, eundem Aeris ſtatum, ſiquidem mediantibus hujuſmodi obſervationibus, non bene diſpoſitus pro Ægrorum ſalute deprehendatur, artificialis alicujus correctionis eſſe ſuſceptibilem, eorumque indigentiæ aliquo modo aptari poſſe, ut multiplici induſtria hoc loco conatus eſt facere noſter Auctor, in iis tantum ungendis nimis induſtrius.

Victu etiam ſubvenire his oportet paulo ante acceſſionem, vel in ipſius acceſſionis principio, ſit autem ex his, qui citiſſime nutriunt, & modice adſtringunt, ſint carnes aſſæ, & elixi gallorum teſtes, & qui auſteris cordiantur; vinum ſit rubrum modice acerbum, dilutum aqua frigida, aut decocto hordei, vel radicis buglоſſæ. Præterea cum linquunt animo, vino mali punici calidi *pane excepto*, *item renutriendus eſt Æger crebris, & minutis citationibus ejus alimenti, quod non ocyſſime diſſolvatur, velut eſt* caro perdicum, caponum, vitu-

vitull, & ejus aliquod ex his confectum cum pane loto, & saccharo: fructus item acerbi, & putredini resistentes. Potus sit ex vino rubro, ut dictum est, aqua ferrata, aut deaurata diluto. Quod si morbus præstiterit exspectandi inducias, & vires ad meliorem statum redierint, urinaque rubicundior apparuerit, non erit ab re ex salvatella dextræ manus modicum sanguinem extrahere, aut iterum aliquo ex prædictis pharmacis per epicrasim purgare, donec affectionem mitiorem esse factam comperiamus.

CAPUT V.

De Tertiana pernicioſa ex prava humorum natura, ex eodem *Mercato*, cum Scholiis, ut ſupra.

ADEO ſunt pernicioſæ naturæ, & conditionis bilis vitellina, praſſina, & æruginoſa, ut dubitatum ſit quemadmodum antea diximus, inter Arabes Medicos, poſſintne ex eis febres ſuccendi: cum hoc tamen præter adductam Auctorum mentem, nos etiam ex his nonnullas vidimus, quarum natura adeo fuit pernicioſa, ut peſtilentem affectum æmulari viderentur: fiunt autem ex his humoribus hac lege, & ratione.

Media Æſtate ob ingentem reſolutionem propriæ humiditatis humorum, aut nimiam exuſtionem, & maxime ſi ſubito frigus occurſaverit his corporibus, quæ improba, & bilioſo nimis uſa fuere victus inſtitutione, aduſtam bilem, praſſinam, æruginoſam, & in confinio atræ bilis exiſtentem ſuccreſcere non raro viſum eſt: præſertim ſi homo ira, furore, aut aliis vehementibus animi pathematis percitus fuerit. Quo quidem tempore mirum non eſt, ſi febre corripiatur, eam fore periculoſam, etiamſi Tertiana fuerit. Quippe ſi vires non admodum dejectæ ſint, ſi humorum copia non grandis, certum eſt, naturam poſſe, quod intra venas moleſtum fore perſentit, aut deguſtat, pellere. Quod ſi ad emunctoria, & corporis canales pellere non poſſit, poterit quidem prope partes ſentientes ſenſim, & paulatim projicere, ut facile vel præmiſſa ſuccenſione diſſolvatur: quo fit, ut more ſolito tertio quoque die id efficiat, quia ſic humoris conditio poſtulat.

Dignoſces quidem hanc febrem tertianam ab humoribus pravis ortam ex vehementiſſimis horroribus (quod humor ſit mordacior) & qui diutius protrahuntur ob humoris craſſitiem: quippe ſynceri ſunt; & citra nativam humiditatem. Febris mox a rigore vehementer creſcit, quod humor ſuapte natura ficciſſimus, & exurentiſſimus ſit, ſicut craſſiſſimus: nam illi haud ſecus accidit, quam pici, & reſinæ, dum ſuccenduntur, quæ licet craſſam habeant compagem, ocyſſime inflammantur. Mox vero ab inflammatione ſitis, & linguæ aſperitas, nigredo & ingentiſſima ſiccitas ſuccreſcit. Oculi ob magnam ſpirituum reſolutionem cavantur, & coloratior univerſa facies (licet cadaveroſa) efficitur, anxius, inquietus, & univerſo corpore compunctus, ac veluti exulceratus Æger hinc inde vagatur; qui neque potu, neque ventilatione, neque reſpiratione ſubſidium ſuſceptat. Urina ignea, ac veluti lixivium apparet, pauca, & cum cinericio, vel furfuraceo ſedimine, aut cum pinguedine ſupernatante: pulſus mediocris magnitudinis, non admodum debilis, dum viget febris; cæterum frequentiſſimus, & celerrimus, die autem quietis parvus, debilis, durus, & creber ſubeſt, quod vires ex acceſſione abierint, reſpiratio crebra, alvi dejectiones opinæ, pingues, aut bilis vitellinæ, porraceæ, aut æruginoſæ naturam referentes, plerumque dyſenteriam efficientes. Vomitus quandoque alicujus dictorum humorum ſubſtantiam, & colorem æmulatur, cum angore maximo, & animi deliquio. Laborantes parum aut nihil ſudant, quod craſſior & ſine humiditate ſit materia, niſi prope mortem cum diaphoreticus erumpit.

SCHOLIUM I.

Quæcunque ſit, & qualiumcumque ſuccorum mixtura, quæ bili dat denominationem praſſinæ, æruginoſæ &c., certum eſt, ut inquit Auctor, hujuſmodi humores acerrimos media Æſtate, & ferventiſſimis potiſſimum tempeſtatibus obſervari. Æque certum eſt, quod eorundem humorum excretio ſive ſyncera, ſive variegata, magnum ſemper faceſſit negotium: & quotieſcumque apparuerit, dat ſemper anſam ſuſpicandi, aliquam pravitatem ſubeſſe, quæ morbum reddit non contemptibilem, etiamſi alioqui mitem, quod & *Hippocrates* docuit.

Quod ſane malum mille pericula afferre ſolet, ac multis modis pernicioſum efficitur; nam cujuſvis prædictorum humorum talis eſt natura, & conditio, ut etiam citra putrefactionem, aut ſuccenſionem,

quamcumque partem inierint, vel erodant, aut gravius aliud malum machinentur, ne dum cum in extremis vaſorum, & prope partes ſentientes jam putreſcunt, initio etiam putredinis a vaſis majoribus ſumpto. Quo profecto tempore certum eſt, ipſam febrem mediante validiſſima virium exſolutione, laborantem, aut interimere in febris ipſius inclinatione, aut ocyſſime labefactata natura in cauſonem, vel graviſſimam aliquam febrem migraturam, & quod certius eſt, ni arte, aut diligentia præveniatur, in habitualem febrem. Tanta enim eſt primarum humiditatum, & ſubſtantiæ membrorum, in quibus hi humores putreſcunt, reſolutio, ut non ultra quartam acceſſionem viſum ſit laborantem in hecticam migraſſe, maxime ſi graciliis ſit, juvenilis ætatis, & ſuapte conditione rari habitus, & contexturæ.

SCHOLIUM II.

In Prognoſi occurrit animadverſione dignum; quod iſta pernicioſæ Tertianæ ſpecies *ultra quartam acceſſionem* non extendatur, ſeu, ut ait in fine Capitis, *quinta ad ſummum acceſſionem* non tranſcendat; ſed vel intra ho. terminos necare ſoleat, vel in Cauſonem, aliamve graviſſimam Febrem, ac tandem certius in Habitualem commutari. En ergo quantum teneamur Divinæ bonitati, quæ præſentaneum remedium dedit, vi cujus & ab ocyſſima morte, & ab aliis periculis eandem longiore afflictione tandem inferentibus, certo poſſimus evadere.

Non fert maligna, & atrociſſima hujus morbi conditio in exhibendis auxiliis moram ullam; nam cum certum ſit, hujuſmodi humores nullum poſſe beneficium, gratiam, aut coctionem a natura recipere (*immo* ut inquit Averroes 3. collect. *corrumpant formam ſpecificam illius*) *procul dubio neceſſum eſt, protinus humorem purgare, maxime ſi inconvenientem regionem incumbat ipſe ſua ſponte. Quippe ſi in ſuperiorem ventrem irruat, vomitibus, cum acceſſio inſtat* (quo facilius excernatur) *& venter nauſeabundus apparet, minuendus eſt. Servabis tamen hoc præceptum in ejus eductione, ut maxime ipſum admiſceas humectioribus cibariis, & copioſo potu, tum ut facilius venter evomat: tum vero ut ſine noxa; gravis enim, & periculo plenus eſt hujuſmodi humoris contactus, & ob ipſum humidis præſidiis compeſcere, & attemperare opus eſt. Quod ſi in inferiorem ventrem humorem irruere perſenſeris, aut ſaltem ad nullam aliam ſe partem inclinare, per ipſum expurgabis; id quod caute facies: ſive enim purges, ſive ſecus, periculo res non caret: quippe ſcimus, vel leviſſimis pharmacis graviſſimas accerſiri dyſenterias, quod ſi has effugias, contrahe-ſcet laborans, quo fit, ut prudentia, & maturo conſilio opus aggredi, aut ab eo ſubſiſtere tenearis. Sic profecto in hujuſmodi humoris purgatione, blandioribus, verum ſeligentibus pharmacis admixtis rem ages: illud quidem ne nimis exacerbetur humor, hoc vero, ut peccans ſuccus citra aliorum agitationem excernatur: id quidem facies* caſſia fiſtula ſuperbibito lactis ſero, in quo prius rhabarbari drach. j. maceraveris, aut ipſo diluto copioſiore facti, vel ſyrupo ex jx. infuſionibus violarum, cum infuſo ſcrup. iv. rhabarbari, vel hordei cremore cum prædicto rhabarbari infuſo. *Item* confectione Hamech ſimplici, *ſuperbibito copioſo hauſtu* aquæ hordei cum ſaccharo, aut ſeri lactis, vel decoctionis violarum, & ſeminis malvarum. *Præſtat* & manna diſſoluta in aqua hordei, vel violarum, *ſed robuſta corpora optime ferre poterunt* drach. j. & ſs. electuarii de phyllio, vel catholici drach. iv. cum copioſa aqua oxalidis, vel hordei. *Quo etenim ſemel facto, non licet plurimum inniti in ſanguine extrahendo: quippe prædicti humores, neque corpus eiſdem ſcatens id plurimum expoſtulant, neque innoxie ferunt, plerumque a ſanguinis miſſione continua evadit febris, quod impotens, ſanguine detracto, natura ad pellendum a vaſis nocivum ſuperſit. Verum ſi vel ſimul ſanguinem aliquo modo redundare* (quod raro exuſtis humoribus accidit) *vel opus eſſe comperias, id quidem ex ſalvatella manus dextræ facito. Poſtmodum vero humores, & univerſum corporis habitum, ac viſcera etiam humectare, curabis plurimum, & modice refrigerare, puſillus enim calor nativus, qualem hæc corpora habent, nec evacuationem, nec refrigerationem innoxie ferunt, ſed* ut Galen. 12. method. *in doloribus ab erodentibus ſuccis ortis conſulit, paulatim & ſenſim lenire, ſic ſequenti die a pharmaco copioſam aquam hordei cum ſyrupo* violarum, aut ſaccharo roſaceo, vel decoctum violarum *bibendum dare oportet, quo & vis medicamenti, & humorum acrimonia retundantur, abluanturque: Clyſmatis præterea utendum eſt, maxime cum laborans dormitu-*

mitarus eſt : quæ ſane conficito ex decocto hordei, vel violarum, aut ſeminis malvarum, & papaveris, cum ſaccharo, & oleo roſarum, violarum, & vitellis ovorum. *Præterea ſummo mane, aut prope ſomnum, laboranti porriges* aquæ hordei, acetoſæ, violarum, ſcorcioneræ, vel per mortarium lapideum excolatæ unc. vj. ſyrupi acetoſæ, de ſucco limonum, roſarum, aut violarum unc. j. *Confert & ſaccharum roſaceum, ſeu violaceum magis, quibus admiſce roborandarum virium gratia* margaritarum præparatarum, aut electuarii de gemmis ſcrup. j. *Præſtat &* diacorallium cum mucilagine ſeminis citoniorum, & pſyllii pondere drach. j. *Ejuſdem uſus eſt, quod ex his omnibus conficitur forma boli, & pondere duarum drach. ſummo mane exhibitum. Sed ferunt non contemnendi Auctores, & Conciliator etiam adſtruit, alexipharmacum nullum reperiri in arte medica his humoribus pretioſius, quam cryſtallum, cujus drach. j. in ſubtilem pulverem redacta, & aqua diſſoluta, mire opituletur : ego autem arbitror, id forſan occulta quadam proprietate illi accidere. Verum ſi dyſenteria ex prædictis humoribus prodeat, vi ſua adſtringente extra omnem expectationem prodeſſe comperimus : cenſeo tamen admiſcendum fore aliquod ex prædictis pharmacis. Exterius vero corpus* refrigerante Galeni, *aut* roſaceo, *vel unguento ex* cucurbitulis *juxta dorſum inunges, aut cordi epithemata appones, ea lege, qua capite de Tertiana exquiſita ſcripſimus.*

SCHOLIUM III.

Quam vana ſpe autem id expectare liceat ab aliis remediis, oſtendit curatio. Magna Remedia, ex mente Auctoris, hic nullum fere locum habent, etenim, ſi de purgatione ſit ſermo -- *Caute id facies* (inquit ipſe) *ſive enim purge, ſive ſecus, periculo res non caret &c.* Si vero de ſanguinis miſſione loquamur, -- *Ægrotantes hujuſmodi* (ſubdit ille) *tale præſidium non innoxie ferunt, & plerunque a ſanguinis miſſione continua evadit febris.* Magnis ergo Remediis fere proſctiptis, quid ſperandum ſupereſt a levioribus, & nullius ferme vigoris, ſaltem reſpectu habito ad tantam indigentiam, ut norunt Practici ? De cryſtallo quidem non contemnendam mentionem facit Auctor (ſelecta fere ſemper remedia indigitans) pro corrigendis pravis illis humoribus recenſitis ; & ego quoque experientia fretus eidem remedio in mitioribus ſaltem caſibus, ut paulo ante innui, non parum tribuo. Sed furente jam, ſparſis quaqua verſum fluctibus, Torrente, fruſtra infirmioribus hiſce inſtructus.

Pugnat in adverſas ire Notator aquas. In hac ſane procella ſi quis conſuluiſſet *Mercatum*, jure merito contremiſcentem, quærens, an liceret Lignum Corticis amplecti, certum plane pro naufragio evitando refugium, videlicet Specificum certum pro manſuefaciendis efferis hujuſmodi humoribus, *nullum cæterogui beneficium, gratiam, aut coctionem* (ut omnimoda certitudine affirmat Auctor) *a Natura recipere aptis*, quid, quæſo, reſpondiſſet ? Muſſitaſſetne, aut hæſitaſſet.

Quod tamen majoris momenti arbitror, eſt victum ſumme humectantem, & facilis, atque copioſioris alimenti inſtituere : ob id jura caponum, *&* carnes pullorum ex lacte, aut hordeo nutritorum *ex uſu eſſe comperimus, & ex* oleribus decoctam lactucam, aut ſcariolam, & borraginem : *tandem potus ſit hordei aqua, vel puriſſima cum ſaccharo. Quod ſi vires laborantis labi videantur, conſultiſſimum eſt, vinum tenue, album, & maxime dilutum præbere : tandem ſi affectionem perſtare adhuc contingat, exiſtimandum eſt, jam in alterius naturam commigraſſe, nam ex prædictis humoribus non tranſcendit quintam acceſſionem : quamobrem juxta naturam ejus, in quam degeneravit, curationem inſtitues.*

CAPUT VI.

De Tertiana Pernicioſa ex miſcella craſſorum humorum cum ſeroſis, & renuibus ex *Ludovico Mercato*, adjunctis itidem Scholiis.

CUM in humanis corporibus intra venas humores abundant ea copia, quæ naturam irritet ad ſeſe deonerandam ; cæterum quæ non adeo gravet, quod ad extrema vaſorum pellere non poſſit, fit quidem, ut humorem pellat ipſa tertio quoque die : ſed quod frequentius eſt, more duplicis tertianæ ſingulis diebus, maxime prope noctem ad extrema vaſorum, & præcipue juxta os ventriculi humorem tranſmittat, quo febri ſyncopali humoroſæ ſimillima exiſtit. Quo fit, ut ob ejus copiam, quæ ſui reſpectu major eſt, quam fuit reſpectu majorum vaſorum, a quibus pellit natura, procul dubio adeo graventur, & offendantur univerſi corporis partes, ut hac ſola ratione tertiana, quæ ſui natura ſalubris foret, pernicioſa efficiatur : cui accedit, humorem eſſe mixtum ex tenui bilioſo, & craſſo, cujus craſſitiem veluti

ex congelatione, & condenſatione factam arbitramur. In cujus febris natura expendendum primo eſt, qua ratione hi humores gravent naturam in extremis vaſorum, cum intra majora non adeo graves exſtiterint. *Secundo*, qua ratione ob id pernicioſa exiſtat. *Circa primum conjectandum eſt, humorem hunc concretum, quem ſecum movet biliosus, & tenuis humor, qui in acceſſionem prorumpit, cum ad extrema venarum funditur, non protinus, aut ſimul ad dicta loca tranſmitti, nec ſimul incaleſcere, ſed paulatim projicitur, ac ſuccenditur; tum quod copioſus ſit, tum quod inæqualis. Quo fit, ut tenuior pars primo ſuccendatur, & ex craſſioribus, quæ primo tranſmittitur, & reliquæ ſic ſucceſſive, ut natura pellit. Præterea cum mox tenues partes ſuccendantur, quæ craſſæ ſunt, ſimul incaleſcunt, gravioreſque & rariores fiunt, eo quod ex calore, quod craſſum eſt, ocyſſime fundatur, & liquetur. Quo fit, ut ea humorum copia, quæ vaſis majoribus non erat magna, nunc in extremis vaſorum liquata, & fuſa maxima fiat, gravis, & ponderoſa, ex quo procul dubio ſequitur, pernicioſam, & periculo plenam efficere febrem, cum vereri oporteat, ne univerſi corporis calor ex copioſo illo humore ſuffocetur, extinguaturque, aut laborans ſyncopi frequenter corripiatur. Finitima quidem eſt hæc febris conditio ei, quam Medici* ſyncopalem humoroſam *vocant, cujus Galen.* 12. method. *meminit nomine febris cum redundantia crudorum ſuccorum, licet ex continuarum fiat genere, tranſactis primis acceſſionibus, quod impotens ſit natura longe a cordis vaſis humores illos craſſos, & copioſos pellere, hæc vero intermittens.*

SCHOLIUM I.

Torquet in hoc Capite ſe ipſum Auctor, ut explicet modum, quo detrudi ſupponit ad extrema vaſorum, ibique ſuccendi inæqualiter craſſos, & tenues humores. Ignorato fluidorum motu tunc temporis occulto, mirum non eſt, ſi in tot figmenta ſæpius labebantur Prædeceſſores noſtri etiam Doctiſſimi. Quæ nihilominus ille adſtruit de inæquali craſſitie, ac tenuitate humorum irregulariter effervescentium, ſive, ut loquitur, ſuccenſorum, omnino locum habent in iſto caſu, ſi modo ſenſibiliorem explicentur. Quæ pariter addit de condenſatione, congelatione, ac concretione eorumdem humorum craſſorum, commixtorum cum biliosis, & tenuibus, videntur nonnihil congruere cum iis, quæ ex principiis *Acidi*, & *Alcali* hodie deducunt quamplurimi. Quocunque tandem modo meliore hæc explicentur (quod Theoreticis relinquo) certum eſt ſaltem, vi hujuſce Febris, ſeu Cauſæ illius immediatæ, inæqualem ebullitionem intra ſanguinem ſuſcitari, ſive deinde id fiat ob heterogeneitatem particularum præexiſtentium in ipſo ſanguine, illumque ex parte conſtituentium, ſive ob peculiarem, inæqualemque diſpoſitionem, aut compoſitionem febrilis Fermenti in ſanguinem influentis, ſive propter utrunque.

Verum ob id gravis, licet procul a partibus cordi, & ventriculo, aut jecori vicinis eoſdem valeat pellere; e quo vereri oportet univerſi corporis caloris extinctionem, & ob id differunt etiam hæ febres ex occaſione periculi; nam in illa vereri oportet, ne humorum pendere, & copia cordis calor extinguatur, quod prope ipſum exiſtat plenitudo, in hac vero ne totius corporis calor pereat, præterquamquod (ut dictum eſt) *aliqua humorum craſſorum portio prope viſcera tranſmittatur, licet in utraque ob vitium, & damnum ventriculo illatum laborantes periclitentur. Triplex igitur cauſa neceſſaria eſt hujus febris generationi, crudorum nimirum humorum copia ventriculum & carnoſum, ac arterioſum genus opprimens, virium infirmitas, quæ caloris paucitatem ſequitur, & vitiata anguſtorum meatuum, & venarum compoſitio.*

Cognoſces autem hanc febrem ab his humoribus inæqualiter craſſis, & copioſis provenire, quod lente, & cum diurno, ac moroſo rigore incipiat, quem nonnumquam interrumpit calor quidam, veluti flamma exurgens, quam iterum rigor compeſcit, ita ut per intervalla rigeant, & incaleſcant qui ſic affecti ſunt. Quod ſymptoma illis ſuccreſcere cenſeo, quia humor copioſior eſt, & craſſior (potius profecto) *quam quod ſimul totus poſſit a natura pelli, & ſi pellatur, ſimul ſuccendi. Quo fit, ut pars poſt partem ſuccendatur, & primo quæ in eo tenuior eſt, poſt vero quæ craſſior. Dignoſces etiam id, quod laborantes tarde incaleſcant, ex toto, & quod calor diu duret, & non admodum ſit extenſus, ſed per aliquod intervallum flammea in corpore compareat caliditas, ſed mox ceſſet, & mitis appareat calor: quod licet ita ſit, anxium reddit laborantem ob preſſuram, & gravitatem arteriarum, & muſculorum totius corporis, quam fuſi, & copioſi præſtant humores. Impotens etiam*

toto

toto febris tempore efficitur laborans, & eum anxius sit, seſe movere nequit, quo fit, ut moleſtius ferat, & veluti obtuſus ſenſibus exiſtat. Calore videtur carere, & ſiti plerumque premitur, & a potu gravius ſe habet, præcordio in principio inflato, corpus totum ampliori mole, quam pro naturæ modo, tumens, color omnino vitiatus, aliiſque albidior, quam pro naturali habitu, & aqua inter cutem laborantibus perſimilis, vel lividus. Urina copioſa ſubalbida, copioſo ſedimento, & craſſo plena apparet. Pulſus ex parvitate, & magnitudine inæqualis, aliquando interceptus, & quo magis creſcit febris, evidentiores fiunt prædictæ differentiæ, quo eo tempore rarior fiat humor, & vehementius naturam premat; celeritas tamen & crebritas non plurimum a natura diſſident, ita ut pleriſque videatur febre carere. Sæpe etiam animo deficiunt, & aquæ potu non levantur, neque aſperſione aquæ ſupra faciem, quinimmo frictionibus, & vinculis melius ſe habent: reſpiratio frequens eſt, & ſuſpirioſa: in febris autem inclinatione laborantes maxima cum inquietudine ab umbilico ad caput exſudant, & aliquantulum liberari videntur, & licet febre carere appareant, adhuc accidentia aliquot ſuperſunt, quibus conſtat nimio pondere laborantes confrigi: tandem hoc eſt in hujuſmodi febribus tamquam pathognomonicum ſignum, nimirum, nec augmentum, nec ſtatum, nec declinationem æqualiter fieri, ſed in augmento aliquando inclinat febris, deluditque Medicos, & potu exhibito, aut citra ipſum iterum increſcit, in ſtatu vere plerumque novum incrementum, & aliquando declinationem, & poſtea aliud incrementum ſuſceptat, quod pari penſu in declinatione cernimus. Præter id hoc habet proprium, & peculiare, quod accidentia, quæ propria ſunt principiis reliquarum febrium, ſibi vehementiora ſint, & majora prope ſtatum, quam in principio: quo fit, ut eo tempore inæqualitates pulſus, laborantis ſuffocatio, & periculum ſine dubio ſint majora: ratio eſt, quia cum hæc mala in hoc affectu ex arteriarum compreſſione, & caloris ſuffocatione prodeant, & hæc eo tempore commodius fiant, in quo major fuerit plenitudo, & hæc major ſit prope ſtatum, quia in hac febre uſque ad id tempus ſemper a vaſis aliquid pellat natura ad minora, & quod pellit magis attenuetur prope ſtatum, fit profecto, ut eo tempore accidentia principii eluceant magis.

SCHOLIUM II.

Ob id, ſignum Febris hujuſce ſpeciei quaſi *Pathognomonicum* eſſe dicit Auctor, quod nec augmentum, nec ſtatus, nec declinatio æqualiter fit; ſed in augmento aliquando inclinat Febris, deluditque Medicos, dum potu exhibito, aut etiam eo non exhibito, iterum increſcit, idemque non raro repetit in ſtatu, aut etiam in ipſa declinatione; quod maxime verum eſt in Praxi: & ideo ſumme pariter obſervabile ad plurimos errores vitandos.

Verendum profecto eſt in hac febre, ne unum e tribus malis laboranti ſuccreſcat. Primum, *ne laborans in augmento ipſius febris, cum jam incaleſcere cœpit univerſum corpus, antequam ex toto incaleſcat, ſuffocetur. Quippe eo tempore rarior efficitur materia ob fervorem, quem contrahere incipit, quo fit, ut compreſſione vaſorum, & extinctione caloris in toto corpore, vel in ſyncopem gravem, & periculoſam, vel in mortem prolabatur Æger; quod ſi quis quæſierit, qua ratione in hac febre, quæ ſuffocatione interficit, laborantes pereant in ſtatu, & prope ipſum, cum in reliquis quæ hoc modo interficiunt, in principio laborantes ſuffocatione periclitentur: dicendum eſt, hoc eſſe principium hujus febris, quatenus ad eam portionem attinet, eo quod natura non tranſmittat ſimul humores a vaſis, ſed paulatim uſque ad ſtatum: quo fit, ut eo tempore (præterquamquod funduntur, & effervescunt, & liquantur) copioſiores utraque ratione ſint, quam in principio, & ob id eo tempore calorem ſuffocent magis.* Secundum, *ſi forte natura ſeſe a ſyncopi tueatur, pertimeſcere oportet gravem, & diuturnum aliquem affectum ſubſecuturum; nam cum tertiana hæc plerumque ſit nimis extenſa, facile continua efficitur, vel ſaltem ſub ingreſſum duarum tertianarum. Quarum occaſione non raro ſuccreſcere ſolet.* Tertium *malum, nimirum malus corporis habitus: quippe cum calor in dies impotens reddatur, procul dubio verendum eſt, ne etiam bonum ſanguinem conficere non poſſit, ac ſubinde neque corpus probe nutriri, & malum habitum ex conſequenti ſubſequi.*

Videtur profecto poſſe hanc febrem curationem ſuſcipere ſimillimam ei, quam febribus ſyncopalibus humoroſis proficuam eſſe Auctores ſcribunt, ſiquidem in omnibus fere æquales exiſtunt: in qua re non in parvam dubitationem incidimus, ſiquidem Galen. *non ſatis aperte monſtrat,* an liceat in hu-

hujuſmodi febribus ſanguinem mittere, aut expurgare, *cum ſolum frictionibus utendum eſſe conſulat, nec immerito quidem, cum in hac febre crudorum humorum maxima copia ſubſit, præcipue juxta ventriculi os, quæ ſanguinis detractionem plerumque intercidit, nec rurſus expurganti pharmaco videtur eſſe a principio utendum, cum corpus plenum ſit, & ob id non ceſſurum medicamentis: quo profecto fit, ut in dubium vertendum ſit, quid agere oporteat. Quippe ſolum uti frictionibus, inſufficiens eſt tanto malo, nec licet corpore exiſtente pleno, quod* Galen. *interdixerat* 4. de ſanit. tuend. *Quamobrem cenſeo* Averroem *a* Galen. *diſſenſiſſe* 7. collig. *qui non eſſe ſolum agendum frictionibus ſcripſit, cui favet* Trallianus *qui neque mediam, neque multam frictionem ſufficere docet*, Raſius *etiam* 6. conti. *cum* Trallian. *purgantia protinus conſulit. Verum ſi quis rem hanc diligenter expendat reperiet procul dubio, hujuſmodi febris longe diverſam eſſe medendi rationem a curatione febris ſyncopalis humoroſæ, & continuæ. Nam præterquam quod in* Galen. *doctrina non expreſſe conſtat hujus febris notitia, ejus, quæ illi aſſimilatur,* 12. method. *non diſſimilis eſt curandi ratio. Sed dato, quod verendum ſit ſanguinem mittere, aut expurgare in illa, in hac vero ambo auxilia prærequiruntur, & utrique ſupereſt a principio commodiſſima occaſio. Primum quidem eo, quod plenitudo illa, quæ in hac febre ſubeſt, non ſit adeo copioſa intra vaſa, quia tantum eſt plenitudo in potentia, quæ in extremis vaſorum efficitur actu, certum eſt ſubeſſe locum expurgationi: at ſi cum ſanguinis præſentia adſit copia illorum humorum, quos & craſſos, & tenues eſſe diximus, ob id credendum eſt, non deeſſe occaſionem mittendi ſanguinem. Qua propter cum in hac febre periculum ſit, ne in acceſſionis principio, aut ſtatu, ex humoris effervescentia, & plenitudine, calor univerſi corporis ſuffocetur, ob id, ſi ſanguinem præeſſe ſimul compertum fuerit, vel occaſionem malo præſtiterit ſanguinolentæ evacuationis ſuppreſſio, demendus ſanguis eſt, vena baſilica dextri brachii ſciſſa, idque ſemel, aut bis pro virium robore: ſin aliter, cavendum eſt a ſanguinis detractione tamquam a magno malo: Nam plerumque ſic affecti calore, & viribus carent. Verum ſi prædictos humores tantum dominari conſtet, a purgatione, & ſeligenti pharmaco facta, principium curationis auſpicari oportet ex* ſyrupo ſolutivo roſarum, cum infuſione foliorum ſenæ, aut cum expreſſione agarici, vel carthami. *Prodeſt &* diacatholicon, in decocto ſenæ dilutum, vel diaphœniconis modicum cum confectione Hamech ſimplici. *Poſt hanc vero purgationem ſanguis demendus eſt, quod ſi opus fuerit magis probo, quam ante purgationem, & coctionem, ſi antea miſſus non fuerit. His tamen factis, omni arte curandum eſt corporis calorem evocare, atque excitare, quod facilius poſſit copiam humoris diſcutere, quippe in hoc malo frictionibus, & ligaturis, ac cucurbitis, licet utamur, non quidem ut evocemus humorem ad extimas partes, ut in reliquis dictum eſt, cum potiſſima ratio periculi ſit copioſior humor, aut caliginoſus, & frigidus habitus in partibus carneis, ſed ut ſolum calorem ipſum ſopitum excitemus, evocemuſque ad eaſdem. Quod ſane faciens leviuſculis, ſed longioribus frictionibus, quibus, quod facilius evocari ad cutim poſſit, facile ſequatur, & cum is ſit calor, & ſpiritus, is procul dubio ſuccreſcit. Item parvis, & frequentibus cucurbitis, quibus ablatis, univerſum corpus ſuffumigabis, & perfricabis calidis linteis, quod ſane facies parum ante acceſſionem, aut in ipſa, & per vices, & intervalla in ipſo augmenti tempore, ut per carneas partes aliquid ejus, quod ibidem moratur, antequam calorem offendat evaneſcat, aut calor, qui id conterat, excitetur. Curandum etiam eſt, ut in die quietis laborantes per alvum dejiciant clyſmatis, & ſuppoſitoriis acrioribus, vel vomant, quod profecto grandi diligentia exequendum eſt. Quod ſi his omnibus factis animo linquant, etiam incipiente acceſſione* modicum panis vino madefactum *porrigere oportebit, qui etiam odoramentis reficiendi ſunt: quod ſecundo, aut tertio iterabis, donec incaleſcere corpus, & calorem conſpicue excitari comperias. Ac ſi eo pulſus parvitas devenire videatur, quod efficacioribus auxiliis opus ſit, porriges* cum modico vino *pulverem, q.* ℞. aromatici roſati drach. j. margaritarum præparatarum ſcrup. ij. pulveris electuarii de gemmis ſcrup. j. pulveris offis de corde cervi drach. j. raſuræ cornu monocerontis unc. ſs. miſce, & cum melle roſaceo fiat bolus, cujus porrige ſcrup. j. *Quo facto, cor, & dorſum inunges unguento, q.* ℞. olei liliorum, & de ſemine Angelicæ, ana

unc.

unc. j. olei cinnamomi drach. ij. pulveris cariophyllorum, & naphthæ, ana ſcrup. j. diambræ gr. j. pulveris florum roſmarini drach. j. croci ſcrup. j. *bulliant cum odorato vino in duplici vaſe, & facta expreſſione prædicti partes inunge. Ventriculo etiam providebis unguento*, q. ℞. olei nardini, & nucis muſcatæ, & abſynthii, ana unc. ſs. cariophyllorum drach. j. galliæ muſcatæ gr. x. ceræ q. ſ. ut fiat unguentum. *Mammis vero fœminarum, & virorum teſtibus adhibebis, quæ odorata ſint, & calorem concilient, velut eſt* vinum calidum cum aqua meliſſæ, & pulvere aromatici roſati, & diacymini.

SCHOLIUM III.

Difficultatem curationis demonſtrat controverſia de ſanguine mittendo, & de inſtituenda purgatione, licet utrumque præſidium tandem Auctor admittat. Neque enim hæc Febris ſpecies revera eſt adeo exitioſa inter reliquas, ut aliquam Curationem, ut ajunt, methodicam ſaltem circa initia non patiatur.

His factis in die acceſſionis, ſtudendum eſt in diebus quietis humorum copiam minuere, & cruditatem, & craſſitiem moderari, quod facies addito oxymelite, *vel* ſyrupo de corticibus citri, ac modico ſyrupo de duabus radicibus cum aquis cinnamomi, aniſi, fœniculi, Angelicæ, vel de radice Chinæ, *ac procedente affectu non recuſarem*, oxymellitis ſcyllitici *modicum adjicere. Poſt quam præparationem ſi coctio apparenter eluceat, plenius corpus purgabis his, quæ ſuperius diximus, aut* pilulis aggregativis, *vel* de agarico. *Verum ſi lentius naturam concoquere conſtet, ſatius eſſe duxi, per epicraſim corpus purgare pilulis* ex maſtiche, rhabarbaro, & agarico, aut pilulis ex hiera Galen. & agarico, vel prunis Damaſcenis ex decocto ſenæ conditis, aut infuſo rhabarbari, & agarici, vel carthami decocto: *Formidare enim in his oportet copioſas purgationes, ne humore copioſius in ventriculum irruente, citius in irreparabilem ſyncopen concidant. Præterea ſive purgent, ſive opus aliquod agere velint, e lecto non ſurgant, ne commoti humores citius ſyncopem excitent. Interim tamen providendum eſt* hæmorrhoidibus, & menſibus: *tandem poſt prædictas purgationes*, theriaca cum modico vino utendum eſt, *aut* aromatico roſaceo, & vino paſſulato, vel diacmyno.

SCHOLIUM IV.

Circumſpectionem tamen ſuam in purgando ſatis oſtendit idem Auctor verbis illis -- *Formidare in his oportet copioſas purgationes*, rectiuſque forſan dixiſſet, etiam *modicas*. Sat ergo fuiſſet ſuperius dixiſſe -- *Curandum eſt, ut die quietis laborantes per alvum dejiciant clyſmate, & ſuppoſitoriis.*

In hac ſane febre, & ſomno, & vigilia opus habemus: quippe ſomnus concoquit, & vigilia digerit. Item opus eſt victum inſtituere extenuantem, & parcum, ac ſæpius, aut ex longis intervallis, vinum *fere his omnibus ex uſu eſt, ſi non dormierit laborans, noctu, ſin aliter, diu. Providendum etiam eſt, ut laborans quam minime turbetur, diſtrahaturve aliquo animi pathemate, quod ſic affectis ſummopere noceat.*

CAPUT VII.

De Pernicioſa Tertiana ob aliquod accidens, quod ſuccreſcit, ex eodem *Mercato*, cum iiſdem Scholiis.

EST itaque quinta pernicioſæ tertianæ ſpecies ea, quæ non ex propria conditione, & natura talis efficitur, ſed ex aliquo accidenti, quod illi ſuccreſcit, cujus ratione ipſa periculoſa efficitur, quantumvis ſuo more ſalubris, & ſignis firmata ſecuriſſimis exiſtat. Sic profecto hac lege uno e duobus modis aliquam tertianam periculoſam fieri conſpicimus. Primo, *quando creſcente calore in acceſſione ipſa pituitoſus, aut craſſus ob contractam fuſionem, & tenuitatem ab ipſo calore præſtitam, inſtillat, decumbitque in aliquam partem, ac velut ſuffocativum* (ut ajunt) *catarrhum, ſi ex capite; vel difficilem reſpirationem, aut orthophnœam, ſi ex thorace; vel articulares, & graviſſimos dolores concitat, ſi in articulos prædictus humor prolabatur; quippe certum eſt, non raro contingere his, qui caput habent catarrhoſum, humidum, & fluxionibus obnoxium, ſi febre tertiana corripiantur, tempore acceſſionis ob calorem tantam defluere pituitæ fluxilis copiam, quod in graviſſimam ſuffocationem, aut lateralem dolorem pleuritico dolori perſimilem ocyſſime periclitari videantur, ſicut his, qui aſthmate laborant ob craſſos, & viſcidos humores, thoracis vaſa, & partes obſidentes ab eodem calore*

liquari, & moveri, excitareque difficillimam respirationem, & gravissimam orthopnœam. Ita prorsus his contigisse scimus, qui articularem morbum pati sunt assueti, quibus vi caloris fusis humoribus, tenuior quædam pars in articulos migravit, qua quidem gravissimæ, & molestissimæ fiunt tertianæ accessiones. Quæ omnia finita accessione protinus aliquando cessant, eo quod calor, qui humores liquavit, eodem discutere valuit, aliquando vero ejusdem mali, quod excitavit, aliquid adhuc supereſt, quod molestam, & non raro periculosam minatur fore venturam accessionem, si malum malo succrescat. Secunda *quidem hujus tertianæ species suboritur, cum febrilis calor uterum in consensum allicit, commovens corruptos vitiososque ibidem morantes succos, quibus motis, accidentia succrescunt, tota accessionis duratione æque gravia, ac periculosa, his quæ hystericis fœminis accidere assolent.*

Signis profecto in hujusmodi tertianis non plurimum opus habemus, cum constet, prædicta accidentia, quæ illi succrescunt, non accidere ob caloris febrilis, aut humoris peccantis, vel membri, in quo humor febrilis incumbit, vitium: sed accidentia longe diversa esse a natura prædictorum, esseque symptomata, quæ aliis humoribus ab his, quæ tertianam efficiunt, diversis, propria sunt. Quippe affici catarrho, aut difficulter respirare, vel articulos dolere certum est, distinctum quid esse, & accidentale a natura febris tertianæ: & ob id cum hæc accidentia succrescunt, conjicies tertianam fieri perniciosam ex accidenti, & non ex nativa sorte.

SCHOLIUM I.

Circa universum hoc Caput dico, quod si accidentia, quæ succrescunt Febribus, ve e sint talia; ut nullam habent cum Febre communionem Causæ, vix potest peculiaria species Febris Perniciosæ exinde constitui; nam hoc nomine Pernicioſa etiam dici posset Ephemera, si illi grave aliquod accidens superveniret. Oportet itaque diligenter animadvertere, an succrescentia accidentia omnino sequantur Periodum Febris, itaut ea invadente invadent, & ea cessante cessent. In tali enim casu potius censenda sunt symptomata Febris, quam alterius naturæ, etiamsi motus febrilis, tantum data occasione, ea suscitare videatur; secus, si non sequantur Periodum, motumque febrilem. Sic, si Mulieri semper in accessione superveniat passio aliqua, Hysterica dicta, quæ non alio tempore invadat, & soluta Febre, semper solvatur, reputanda erit soboles Fermenti febrilis (licet tantum per accidens) in subjecto dispositio, & intra ejusdem fluida turbas illas suscitantis: idemque dicendum crediderim de Colica, de Vertigine, ac de ipsa nonnunquam affectione Epileptica, una cum febrilibus Paroxysmis recurrente in subjecto assueto. Fateor equidem, accidentia perniciosa hic ab Auctore enumerata, nempe *Catarrhum suffocativum, dolorem Pleuritico similem, Asthmaticum affectum, & Arthriticos dolores*, quæ cuncta illi forte sæpiuscule videre contigit, mihi rarius, ac fere nunquam in Perniciosis videre contigisse, quin potius alia frequentius observasse perniciem inferentia, quæ ipse nominatim non recenset, & quæ ego specialiter recensebo *Capite primo Libri sequentis*.

Verendum quidem est in his tertianis, ne aliquod ex prædictis malis, quæ calore accessionis fiunt, vel laborantem suffocet, vel iterum revertatur, essentiale fiat, & proprium. Quapropter sic affectos in die quietis præcavere oportet, ne iterum revertatur malum, & in accessionibus periclitentur.

Curandi ratio in hac affectione, peculiares sibi præscribit considerationes, quas maximi esse momenti censeo. Prima *sane est, quod in ipsa accessione, ubi majus imminet periculum, id præcaveamus juxta symptomatis; quod succrescit, naturam: In die vero quietis curandum est, ne iterum revertatur. Namque in curatione ipsius tertianæ nil novi agendum est præter id, quod in reliquis tertianis salubribus ex usu esse diximus: præterquamquod hæc paulo celerius, atque diligentius expostulat curari: ne si diutius protrahantur accessiones, & frequentius repetant, aliquo ex prædictis modis laborans in ipsis periclitetur. Sic profecto urgente fluxionis periculo, sive ad fauces, sive ad thoracem, sive cum dolore, aut secus, vel cum difficili respiratione, & orthopbœa, omni arte curandum est fluxum a capite ad alias partes divertere, quod facies brachiis vehementer fricatis, aut ligatis, vel si ipsis cucurbitas apposueris, bis in singulis horis, quod fluxio illuc evocetur. At si grande periculum immineat, ipsas scarificare oportebit, postmodum scapulis iterum alias affigere, quo flatus a thorace discutiantur, & aer partibus dilatatis commodius recipi possit. Quod si lateralis eluceat dolor, brachiis sat est ipsas apponere, & discutientibus, ac siccis præsidiis prope partem dolen-*

dolentem uti, ut facculis ex millio, & furfure, chamæmelo, & fale: *Nam ſi inunctionibus, aut evaporatoriis utaris, laxiore facta parte copioſius ipſa recipiet, & fluxionem evocabis. Sic profecto utero providebis juxta affectionis, quæ ſuccreſcit, indigentiam, ut* Lib. noſtro *de Mulierum affectionibus abunde dictum eſt. Podagricis, aut quibuſvis aliis articulorum doloribus nihil adhibebis, ne, ſi frigidum ſit, ad principalius membrum repellas; ſi vero calidius, plus ad affectas dolore partes attrahas, ſed blandioribus auxiliis curandum eſt, laborantem ab acceſſionis ſævitia, eruere, quod leges fuſius libro noſtro* de arte medendi morb. intern. proprio capite. *Ceſſante vero acceſſione, providendum eſt, ne iterum præcedens ſymptoma revertatur, quod facies eiſdem præſidis, quibus ſi præſens fuiſſet, curaſſes: hoc uno in conſiderationem adhibito, quod ſi fieri poſſit, uno & eodem præſidio febri, & ſymptomati provideas, ſive ſanguis mittendus ſit ſive corpus purgandum. Verum, ſi id complicationis conditio non ferat, ſymptoma auferendum eſt, ac ſi ſanguinem miſeris, ex ea parte, & vena facito, quæ vel capiti mandanti, vel thoraci, a quo malum oritur, e directo reſpondeat: aut a jecore, & venis majoribus, ſi articuloſum membrorum genus pati videatur: vel ex talo, ſi aut menſes, aut hæmorrhoides deficiant, vel uterum compati conſtiterit. Quod quidem pari beneficio proderit febri, & accidenti haud ſecus, quam expurgans medicamentum, ſi eadem lege præſtiteris: quippe ea adhibebis primo, quæ materiam accidentis reſpiciant; poſtea vero quæ febrem licet aliquando mixta adhibere oporteat medicamenta, utrumque nimirum reſpicientia. Verum ſi ex prædictis accidentibus aliquod jam firmatum eſſe conſtet, quod liquido cernes, eo quod die etiam quietis adhuc perſeverat, non omnino poſthabita febris curatione, ipſi ex toto innitendum eſt, quod ſupererit, idque quæres proprio ejus capite, ut & univerſalia, & particularia auxilia probe adminiſtrare poſſis. Verum ſi morbus præſtiterit expectandi inducias, majori diligentia ſtudendum eſt tertianam febrem curare, ſiquidem illa vicem cauſæ moventis gerit, & ea curata facile accidentia deliteſcunt.*

SCHOLIUM II.

Cum ergo in hiſce caſibus ex mente Auctoris - *ſic affectos præcavere oporteat, ne iterum revertatur malum, & in acceſſionibus periclitentur*, ſuppoſito quod malum hujuſmodi ſequatur acceſſionem, velut umbra Corpus, ſoli idcirco Paroxyſmorum præcautioni (quoniam facile hodie poſſumus) per uſum Chinæ Chinæ inſiſtendum eſſe, nullus dubito, omiſſis tot medicamentorum catervis, quæ ad tollendos hujuſmodi affectus ſolent uſurpari: pro quibus in tali caſu ſubmovendis unus cæteroqui ſufficit Cortex, ut conſtat etiam ex *Hiſtoriis* XI., & XVII. *Cap.* X. *Libri primi* relatis, de Tuſſi Tabem minante, & de viſus Obcæcatione, per Quartanam inductis, & per Chinam Chinam curatis. Quoties enim ſtrenuum iſtud Febrifugum conveniat (ut in ſimilibus caſibus, ſi graves ſint, profecto convenit) non eſt, cur de tot aliis remediis infirmioribus æque ac ſuperfluis ſimus ſoliciti. Cardo Praxeos verſatur non in multiplicitate, ſed in electione remediorum, ſimulque in opportunitate noſcenda, & capranda occaſione. In iiſdem propterea circumſtantiis idem morbus remediis iiſdem ab uno Medico tollitur: ab alio non ita. Ordo quippe, ſeu tempus peculiare adminiſtrati remedii exitus varietatem parit. Ars quævis Mechanica paucis Inſtrumentis perficitur, eademque iiſdem a duplici Artifice inæqualiter exercetur, parium Inſtrumentorum uſu diſpari diverſitatem faciente. Haud aliter modicus medicamentorum apparatus (quem in numero ſatis parco vere conſiſtere, & nihilominus ſufficere, aliquando forſan oſtendam) in manu periti Medici, Morbis fere quibuslibet ſanabilibus ſanandis par eſt. Octo tantummodo voces Muſicæ, ſi rythmice diſponantur, concentibus omnibus, utut diverſis, edendis ſunt ſatis: inconcinne vero, vel intempeſtive prolatæ, & diſſonant, & harmoniam perturbant. In regenda ſanitate, quæ in fluidorum, & ſolidorum harmonia conſiſtit, analogiſmi par ratio. At de hoc ſatis.

De Tertiana Pernicioſa ob humoris venenoſitatem, quæ neceſſaria ad curationem, & notitiam exiſtant, reperies libro &c.

SCHOLIUM III.

De eo denique, quod innuit Auctor circa *Sextam* ſpeciem Tertianæ Pernicioſæ tum dignoſcendam, tum curandam, nil dico, cum eam ad commune Febrium Malignarum, & Peſtilentium genus reducat, communemque cum illis Diagnoſim, Prognoſim, atque Medelam alibi inſtituat; quod hujus loci non eſt.

CA-

CAPUT VIII.

Prava rursus Pernicioſarum Febrium Intermittentium natura innuitur ex deſcriptione Ricardi Morton, *adjunctis pariter ad claritatem fuſioribus Scholiis.*

VARIAS Pernicioſæ Intermittentis icones hactenus nobis exhibuit *Mercatus*: modo verſicolorem illius imaginem, diverſos, ut ait, morbos mentientem pingat *Mortonus*, ſimulque vim eximiam Peruviani Corticis pro tanto hoſte debellando teſtetur. Teſtetur, inquam, ipſe, me aſſerverante, ſeu (quod dignius eſt) ipſe doceat, me ſolum teſtante. Æquum eſt enim, ut quemadmodum ille ante me inſignia Corticis experimenta in caſibus admodum arduis, & nonnunquam in Pernicioſis Febribus, de quibus impræſentiarum eſt ſermo, tentavit, ac feliciter abſolvit (quod Hiſtoriæ ab eo deſcriptæ ſatis oſtendunt) ita in earumdem Febrium deſcriptione, ipſarumque per Corticem curatione tradenda, primas teneat: ego vero ad confirmandi illius aſſerta tantummodo calculum addam ex propria, & multiplici experientia petitum. Ingenue tamen repeto, quod & olim Lectori præfatus ſum, me nempe circa hoc nihil, ne analogice quidem, deſumpſiſſe a *Mortono*, cujus Opera, quæ penes me exiſtunt, tempore, quo primum, ſatiſque notum in Urbe mea tentamen inii (permittentibus id ipſum quamvis ſpe nulla aliis Comprofeſſoribus tum Noſtratibus, tum Exteris) nondum erant cuſa, nedum mihi nota. Et licet in ipſis admonear a Bibliopola, Tractatum Pyretologicum ſejuntim prius impreſſum fuiſſe, illius profecto nullam umquam ne per famam quidem notitiam habui. Sed hoc nil intereſt. Si de oppoſito quis velit, valeatve ſuſpicari, ſciat, majorem mihi fore laudem, ac gloriam, ſi Viri Clariſſimi potius, quam meo fretus conſilio, prima experimenta (utut rationabilia) dicar tentaſſe. Utcumque, ego de hac noſtra in Methodum non longe abſimilem, ſed tamen diverſam, coincidentia adeo mihi complacui tunc, cum *Mortoni* Pyretologiam luſtravi, antea (fateor) ferme neglectam, ut, jus promeritum Eidem redditurus, parum quidem abfuerit, quin Tractatum ipſum integrum reimprimi curarim (quem tamen a fronte ad calcem attente a cunctis conſiderari velim) illique meas obſervationes, caſuumque conſimilium Hiſtorias adnexerim. Id autem aggreſſus eſſem, ut quamplurimas veritates practicas inibi exiſtentes, ſed vel non ſatis patentes, vel non ſatis perſpectas, & fortaſſe minime creditas in propatulo ponerem. Iis etenim alicubi dilucidatis; & ab aliquo identidem exceſſu (ſi fas ſit dicere) caſtigatis, melior forſitan ſors acceſſiſſet, majorque itidem perlegentibus utilitas. Sed ex alia parte, cum quidquid in eo Tractatu propius videtur reſpicere *Pernicioſas* Intermittentes, erui poſſit partim quidem ex Capitibus, ubi de ſignis Intermittentis Febris tum Diagnoſticis, tum Prognoſticis, ſed præcipue ex Capite ſpeciali, ubi de Genio Intermittentium verſatili, alioſque morbos etiam acutiſſimos ſimulante, ſermonem habet; idcirco hoc unum ſaltem *Caput* ad unguem tranſcriptum hic inſerere lubens decrevi. Ne vero cum *Mortono* aliter agerem, ac egerim cum *Mercato*, congruum duxi illius quoque ſenſa perpendere, nonnulliſque animadverſionibus tantillum augere, propriam ſubinde, & apertam Pernicioſarum Periodicarum Deſcriptionem, ac Curationem promulgaturus, Peruviano Cortice valide adminiſtrato feliciter abſolvendam. Quod quidem intelligendum eſt, ut tunc dicturus ſum, non modo de eadem Febre ſuos adhuc typos, etſi crudeliter, patenter tamen ſervante; ſed de ipſa etiam jam in *Continuam* converſa, & obſcuratis, nondum tamen plane abolitis periodis ad exitium properante, cum nempe jam frigefactus univerſaliter Ægrotans cum minutulis ſudatiunculis fere ſine pulſu jacet, moribundo ſimilis, dummodo uſque in alteram Exacerbationem (a qua per diem naturalem circiter diſtet) valeat ſufficere. Priuſquam ergo iſta propius aggredier, mihi interim præludat.

RICARDUS MORTON

De Proteiformi Intermittentis Febris Genio.

EXempla *Febrium Intermittentium* Cortice Peruviano *curatarum adjunge-*

ve,

re, irritum plane atque inutile esset, postquam Cl. Badus, Sturmius, *cæterique Remedii hujus Polychresti Fautores hanc Provinciam jamdudum susceperint : Et nemo hodie (quod scio) de viribus hujus Remedii Febrifugi dubius hæreat. Quandoquidem autem ob vehementiam Symptomatum, ubi Natura fere integra acrius stimulatur ad luctam cum veneno hostili instituendam, hæ Febres haud raro pleroſque alios Morbos, eosque acutissimos simulare soleant,* Corticis *tamen viribus cedant, & si* Cortex *non exhibeatur, sæpius funestæ evadant ; operæ pretium duxi Exempla aliquot hujusmodi Febrium, quas nuperrime observavi, seligere, scriptis mandare, atque publici juris facere. Atque equidem hoc pensum eo lubentius aggredior, quia Nemo adhuc (quantum scio) hoc subjectum tractavit, cujus cultura ad Praxim Medicinalem promovendam maximi momenti mihi esse videtur. Siquidem inter innumera illa symptomata hasce Febres comitari solita, nullum est quod non aliquando adeo vehementer sæviat, ut vita Ægri inde in præsens discrimen adducatur, &* Typus *Febris in variis suis stadiis* Algoris, Caloris, *&* Sudoris *abscondatur penitus, & opprimatur, itaut neque ex Urina, Temperie, Pulsu, vel alio quoque solito modo distingui possit ; verum sub larva* Algoris *funesti,* Vomitionis *indesinentis,* Diarrhœæ *torminosæ,* Choleræ *morbi,* Colicæ *ventriculi,* Hemicraniæ *periodicæ,* Apoplexiæ, Syncopes, Rheumatismi, Spasmi *universalis,* Pleuritidis, Peripneumoniæ, Doloris lateris punctorii, *vel alterius Morbi secure delitescens, Medicum a scopo suo non raro abducat. Symptoma quidem interea Remediis propriis, sed incassum, tentatur ; Nam, posthabito Fermento Febrili, proxima effervescentiæ periodo, priora, aut deteriora symptomata inexpectato recrudescunt, Medicus Sysiphi saxum volvit, atque Æger vitæ dulcissimæ dispendio, aut saltem magno sumptu, ignorantiæ vel incuriæ Medici pœnas sero luit.*

SCHOLIUM I.

Supervacaneum jure merito reputat Cl. Auctor, hisce temporibus scribere curationes Intermittentium vulgarium ope Chinæ Chinæ absolutas ; sed ex adverso æque merito necessarium censet, ac opportunum recensere curationes earum Intermittentium Pernicialium, quæ hominem in maximum vitæ discrimen adducentes, Cortice nihilominus rite oblato æque prompte curantur ac benigniores. Hanc itaque praxim illustrare maxime interest, præcipue cum ea extendatur ad Febres ipsas recentem continuitatem adeptas, dummodo fuerint Intermittentes ab ortu, & post acquisitam continuitatem, consuetas adhuc incrementi, & decrementi vicissitudines, atque periodos servent. Illas enim considerandas esse ut Intermittentes : & ut tales Cortice pariter certo curari, nos docet præter *Mortonum* Doctissimus *Sydenham* in Epistola ad *Bradyum*, ut videbimus tum *Cap.* 5. *Libri* 4., tum *Cap.* 3. *Libri* 5. Nos itaque in hac Praxeos Medicinalis parte promovenda *Mortoni* morem secuti, post statutam Methodum nostram offerendi Corticem in hujusmodi Febribus, cæteroqui lethalibus, complementum ejusdem methodi ab exemplis suo loco subnectendis mutuabimur.

Non sine magna ratione hoc remedium hic, & alibi ab Auctore *Polychrestum* dicitur, quippe vere ad multa, & magna perutile in linea Alexipyretorum. Utinam ad alios morbos similia possideremus ; sed paucis demptis, quorum virtus certa est, & utilitas evidens. Ars nostra Medicamentis superfluis alioqui ditissima, bonis, certisque, quæ innotuerint, caret : immo forsitan ob hoc ipsum est inops, quia inutilibus, dubiisque superfluit. Obruit nempe vel ipsum Medicum supervacaneam Pharmacorum copia : quandoquidem ægre nimium e mille figmentis una, quæ forte vix est, practica veritas potest secerni. Deme (audeo dicere) ab Arte Medica Phleborotniam, Purgationem, Chalybem, Chinam Chinam, Ipecacuanham, Opium, Thermas, Viperam, Mercurium, diversaque Antivenerea, Lac, Serum, aliaque non multa, & ferme nudam reddes. De Chirurgia, quod est ad remedia quædam, non absimile sit Judicium. Perita namque manus sæpe sola, vel ferro prudenter, vel igne caute, vel fasciis eleganter, & cum regimine instructa, quamplurima præstat. Contrectatio vulnerum crebrior ; & medicaminum multiplex appositio, vana sæpe, immo plerumque noxia Artis ostentatio est. Super hac re satis diserte suis temporibus *Cæsar Magatus*, illumque secutus *Septalius* (quodcunque sit, quod de utroque fert judicium *Sennertus*) nostris vero temporibus *D. Bellot* ejusdem *Magati* Sectator novissimus, sive deinde hujus cum illo conformitas fortuito tantum contigerit, quod non repugnat, sive potius de industria, ut in peculiari Epistola notat, & in pinguiori, quod meditabatur Opere, se ostensurum fore videbatur Accuratissimus *Sancassanus*. Utcunque, Inventum primum raræ solutionis vulnerum, *Romanis Chirurgis* ; morem vero ablegandarum turundarum, *Apparicio* quidam Vasconi, mox & *Lemosio* tribuit ingenue *Jo: Baptista Magatus, Cæsaris* Frater : Methodum aut hujusmodi praxeos rationalem ipsi *Cæsari*, quem fuse, docteque tuetur in suis *Considerationibus Medicis Tom.* 1. *Partis* 3. At hoc nihil ad nos. Sicuti ergo pauca Chirurgo remedia, ita &

non

non multa sufficiunt Clinico. Inter ea locum sane non infimum tenet China China, immo ausim dicere, quod omnibus palmam præripiat. Magnorum equidem remediorum nomina sibi vindicant antonomaticæ Venæ sectio tantum, atque Purgatio; sed istiusmodi privilegium illis quandoque competit, quandoque non. Ego Magna voco quæcunque sanant: & eo majora, quo melius.

En quomodo Pernicioſas Febres describit Auctor, quasi sub aliorum morborum acutissimorum larva delitescentes, nec proinde in propria specie cognoscibiles (adeo obscurari putat earum naturam) sed exitiales interim, atque funestas, nisi Cortice statim domentur. Ex quo potissimum effectu debellatæ jam Febris essentiam, veluti a posteriori, deducit, aut aliunde deductam confirmat.

Fallitur hic Auctor, dum se istarum Febrium primum Observatorem, aut Relatorem credit, etsi a semetipso tantum didicerit. Vidimus jam quid scripserit de iis, & quam luculenter *Mercatus*, qui *Vallisium*, *Zoarum*, & *Averroem* quoque hujusmodi Febrium non omnino ignaros censet, ut ex eorum textibus ab ipso *Mercato* aliatis, & de *insanabili Tertiana* mentionem facientibus, videtur posse deduci. Vidimus, pariter, aut saltem enunciavimus, quomodo Lucubrationem ipsam *Mercati* per compendium denuo transcripserit *Daniel Sennertus*. Ab ullo quidem alio peculiarem institutum fuisse Tractatum, peculiaremve Curationem non novi; a pluribus tamen aliquam obiter, Infructuosam licet, ac sterilem factam fuisse mentionem, facile est palam facere. Sic *Lazarus Riverius* Practicus Celeberrimus Tertianarum Intermittentium prognosim designans -- *Prognosis*, inquit, *desumitur ab Hippocrate Aphorismo* 59. *sect.* 4. -- * *Tertiana exquisita septem circuitibus ad summum judicatur.* * -- *Et Aphorismo* 43. *ejusdem sectionis.* -- * *Febres quocunque modo intermiserint, periculum abesse significant.* * -- *Quod tamen intelligendum est*, subdit idem *Riverius*, *de Tertianis Febribus omnis malignitatis expertibus. Dantur enim Tertianæ Malignæ, quamvis evidentes habeant intermissiones, Ægrotantes tamen non raro de medio tollunt. Præterea multa Febri Tertianæ possunt supervenire, quæ vitæ periculum inferre possunt, quamvis Febris ex se periculosa non sit.* Clarius autem pravam Tertianarum pernicioſarum naturam exprimit, ubi de Febribus pestilentiabus agens, ait, tales esse quandoque Febres Intermittentes, his verbis -- *Quamvis dixerit Hippocrates, febres Intermittentes periculo carere, quomodocunque intermiserint, id tantum intelligendum est de iis, quæ nullius sunt malignitatis participes. Videmus enim singulis fere annis, in hac saltem regione, Febres tertianas intermittentes, quæ summæ malignitatis sunt participes, tertia, vel quarta accessione Ægros de medio tollere: alias, quæ eos in gravissimum vitæ discrimen conjiciunt, maxima symptomatum sævitia* -- cujusmodi etiam exempla refert in Centuriis suarum Observationum. *Hieronymus Mercurialis* de Tertiana Intermittente verba faciens habet hæc incidenter -- *Tertiana, quæ fit a bile æruginea, non solum periculosa, verum etiam exitiosa est* -- agensque postmodum de Tertiana notha, idem raptim confirmat ea sententia *Avenzoar*. Unius itidem Casus pernicioſi hujusce generis, quasi prodigii cujusdam meminit *Hercules Saxonia*. Hæc de Tertiana crassiculo sermone conscribens -- *dico, se esse salutarem* (intellige Tertianam) *quia ratione motus materiæ non admodum salutaris; si moveatur maximo cum impetu ad os ventriculi, qui habent os valde sensibile ventriculi, fit cardialgia talis, quæ definit in Syncopem, & mortem: quale exemplum memini me vidisse, dum essem Junior. Pompejus* quoque *Sacchus* Cardialgiam considerans, ut Febrium symptomata, eam leviter adumbrare videtur Tertianæ Pernicioſæ speciem, quæ propter adjunctam Cardialgiam fit talis, inquiens obiter -- *Cardialgia Febricitantes, etiam ex intermittente Febre, ad extremum vitæ ducit, & multoties perimit, bile morsu oris ventriculi cum summo dolore vires resolvente, cum perversione Cerebri, & Cordis, cum quibus prædictum orificium summam habet connexionem.*

Alii insuper, quos summatim præstat, quam operose recensere, de iisdem Pernicioſis Intermittentibus, perfunctorie licet, locuti sunt, inter quos *Epiphanius*, *Donatus*, *Horstius*, *Rhodius*, *Restaurandus*, *Sydenham*, *Salmut*, *Sylvius*, *Ettmulerus* &c. ut propterea opinioni, quam de se uno *Mortonus* habuit, locus non detur. Quia vero omnes hucusque recensiti Scriptores, *Mercato* excepto, nec non, si velis, *Restaurando* etiam, & *Sydenhamio*, aut infra, Praxim Medicam suis luminibus vix tantillum in hac linea promoverunt, *Mortonus* vero nervosam, certamque curationem viriliter docuit: ideo non injuria plurimum sibi tribuit, si non quod ad descriptionem morbi, saltem quo ad curationem; quamobrem non modo excusationem meretur, verum & laudem. Me quoque reputabam Ego Methodi quondam meæ in *Pernicioſis* Inventorem unicum; cum tamen Methodum non valde absimilem ad easdem jam tum quoque, & ante me, ut testantur illius Scripta, in regione sua exerceret *Mortonus*. Immo cum ipsa Italia, Senis nempe, Florentiæ, in Regno Neapolis, & Romæ referent *Bado*, adhiberi cœperit, fere statim ac innotuit Cortex, Miscellaneas ad Febres, ut ajunt, & Hemitritæos (cujus Febris miram curationem ope Chinæ Chinæ a se absolutam in quodam Sacerdote ex Capuccinorum familia idem *Badus* per extensum describit) quin & ad Continuas simpliciter profligandas: ulterius, cum postremis hisce temporibus, sub Cœlo præsertim Romano, ac Hetrusco, prout indicare videntur Opuscula inde profecta, in usu sit idem remedium, non secus ac in Gallia, ad omnes pariter Febres, quas humorales vocant (utinam semper cum fructu) & signate ad eas, quæ præcipiti periculo mortem minantur, non potest, quin inter illos, saltem

for-

fortuito, etiam Intermittentes Pernicioſæ quoquo modo comprehendantur.

Teſtem expertum jam mihi ſe præbuit hujuſce rei laudatus nuper Doctiſſimus *Lanciſius* nitidiſſima Epiſtola ſua, quam quidem, utpote ratione elegantiæ ſuæ publica luce digniſſimam, hic placuiſſet inſerere, niſi uberior erga me Auctoris humanitas, & laudum minime promeritarum copia, mihimet mecum habitanti, curtamque ſupellectilem meam ſatis noſcenti, ſufflamen impoſuiſſet, ne incaute foras excurrerem. Paragraphum tamen unicum, rem perſtringens, ex tota liceat excerpere Epiſtola. *Opus tuum* (ita Vir Ampliſſimus) *de Febribus Pernicioſis Cortice Chinæ Chinæ potiſſimum ſubactis, plura ſunt, quæ mihi, cunctiſque Artis noſtræ Profeſſoribus expectatiſſimum efficiunt: illud tamen maxime deſiderium meum excitat, quod Romæ obſervaverim in epidemica iſtiuſmodi Febrium conſtitutione, anno 1695. ex Aquis ſtagnantibus orta, Corticem illum ſpecificum Antidotum fuiſſe. Quamobrem, cum ſtudia noſtra in ſolam veritatem quærendam directa ſint, futurum confido, ut obſervationes meæ tuis animadverſionibus, & commentariis accuratiſſimis ſint plurimum illuſtrandæ.* Cum autem nuperrime tantum, ac proinde ſera hæc ad me notitia pervenerit (provecta ſcilicet nimis jam Preli opera) obſtiteritque anguſtia temporis, ne Clariſſimi Viri Obſervationes, ſiquidem illas, ut videtur innuere, typis ediderit, mihi tempeſtive parare potuerim, congruum duxi, incidenti hac ejuſdem aſſertione, id ipſum, quod paulo ante generaliter conjeci, ſpecialius in præſentia, validiuſque confirmare.

Ut ad *Mortonum* redeam ſe reputantem Obſervatorem unicum Intermittentium Pernicioſarum, minime ſilentio prætereundum videtur, quod, cum *Reſtaurandus*, ut ſupra innuebam, deſcripſerit, atque illuſtrarit hiſtoriis Curationem Febrium Syncopalium, Cardiacarum, Diaphoreticarum, Hepaticarum, Hæmitritæorum &c. ope Chinæ Chinæ, etſi cæſpitanter, ac methodo languidiore, ſatis patet, aliquam ſaltem Pernicioſarum quarundam curationem per uſum Chinæ Chinæ innotuiſſe huic Auctori. Immo cum Scripta ſua pluries poſtmodum recuſa jam olim primo evulgarit Auctor iſte, aliqua facile poterat, ſi non debuerat (neque enim tenetur noſſe quilibet, quod ſcripſit quiſque) *Mortono* poſterius, ut mihi videtur, ſcribenti præluxiſſe notitia, quod non ſibi ſoli, verum & *Reſtaurando* obſervatæ fuerint nonnullæ exitiales Intermittentes; & quod ipſe *Reſtaurandus* per oblationem Corticis eas curaverit, aliiſque eodem remedio, per vulgatam tamen tantummodo illius infuſionem, curandas propoſuerit. *Sydenham* pariter in Epiſtola reſponſoria ad *Bradyum* ſibi ſcribentem anno 1670. in peculiari paragrapho mentionem facit Intermittentium quarundam (quas nos *Lethargicas* appellabimus) in quarum principio, loco ſymptomatum conſuetorum, veræ potius Apoplexiæ ſymptomata apparebant, ut mox videbimus; quas tamen Febres ſolo interim Cortice ſanabiles cenſet. Hæc quidem obiter quoque *Sydenham*. Quod vero ſpecialiter, & forte a reliquis valde diſtincta, in arduis quibuſvis, ac multifariis Pernicioſarum Intermittentium circumſtantiis, ac differentiis, extremiſque Ægrorum anguſtiis uſurpetur Cortex (quo indiſcriminatim, ut ajebam, utendum eſſe in omnibus Febribus, haud facile aſſentiar) ſeu, quod uſurpetur modo peculiari, quo opus eſt, doſique, ac Methodo determinata ad rite obtinendum effectum, hoc eſt, quod non adeo tritum adhuc cenſeo, & quod uni forte *Mortono* mecum innotuiſſe crediderim.

Progreditur nunc Auctor ad recenſendos morbos (melius dixiſſet gravia ſymptomata aliorum cæteroqui Morborum potius, quam Febris Intermittentis propriis) ſub quibus abditam latere Intermittentem Febrem, conatur probare ex periodico eorundem ſymptomatum recurſu, & ex medela per Corticem afferri apta Ægrotantibus hujuſmodi; *alioqui quaſi de repente*, ut inferius inquit, *animam efflaturis, nullaque alia arte ſanabilibus*. Quam tamen Febrem adeo abſconditam ſtatuit, & omni veræ Febris charactere deſtitutam, ut *neque ex urina, temperie, pulſu, vel alio quoque ſolito modo, aut indicio diſtingui poſſit, aut accuratiſſimo Obſervatori ſe prodat*. Ego vero fateor, me talem obſcuritatem nunquam obſervaſſe, niſi cum jam tertia, vel quarta acceſſio Ægrum ad extrema fere deduxerit. Cæterum primis acceſſibus manifeſtiſſimam ſemper, & non raro blandam Febrem Intermittentem deprehendi: &, ſi forte aliquando ſero vocatus ſim, poſtquam res in præceps ruerit, facillime pariter ex Aſtantium, aut Ægrotantis relatu, de præcedentibus paroxyſmis, atque periodis conſcius factus, Pernicioſam Febrem (utut algidus, ac ſine pulſu appareret Æger) ſemper dignovi, & quemliber Medicum facile dixerim ad hujuſmodi dignotionem teneri. Sic illas omnes palam dignovit, atque diſtinxit *Mercatus*, ut videre eſt apud illum, ubi de ſimulato dolore Pleuritico, Catarrho ſuffocativo, Aſthmate, Rheumatiſmo &c. mentionem facit. Iſta autem omnia, non ut morbos, ſed ut accidentia Febris Periodicæ parentis, non vero abſconditæ conſiderat. Iterum equidem fateor, enumerata nuperrime accidentia, a *Mercato*, neque *Mortono* in Pernicioſis obſervata, mihi perraro occurriſſe, quemadmodum alia nonnulla mihi cum *Mortono* comperta forte non obſervavit *Mercatus*, ut jam adnotavi in Scholiis ad ipſum *Mercatum Cap. 7. Schol. 1.* & ut dicturus ſum de Differentiis Pernicioſarum ex obſervatione mea, *Libro ſequenti, Cap. primo*.

Sed præter *Mercatum*, *Sydenham* quoque hujuſmodi Febrium Pernicioſarum accidentia alios morbos ſimulantia, pro meris earundem ſymptomatis expreſſe dignovit, atque

que

que ut pro talibus tantum haberentur, monuit his verbis in citata nuper ad *Bradyum* Epistola -- *Hic autem commemorare libet, quod sub primos hujus Constitutionis annos symptoma quodam insigne Febribus Intermittentibus quandoque supervenerit. Nempe earum Paroxysmi non cum rigore, & horrore, quos postea Febris excipit, invadebant, sed Æger iisdem plane symptomatis tentabatur, ac si Apoplexia vera laborasset, quæ tamen nihil aliud erat, utcunque hunc affectum æmularetur, quam ipsa Febris caput impetens &c. Hoc autem in casu, quantumlibet evacuationes omnes, cujuscumque demum generis sint, indicari videntur, ad revellendos scilicet ex cerebro humores, ut in apoplexia primaria fieri solet; eædem tamen omnino omittendæ sunt, utpote quæ originariæ hujus symptomatis causæ, Febri nempe Intermittenti, prorsus adversantur, ac proinde mortem accersant; quod & ipse novi. At e contra expectandum, donec paroxysmus fronte sua evanuerit, quo tempore Cortex, modo citius idem ingeri non poterit, quam primum est exhibendus, & in intervallis ab hujusmodi accessionibus liberis idem sedulo repetendus, usque dum perfecte convaluerit Æger.*

Sic ubi, præ gradu Veneni summe Deleterio, Spiritus adeo perculsi sunt, ut a primo ictu sese iterum nullatenus expandere valeant, Algor, *qui primum horum paroxysmorum insultum, ex instituto Naturæ, comitari solet, eousque protrahitur, donec Æger* Deliquiis *frequenter recurrentibus confectus, tandem Fatis cedat. Interea Remedia intus, vel extra ad flammam vitalem resuscitandam incassum applicantur, Febris autem nullo indicio ex Urina, Temperie, vel Pulsu, accuratissimo Observatori sese prodit.*

SCHOLIUM II.

Quæ passim obtrudit Auctor de veneno febrili spirituum expansionem plus, aut minus impedientre, ordinem habent ad illius Hypothesim, qua confidetando Corticem Peruvianum ut Antidotum, Fermentum febrile ut Venenum respexit. Equidem Peruvianum Corticem, sive Antidotum vocites, sive Absorbens specificum, Febris præsertim Intermittentibus addictum, parum refert; in quo sensu non male quis Chalybem appellaret Antidotum Chlorosis. Sulphur Antidotum scabiei, & sic de pluribus aliis remediis ad alios morbos. Pariter Causam Febrium, sive Fermentum dicas, sive Venenum, nisi aliud addas, res æque obscura est, & tota fere discrepantia videtur consistere in vocibus; nihilominus communis acceptio utriusque termini aliquid in re valde diversum solet importare. Quid per *Fermentum febrile* soleat intelligi a plurimis Auctoribus in explicanda Intermittentium causa, & quid intelligam ipse, generaliter saltem, atque confuse, vidimus alias; statuimusque ad minimum, illud esse succum aliquem incongruum, ac heterogeneum, cum sanguine non probe miscibilem, adeoque illum in morbosam fermentationem, seu mavis effervescentiam concitare aptum, donec ab eo secernatur, & expellatur: cui succo sensibili, atque, ut ajunt Scholæ, quantitativo, peculiarem in Corpore nostro sedem habenti, velut vero, & palpabili Fermento, si posset determinari, accidentalis postea sit varia, & modo minor, modo major, modo maxima, & incomprehensibilis activitas, aut acrimonia, quæ proinde nonnunquam maligna, & venenata per nostrum debilem intelligendi modum queat appellari. Cum enim vitiosa succi hujusmodi dispositio non in universa illius quantitate, sed tantum in salibus aliquot parvæ molis, & peculiaris naturæ, aut configurationis in ipso existentibus, quibus refusis, vel solutis, aut quomodolibet enervatis, restituitur debita crasis eidem succo peccanti: quod omnibus universaliter competit nostri corporis humoribus quoque modo vitiatis: hinc est, quod sales hujusmodi, dum talis naturæ sunt, ut vulgarem tantum, ac benigniorem excitent effervescentiam, etsi simul quoque afficiant spiritus, sintque molis, ut diximus, inconspicuæ, verum tamen veneni nomen nequaquam mereantur: mereantur vero cum talis naturæ sunt, ut vere deleterium, ac ineffabilis, efferæque pravitatis præseferant characterem in ipsorum præsertim textura exotica, & sapore abominabili inde procedente repositum. Quid ergo per *Venenum* generaliter quoque, an indistincte debeat, aut soleat intelligi, ex his ipsis, quæ modo per transennam diximus, sufficienter potest dignosci: satisque liquet, characterem hujusmodi febrilibus succis nonnunquam quidem accedere posse; sed tamen ut plurimum non accedere.

Mortonus autem simplex, nudumque Venenum deleteria vi præditum esse contendie id omne, quod Febrem gignit, & quod dici consueverit in solis *Malignis*, ac *Pestilentibus* Febribus de Veneno ingenito, explicari solito relative ad duo venenorum genera, quorum alterum figit, alterum dissolvit humores, ac pessundat spiritus, ipse ad omnes etiam *Benigniores* Intermittentes absque notabili distinctione, nisi pro diverso majoris, vel minoris intensionis gradus traducit. Cumque Ficus Febriferas, duat *Pharaonis* vocant, in Sardinia nascentes, & Tertianam Febrem causantes (ut ex *Conciliatore*, & *Cardano* refert *Badus*, & ex *Bado* ipso *Mortonus*) iisdem manifestis qualitatibus pollere credat ac Cortex eandem Tertianam fugans, visum propterea est Illi in duobus hisce quo ad effecta contrariis, & quo ad sensibiles qualitates similibus, eam statuendam esse abditam oppositionem, quæ inter Venenum intercedit, & Antidotum. Quod si quis ab eo quæreret, non quidem plane quid sit, & quale Venenum febrile, sed saltem

tem ubinam, aut unde generetur, cuinam ſubjecto primitus inhæreat, a qua poſtmodum imprimatur in ſpiritus, cum in illis immediate gigni non poſſit; item quo pacto ſit aliquando tam mite, cum tamen ſit ſemper Venenum, quodammodo per intervalla vel reproductum, vel motum, & alia hujuſmodi: etſi plurimæ ex his inſtantiis omnes torqueant in quocunque philoſophandi ſyſtemate, vereor tamen, ne Ille, pluſquam cæteri, tandem cogeretur reſpondere, ſe potius metaphorice, & per analogiſmum quendam, quam ſtricte, & proprie Veneni nomen uſurpaſſe. Et ſic in aſſignando hujuſce Veneni vehiculo quantitativo, primave illius ſcaturigine, cum aliis fortaſſe coincideret.

Neque ſatis eidem ſuffragari videtur ingenua confeſſio, quam ſponte profert, ad evitandam difficultatem explicationis ſuæ Hypotheſeos: ſe neſcire ſcilicet Venenorum æque ac Antidotorum naturam, ſicuti & naturam ſpirituum, in quos Venena primario agunt, & Antidota, *ſatiuſque eſſe, Philoſophum modeſtam Philoſophiam profeſſum, ſana mente quædam ignorare, quam inſane nugari; & delirare*. Ad nihilum, inquam, videtur valere hujuſmodi confeſſio; quia, quemadmodum ineffabilis virulentia Cicutæ, Arſenici, Cantharidum &c., ipſo notante *Mortono*, reapſe latet ſub determinato, & palpabili vehiculo ſubſtantiæ quantitativæ talium Plantarum, Mineralium, Animalium &c. (rectius forſitan ſub determinata combinatione ſalium eſſentialium, ſeu particularum illas componentium, talem, ac talem determinatam figuram habentium) quæ Plantæ, Animalia &c. poſſunt a nobis indigitari, tanquam ſubjecta illius virulentiæ noſtris ſpiritibus communicabilis: ita cum proportione dicendum foret de Veneno febrili; ac propterea munus Auctoris eſſe fluidum aliquod, ſeu ſolidum deſignare, cui, tanquam ſubjecto, inhæreat, ſeu, in cujus ſalium, particularumque figura, atque textura conſiſtat ipſa cæteroqui inexplicabilis virulentia Fermenti febrilis. Sane ſecundum generalem, & indeterminatam Illius appellationem morbos omnes a peculiari Veneno oriri, poſſumus aſſerere, omniaque eorum remedia, quæ Specifica vulgo appellantur, Antidota nuncupare.

Auctorem tamen nonnihil juvat ejuſdem Tractatus, in quo conatur oſtendere quam ſimilia ſint, plus minus, Febrium, ac Venenorum accidentia, quomodo in diverſis Febribus diverſorum pariter nominatim Venenorum obſervetur Character, & ſimilia, quæ in praxi prorſus contemnenda non ſunt, ſed immo quæ perpendantur digna. Et, ut verum fatear, cum in Febribus ſaltem Perniciosis, adeoque Malignis, accidentia quandoque talia contingat, qualia a Toxico propinato ſolent ſuboriri, nullus dubito, quin tunc ſaltem venenatum dici queat, ſterili quidem nomenclatura, illarum Fermentum. Id propterea a *Mortono* unice peroptaſſem, ut loco talis Veneni vehiculum potius aliquod ſenſibile quemadmodum ſupra innuebam venenoſitatem nonnunquam ſuſcipiendi capax, pro cauſa Febrium ordinaria attuliſſet, ſeu ſuccum aliquem, ſæpius quidem, vel ſemper incongruum, non vero ſemper venenatum; ſed aliquando talem, & aliquando non: hoc eſt ſuccum vitioſa quidem, ſed benigniore dyſcraſia ut plurimum præditum, nonnunquam vero etiam ſylveſtri, ac exotica, ſive (quemadmodum loqui mos eſt) venenata, ut nonnihil fuſius ſuo loco videbimus. Aſt vehementi, quam præconceperat, tenaciter adhærens ideæ, quod Cortex Intermittentes benignas ac æque malignas vincens, eſſet ubique vera Antidotus ſecundum rigoroſam, obſcuramque per conſequens hujuſce termini ſignificationem, omnes indiſcriminatim Febres ab ipſo devictas, veri quoque veneni obſcuri, pariter, ac ignoti, ſobolem eſſe, ſibi haud difficulter perſuaſit; quod tamen in hiſce terminis nonniſi difficulter poterit aliis forſan ſuadere.

Ad modulum autem ſuæ hypotheſeos cuncta per affectionem ſpirituum a veneno varie perculſorum explicare conatur per totum Caput, ubi ſemper nomine diverſorum Morborum graviſſima Perniciosarum ſymptomata deſignat, iiſdem Febribus, ſecundum ipſum, omnimode abſconditis. Utilis nihilominus eſt ad praxim illius deſcriptio quam ideo ad calcem uſque Capitis legenti conſiderare expediet: quamvis in ea non modo Perniciosas Febres a *Mercato* deſcriptas, verum & alias aut quas, confirmatas affectiones, alioſque morbos quandam forte periodum præferentes, ſub ſpecie Febris quodammodo latentis identidem pingat. Qua in re, cum *Morbos* eſſentiales cum *Symptomatis* Febrium videatur quaſi confundere, poſſitque idcirco Auctor noſter vel in præſcribendo Cortice notari de exceſſu, vel de defectu in deſcribenda Febre, hinc fortaſſe eſt, quod miror, quam par fuiſſet, illi a plurimis ſit adhibita fides, dum tamen in iis, quæ ad Perniciosas Intermittentes revera trahi poſſunt (quæ ubique in toto Capite ſunt permulta) fidem omnimodum mereatur.

Pari modo, ubi in primo Stadio Paroxyſmi, Fomes Venenatus Spiritus tantum opprimat, ut non ultra ſolitam Sphæram ſeſe poſſint expandere, abſque indiciis Febris *præſentis*, de Nauſea Ægritudine, & Vomitione *Æger unice conqueritur, donec Veneno a* Cortice Peruviano, *vel alia Antidoto ſubacto, Spiritus in nativum ſtatum reſtituantur.*

Nonnumquam Venenum Febrile ſub initium Paroxyſmi glandulas Inteſtinorum petit, & Fluxum Alvi *terminoſum, vel Dyſenteriam excitat. At, cum Spiritus diu uno tenore opprimuntur, hæc ſymptomata utut continua, ſtatis Periodis exacerbantur, & periodica evadunt, ſine*

Fe-

Febris indiciis manifestis, & vires Opiatorum, *&* Adstringentium *longe superant, donec a* Cortice Peruviano *cum* Laudano *commixta, Causa, sc.* Fermentum *Febrile, Massam colliquans, æque ac Symptomata inde orta auferantur.*

Ubi Venenum Emeticam *simul ac* Catharticam *naturam participat, Æger frequenti vomitione & dejectione detinetur, & nisi Spiritus in primo Paroxysmi Stadio expansione legitima virulentiam excutiant, formatur inde* Cholera *morbus, Febre neque per Pulsum, Urinam, vel Temperiem se manifestante. Ventriculo interea, aut Intestinis, aut utrisque simul ab acrimonia Humorum intensissime venenata Sphacelatis, Æger brevi Fatis cedere cogitur, aut saltem post Inducias infidas datas, a veneno, proximo Paroxysmos recrudescente, Symptomata eadem crudelia & funesta revirescunt, nisi a tempestiva* Antidoti *Febrifugæ exhibitione antevertantur.*

A pari gradu Veneni non raro observavi Ægros, præsertim antiqua, & confirmata hujusmodi Febre lacessitos, denuo (typo Febris legitimæ amisso) perpetua Nausea, Ægritudine, Vomitione, Sudore colliquativo, Suffocationibus Hystericis, *cæterisque id genus Symptomatis in genere Nervoso pene confectos, atque Animam quasi derepente efflaturos, quos debita Dosis* Corticis (*nulla alia arte sanabiles*) *illico restitui.*

SCHOLIUM III.

Quod de antiquis, & confirmatis Febribus hic inquit Auctor, locum magis habere videtur in Recentibus Pernicioſis tunc, cum (ut videbimus in descriptione, & in historiis specialibus earundem) Æger post tertiam, vel quartam accessionem algidus factus, & sine pulsu, *typo jam legitimæ Febris amisso, confectus jacet, quasi de repente animam efflaturus, quem tamen nulla alia arte sanabilem debita dosis Corticis illico restituit.* Profecto verba ista sunt aurea; complectuntur siquidem descriptionem Ægrotantis vere ad extrema redacti, nec Febrem amplius suam tactui Medico exhibere potentis, deficiente scilicet Calore, & Pulsu: quod quidem pluribus Pernicioſis familiare est, ut videbimus suo loco. Complectuntur pariter mirandam virtutem Corticis, Ægrotantes hujusmodi *illico* restituendi, quod verissimum est, si *debita*, ut inquit, *dosi* administretur. Quænam autem sit dosis debita, suo loco dicemus, & quidem regula certiore, dispositioneque elegantiore, & magis ordinata; ac doceat ipse *Mortonus*. Tandem complectuntur Prognosim (heu nimis certam!) de morte hujusmodi Ægrorum, si Corticis auxilio sint destituti. Funestum hunc eventum satis ostendit crebra experientia, satisque illum patefecere lethalia prognostica Diligentissimi *Mercati*, incassum a Veteri Medicina præsidia quærentis; ut proinde nullus sit locus invidæ, malignæve assertioni, quod hujusmodi Febres in tali statu Cortice statim, intra unum videlicet, aut alterum diem, jugulatæ, sine ipso etiam, & tutius sanatæ fuissent, vel quod sponte simpliciter sua sanatæ sint. Loquantur apertæ, & vel invita, ac refractaria ore tenus, intime tamen, & incorde suo assentiarur fremens pervicacia. Obeunt non oblato Cortice fere omnes in eo statu; & si quis interceptum servatur, nonnisi longa, & difficili judicatione convalescit. Contra oblato congrue Cortice servantur fere omnes, & (quod illi uni inter remedia naturalia competit) servantur *illico*. Hujusce asserti veritatem melius patefaciet Methodus nostra, & evincent Exempla Curationum satis numerosa, & insignia.

Unicuique etiam in Medicina versato notum est, horrendos Dolores (& iis, qui a Toxico propinato proveniunt non minores) Lumbos, & Crura spasmodice lancinantes, non raro primos insultus Febrium Intermittentium *legitimarum, præsertim* Quartanarum *comitari solere, durante* Algore, *&* Rigore, *donec Spiritus multo nisu expansi, ac agitati pares sint Veneno activo eliminando. Flamma autem inde accensa,* Spasmi *dolorifici sensim cessant: Verum, ubi Spiritus vi veneni non tantum deprimantur, sed etiam in statum Explosivum universim adigantur, nonnumquam deprehendi totum Corporis Systema inde perpetuo algens, idque diu, ac sine ulla Febris nota; totam autem Machinam interea Spasmis universalibus, iisque horrendis, & versatilibus hinc inde vellicatam, & lancinatam. Nec mirum est, si Æger perpetua Ægritudine, Vomitione, atque deliquiis inde confectus (ut fieri solet) brevi Mortem oppetat, nisi Ars tempestive Naturæ languenti succurrat.*

Haud raro etiam Spiritus a natura sua debilitate, vel obstructione, atque præsertim a Frigore percepto, vel alia quavis causa evidenti ansam præbente, in statum explosivum adiguntur; unde partes aliquæ singulares, præsertim Thoracicæ, Pulmones *scil.* Pleura, Diaphragma, *aut* Ventriculus, *ac* Intestina *vellicantur, & Spasmis lancinantur. Æger præ atroci dolore per-*

perpetuo alget, atque Deliquiis *frequentibus*, Suffocationibus, *& Vomitionibus fatigatur, ſine aliqua nota Febris evidenti; Urinam claram reddit, & ſine Pulſu Moribundus jacet, quouſque Spiritus veneno icti Arte, vel Natura expanſi flammam in Maſſa denuo excitarint: Morbus autem a* Cholera *morbo*, Pleuritide, *ſeu* Peripneumonia, *duntaxat ex* Tuſſis *&* Pulſus *defectu*, Vomitionis, *&* Doloris *exceſſu*, Deliquis, *& extremorum* Frigiditate *dignoſcendus eſt.*

Sæpe etiam Ægros de dolore lateris unius, aut alterius punctorio conquerentes novi, in quibus tamen Febris κρυπτεία *deprehendere non potui per plures dies, niſi quod Pulſus paulo juſto celerior erat. Poſtquam autem* Venæ ſectione, *& uſu* Laudani *cum* Alexipharmacis *commixti, iſti* Spaſmi *mitigabantur, atque inde vis Spirituum Elaſtica nativa aucta fuit, ſigna flammæ in Maſſa accenſæ, quam citiſſime ſeſe prodiderunt.* Urina *tincta eſt, & turbata.* Pulſui *fortitudo, ac celeritas pari paſſu acceſſit.* Temperies *univerſim incaluit, ſitis clamoſa evaſit,* Aphthæ *linguam, atque Os cooperuerunt, At ad Flammæ, & doloris Exacerbationem ſtatis periodis recurrentem ſemper, quaſi ad Cynoſuram, auſpicato curſum meum dirigens,* Copia Corticis Peruviani *cum* Laudano *commixti, & intervallis Paroxyſmorum exhibiti, Venenum ſubegi, & Ægrotantes a Febri, ac dolore penitus liberavi.*

Præter cætera omnia mihi pluries mirari contigit, poſt ſubactionem Veneni Febrilis ab Expanſione Spirituum quadantenus effectam, cum ex Pulſu *forti, ac celeri,* Urina *intenſe rubra, ac turbata,* Temperie *calida, cæteriſque indiciis, Febris ſeſe palam oſtendat, Artus hiſce Doloribus ſpaſmodicis, ſtatis periodis recurrentibus, & more Rheumatiſmi verſatilibus eſſe affectos, cum Tumore, & Ardore partium laborantium a niſu Spirituum in his partibus ſeſe expandere ſatagentium. At hoſce* Dolores, *adhibita* Venæ ſectione *debita, uſu* Corticis Peruviani *copioſo extra Paroxyſmum miniſtrato feliciter ſemper profligavi.*

Denique Cerebrum, primo inſultu Febris legitimæ non tantum Vertigine, *a Spiritibus veneno Activo oppreſſis, ac turbatis, verum etiam Dolore* Acuto, *vel* Gravativo, *a niſu Spirituum in membranis ſeſe expandere ſatagentium, cuivis Medico notum eſt. Nonnumquam autem Spiritus hoc Tempore Febris adeo opprimuntur & turbantur, ut Ægrotans more Apoplecticorum, durante toto Paroxyſmo, ſine Febris indiciis Mortuo ſimilis jaceat, & eadem Symptomata ſimul cum Paroxyſmo ſubſequenti ſæpe recrudeſcant: Quibus Symptomatis utut* Venæ ſectione, Veſicatoriis, *cæteriſque ejuſmodi* Apoplexiæ *veræ Remediis jure merito ſuccurrendum ſit: Revireſcentia tamen eorum ſine* Cortice *præcaveri nequit.*

SCHOLIUM IV.

Notandum hic eſt, quod de gravibus ſymptomatis repetit (pluries enim idem ſuperius dixerat) illa ſcilicet propriis remediis eſſe curanda. Circa hoc conſtanter aſſero, non improbanda quidem eſſe remedia, quæ poſſunt vel minuere, vel tollere gravia illa ſymptomata, quæ mortem videntur minari. Dico tamen, eadem remedia, præcipue ſi Ægrotanti onerosa ſint, vel dolorifica, poſt Chinam Chinam valide oblatam adhibenda non eſſe, quotieſcunque adſit moralis certitudo, ipſum Ægrotantem ab illa ſaltem acceſſione eſſe evaſurum: ea enim ſuperata, & altera per Corticem impedita, ceſſant ſponte ſymptomata. Hanc vero moralem certitudinem habebimus, ſi jam Paroxyſmus cœperit de ſuo vigore, & ſymptomata illius de ſua intenſione remitti: aſperiora enim remedia, quæ tollendis nonnunquam hujuſmodi ſymptomatis apta creduntur, officere potius, quam proficere ipſi Febri, nuper vidimus ex *Sydenhamio Schol.* 1. Pariter dico, nulla eſſe adhibenda conquiſita remedia ad præcautionem; ſed ſolum ſufficere purum Corticem offerre, illumque omnium aliorum remediorum jure merito exulantium loco (Clyſteribus, ſi ſit opus, exceptis) juſta, & aſſidua doſi repetere aſſertioni meæ de ſucceſſiva ſymptomatum quorumlibet evaneſcentia, poſt depulſas ope Corticis Febres, prout etiam tetigimus *Cap.* 8. *Libri primi*, plene adſtipulatur *Monginotius* inquiens -- *Obſervandum venit, quod crebra experientia edoctus, dico, id præterea illi* (videlicet Chinæ Chinæ) *peculiari ineſſe ut plerumque extinguat maximam partem ſymptomatum Febres comitantium, ut imi Ventris inflationes, & dolorificas tenſiones, jecoris, & lienis, aliarumque partium infarctus, ciborum faſtidium, concoctionem læſam, diarrhœam, aliaque accidentia, quæ, ceſſante Febre, una utplurimum deſinunt.*

Atque eo libentius inculco, omittenda eſſe alia remedia ad correctionem ſymptomatum, & ad eorundem præcautionem, quoniam non parum aſperam in Curatione, quam rationalem vocat, video ab Auctore uſurpari Methodum, dum paſſim ab eo aſſeruntur in medium, quaſi forent artis blanditiæ, Veſicatoria, Cathartica, Emetica, & hujuſmodi. Mirum ſane a Viro commenta Veterum Theoretica palam reprobante, & notiones per conſequens poſtremo hoc ſeculo ſatis

obvias poſſidente, veterem tamen praxim minime caſtigatam adhuc retineri. Et tamen, ſi attendamus illationes, quæ ex Recentiorum inventis cohærenter traduntur, longe humaniorem, ſaltem utplurimum (neque enim remedia nonnunquam rigidiora ab uſu plane Medico, ubi ea vere indicentur, auſim proſcribere) ſimpliciorem, ac utiliorem, eſto minus magnificam medendi methodum, etiam præciſo Cortice, profitebimur. Sed hanc veritatem, quam præjudiciis forſan conſuetudinis præoccupatus haud ſatis videtur dignoſcere in curatione ſymptomatum, ſatis luculenter fatetur in curationem Febrium, ubi de Methodo rationali verba faciens. *Quantum dedecet*, inquit: *probum, ac miſericordem Medicum adeo in Corio humano luderem, Artem noſtram in Lanienam frequenti Epiſpaſticorum applicatione convertere, atque tandem Ægrotantis vitam incertis, atque hallucinantibus ratiocinationibus noſtris temere ſubjicere, quarum pœnas Æger eruimena, ac vitæ ſuæ diſpendio non raro luit.*

Hemicraniam *Periodicam etiam obſervavi a niſu Spirituum in membranis Cerebri ſeſe expandere conantium, quam ſpatio bidui*, Venæ ſectione, *& uſu* Corticis *penitus ſuſtuli; licet in hujus Symptomatis Curatione*, Venæ ſectio, Veſicatoria, Emetica, Cathartica, Errhina, Maſticatoria *ad hebdomadas aliquot ſpem meam deceperant.*

SCHOLIUM V.

Caſus iſte, quem Hiſtoria 17. de ſe ipſo conſcripta confirmat Auctor, ſatis oſtendit (quod & in aliis ejuſdem Hiſtoriis videre eſt) Illum, non modo Febribus Intermittentibus, gravi aliquo ſymptomate alium morbum veluti ſimulante, comitatis, mederi Cortice; ſed & aliis vere morbis, periodice quodammodo recurrentibus, in quibus, ſicuti nulla omnino Febris indicia adeſſe conſtanter affirmat, ita illam nihilominus latenter foveri, gratis omnino videtur aſſerere, quaſi ſub tali prætextu affectet uſum Peruvianæ Antidoti: pro qua tamen in hiſce quoque caſibus rationabiliter adhibenda, quotieſcumque eventus feliciter reſponderet, ſupervacaneum foret ad reddendum legitimum illius uſum præſentiam Febris mendicare, ubi ea non eſt. Sed revera de conſtanti eventu, & Chinæ Chinæ conſtanter adſcribendo in hujuſmodi caſibus, plurimum dubito; neque proinde tantum virium Peruviano Cortici ineſſe reputarim, neque tantundem beneficii ab ipſo auſim exigere.

Quo genus Verſatilis morbi hujus Proteiformis ad vivum depictum dignoſcatur, & ut inde ſciatur, quo pacto Naturæ hiſce Symptomatis laboranti tempeſtive ſuccurri poſſit, Hiſtorias *huc ſpectantes hic ſubnectam, quibus unam Hiſtoriam admodum raram ſubjicere non pigebit* Febris *a dolore* Nephritico *ortæ, Symptomatis horrendis ſpaſmodicis ſtipatæ, & Cortice curatæ; uti & efficaciæ noſtri* Febrifugi *prius memorati, ubi vires Corticis ob diutinam aſſuefactionem, vel peculiarem Ægri diſpoſitionem defecerant.*

SCHOLIUM VI.

Hiſtorias tandem, quas hic recenſet Auctor, utile erit apud eundem videre. Ex illis, fateor, non omne id, quod expectabam, accepi. Pernicioſas Febres haud ſatis expreſſas video; ſed tamen aliquas earum ibidem deſcribi, atque curari extra dubium eſt: Alias quoque, ut modo retuli, noſtrum negotium minime tangentes identidem afferri, eſt æque certum; idque ordine relativo ad ea, quæ in hoc Capite (quod propterea eſt veluti illius Hiſtoriarum Elenchus) firmat de variis Morbis, latentem Intermittentem velantibus. Cum ergo hujuſmodi Hiſtoriæ, ac Dogmata Curationem Febrium per uſum Chinæ Chinæ nonnihil tumultuariam exhibeant, & forte Remedium transferant, ut diximus, non nihil extra limites ſuæ activitatis (ita abundamus omnes in ſenſu noſtro) propterea minutiori aliquantulum, diſtinctaque indagine opportunum erit in decurſu hujuſce Tractatus quærere, quænam ſint Febres, præter Intermittentes benignas, de quibus jam *Lib. primo*, in quibus Cortex conveniat, & in quibus non: itemque quomodo ubi conveniat ſit uſurpandus, qua nempe fortiore Methodo, ſeu qua doſi, quo tempore, & ordine, ad hoc, ut cum inſigni Ægrotantium, cæteroqui ſummopere periclitantium, utilitate, & cum non tenui Medici præſcribentis laude, queat adminiſtrari. Quod juxta experientiam meam qualemcunque, ſequenti Libro ſum proxime præſtiturus, ubi ad Pernicioſas protinus Febres, hucuſque ex aliorum tantummodo deſcriptione relatas, ſermonem meum ſpecialiter convertam.

THERAPEUTICES SPECIALIS

LIBER TERTIUS.

Continens Febrium omnium Pernicioſarum, tum plane Intermittentium, tum etiam Subcontinuarum deſcriptionem ex propria obſervatione, illarumque Curationem, media peculiari Methodo Chinam Chinam in iiſdem adminiſtrandi.

CAPUT PRIMUM.

Febrium omnium Pernicioſarum Periodicarum Natura, Differentiæ, Diagnoſis, atque Prognoſis ſingillatim exponuntur.

ASSUMPTO jam toto Libro antecedente in tranſcribendis, & dilucidandis aliorum placitis circa Pernicioſas Intermittentes, æquum eſt in præſenti, ut ſecundum obſervationes noſtras earum deſcriptionem, diviſionem, ac dignotionem, ipſamque tandem, media Peruviani Corticis oblatione, curationem proſequamur, *noſtram* videlicet *Methodum* exponendo, defendendo, & curationum hiſtoriis, ut par eſt, confirmando.

Febris ergo Periodica Pernicioſa (præ cæteris autem Tertiana cum ſimplex, tum duplex) ea eſt, ut vidimus ex *Mercato* -- *Quæ, ſimulata Circuitus effigie, lethalis, & mille accidentibus periculoſiſſimis implicata exiſtit*. Haud equidem, proprie loquendo, *ſimulatam* ipſe dixerim *effigiem Circuitus*, cum hunc, & verum præſeferat, & manifeſtum; ſed potius *ſimulatam* dixerim, *ex vi Circuitus, effigiem benignitatis*; atque ideo illius Malitia *ex mille accidentibus periculoſiſſimis, quibus implicata exiſtit*, nobis principaliter depromenda videtur, & ſecundum illorum præcipuam diverſitatem in varias claſſes diſtinguenda. Porro generaliter Febris hæc Periodica Pernicialis vel talis eſt, ut perſeveranter intermittat, efferamque naturam ſuam tantum prodat immani quopiam, & peculiari ſymptomate febrilem Paroxyſmum comitante, cujus ferociam exitialem minime tollit intermedia quies, quæ cæteroquin ſecuritatem ex *Hippocrate* policetur: vel talis eſt, ut, intermiſſione paulatim deperdita, ad Continuam, & Acutam, ſæpius quidem lente, nonnumquam & feſtinanter tendat, cum extenſione gravium quorumdam, variorumque ſymptomatum ad tempus ipſum turbulentæ quietis. Utroque modo Pernicioſum chataſterem induit, diverſimode adhuc in utraque linea ſeſe prodeuntem.

In prima itaque linea, ubi Febris Periodum etiammum ſuam cum intermedia apyrexia regulariter ſervat (ſaltem uſquequo, rebus omnibus in præceps actis, cuncta, ut mos eſt, obſcurentur, ac confundantur) ſeptem utplurimum modis præcipuis ſolet interimere, quorum quilibet a funeſto quopiam, & peculiare ſymptomate Febrem comitante, cæteriſque ferociæ palmam præripiente, dependet; unde a diverſitate primarii, lethaliſque ſymptomatis diverſæ Febris hujuſmodi Intermittentis emergunt differentiæ, potius a ſenſibilibus accidentibus, ut nuperrime diximus, quam ab ignota illarum intima eſſentia vel ab obſcuris earumdem cauſis petitæ: Illa autem ſymptomata ſunt. *I.* Vomitus, & Alvi fluxus vehemens, *Cholerico* utplurimum, nonnumquam, & *Dyſenterico* ſimilis. *II.* alter Ventris fluor ſimilis fluxui, ſæpius (ut ajunt) *Hepatico*, quandoque etiam *Atrabilari*. *III.* Cardialgia. *IV.* Sudor frigidus, ac *Diaphoreticus*. *V.* Syncope. *VI.* Algor indeſinens, quem nec calor ullus, nec ſudor excipit. *VII.* Soporoſus affectus gravis, & ab Apoplexia parum diſtans. Et hæ ſunt differentiæ Febris Periodicæ Pernicioſæ in prima linea conſtitutæ, nempe veram adhuc interniſſionem ſervantis. In ſecunda vero

linea, ubi Febris Intermittens semetipsam mutare affectat, & continuitatem acquirere, unam tantum, quæ in ordine *Octava* est, differentiam sortitur, hanc ipsam videlicet, quod ad Continuam, & Acutam vergat, licet pluribus modis, varioque symptomatum præeunte, & comitante apparatu, in hunc unum scopum collimet.

Quod si lubeat melioris ordinis gratia hasce varias Pernicioſarum Febrium differentias ad terminos Scholarum, & ad peculiarem Categoriam reducere, in promptu erit, suppoſita generali Intermittentium omnium tum simplicium, tum duplicium, tum triplicium diviſione in Benignas, & Malignas, istas iterum subdividere in *Comitatas* ferali aliquo symptomate verum morbum simulante, immo & æquante, adhuc tamen Intermittentes, & in *Solitarias*, seu nullo peculiari symptomate, sed potius multiplici, & vario comitatas, & ex diſpoſitione intima in Continuitatem, atque, ut vocant, Acutiem quam maxime proclives. Comitatas adhuc Intermittentes rursus subdividemus, habito reſpectu ad conjunctum symptoma, in Colliquativas, & Coagulativas, ut Continuarum etiam Malignarum mos est. Ad Colliquativas erunt referendæ quatuor priores ſpecies enumeratæ, quas mutuato nomine ab ipso symptomate vocabimus I. *Cholericam*, vel *Dyſentericam*. II. *Suboruentam*, vel *Atrabilarem*. III. *Cardiacam*. IV. *Diaphoreticam*: siquidem hanc ad Colliquativas referre velimus, cum forte etiam ad Coagulativas possit quandoque pertinere, ad easdem vero Coagulativas revocabimus tres posteriores ſpecies, videlicet I. *Syncopalem*. II. *Algidam*. III. *Lethargicam*. Et sic primum membrum propoſitæ diviſionis explebimus. Quo ad aliud vero membrum ejusdem diviſionis, in quo collocavimus Intermittentem nullo peculiari, distinctoque symptomate comitatam (quam idcirco *Solitariam* diximus) sed ex natura sua in Continuitatem, atque acutiem valde proclivem, hanc sub una tantum ſpecie reponemus, cujus tota ratio erit hæc ipsa, quod ad Continuam essentialiter, & acutam tendat, licet inde in innumeras differentias accidentales (quotquot scilicet sunt accidentales omnes Febrium Continuarum differentiæ) possit subdividi, & *Subcontinuam* simpliciter nuncupabimus; eamque, utpote differentiarum omnium, etiam inter se oppoſitarum, facile susceptibilem, ad nullum determinatum genus sive *Colliquationis*, sive *Concretionis*, alligabimus, cum modo ad unum, modo ad alterum, frequentius tamen ad Coagulativum soleat pertinere.

Omnes ergo istas differentias, quæ sunt potiores a me obſervate, & sub quibus alias congeneres lubuit complecti, fas est exponere, si non quantum exigit pondus materiæ, saltem quantum sat est, ut eædem valeant probe dignosci, Lectorem plura cupientem relegando ad deſcriptionem, quam ex *Mercato* transcripſimus Libro præcedenti, ut ideo fruſtraneum sit omnino alibi actum rursus agere. Exordiendo itaque a differentiis prioris ordinis, & ſpecialiter ab iis, quæ ſpectant ad genus Colliquativum, hæc earum sit series.

Primo necat hominem Pernicioſa Intermittens, potiſſimum Tertiana (Quartana etenim, aliave Intermittens rariuscule in primo membro noſtræ diviſionis locum habere solet, sæpius vero in secundo, ubi ad continuitatem vergat, & ad acquirendam acutiem) necat, inquam, Tertiana Pernicioſa, quando circa Paroxyſmi initium, cui de more vomitus bilioſus, sæpe etiam nonnihil copioſus, similisque dejectio solet associari, vehemens contingit, violentaque, ac simultanea excretio sursum, atque deorsum humorum vitioſorum, prave insimul qualitate, atque immodica quantitate peccantium, sive sinceri illi sint, sive variegati, & bile utplurimum praſſina, vel æruginoſa referti: quibus nonnumquam vomitibus, ac dejectionibus copioſis, & crebris, singultus adjungitur, vox (ut ajunt) clangoſa, aut rauca, oculorum concavitas, angor stomachi, sudatiuncula minuta circa frontem, pulsus exilis, extremorum, perfrigeratio, aut livor: uno verbo, omnia accidentia, quæ Choleram morbum comitari solent, a quo tamen distinguenda est hæc affectio quasi Cholerica, inquantum est merum symptoma Febris supra consuetam intenſionem adauctum, & Febris ipsius periodum, ac motum subsequens, velut umbra corpus. Hæc quocumque tempore appareant, etiamsi non omnia, immo etiamsi extremæ semper non sint intenſionis modo deſcriptæ, hanc tamen sequenti periodo certo minantur, ac mortem, intermedia quiete ad nihilum

suf-

ſuffragante præſertim ſi morbus adhuc fuerit, ut plerumque aſſolet, in augmento.

Contingit alias, ut affectio, fere dixerim, Semidyſenterica potius, quam Cholerica invadentem Paroxyſmum concomitetur, quatenus humores in primis biliosi, & aliæ etiam naturæ, tum acres, ac erodentes excernuntur, ut poſt ipſos mucus cruentus exeat tam ſurſum, quam deorſum, cum teneſmo, & torminibus, ſtomachique dolore, perinde ac ſi illius membranæ divellerentur, & excoriarentur, ut revera œſophagum excoriari intuemur in humoris excreti tranſitu, & vomendi conatu. Hujuſmodi excretionem cruentam, & dolorificam minus periculi ſecum trahere, ſæpius obſervavi, quam ſupra deſcriptam. Et licet Febris in hoc caſu videatur intenſior, eſt tamen magis expanſa; nec ſecum fert funeſtam illam perfrigerationem, angorem, ac ſudatiunculam, etſi ſingultum admittat, jactationem irrequietam, urinarum croceam rubedinem, linguæ ſcabritiem &c. unde facile in Continuam migrat, aut inflammationem aliquam minatur: ac proinde non parum & ipſa portendit periculi.

Secundum peculiare ſymptoma funeſtum, peculiarem pariter Perniciosæ Intermittentis differentiam conſtituens, eſt quidam alvi fluxus loturæ carnium ſimilis, qualem Veteres fluxum dictum Hepaticum deſcripſere. Iſtud autem ſymptoma, licet aliquando ab Hominibus obeſis præcipue viderim tolerari, nec illis mortem inferre, ſed potius, ſuperata procella, morbi diuturnitatem: utplurimum tamen funeſtum obſervavi, atque exitiale, priuſquam noſcerem modum prohibendi Febrem cum annexo ſymptomate. Solet ergo nonnumquam vel invadente, vel etiam declinante acceſſione ſuboriri placida quædam, frequenſque, ac copioſa dejectio, quæ intra paucas horas nullo fere ſenſibili Ægrotantis incommodo ad magnam molem, & pondus excreſcit. Materia iſta plane ſeroſa videtur, ſed ſubcruenta, Ægrumque primo nil tale timentem brevi deducit ad ſummam virium imbecillitatem cum pulſu minuto, ac exili, & extremorum notabili perfrigeratione; vox attenuatur nonnihil, oculique concamerationem contrahunt. Cæterum ſitis non moleſtat, mens eſt vegeta, nec de alia re conqueritur patiens, niſi de ſumma virium proſtratione, ac proclivitate in lipothymiam, quæ facile quoque, ſi e lecto ſurgere velit, ſolet ſuccedere. Evaneſcente Febre ſenſim ſedatur tumultus, qui raro diem Intermiſſionis occupat, ſi vero occupet, veh die ſequenti! Cum autem recurrente acceſſione idem recurrat alvi fluxus, augeaturque & ipſe circa morbi ſtatum (incrementum tunc ſuſcipientibus acceſſionibus) vix fieri poteſt, quin intra duos, vel tres ab invaſione ſymptomatis Paroxyſmos Æger ſuccumbat.

Hoc idem certius etiam, ac citius evenit, ſi alia quædam fiat excretio non materiæ loturæ carnium ſimilis, ſed ſanguinis atri, ac nigricantis modo concreti, modo diſſoluti, modo ex utroque mixti: quæ dejectio (cujus ſæpe mentionem facit *Hippocrates*, & quam forte Antiqui Atrabilarem vocitarunt) ſi copioſa ſit, & ad libras aſcendat, ut aſſolet, ſupra memorata ſymptomata facile infert, & ſucceſſivam ſub ſpecie placidæ cujuſdam defectionis celeriter mortem.

Tertium ſymptoma, quod mortem haud raro ſolet accerſere eſt Cardialgia. Contingit hæc, quoties invadente Paroxyſmo Febris Tertianæ, dum adhuc rigor, & horror Ægrum infeſtat, ſive etiam dum idem Æger incipit incaleſcere, illum ſimul corripit acerrimus morſus oris ventriculi (cujus orificium ſuperius Antiqui Cor vocavere, illiuſque morſum ſymptoma malignum appellavit *Hippocrates*) cum pauca utplurimum, vel inani vomiturione. Si ergo in Febre Intermittente, præcipue vero, ac forſan unice in Tertiana, contingat hujuſmodi morſus, comitemque habeat, ut aſſolet, frequentem animi defectionem, ratione cujus hæc affectio a nonnullis ſyncope ſtomachina nuncupatur, cum pulſu exili, facie Hippocratica, luctuoſis ſuſpiriis &c. ſitque dolor ille, ſeu mordicatio tam ferox, ut quandoque pro expiratione reddantur clangores, & ululatus (non enim quilibet ſtomachi dolor, etſi ſenſibilis, utpote in Tertiana familiaris, pro vera Cardialgia habendus eſt, atque ut lethalis metuendus) ſive brevia deinde ſint hujuſmodi accidentia, & tantummodo torqueant Ægrum in principio acceſſionis, ſive uſque ad ſtatum ejuſdem protrahantur (quo tamen diutius, eo pejus) vita eſt in diſcrimine; & quocumque Paroxyſmo, ſive ſecundo, ſive tertio (raro enim in prima invaſione id accidit) appareant, metuendum eſt, ne uno adhuc, vel altero

tero ingruente paroxysmo, de vita sit actum: quandoquidem vix quintam accessionem morbus iste cum tali circumstantia solet transcendere.

Quarto fraudulentior est ea Febris, quæ nullo præcedente pravitatis indicio Ægrum invadit more solito cum horrore, rigore, & frigore, cui succedit calor, & statim sudor aliquantulum præcox, qui equidem Febrem videtur primo aspectu alleviare, sed revera post illum potius intenditur Febris, quam remittitur; immo eo fortior videtur fieri, quo copiosior est sudor. At iste non est terminus occultæ fraudis, hinc enim potius longitudo morbi significatur, quam mors. Quod potius est, frigefit paulatim sudor, & in diaphoreticum sensim degenerat. Sudat perpetuo Ægrotans, & defluit undequaque frigido sudore perfusus: sicque perpetuo algens, & sudans, sicut cera liquatur, dissolvitur, & deficit. Pulsus celer est, minutus, ac debilis, respiratio fit anhelosa, & frequens, dissipantur spiritus, & virtus universaliter languet. Mens sola lucidissima est, & sentit homo, se paulatim mori. Nisi autem hoc illa ipsa accessione succedat, in proxime futuram tantum protrahitur.

Alia etiam via nonnihil diversa algidum sudando fieri, & occumbere Ægrotantem aliquando novi, quem cæteroqui in similibus circumstantiis jure quis diceret cum suspicione tantum longitudinis evasurum. Occumbit ille tamen inopinato, inquantum transacta feliciter tota fere accessione solummodo circa tempus declinationi proximum incipit minuto, frigidoque sudore perfundi, frigidusque & ipse fieri, ut marmor: licet sudor paucus sit, & viscidus, ac prope declinationem tantum apparere incipiens, adeo ut in tali casu (rariore quidem) videatur loco declinationis succedere mors, quam facies Hippocratica illico facta, & paulo ante præmonstrat, & paulo post secum trahit. Atque istæ sunt quatuor priores Pernicioſarum Intermittentium differentiæ de genere Colliquativo, videlicet *Cholerica*, vel *Dysenterica*, *Suberuenta*, vel *Atrabilaris*, *Cardiaca*, & *Diaphoretica*. De Coagulativo autem genere sunt tres, quæ sequuntur, *Syncopalis* nempe, *Algida*, & *Lethargica*. Continuando itaque ordine successivo feriem assumptam.

Quinto funestos reddit quos comitatur nonnumquam, Tertianæ Intermittentes paroxysmos Sycope vera, non solum cum ea fuerit Cardialgiæ, ut crebro assolet, succedanea, verum etiam cum primaria fuerit, simplex, & solitaria: vi nempe cujus Æger nullo licet dolore perculsus frequenter, graviter, & absque causa manifesta languet, exolvitur, & animo deficit, sive de latere in latus se velit convertere, sive solummodo brachium, aut manum tentet loco movere. Concurrit & hic pulsus depressio, & vicissitudinaria ejusdem defectio cum parvitate, & celeritate, sudores minuti circa collum, & frontem, oculorum cavitas, caligatio, & languor, ac denique universalis virium collapsus, ut continuis odoribus, & irrorationibus Æger recreari indigeat, ne deliquium, quod nihilominus patitur, crebrius patiatur. Si hæc sint durante augmento, vel statu accessionis accidentia, quantumvis tranquilla subsequatur intermissio, res Ægrotantis male agitur, nisi provida Medici cautela futuras accessiones mature præcaveat; si etenim sibimetipsi blandiatur Medicus, vel quia minus gravem reputaverit prægressam afflictionem, vel quia transactæ procellæ memoriam infida obliteret malacia, facile est, quod brevi pereunte Ægro impingat in turpe illud -- *Non putaram*, eique postmodum exprobretur illud aliud *Hippocratis* de Leonide filia -- *Medicus non intellexit: puella mortua est*.

Sexto modo Tertiana Pernicioſa hominem jugulat, cum Frigus quoddam mortiferum incipienti Paroxysmo jungitur, quod non, ut assolet in Benignis, paulatim evanescit, ut illud sensim calor excipiat; sed protrahitur, & protrahitur, maximamque partem paroxysmi occupat, itaut nec pulsus resurgat, nec calor ad tactum conspicuus erumpat: quamobrem post horas & horas Ægrotantem adhuc in principio accessionis diceres. Siticulosus est propterea, gemebundus, anxius, cadaverosus. Si in ipsa accessione, qua primo se prodit symptoma istud ferox, Æger satis non cedat, ægre saltem, & nonnisi post longum tempus incipit tantillum incalescere, & pulsus antea absconditus sese nonnihil exerere, itaut tamen parum frequentiæ, aut celeritatis supra statum naturalem ostendat, sitque adhuc non parum depressus, cum miti ad tactum calore, voce tamen paululum clangosa, & lingua nonnumquam scabra, urina vero vel

copio-

copiosa simul, ac tenui, vel pauca, ac impense rubra. In hoc statu durat Æger per totum tempus Intermissionis, quo ad alia satis bene se habens, sed subsequente accessione utplurimum moriturus. Sin autem symptoma istud Algoris protracti sit mitius, & subsequens revivisentia pulsus tantillum vegetior, calorque aliquantulum vaporosus, diuturnioris potius morbi, quam mortis erit præsagium. Sed ista vix aliud quam usus potest sufficienter docere.

Septimum denique lethale symptoma Perniciosæ cuilibet Intermittenti, non uni Tertianæ familiare, est gravis affectus soporosius, seu profundus Lethargus, qui paroxysmos febriles sæpesæpius comitari consuevit. Contingit iste quandoque in principio accessionis, quandoque in augmento: & crescente Febre, servata proportione, cum eadem crescit, quemadmodum ea declinante paulatim declinare solet: restitante tamen utplurimum aliqua in soporem propensione, etiam tempore Intermissionis, quæ affectum paulatim radicari, & ad Idiopathicum tendere satis admonet. Proinde si negligatur, nec inhibeatur progressus, Lethargum una, vel altera accessione mortiferum, ac omni arte invincibilem, fortis Apoplexiæ instar, fere dixerim certo portendit. Cum hujusmodi affectus incipit, Æger primo est in soporem pronus, a quo excitatus, statim in somnum relabitur; paulo post fit immemor rerum immediate ante gestarum, unde non raro matulam poscit, deinde mingere oblivisicitur, atque interim dormitat; nonnumquam obloquitur, nec suos conceptus valet exprimere; & licet sui erroris sit compos, se tamen nequit corrigere, aut continere: immo quandoque balbutiens, vel verba mutilat, vel unum pro alio profert, non secus ac si levi Apoplexia in linguæ paralysim degenerante foret detentus. Ingravescente tandem sopore omnino jacet, ac stertit naribus, neque ulla voce, ulla vi, frictione, ligatura, cucurbitularum, aut vesicantium appositione, immo nec igne quandoque actuali valet excuti; & siquidem excutiatur aliquantisper, statim in eumdem soporem, immo in profundiorem recidit, nec nisi declinante accessione incipit expergisci. Quod si una, vel altera vice resipiscat quidem, sed semper paulo difficilius, aut si soporosæ affectioni adjungatur singultus, tertia ad summum, vel quarta accessione, inevitabili fato succumbit.

Sunt istæ septem differentiæ magis conspicuæ Pernicioſarum Intermittentium *Comitatarum*, quæ naturaro etiamnum suam perfecte, vel quasi perfecte Intermittentem servantes, in aliquo accessu valent, atque consuescunt inopinato hominem de medio tollere. Harum plurimas complexus est *Mercatus* sub prima tantum Tertianæ Perniciosæ differentia; reliquas vero saltem implicite sub titulo *De eadem Pernicioſa ob aliquod accidens, quod succrescit*, ubi nihilominus (ut quod est fatear) diversas potius alias recenset explicite, quas quoque *Mortonus* indicat, quam istas. Cum tamen quas recenset ille, rarius, ac fere numquam mihi observare contigerit, quemadmodum ipsi *Mercato* forte non contigit observare nonnullas ex iis, quas recensui ego, ideo data opera easdem subticui, frequentioribus tantum mihi compertis contentus. Non est tamen ideo, quod ab aliis allatas excludam, cum mille sint viæ, quibus ad Stygem itur; sed eas inter infrequentiores tantum connumero. Omnes nihilominus, quotquot sunt, quæ Vitæ periculum inferunt ex quovis adjuncto symptomate, sive de genere Colliquativo illud sit, sive de Coagulativo, tacite comprehensas volo, eademque simul methodo dico curandas.

Licet autem in enunciatis Intermittentibus Perniciosis nonnumquam accidat, ut Ægrotans lethalem alioqui accessionem, ægre licet, ac difficillime sustineat, vitamque protrahat usque ad tempus subsequentis accessus, totoque hoc tempore intermedio vere febricitet, esto sit algidus, sine pulsu, ac moribundo similis; attamen adhuc Febrem hujusmodi Intermittentem appello, vel saltem ad Intermittentes refero cum *Sydenhamio*. Cujus rei ratio mihi est, tum quia Febris hæc orta est Intermittens, & talis conservata usque ad extremum exitium, in cujus latitudine confusis omnibus, mirum non est, quod ipsa obscuretur periodus, tum quia etiam in extrema illa rerum angustia eadem Febris, utut recentem continuitatem referens per violentam extensionem sui (cito tamen, & infauste finiendam) Cortici nihilominus rite, & celeriter administrato fere æque facile cedere consuevit, ac si primis accessibus

manifeſte Intermittentibus ille fuiſſet exhibitus. Cæterum proprie, ac ſtricte loquendo, quando Intermittens Pernicioſa hominem non interimit repente in eo acceſſu, in quo manifeſte tentat interimere, ſed eum conſtituit in eo ſtatu deplorabili, quem ſupra retulimus, tunc non amplius vere Intermittens dici poteſt, cum jam ſit Continua: uti pariter talis eſt, quando octavam differentiam infra deſcribendam nanciſcitur, retenta tantum in utroque caſu obſcura quadam ſpecie primævi circuitus, vi cujus adhuc Intermittentem placuit appellare, habito reſpectu ad originariam illius diſpoſitionem. Et hoc eſt quidpiam peculiare, quod ſupra communem exiſtimationem tradere intendo de actione Corticis adverſus Febres haſce; tandem vere Continuas, Malignas, & Exitiales, ſed Intermittentes ab ortu, vel Intermittentibus ſaltem analogas.

Omnes ergo in prima linea recenſitæ Febrium Pernicioſarum differentiæ ſuam denominationem, ut patet, deſumunt principaliter, ac fere unice ab inſigni aliquo, feralique ſymptomate, quod ſe ſolo perniciem videntur inferre; ſive illud ab humorum violenta diſſolutione, ac colliquatione, ſive ab eorumdem concretione, ac coagulatione procedat. Hoc autem præceps ſymptoma nonnumquam tam inexpectatum ſupervenit, ut veluti totum ſimul, unoque ictu minime præmonſtrato erumpat; & tunc non prius ſe prodit, ac hominem interimat. Sed hoc rarum eſt: neque poteſt accidens hujuſmodi cadere ſub dignotione, aut curatione medica. Immo neque ſolet tale ſymptoma in prima ſui invaſione tantæ intenſionis eſſe, quantam illi in ſingulari uniuſcujuſque deſcriptione ſupra aſſignavimus, neque univerſo aliorum accidentium inibi expoſitorum ſatellitio ſtipari; cum enim res eo devenit, jam clara eſt, & unicuique nota. Quamobrem ſuperius relata totam Tragœdiam fere exactam oſtendunt, non imminentem tantum, aut incipientem.

Pro magis tempeſtive itaque dignatione, ac præcautione periculi animadvertendum eſt, magnum illud, feroxque ſymptoma (qualecumque ſit ex recenſitis) quod Febri Intermittenti Pernicioſum imprimit characterem, in primo ſui exortu, ordinaria Naturæ lege eſſe nonnihil mite, tolerabile, ac, ut ita dicam, in parvo contractum, ita tamen, ut pravum eſſe non deſinat: quemadmodum fœtus Tigridis ſua non caret ferocia, etſi recens editus: cujus pravitatem ſufficienter demonſtrant alia ſigna enumerata inſimul apparentia, etſi nec ſemper omnia, nec ab initio tam ſæva. Progrediente vero parumper morbo, cuncta citò intenſionem acquirunt, & grandiora fiunt, adeout altero ab invaſione primarii ſymptomatis paroxyſmo haud difficile ſit certo de malitia morbi decernere, & de ingruente periculo. Quapropter cautus ſit oportet, oculatus, & expertus Medicus in omnibus ſimul conferendis, conſiderandis, ac ponderandis, quotieſcumque pernicioſi ſymptomatis præſentia appareat, aut ſaltem illius ſuſpicio non levis. Etenim in negligendo, aut temere contemnendo quæ contemnenda non ſunt, ſicut & in formidando quæ non ſunt formidanda, expertos quandoque Medicos hallucinari certum eſt. Utrumque equidem malum; ſed primum pejus.

Ut vero monitum iſtud illuſtretur ex praxi, ſit hoc exemplum. In aliquo Febris Intermittentis paroxyſmo ſymptoma quodpiam grave ex ſupra relatis ſe prodat, ſed non adeo clare, quin Medicum relinquat adhuc ancipitem, an vere pernicioſum ſit, an benignæ quoque Febris, ſed intenſioris proprium, ut oris Ventriculi mordax dolor, vel vomitus ſimul, & alvi fluxus ſat validus in principio Febris Tertianæ, vel importuna in ſomnum proclivitas &c. quæ ſingula poſtmodum miteſcant declinante Febre, & evaneſcente evaneſcant. Cum ergo omnia hæc ſigna ſint nonnihil æquivoca, ac inter benignum, & malignum quodammodo media, ſolumque pro ratione minoris, vel majoris intenſionis ſuæ, aut diverſæ impreſſionis in ſubjectum patiens, modo pro trivialibus, modo pro pernicioſis habenda, quippe modo cum ſalutari, modo cum interimente Febre conjuncta, neceſſe erit recurrere ad alia ſigna concomitantia, quæ ſupra enumeravimus, ex quorum varia ſyndrome, ac collectione, & præcipue ex illorum incohærentia cum morbo, facile occultam malitiam licebit ſuſpicari. Sic ſi abſoluto paroxyſmo quodam ob grave aliquod ſymptoma, & ob alia etiam ſigna ſuſpecto, quædam remaneat die Intermiſſionis linguæ ſiccitas, nedum ſcabrities, ſive inſolita Ægri nec febricitantis, nec de quopiam certo dolentis jactatio, inquietudo, vel ſuſpiriorum

ad

ad quoddam levamen emiſſorum frequens eruptio, vel inanis identidem, nullaque occaſione concita vomituritio, vel alvi dejectio ſincera, vel intempeſtiva in ſomnum propenſio, vel alia hujuſmodi a perito Medico facile obſervabilia, in tali caſu (niſi ab affectione hypocondriaca, aliave cauſa manifeſtata procedant) metuendum eſt, ne ſubſequente acceſſu vera Cardialgia, aut affectio quaſi Cholerica, aut Lethargus fere inexpugnabilis palam fiat, unde conſtituatur Æger in ſummo diſcrimine. Cavere etiam oportet, ne illa eadem exceptio, quam in parentheſi appoſui, nobis imponat, ne ſcilicet nomine affectus hypochondriaci pernicioſos ſymptomatum characteres donemus, eo quod Patiens Hypochondriacus eſſe ſoleat, vel credatur talis; ideoque minuta, & delicatiſſima, prudenti tamen, non nugatoria opus eſt diſquiſitione, atque animadverſione in hiſce caſibus, in quibus

------ *ſæpe exiguus Mus*
Augurium tibi triſte dabit.

Præ cæteris autem id, quod certius Pernicioſum Characterem in ſuſpecto primario ſymptomate patefacit, inter ſigna concomitantia eſt Pulſus, loquendo tamen de primis ſex Pernicioſarum Intermittentium differentiis; ſeptima enim differentia non a Pulſu, ſed potius a reſpiratione, immo a ſimplici, & ſolitario ſymptomate ſaporis (cujus intenſionis gradus ex ſe facile eſt menſurabilis) ſolet dignoſci. In illis itaque hoc perpetuum eſt, ut ſemper Pulſus toto afflictionis tempore, atque illo etiam elapſo, notabiliter deprimatur plus minus, pro ratione majoris, vel minoris intenſionis pernicioſi ſymptomatis: cum ex adverſo, ubi ſymptoma vulgare eſt, etſi alioqui oneroſum, pulſus conſueſcat reſiſtere, oppreſſuſve ſtatim reſurgere. Ut ergo certam quandam regulam habeant Tyrones pro diſtinguendo ſymptomate pernicioſo ab eo, quod, licet ſimile ſit, pernicioſum non eſt, tamquam ad Lydium lapidem (niſi illud ſe ſolo ſe prodat) recurrant ad Pulſum, ſciantque in Febribus Intermittentibus, quæ vel I. affectione quaſi *Cholerica*, aut *Dyſenterica*, vel II. fluxu *Subcruento Hepatico* dicto, aut *Atrabilari*, vel III. *Cardialgia*, vel IV. Sudore *Diaphoretico* vel V. *Syncope*, vel VI. *Algore* funeſto adjunctis necare ſolent, ſummum extremumque gradum talium Accidentium eſſe, quando omnimodam Pulſus abolitionem inferunt tactu judice. Ubi enim ad hunc ſtatum deventum eſt, univerſalis ſubſequitur, niſi prius apparuerit, totius corporis, præcipue vero extremorum frigiditas, aut livor, facies hippocratica, indeque mors. Et licet nonnunquam ad duos, vel tres dies etiam in eo ſtatu protrahatur vita, certum tamen fere ſemper ſubſequitur exitium; niſi illud tempeſtive reparet rite oblatus Peruvianus Cortex. Atque propter hanc aſphyxiam, & algorem funeſtum Ægrotantes hujuſmodi non alio titulo pro Febricitantibus habendos, aut dignoſcendos eſſe autumat *Mortonus*, ut vidimus, *typo jam* (ut inquit) *legitimæ Febris amiſſo*, niſi quia Cortice Peruviano ſanantur: Febre videlicet Intermittente ſub larva aliorum Morborum deliteſcente, & occulta, ſeu magis ſecundum *Mercatum*, & ſecundum nos manifeſta, variiſque illiuſmodi pernicioſis ſymptomatis comitata. Cum itaque gradus extremæ intenſionis ſymptomatis pernicioſi Pulſus abolitionem, in ſex ſpeciebus nuper expoſitis, ſoleat inferre, menſura congrua illius erit exacte obſervare quantum affi ciatur, deprimatur, ac langueat Pulſus præſente ſymptomate, quantum illo ſuperato deſiſcat a validitate ſibi debita, quantum ſingulis certaminibus deperdat vigoris, uno verbo, quantum diſtet ab extremo gradu ſuæ concentrationis. Quæ ſane omnia in juſta lance poſita, & cum aliis quoque ſignis collata non minimum diligenti, & experto Obſervatori ſuppeditabunt indicium creſcentis periculi, ſimulque argumentum tempeſtivæ præcautionis.

Dixi, Pulſus rationem primas tenere in examine pernicioſorum ſymptomatum, relative tantum ad Sex priores Febrium differentias primi membri noſtræ diviſionis, non vero relative ad *Septimam*, quæ Capitis affectionem ſoporoſam unice reſpicit; in ea ſiquidem non parvitas, aut imbecillitas Pulſus, ſed potius turgentia quædam, ictuſque validitas, qualis in eſſentiali apoplexia ſolet percipi, perſentiſcitur, cum aliqua nonnumquam raritate potius, quam cum inſigni frequentia conjuncta. Naſcentem tamen, atque paulatim creſcentem in Pernicioſis Comatoſum affectum, quantum opus eſt, ut opportune valeat dignoſci, jam ſatis exacte, ordinatimque paulo ſupra deſcripſimus.

Su-

Supereſt aliud membrum diviſionis nuper ſtatutæ, juxta quod *Octava* emergit Pernicioſarum periodicarum Species, quatenus illæ intermiſſionem ſuam paulatim amittentes, ad omnimodam Continuitatem, & ſimul Acutiem latenter, ac malignanter tendunt. Non ergo hic loquor de placida illa, benignaque continuitate accidentali, quam nonnumquam Intermittens Febris acquirit, cum primo de Simplici fit duplex, aut triplex, mox tandem ſubintrans, adeoque, preſſe loquendo, Continua per hoc præciſe, quod protrahatur nonnihil duratio levior paroxyſmorum, ſuapte natura (ſi tempus ſineret) perfecte ſolvendorum, quo ſane caſu unus paroxyſmus, ſæpiuſcule etiam anticipans, ſupervenit alteri, priuſquam integre ſolvatur præcedens; ſed his non obſtantibus ſub iſta etiam accidentali, & benigna continuitate, adhuc eadem ſervatur periodus, idem prope invaſionis modus, cum ſenſibili etiamnum rigore, horrore, aut frigore, eademque ſolutionis ſaltem diſpoſitio, ſi non totalis ſolutio. Ad hæc Patiens Febrem hujuſmodi per paroxyſmos ſeſe leniter excipientes, & Subintrantes dictos Continuam redditam, fert facillime, ferme ac ſi ea eſſet adhuc Intermittens, nullumque grave ſymptoma patitur præter vulgaria, niſi paulo majorem imbecillitatem virium, a frequentiori luctamine citra conſueta intervalla repetito fatigatarum. De his, inquam, Febribus, hujuſmodi continuitatem ſibi prorſus accidentalem, ſimulque benignam acquirentibus modo ſermo mihi non eſt; nullum etenim ex ſe minantur periculum, nec aliter exigunt tractari a perito Medico, ac tractentur veræ Intermittentes, aliqua tantum adjecta circumſpectione; adeoque viribus etiam Corticis, ubi illum adhibere velimus, æque facile cedunt ac Intermittentes omnino, ut ſuo loco repetemus. Non per hoc tamen fit, ut aſſeram, Febres a primodio Intermittentes ſimplices, mox duplices, aut triplices, demum Continuas per ſubingreſſum factas nequire ad Continuitatem eſſentialem, atque periculoſam, quin & ad ſummam pravitatem, & malignitatem progredi; hoc enim eſſet negare quod experientia conſtat, & cuncta fere deſtruere, quæ proxime, ac etiam alibi ſum prolaturus; ſed velim intelligi, quod quotieſcumque Intermittens Febris fit Continua per ſubingreſſum eo, quod dictum eſt, & quo ſæpe aſſolet modo, omnique proinde caret gravi, malignoque ſymptomate, de illa, quippe minime Pernicioſa, impræſentiarum mihi non eſt ſermo; ſed de illa tantum, quæ Continuitatem acquirit ſimul, & Acutiem, ac pravitatem, & tunc tantummodo, quando illam acquirit: ſive deinde hoc fiat per viam paroxyſmorum ſubingredientium, ſive alia quacumque via, ſiquidem alia (quod non crediderim) via id poſſit contingere.

Octava igitur, & ultima Pernicioſarum Periodicarum differentia, ſeu ſpecies eſt, cum Febris nullo licet præcipiti ſtipata ſymptomate, pluribus tamen aliis gravibus, ſibique impropriis paulatim afficitur accidentibus, qualibus Febres Acutæ, Malignæque ſolent utplurimum inſigniri, ac propterea & ipſa de Intermittente ſenſim in Continuam, Acutam, & Malignam migrat. Per hoc autem quod plura, & varia ſortiatur accidentia, ut Continuarum mos eſt, non fit, quod habere quandoque non poſſit aliqua etiam ex iis, quæ expoſuimus in Pernicioſis ſupra deſcriptis, ut Lethargum, Cardialgiam, Syncopem &c. ſed ea ſolet habere in gradu remiſſiore, ut eadem habere ſolent nonnunquam Continuæ ipſæ primariæ, non vero in immani, tamque conſpicua intenſione, ut inter cætera quammaxime ſuperemineant, valeantque idcirco ſe ſolis huic Febri & exitium ſumme præceps, & peculiarem denominationem tribuere, quemadmodum eandem illi primario tribuit acquiſita Continuitas. Hæc autem Pernicioſarum Febrium differentia poſtrema, quam *Subcontinuæ* nomine lubet appellare, abſque aliis ſignis ex ea, quæ paulatim fit, periodorum obſcuratione, & ſucceſſive acquiſita continuitate eſt cognitu facilis. Sed quoniam expedit noſſe a principio naturam hujuſmodi Febris, ut illi, priuſquam nos fallat, poſſimus obviam ire, eaque opportune præmittere, quæ tempeſtivo, ſcilicet neque præcoci, neque nimium dilato uſui Corticis viam planiorem, atque methodicam ſternere valent: illius ideo morem, atque progreſſum operæ pretium eſt fuſius explicare, & veriſimiliora, frequentioraque ejuſdem ſigna deſcribere. Hæc vero, licet nec omnia, nec ſemper concurrant, nec eorum quodlibet Pernicioſæ Febris ſemper ſit index, plurimam tamen lucem perito Artifici, eadem

dem pro re nata conſideranti, penſitanti, combinanti, & conferenti poterunt afferre: & eo majorem, ſi illis immiſceatur ſymptoma aliquod nonnihil conſpicuum ex iis, quæ Pernicioſarum conſtanter Intermittentium ſunt peculiaria.

Priuſquam tamen hujuſmodi deſcriptionem aggrediamur, opportunum erit præmittere, & adnotare, quod octava hæc ſpecies (quam unicam conſtituimus, quia a ſola continuitate præter ordinem acquiſita omnem pernicioſæ naturæ ſuæ occaſionem nanciſcitur) hæc, inquam, una plures differentias accidentales poteſt ſuſcipere, eas ſcilicet omnes, quas paſſim Auctores Continuis Febribus, præſertim Proportionatis, ſolent tribuere, quales ſunt Horrifica, Helodes, Aſſodes, Hepiala &c. ut proinde *Mortonus* ipſe hanc noſtram octavam ſpeciem tot differentiarum fœcundam, unoque nihilominus Cortice curabilem, peculiari Capite conſideraverit, quemadmodum videre eſt apud ipſum *De Proteiformi Febris Continentis Genio*, quamvis a pluribus ſub hoc nomine Febrem quoque eſſentialiter continuam, atque primariam credatur (& revera alicubi videatur) velle comprehendere, dummodo *Remittentem*, ſeu *periodum ſervantem*. Sed cum minutiores hujuſmodi differentiæ parum, aut nihil immutent curationem ope Corticis abſolvendam, ideo ab hac multiplici ſubdiviſione ad rem noſtram inutili hic lubens abſtineo. Quia vero ad eamdem curationem medio Cortice inſtituendam facit aliquid varia ipſius Continuitatis habitudo, hoc eſt diverſa celeritas, modus, & tempus, quo Febris ex natura ſua Intermittens continuitatem acquirit, ideo hanc ipſam diverſam habitudinem in octava hac ſpecie placet conſiderare, atque diſtinguere.

Degenerat ergo Intermittens Febris in Continuam vel in morbi progreſſu, vel in ipſo ſtatim principio. Rurſus ſi in progreſſu, vel hoc fit celeriter, adeout, etiamſi poſt quartum, vel quintum tantummodo paroxyſmum contingat, fiat tamen intra unum, aut alterum circuitum evidenter, ac ſenſibiliter: vel contingit paulatim, itaut ſi poſt quartum item, vel quintum paroxyſmum incipiat Febris aliquam continuitatem affectare, non tamen ſenſibiliter eam ſit aſſecutura, niſi ſenſim, & poſt plures adhuc circuitus. Si ergo Continua fiat Febris Intermittens in aliquo ſui progreſſu, ſive deinde id celeriter, ſive paulatim fiat, curanda eſt Cortice in ipſo actu ſuæ metamorphoſeos, in quo pernicioſum incipit induere characterem: idque agendum methodo ordinatim deſcribenda infra *Cap.* iii. hujuſce *Libri*, reguliſque in hunc eundem finem ibidem apponendis. Si vero Febris orta Intermittens fiat Continua in ipſo fere ſtatim exortu ſuo, ut non infrequenter accidit, in hoc caſu, licet ſub octava hac ſpecie Pernicioſa illa contineatur, de ea tamen abſolute intelligi non debent, quæ infra dicturi ſumus de Cortice in Pernicioſis incunctanter offerendo: cum de oblatione illius in hujuſmodi circumſtantia maturam conſiderationem exigente peculiare examen ſimus inſtituri *Cap.* v. *Libri ſequentis*.

Hoc præmiſſo, tranſeo jam ad exponenda ſigna remotiora Febris Intermittentis modo celerius, modo lentius in Continuam acutam, Malignamque migraturæ: Suſpecta itaque ab exordio ſui erit, ne in Continuam acutam degeneret ea Intermittens, quæ cum pauco, aut nullo rigore ſolet invadere, ſed potius cum ſenſu caloris: item quæ prima die leviuſculam (dummodo tamen vere febrilem) infert acceſſionem, altera vero die (non altera periodo) fortiorem, & ſic progrediendo motum ſervat graviorem per dies pares, loquendo per modum exempli de Tertiana duplici ab ortu. Quod ſi eadem ſic orta in Simplicem ſtatim mutetur, etſi hoc laudabile ſit, non deſinit tamen eſſe ſuſpectum, ſi primam acceſſionem validam debilis, ut ſupra, immediate præceſſit: poteſt enim facile typus ille mutari, qui ordine inverſo potuit incipere. Proximum pariter imminentis Continuitatis indicium eſt, ſi in Tertiana, præſertim ſimplici (idem, ſervata proportione, intellige de Quartana, quæ, ſi continua eſſentialiter fiat, ſuapte natura ut plurimum lethalis eſt, ut norunt Practici) indicium, inquam, continuitatis eſt, ſi quidam appareat intermiſſionis die mordax ad tactum calor, qui aliquam etiam ſecum trahat pulſus perturbationem, ſitim, aut linguæ ſiccitatem; quæ omnia incendium univerſale jamjam diſponi præmonſtrant. Urina quoque notabiliter pauca, & ſimul rubra, vel crocea, ſicut in omnibus Febribus eſt ſemper ſymptoma ſumme conſiderabile, quantum novi, ita in Intermittentibus

non

non parvum faceſſit negotium, periculumque ſaltem continuitatis portendit. Aſſolet etiam in iiſdem ad ſuſcipiendam continuitatem diſpoſitis apparere faucium & gutturis inflammatio quædam ulceroſa cum cruſta alba ſummi tædii, præ impeditæ deglutionis incommodo, quam *Aphtas albas* nonnulli, *Alcholam* alii vocitant. Symptoma iſtud, utut nonnunquam quaſi critice appareat circa finem morbi, quemadmodum etiam (& quidem frequentius) poſtulæ circa labia erumpentes; nihilominus ut plurimum mali ominis eſſe conſuevit, vel ſaltem ſignum difficilis judicationis, & peculiaris pravitatis ſuccorum, mediis glandulis illis a ſanguine ſecretorum, aut conſuetorum ſecerni. Quamobrem quotieſcumque apparet hujuſmodi cruſta, de Febre ad Continuam eſſentialiter tendente ſuſpicari fas eſt: immo de eventu ſiniſtro, ſi præſertim parvitas Pulſus, vocis clangor, & ſingultus (qui tamen hic minus, quam alibi timendus, utpote ſoboles inflammationis hujuſmodi) ſimul concurrant. Denique omnia accidentia, quæ in Continuis malignitatem ſubeſſe, quæcunque ſit illius indoles, ſolent oſtendere, illa eadem ſi in Intermittentibus obſerventur, idem, ſi non ſtatim, ſaltem progreſſu temporis, prænunciant, excepto delirio temporaneo, quod aliquando in ſtatu paroxyſmi fervidioris ſolet accidere, & ſtatim evaneſcere citra periculum; ſecus ſi in febricula mitiore contingat, vel ea etiam declinante perſeveret. Facta vero jam Continua eſſentialiter, ac Pernicioſa Febris ſuopte ſe ingenio patefacit. Et licet lentius procedat, interimatque, ac cæteræ Pernicioſæ, maximo tamen, & diutius metuendo non caret periculo, quamvis ab origine fuerit Intermittens. Etenim trahit illa nonnunquam ſecum ſæva quævis ſymptomata, quæ ſecum pariter deferunt Malignæ ipſæ Primariæ *v. gr.* parotides, quas non ſemel in hujuſmodi Febribus contingit obſervare, perpetua deliria, convulſiones, averſiones a cibo, & maxime a quocumque potu, non ſecus ac ſi hydrophobia detinerentur Ægri, & ſimilia Febrium ſumme Malignarum, ac Peſtilentium propria, modo ex Colliquativo genere, modo & forſan frequentius ex Coagulativo: quæ omnia unicuique Praxim exercenti ſe produnt ſæpiſſime. Enimvero tam frequens eſt hæc una ſpecies Febris Pernicioſæ, quæ ſingula Febrium ab ortu Continuarum, Acutarumque ſenſim ſibi aſciſcit ſymptomata, licet inceperit Intermittens, vel quaſi, ut ſe ſola membrorum alterum generalioris noſtræ diviſionis merito impleat, quippe quæ plures differentias Pernicioſarum a *Mercato* ſub diverſis titulis recenſitas una comprehendit. Atque idcirco non inutile erit relegare iterum, ut ab initio etiam hujuſce Capitis, Lectorem ulterioris inſtructionis avidum, ad completam deſcriptionem, quam prodidit idem *Mercatus*, cujus ideo aureum de hiſce Febribus Tractatum recuſum voluimus, & antecedenti Libro integre inſertum.

CAPUT II.

Periodicarum Febrium pernicioſus character generaliter expenditur in ſua Cauſa. Varia illarum pravitas, & actio diverſa in triplicem noſtri Corporis regionem. Earundem China China *curandarum Idea quædam practica generalis.*

DISTINCTIS penes præcipua ſymptomata, & progrediendi modum, frequentioribus, magiſque obſervabilibus Pernicioſarum Intermittentium differentiis, & re videtur eaſdem ultro diſtinguere penes ipſarum Cauſas internas, ſi non ultimas, quod difficillimum, ſaltem generaliores ad normam eorum, quæ *Libro* I. *Cap.* vi. & viii. protulimus: quod equidem lubet non aſſeveranter, ſed dubitative tantum, & ſuperficie tenus tentare. Cum enim Theoremata, quæ fundamentorum adinſtar ibidem jeci, quantumvis probabilia, & ratione ſuæ univerſalitatis non facile falſa, incerta tamen in plurimis agnoſcam & ipſe, non eſt cur fidenter admodum explicationem Cauſarum, utut generalium, hujuſce rei illis ſuperſtruam. Dicam tamen quæ cum praxi, & curatione cohærent; adeoque ſi quis notionibus illis, ſaltem pro quopiam veritatis modulo ſibi propoſitis, utatur, non multum, ut reor, a recto curationis ſcopo aberrabit: non quia Idea hujuſmodi indubitanter vera ſit, ſed quia ad illius exemplar æque bene curatio ſuccedit, ac ſi vera eſſet. Ita ad modulum ſuæ Hypotheſeos, quantumvis obſcuræ, certiſſimam iſtarum Febrium depulſionem

per

per usum Peruviani Corticis fassus est se excogitasse *Mortonus*; quod Illi profecto in praxi non male cessit. Ita pariter Mundi systema, licet Sacrarum Literarum testimoniis, & Decretis Ecclesiæ minus, ut videtur, consonum, ad regulas tamen praxeos Astronomicæ, & ad cœlestia salvanda phœnomena sufficienter dispositum condidit *Copernicus*. Ita quoque materialia suæ Physices principia, non ut vera, & certo talia, qualia depinxit, sed ad explicandos naturales effectus æque apta, ac si vera forent, protulit *Cartesius*, ob ingenuam saltem confessionem suam commendabilis, secundum quam Cogitata sua, suamque Methodum, etsi explorandis Naturæ arcanis satis accommodatam, non magis tamen pro *Historia*, quam pro *Fabula* vendidat. Utinam vero Magnus Vir, cum de Pallade sua tam moderate senserit, vel conatus suos ad purioris doctrinæ amussim magis adhuc castigasset, vel nullum pravis præoccupatum affectibus Lectorum nactus esset, quem transversum agere, aut egisse crederetur. Ita multo magis ego de ratiunculis meis Theoreticis sentio, sive Fabulæ sint, sive Historiæ: quod citra contentionem sanioribus omnibus dijudicandum relinquo, *refelli* a cunctis, ut ajebat *Cicero*, si opus sit, *sine iracundia paratus*.

Ratum itaque hic habendo, quod jam alibi statuimus, nempe sanguinem in Febribus Intermittentibus se habere mere passive, principii vero activi rationem habere succum quempiam heterogeneum, per intervalla eidem sanguini affusum, & febrilem in eo fermentationem, sive effervescentiam concitantem, cohærenter sequitur, quod in Pernicioſis tota ratio, & tota vis, secundum quam illæ tam immaniter sæviunt, vel omnino, vel saltem principaliter pendeat a tali succo, quicunque ille sit, peculiarem diathesim, pravam tamen supra consuetudinem suam, atque sylvestrem, & septicam adepto, per quam tam gravia, tam ferocia, & varia producat symptomata. Sed cum ignorato hujusmodi succo ejusdem pariter ignoretur natura, & qualitas omnis tum nativa, tum præternaturalis, cumque de eo vix quicquam fuerimus ausi statuere præter motum, viam, atque successivum progressum illius in sanguinem: ideo posito quod talis liquor Fermenti febrilis ordinariam rationem obtinens, in Pernicioſis Intermittentibus nescio quid majoris supra consuetam pravitatis habeat, seu nescio quid ascitiæ venenositatis, atque malignitatis (prout diximus Libro antecedenti in animadversionibus ad textum *Mortoni Schol.* ii. & ut fusius infra sumus dicturi) præmissa, inquam, hujusmodi positione, nil aliud supereſt a Causæ Morbificæ consideratione petendum ad distinguendas earundem Pernicioſarum differentias, nisi motus, actio, & distributio ipsius Materiæ febrilis in triplicem nostri Corporis regionem, nempe *primo* in primas vias, sic dictas, *secundo* in massam sanguineam, *tertio* denique in principium nervosi generis: penes quem motum, actionem, & successivam propagationem febrilis fermenti in varias hasce Provincias, si illud peculiariter pravum, ac efferum fuerit, illæ ædem, quas supra expofuimus, emergere possunt, & nonnihil dilucidari Intermittentium Pernicioſarum differentiæ.

Itaque prout in primam Regionem, Ventriculum nempe, si lubet, Intestina, Ductusque omnes Chyliferos repit Fermentum istud vehementi quadam, venenata, ac prope arsenicali, erodente videlicet, ac colliquante acrimonia sive ingenita, sive aliunde acquisita imbutum, eosdem ferme producit effectus, ac Chylus quidam ex esculatis venenatis confectus, seu ex eodem veneno plus, minus infectus, perinde ac si Ephemorum Cholchicum quis assumpsisset. Proinde orificium sensile stomachi acriter mordens, & vellicans, *Cardialgiam* infert, & per consensum comitem lipothymiam. Eundem vero Ventriculum, Intestina, & annexos Ductus immaniter pungens, & in spasmos, ac contractiones excretorias provocans, affectionem *Cholericæ* similem gignit. Quod si ferocia nonnihil minore sæviat, quatenus succis viscidioribus sit irretitum, adeoque contactum illius etiamnum ferre possint, etsi non sine magna molestia affectæ Membranæ, tunc ea sequitur irritatio, quæ prius lentam abrasionem, mox excoriationem illarum partium, denique succorum omnium illuc confluentium, ipsiusque sanguinis illas intime perluentis excretionem inducit: unde stomitus mucosus, simulque cruentus cum conatu dolorifico, alvique fluxus consimilis, ac *Dysenterico* analogus, aut *Dejectio* copiosa *loturæ carnium similis*, aut alia quædam *sanguinem atrum referens*, solet emergere. Reseratis quippe, & ab-

& abrasis a succo illo sive arsenicali, sive aliæ corrodentis naturæ, etsi succis quoque mitioribus, ut dictum est, nonnihil implicito, referatis, inquam, & abrasis Arteriarum Gastricarum, & Intestinalium osculis, immo vel erosis, vel laceratis excretoriis glandulis ad extrema vasorum appensis, non potest non egredi, qua data porta contentus cruor, aut serosior saltem illius portio. Et sic fere statim ac excidit e Minera sua, & in cavitatem Ventriculi (data suppositione) deinde in Intestina, & Chyliferos ductus sese insinuat Fermentum istud non modo vitiosum ab ortu, sed indolem insuper Emetico-catharticam in itinere suo, utut brevi, propter aliorum succorum miscellam hinc inde mutuatum, potest haud difficulter intelligi, quo pacto nonnullas constituat Pernicioſarum differentias: illas videlicet, quæ vel a *Cardialgia*, vel ab affectu quasi *Cholerico*, vel ab alvi fluxu *Hepatico* dicto, *Dysenterico*, *Atrabilari*, aut quomodolibet cruento, pernicioſam naturam suam sortiuntur, simulque secundum nos denominationem *Cardiacæ*, *Cholericæ*, aut *Dysentericæ*, & *Subcruentæ*, aut *Atrabilaris*. Unde est (ut & hoc obiter repetam) quod facile hallucinentur ii, qui supposita in locis omnibus antedictis Fermenti febrilis præexistentia, plurimum fidunt Emeticis, atque Catharticis pro Febrium Intermittentium curatione: cum tamen ostendat experientia, cui astipulatur & ratio, quam facile sit remediis hujusmodi cum Fermento febrili maximam symboleitatem habentibus: ut constat ab effectu utrinque pari: quam facile, inquam, fit, idem Fermentum potius acuere, & roborare, quam vincere, & debellare. At de hoc jam forte nimium.

Quod si a Ventriculo, Intestinis, Lacteisque primi ordinis (ut *Libro primo Cap.* vi. tetigimus) lubeat Fermentum febrile proscribere, illudque tantum agnoscere in Lacteis secundi ordinis, non ideo minus facilis erit explicatio singularum Pernicioſarum in primam Regionem sævientium, feraliumque symptomatum earundem. Malignum siquidem Fermentum in secundarios Ductus Chyliferos irruens, quasi e suis compedibus excarceratum, tantam in ipsis Ductibus irritationem, molestiam, atque sævitiem exerere potius est, quantam exererit venenatus Chylus e Lacteis primi ordinis illuc delatus. Excitata etenim lucta acerrima cum succis quibuslibet ibidem præexistentibus, simulque mordicatis immaniter cunicis Lactearum, & sensibilibus earum fibrillis, eam necesse est sequi spasmodicam omnium partium infimi Ventris connexarum contractionem, ac convulsionem, quæ succos acerbos, & nondum excretioni maturos, eosque propterea summe mordaces, & efferos (ut qui etiam ex natura sua, Æstivo præsertim, & Autumnali tempore in quibusdam signate corporibus, sunt tales) quæ, inquam, succos acerbos ex Glandulis omnibus Intestinalibus, & ex Canalibus illuc confluentibus, Pancreatico scilicet, atque Choledoco, per vim valeat exprimere. Qui equidem succi sic expressi, præterquam quod ex se ipsis summam vellicationem in stomacho, & Intestinis gignere apti sunt, & illa in violentas excretiones cogere, abradere, excoriare, & inde cruorem ipsum elicere, ulteriorem etiam noxam inferre valent, quatenus Lacteas ipsas tum primi, tum secundi generis permeando, Fermento quoque febrili suppetias ferunt, illudque deterius adhuc, & ferocius reddunt adventu, & societate sua. Addamus fibrarum nervosarum undequaque divulsarum consensum multiplicem, potentem inducere Cardialgiam, Lipothymiam, aliaque hujusmodi gravia symptomata. Addamus tandem, si liceat, ex tam violento tumultu, & ex diversis Vasorum Lacteorum, Mesenterii, Intestinorumque contractionibus secundum varias fibrarum directiones excitatis forte fieri posse retrogradum a Chyliferis Ductibus in ipsa usque Intestina tenuia Fermentum febrile, superato vi convulsionibus valvularum obstaculo. Ex quo qualis ibidem fieret succorum Intestinalium cum Fermento febrili miscella, qualisque confusio, & qualis pariter fluxus, atque refluxus in ipsis Ductibus Chyliferis, eosdem succos, idemque Fermentum suapte natura, saltem per alia ostiola, iterum admittentibus (siquidem non plane impossibilis, ut reor, sit talis positio) nemo non videt. His, & similibus modis posse hujusmodi malignum Fermentum solas Lacteas secundi generis occupans, Ventriculo, Intestinis, Lacteisque primi generis antecedenter intactis, symptomata omnia Pernicioſarum in primam Regionem sævientium producere probabiliter

ter autumno. Indiſcriminatim nihilominus & hic, ut jam loco citato, omnes, quotquot ſunt, primas vias, velut primum limen ipſius maligni Fermenti in ſanguinem ingreſſuri, lubet adhuc conſiderare, & eadem univerſali ſuppoſitione retenta, ut cœptum eſt, deinceps proſequi.

Haud equidem diffiteor, arduum eſſe definire in quonam conſiſtat intrinſece peculiaris illa, & determinata virulentia, quam identidem ſupra conſuetam pravitatem ſuam ſolet acquirere febrile Fermentum, ſive hinc, ſive inde illud derivetur, dum ſingulas producit Pernicioſarum ſpecies: quam pravam diatheſim aſcititiam intantum malignam, & venenatam voco, inquantum eam dilucide nequeo explicare. Pro uſu tamen practico ſat ſit dicere, eam eſſe in caſibus nuperrime recenſitis ubi primarum ſtatim viarum tumultuaria ſubverſio ſuboritur, eam, inquam, tunc eſſe febrilis fermenti naturam, qualis plus minus eſt, ut modo dicebamus, indoles vehementiorum Emeticorum, atque Cathartico-rum, ſeu qualis eſt natura, ut rem propius deſignem, ipſorum ſuccorum noſtri corporis Choleram Morbum producentium. Sane morbus iſte, quantum ex accidentibus patet, cauſam agnoſcit Veneno ſimillimam: Tertianæ item Pernicioſæ modo memoratæ ſaltem earum aliquæ, maximam habent ſimilitudinem cum Cholera. Itaque qua ratione lethalis eſſe conſuevit Cholera morbus, eadem quoque ratione lethales ſunt ut plurimum hujuſmodi Febres: eamque ſimilitudinem, quam cum Veneno extrinſeco habent humores, & ſucci Choleram efficientes, illam eandem habet cum eodem Veneno ſuccus febrilis, pro talium Febrium cauſa receptus. An vero tum illi, tum iſte habeant acrimoniam quandam veneficam prorſus ineffabilem, an talis conditionis, quæ ſemoto etiam obſcuro hoc nomine queat ſenſibilius explicari, præciſe non quæro, iſtamque litem, quæ ad purum nomen ferme reducitur, nec ad praxim conducit, Theoreticis ſubtilioribus ad extremum uſque apicem diſcutiendo relinquo.

Si tamen liceat ſuper hac re per analogiſmum quendam craſſiuſcule ratiocinari; quoniam exactius non poſſumus abſque ſophiſmatum periculo; dicam, illud eſſe data proportione diſcrimen inter ſuccum febrilem, cum Tertianas benignas, & eundem cum Pernicioſas modo deſcriptas excitat, illud, inquam, quod intercedit inter Antimonium uno modo, idemque alio modo præparatum, ſecundum quas diverſas præparationes in linea Emetici, atque Cathartici, modo benignius, modo violentius præſtat utrunque, aut alterutrum, varie videlicet alterata, vel immutata heterogenearum illius particularum textura. Sed, ne longe admodum per remotiores comparationes a fluidi humani Corporis recedamus, nonne videmus quantum diſcrepet a flava bile quo ad acrimoniam, & pravitatem bilis æruginoſa, & glaſtea, ſive utraque ſit idem humor varie alteratus, ſive tertium quid ex diverſorum ſuccorum commixtione reſultans? Nonne pariter plures ſucci ſuapte natura, ſi ſeorſim ſumantur, plane innocentes, evadere poſſunt Naturæ noſtræ infeſti, acerrimi, & erodentes, ſi ſimul miſceantur? Quid, ſi vitiati jam ſint ſeorſim ſinguli, & a craſi ſua deſciſcentes, ut in caſu noſtro, atque inſuper inſimul mixti? In hoc forte uno conſiſtit tota ratio formalis, ut ſcholaſtice loquar, Emetici, atque Cathartici, quæ reperitur in Fermento febrili relate ad illius actionem in primas vias, ratio coagulantis, aut diſſolventis relate ad actionem in Maſſam ſanguineam, & ratio ſtupefacientis, aut aliter lædentis reſpective ad actionem, quam exerit in principia nervoſi generis, concurrente videlicet inſimul cum eo diſpoſitione *medii*, & *termini ad quem*. Hinc tota Malignitas, Venenoſitas tota quarunlibet Pernicioſarum inquantum ſolummodo occulta, inquantum occultus latex ipſe febrilis, aliique confluentes ſucci, eorumque varia commixtio, necnon commixtionis eorundem varia proportio. Sic videmus, unam, & eandem Thermalem Aquam (quamcumque velis) ſtatim ac e prima ſcaturigine ſimplex prodit, talem determinatam vim, ſuæ Fœdinæ, vel, ut ajunt, Mineræ correſpondentem, ſive bonam, ſive malam ſecum deferre: ſi vero diverſas in progreſſu, & deteriores Mineras perluat, diverſam pariter ac deteriorem pro diverſitate Mineralium, ſive Foſſilium, quorum ſalibus adventitiis imprœgnatur, ſubinde naturam nanciſci: unde indoles primigenia notabiliter alteratur, ac deterior evadit, necnon quandoque venefica.

Idem

Idem cum proportione dicendum de Fermento febrili in casu nostro. Est enim, ni fallor, intra confinia maximæ probabilitatis credere, quod Febrium Intermittentium fermentum, seu latex extraneus, qui primo, & principaliter sanguinem in periodicam excandescentiam, aut effervescentiam concitat, sit quidem ex se ipso, statim ac e Minera sua purus egreditur, indole quadam peregrina præditus, quæ cum natura cruoris minime conveniat, sitque adhuc deterior, cum Pernicioſas, quam cum Benignas intermittentes gignit; sed neque extra rem est ulterius suspicari, quod ille idem latex febrilis fiat adhuc deterior ratione pravæ, & variæ dispositionis, quam invenit in diversis locis, atque regionibus, per quas transit, vel in quibus hospitatur. Atque ideo, quatenus a termino suæ scaturiginis ad terminum sui confluxus in sanguinem progreditur, & in varios succos morbosos impingit, cum quibus confunditur, ac commiscetur tum intra primas vias, tum intra ipsam cruoris Massam, talem probabiliter ex hujusmodi commixtione acquirit dyscrasiam, quin & virulentiam, atque malignitatem, quæ Febris cæteroqui benignæ, perniciosam naturam, eamque variam pro varietate succorum, quibus diversimode inficitur; valet imprimere. De pravitate illius violenter Emetica, atque Cathartica intra primas vias acquisita, & intra easdem immaniter exercita, variasque idcirco Pernicioſarum species constituente, jam satis hactenus. Ad reliqua nunc pergendum.

Prout igitur idemmet febrilis latex succis non quidem vehementer Emeticis, aut Catharticis, ut in primo casu, pravis tamen, & incongruis secum raptis, in secundam Regionem, seu in sanguineam Massam delabitur, venenositatem alii generis, primæque regioni (quam ideo vel innocue transigit, vel magna ex parte declinat) non admodum infensam solet exerere. Hæc in duas ut plurimum species potest subdividi, quatenus duplex insigne sanguini damnum solet inferre, ipsum videlicet vel coagulando, vel nimium solvendo concurrente insimul vitiosa aliqua dispositione, aut labe intra eundem sanguinem præexistente, ipsamque pravi Fermenti diathesim ad hanc, vel illam noxam specialius determinante. Proinde talis nonnumquam ex hujusmodi commixtione resultat indoles Fermenti febrilis, ut Venenorum fixantium adinstar (quorum prostrat ex Vegetabilibus, Animalibus, & Mineralibus numerosa seges) in sanguineas particulas, & spiritus torporem quendam inducat, cui primum fermentativi, mox & circularis quoque motus retardatio succedit. Hinc vel *Syncope cardiaca*) constipato potius, quam rarefacto, cum primum appellit ex Cava ad dexterum Cordis sinum, cruore) vel universalis quasi coagulatio, aut congelatio ejusdem cruoris, *Algor* partium indesinens, & abolitio pulsus absque restitutione ulla, vel saltem pauca, & exili subsequi solent. Idque fortasse, ut clarius me explicem, duplici potest ratione contingere. Vel enim succus febrilis diathesim modo enunciatam sortitus statim ac sanguini affunditur, illum plane constipat omnino circa Cor, & circa Pulmones, vel in Pulmonibus, vel intra Cor ipsum. Et in hisce casibus, in quibus vel mortiferam syncopem, vel suffocationem repentinam inducit in ipso accessionis principio, Cor ipsum non prætergreditur, neque per Aortam ultra Cor distribuitur ad inficiendam reliquam cruoris massam, cum statim interimat. Vel pravitatem suam minus immaniter exerit succus ille in ipsum sanguinem, itaut totum iter a Lacteis ad Aortam possit complere, & Accessionem febrilem ad augmentum usque, statumque perducere. Et in hoc casu illam specialiter potest in universo cruore producere effervescentiam, quam *frigidam* vocant, quæque ex puris acidis cum puro sale volatili commixtis solet emergere, ut in plurium liquorum citra manifestum caloris sensum effervescentium commixtione observamus. Qua cum suis limitationibus posita paritate, non adeo captu difficile redditur, quomodo talis esse possit indoles Fermenti febrilis, talisque salium illius cum salibus cruoris inexistentibus proportio, ut consimilis excitari possit effervescentia, Febrium *Algidarum*, *Syncopalium*, vel similium; si quæ sint aliæ, productiva, quod satis potest succedere, cum Fermenti febrilis indoles tum nativa, tum ascititia, acida peculiariter est, & coagulativa.

Contra, quandoque ex succrescente mixtura, quam diximus, talis resultat indoles ejusdem Fermenti, ut Venenorum potius dissolventium adinstar (quorum pari-

pariter plurimæ ſunt, notæque ſpecies) ipſiuſmet ſanguinis compagem diſcindat cita, ac veluti exploſiva divulſione partium illius fibroſarum, necnon ſeroſiarum fuſione præcipiti, unde ſudores ſtatim colliquativi, frigidi, ac *diaphoretici* emergunt: quanquam hoc etiam a concretione partium ſanguinis fibroſarum, ut ſupra, & inde ſuccedente ſeroſiarum efflu-xu poſſit procedere. Atque omnibus hiſce pravis conditionibus ſtipatum febrile Fermentum, ſi activum ſit valde, imbecillemque inveniat atque diſpoſitam ad ſuſcipiendam celeriter aliquam ex prædictis impreſſionibus ſanguinis craſim, eas ſtatim (modo unam, modo aliam) Febrium differentias gignit, quas vel *Syncope*, vel *Algor* funeſtus, vel frigidus, ac *Diaphoreticus ſudor* Pernicioſas, & lethales reddit, quaſque ideo *Syncopales*, *Algidas*; & *Diaphoreticas* dicimus.

Quod ſi alterutram, ut ſupra, ſortitum ſit Fermentum Febrile veneficam diatheſim, & præcipue coagulantem, quippe frequentiorem: diſſolvente tamen etiam quandoque minime excluſa: eam vero ſegnius, ac lentius in uſum deducat, ſive quia illam in remiſſiore gradu poſſideat, ſive quia minus diſpoſitam inveniat ſanguinis compagem, ut impreſſionem hujuſcemodi valeat ſuſcipere: tunc ea lento progreſſu introducitur diſpoſitio, quæ Febrem ab ortu Intermittentem ſenſim in *Continuam*, *Acutam*, atque *Malignam* convertit. Cum enim veneficum hujuſmodi Fermentum Coagulans (idem ratione in oppoſitum verſa intellige de Colliquante) non ita facile intra unum paroxyſmum integre ſubigatur, quin aliquas ſui reliquias intra cruorem ſuapte etiam natura male diſpoſitum relinquat: cumque in dies renovatis acceſſibus recens ſemper febrilis hujuſce ſucci renovetur influxus, novaque per conſequens, craſi ſanguinis ſemper imbecilliore reddita, reſtitet illius portio non rite ſubacta, non poteſt, quin ex congeſtis repetito cumulo portionibus talis tandem fiat earum acervus, qualis Febrem eſſentialiter Continuam, Acutam, atque Malignam, ex vitioſa ſanguinis ſtagnatione, aut nimia etiam fuſione igni conſuetam, ſolet producere. Et hinc ea emergit Pernicioſæ Febris natura, quæ *Octavam* ſecundum nos ſpeciem paſſim obviam, cæteriſque omnibus ampliorem conſtituit, *Subcontinuam* nobis dictam, cujus indoles multiformis tunc cum ſuum complementum eſt aſſecuta, tot & tantis ſolet ſociari ſymptomatis, quot & quanta ſunt ea, quæ Febrem *a primordio* Continuam, atque Malignam comitari conſuevere: cum hac inſuper deteriore additione, ut ultra Continuitatem hic ſuccreſcat nova Periodus, non quæ obſcuram exacerbationem pluribus Continuis ex natura ſua familiarem imitetur, ſed quæ æmulatur, licet remiſſius, pravam Pernicioſarum Intermittentium acceſſionem, adeoque fatigatas jam vires ultro proſternens, & ob id febrem hujuſmodi reddens ſupra Malignas eſſentialiter, & ab ortu tales, metuendam.

Denique, prout ad prima tertiæ Regionis confinia pertingit, eademve occupat Fermentum febrile, licet pluribus modis Cerebrum, ac principia nervoſi generis poſſit afficere, & vere multifarie nonnunquam afficiat inferendo deliria, motus convulſivos &c. unico tamen graviore modo, cum citiorem infert perniciem, ſolet obeſſe, *Soporoſum* videlicet affectum profundiſſimum inducendo. Id autem videtur contingere, quatenus idem Fermentum extraneis, ut dictum eſt, ſalibus, aliunde quoque derivatis imbutum, talis naturæ, & gradus venenoſitatem acquirit, ut Mandragoræ, aliiſve ſoporiferis Venenis analogice reſpondeat, ſuamque exerat virtutem non tantum intra Maſſam ſanguineam, verum etiam, & quidem principaliter, in nervoſum laticem, ſeu; quod idem eſt, in ſpiritus animales, quibus ab infecto ſanguine vel ſubminiſtratur materia narcotica aſſiduo appulſu ad glandulas corticales Cerebri pertingens, & inde in nervoſum genus diffuſa, vel conſueta denegatur; nec influit, uti fas eſſet, pro reſtaurandis iiſdem ſpiritibus ad obeunda ſenſus, & motus munia: ſanguis enim narcoſi infectus forſitan ſtagnare cogitur in extremis arteriolis pro eorundem ſpirituum inſtauratione ad Cerebri Corticem deſinentibus. Hinc fit, quod exacto citra omnem tumultum primarum viarum itinere, quin blande, & ſubdole faſcinatis cruoris ſpiritibus ſpecie tranquillitatis cujuſdam torpentibus, ſenſim ab acceſſionis initio altius ſeſe inſinuet Fermentum febrile. Cum vero plurimam ſanguinei Torrentis congelationem nequeat producere, ut in Febribus *Algidis* ſupra deſcriptis, particularem ſaltem in Cerebro ſtagnationem, & fibrillarum

ejus nervosarum relaxationem ob spiritus vel interceptos, vel ex narcotica materia confectos, inducit. Talis autem, tamquam vehemens nonnunquam est hujusmodi dispositio a Fermento sanguini confuso introducta, ut ea duranter per totam extensionem Augmenti, & status Accessionis febrilis Æger lethargicus jaceat, ac ferme apoplecticus, donec subacto prope declinationem eodem Fermento (ni prius Æger occumbat) dissolutoque sanguinis torpentis vinculo, & superato ejusdem stagnantis obice, spiritibusque primævæ volatilitati, fibrisque Cerebri primævæ tensioni restitutis, paroxysmus solvatur, & cum paroxysmo ipsum ferale Symptoma soporosi vehementer affectus. Et hinc denique illam Perniciosæ Intermittentis differentiam, quæ a Comatoso lethali affectu denominationem capit, & *Lethargicam* dicimus, videmus expositam.

Quod autem unum, idemque Fermentum in diversis subjectis, ætatibus, tempestatibus, aliisque circumstantiis possit varias venenositatis tum Colliquativæ, tum Coagulativæ species suscipere tam ob multiplicem plusque, vel minus activam pravitatem suam, quam ob diversam dispositionum habitudinem subjecti, in quod agit, quales requiruntur ad diversarum Pernicioſarum differentias constituendas, facile sibi suadere poterit quicunque ab uno, eodemque veneno, æqualem in se ipso semper acrimoniam servante, prout altiora sensim Corporis penetralia pervadit, diversisque ejusdem Corporis succis sese immiscet, ea omnia, etsi varia, & inter se nonnunquam opposita animadvertat successive produci symptomata, qualia in enarratis Febrium speciebus supra descripsimus; indicio satis conspicuo, longe majorem esse, ac esse videatur, symboleitatem Causarum accidentia hujusmodi, dissimilia licet, producentium: eamque proinde a nostris humoribus accedente præsertim aliorum mixtura esse facile susceptibilem.

Hisce universis generaliter, & superficie tenus libatis circa variam indolem Fermenti Pernicioſas Intermittentes producenti, obvium est conjicere, quod etsi in diversas species, aut differentias distinximus, *Mercato* præeunte, easdem Pernicioſas Febres, ut quæ tantum distant a benignis Intermittentibus, quantum distat Morbus salutaris a Morbo lethali, & tantum differunt inter se ipsa, quantum fere differunt *v. gr.* Cholera Morbus, & Apoplexia: nihilominus si spectemus Fermentum illas & istas producens, unum ab alio non plus quam accidentaliter videtur differre, quatenus accidentale est uni, quod habeat acrimoniam intensioris gradus, ac habeat aliud, & quod commixtionem salium peregrinorum, & exoticorum aliunde mutuatorum admittat. Quod si alicui rixas Logicas affectanti aliqua in terminis *Generis*, *Speciei* & *Differentiæ* confusio, aut discrepantia subesse videatur, litem hanc agat cum ipso *Galeno*, & illam componat pro libito, meque in quamcunque partem trahat, annuentem habebit. Dico igitur, Fermentum Intermittentium tam Salutarium, quam Pernicioſarum idem esse quo ad rem ipsam, sive, ut loquuntur Scholæ, *subſtantialiter*, habito respectu ad Intermissionem, & ad Periodum; *accidentaliter* vero differre, habito respectu ad malignitatem uni adjunctam, & alteri non: quemadmodum accidentaliter differunt Boleti venenati a non venenatis, flava bilis a bile glastea &c. Sic Antimonium crudum, vel diaphoreticum (ut prosequar comparationem, qua usus sum alias) quo ad substantiam non differt a Vitro, aut Flore Antimonii, quia revera semper Antimonium est, saltem ex radice; differt tamen accidentaliter secundum diversam præparationem, juxta quam in primo casu innocens est, in secundo vero sæpissime noxium, nec carens omni suspicione Veneni.

Uniformem istam utriusque Fermenti naturam (quod est ad principia essentialia) satis patefacit Peruvianus Cortex, & illius actio febrifuga utrinque æqualis, experientia teste; neque enim virtuti illius cedit minus Pernicioſarum, quam Benignarum Intermittentium Fermentum, aucta tantummodo, ubi opus sit, juxta exigentiam dosi Remedii, ut aucta est in maligno Fermento energia fortior nocendi. Quod si illud cæteris succis nocentibus mixtum dicatur aliam a consueta naturam acquirere, & in tertium quid veneficum converti, cui non amplius competat ratio indolis primigeniæ, dico adhuc experientia fretus, quod cum venenum istud tertium ex plurium succorum combinatione, seu potius confusione resultans, habeat pro basi Fermentum febrile Intermittentium proprium, ut ostendit adhuc Intermissio ipsa, atque Periodus:

dus : cumque Fermentum illud ſuapte natura conſueſcat cedere actioni Corticis, cedit eidem Cortici etiam tunc, quando evadit pars integralis talis veneni; adeoque ex ſola ſimplicis hujuſce Fermenti retuſione totius veneni (ſi modo loqui ſic liceat,) Pernicioſas producentis infringitur activitas. Sic in præparatione Venenorum uſui Medico deſervientium, ex ſola unius partis activioris refractione integra totius veneni habetur correctio, etſi illud non ſit Agregatum per accidens, ut in caſu noſtro, ſed Mixtum verum ex Mineralium, aut Vegetabilium genere. An vero ſimili ratione, ut conjeci, & non alia dometur a Cortice Fermentum, quod Pernicioſas gignit, ignoro: quod dometur æque certo, ac Benignarum Fermentum, fere uſque ad extremas anguſtias, indubitanter aſſevero.

Hoc autem, quod diutina fretus experientia, quæ in dubium revocari nequit, affirmo, alia etiam planiore ſpectata ratione, videtur ita debere contingere. Itaque conſiderare eſt, quod, cum diverſæ benignarum Intermittentium ſpecies, Quotidianæ ſcilicet, Tertianæ, & Quartanæ ab uno Peruviano Cortice æqualiter expugnentur, neceſſe eſt, earum Cauſas, in aliqua ratione præcipua univoce convenire, propter quam earum extinctio uniformiter ſequatur, licet ſpecie dicantur differre, ſpectata diſſimili earum natura, periodo, & ſymptomatum ſocietate. Hæc autem communis Cauſa, ſi variam periodum reſpiciamus, videtur eſſe poſſe ſtagnatio temporanea alicujus ſucci in ſanguinem ingreſſuri, eaque modo longior, modo brevior quo ad durationem, & forte modo, in remotiore, modo in propinquiore loco ſuccedens: qua ſola per Corticem ſublata, omnis æqualiter tollitur diverſarum Febrium periodus. Et cum in ratione Periodi Intermittens Pernicioſa, *v. gr.* Tertiana, minime differat ab Intermittente Tertiana ſalutari, hinc eſt quod utraque, quantum ex hoc capite, per Corticem æqualiter expugnetur.

Si vero reſpiciamus ſuccum ipſum hic, & nunc varie, ſeu per diverſa intervalla ſtagnantem, adeoque diverſimode etiam nonnihil ſe habentem & conſtituentem Fermentum ipſas diverſas ſalutarium Intermittentium, puta Quartanarum, Tertianarum &c. ſpecies producentia, etſi iſta ob hoc ipſum, & propter diverſitatem ſymptomatum, quæ pariunt, diverſam quoque inter ſe dyſcraſiam habere minime dubitem), adhuc tamen in illis radicalem quandam ſymboleitatem, & uniformitatem ſemper ſervari crediderim, ratione cujus non obſtante aliqua difformitate conveniant univoce in præcipua quadam vitioſa diſpoſitione ſupra quam cæteroqui fundatur, vel cui accedit diverſa nonnihil hic, & nunc ipſorum Fermentorum habitudo. Suadet hoc vulgaris experientia, qua conſtat, tam Tertianæ, quam Quartanæ Fermentum ab uno, ut diximus, & eodem Peruviano Cortice æqualiter retundi. Suadet hoc ſuccus ipſe febrilis, qui probabiliter, ut ajebam, ſemper eſt idem latex, vel ſaltem de eodem genere, concluſus, & ſtagnans, & ob longiorem ſolum, vel breviorem ſtagnationem modo hac, vel illa tempeſtate, modo in hoc, vel in illo loco contingentem, nonnihil diverſimode vitiatus. Suadet denique alia experientia, qua notum eſt, quam facilis ſit, & crebra metamorphoſis unius ſpeciei Intermittentis in aliam, quod nonniſi a ſymboleitate Fermentorum poteſt procedere. Si enim toto cœlo diverſa, & fere ad invicem contraria ſupponantur Tertianarum *v. gr.* & Quartanarum Fermenta, arduum erit intelligere non ſolum quomodo contingat hujuſmodi tranſmutatio, verum etiam quo pacto unus & idem Cortex poſſit in illa oppoſita agere, ut agit: niſi velimus totum opus refundere in diverſos Corticis ſapores, ut opinatur *Thomas Dorcelius*, vel niſi clarius talem ſupponamus propter hujuſmodi ſapores Chinæ Chinæ conſtitutionem, ut Salium Hermaphroditorum adinſtar oppoſitas etiam inter ſe acrimonias æqualiter temperet, eo pacto, quo data proportione una, & eadem ſimplex Aqua acidam *v. gr.* æqualiter, ac ſalſam ſui additione acrimoniam diluit.

Cum itaque minus, quam differant ad invicem Tertiana, & Quartana benignæ, differant inter ſe Tertiana pernicioſa, & Tertiana benigna (iſtæ enim ſunt ejuſdem ſpeciei, teſte eadem periodo, ſecus ac illæ) hinc eſt, quod utriuſque Fermentum æqualiter dometur a Cortice, ut ab eodem domatur æqualiter Fermentum Tertianæ, & Quartanæ benignioris. Cum enim tota diverſitas Tertianæ benignæ, ac malignæ nobis eluceſcat ex ſolo ſymptomate pernicioſo huic adjuncto: & cum tale ſymptoma non differat ab alio ſimili non pernicioſo

cioſo in Tertiana benigna apparente: ut vomitus *v. gr.* in iſta moderatus, in altera immanis: cum, inquam, non differat niſi ratione majoris intenſionis, ita forte nonniſi ratione majoris intenſionis conſuetæ dyſcraſiæ, aut acrimoniæ ſuæ, quæcunque illa ſit, differt Fermentum Tertianæ perniciosæ a Fermento Tertianæ non perniciosæ, adeoque tota illius malignitas, ac venenoſitas, quæ ineffabilis dicitur, non aliud eſt niſi major intenſio activitatis ejuſdem Fermenti febrilis; cujus indoles, ſolita cum ignoretur, æque ideo ignoratur intenſior inſolita. Sed quo pacto per Corticem rite adminiſtratum illa corrigitur, eodem quoque corrigitur & iſta, Fermento ſcilicet iſtius æqualiter retuſo, licet in hoc caſu nocentior, quam in alio ejuſdem ſit vis. Sic idem telum æquali niſu vibratum in eandem corporis partem, prout magis, vel minus acutum eſt, modo leve, modo lethale vulnus infligit; ſi vero omni acie ſua tam quando acutius eſt, quam quando eſt obtuſius, per eandem limam æque ſpolietur, ab infligendo tam lethali, quam leviore vulnere æqualiter prohibetur. At iſtiuſmodi ratiocinationes nodis quamplurimis inextricabilibus implexas, nonniſi ut nutantes velim accipi caligantis intellectus mei cæſpitationes.

Firmiore talo deberet poſſe per hanc arenam incedere, ſi materia ſineret, Medicinæ practicæ bene jugata Matheſis, quæ utinam æque feliciter applicari poſſet Morbis ut loquebantur Antiqui, Similaribus, ſive in intemperie conſtitutis, adeoque Febribus tam ſimplicibus, quam putridis, ut pariter ajebant. atque malignis, ac applicatur Morbis Organicis. In his certe quoniam Solidorum affectio vel ſolitaria eſt, vel ſaltem prævalet Fluidorum læſioni, locum ſatis amplum poteſt habere Mechanicis, anatomicis, chirurgicis, cliniciſque ſimul obſervationibus junctа: id quod in rebus ad Opticen pertinentibus quam maxime eluceſcit. Immo & eandem ingenioſe uſurpatam ad plures alias extendi poſſe nequaquam negaverim Medicinæ provincias, ut luculenter teſtantur, tot practica non minus quam ſubtilia, & docta Clariſſimi in dies *Hecquetі*, aliorumque noſtri ævi Scriptorum tum alibi memoratorum, tum etiam non memoratorum Opera Medico mechanica, in quibus eſſi Solidorum ſyſtema pro baſi ſternatur, ſua tamen quoque vis non plane denegatur Fluidis inſito quaquaverſum turgentibus ſpiritu.

Haud æque facile forſan procedit res in explicandis Morbis inorganicis vulgo appellatis, ſeu Similaribus, & ſpecialiter Febribus, quarum abſtruſa, & implicata natura mechanicum utrumque ſyſtema non parum fatigat. Quia vero Ætiologia earundem Febrium, in quibus, ut reor, Fluida per ſe exorbitant, atque orgaſmo ſuo Solida ipſa conſecutive afficiunt, ac lædunt, melius concordare videtur cum obſervationibus Naturæ, ſi fluidorum ſyſtemati ſuperſtruatur, quam ſi ſuperſtruatur ſyſtemati ſolidorum; optandum idcirco ſupereſt, ut iidem Celebres Viri, vel iis jam emeritis, alii poſthac mechanicis itidem principiis innixi, poſt ſedulam praxim Medicam a diutino tempore exercitam, conatus ſuos ultro urgeant, ut hanc Spartam adornent per Matheſin fluidis quoque humani corporis, eorumque tum peculiari texturæ, tum motibus inteſtinis, quoaduſque licet, applicitam, etiamſi res ardua hæc ſit, ac perdifficilis, maxime cum nondum ſatis compertam habeamus omnium ſingillatim ſuccorum naturam, vim, & ſecretionis modum, immo nec circulos ſatis calleamus eorundem particulares, aut varias velocitates, qua ſinguli circumaguntur, ut ad Circulum univerſalem concurſu redeant inæqualiter æquali. Allaborandum nihilominus æque dixerim hac etiam via; neque tamen, ubi ſic exigat rerum ordo, pigeat quemquam petere principium motus, non immediate quidem a Solidis in prima ſui creatione ſic ineffabiliter conſtitutis, ſed potius a Fluidis ſpiritu ſuo inſito, & elaſtica vi, quantum par eſt, abunde pollentibus, illamque jugiter in Solida transferre valentibus.

Hæc rurſus ſi forte teratur univerſaliter ſemita, quam antehac calcavere tot alii præclari Viri univerſa Matheſi præſtantes, quamvis, ut fatear, theoriam Febrium, præſertim Periodicarum, ut & omnium, quas Malignas vocitamus, aut Peſtilentes nondum ſatis extricarint; nullus tamen dubito, quin improbo, ut dici ſolet, labore adhibito, plurimus ſaltem ſit emerſurus Tyronibus præſertim inſtituendis profectus; eſto quod ob peculiarem conditionem materiæ nimium inæqualis, & variæ, nimiumque irregulariter mobilis, non omnis circa hoc ab Arte ſuapte natura conjecturali demi queat incer-

incertitudo. At de his iterum satis, universalia namque isthæc innuere si forte licet, inculcare amplius non decet, ne iis, qui longe supra nos eminent, philosophandi leges temere videamur velle præscribere. Resumptis ergo crassioribus nostris sermocinationibus, ad Methodum curandi Febres Pernicioſas pro scopo unico nostræ specialis Therapeutices assumptas, quo cœpimus gradu pergamus.

Munus ergo sollertis Medici, qui Pernicioſam Intermittentem dignoverit, erit statim paucis præmissis, quæ indicationibus universalibus, prout e re videbitur, respondeant, vel iis omissis, si occasio sit præceps, erit, inquam, munus illius statim ipsi Fermento directe occurrere, ut imminentem paroxysmum periculo sæpius, atque terrore plenum antevertat, vel saltem imminuat, ac leniat. Considerata itaque gradata omnium prægressarum, præcipue vero postremæ accessionis intensione, & inde elicita conjectura futuri accessus, necnon habita mensura distantiæ illius, eam plus, aut minus, citius, aut lentius præmittat remedii Febrifugi quantitatem, quæ enervando plus, aut minus, citius, aut tardius, prout opus esse videbitur, Fermento adventuro sit satis; adeout vel omnino præcaveatur Paroxysmus, vel, si plane id non liceat, vel forte non libeat, saltem leniatur, ut vires ægrotantis ferendo sint, usque ad integram paroxysmorum sublationem, quæ omnino est in arbitrio experti Medici etiam quo ad tempus, & modum.

Hac in re rite gerenda expediret præ oculis habere Theoremata illa generalia Febrium Intermittentium proprietates nonnullas respicientia, quæ *Capite* vi., & viii. *primi Libri* protulimus. Nobis ideo congruum est, ut saltem fingamus pro crassiore quadam, sed utili curationis idea, quod illarum Fermentum, etsi in loco peculiari adeo repositum, ut viribus Catharticorum, atque Emeticorum sit utplurimum inaccessibile, & radicitus inexpugnabile, habeat nihilominus cum primis viis, & specialiter cum Ductibus Chyliferis sive propinquiorem, sive remotiorem aliquam communicationem, ad hoc ut possit, quandocunque e suis loculis proruperit, easdem vias subire. Quod equidem fieri poterit vel per eadem ostiola, per quæ Chylus primum ingreditur, vel etiam mediis aliis communicationibus, quæ per totum Lactearum tractum a primo illarum exortu usque ad locum insertionis earum in sanguinem plurimæ sunt, ut ostendit lympha Chylum ubique diluens, & Lacteis potissimum Mesentericis (Chylo jam per eas in sanguinem advecto) recenter adveniens, ex observatione *Malpighii*, *Nuch*, *Muniks*, aliorumque recentiorum Anatomicorum. Ponamus insuper, Chinam Chinam in tenuissimum pollinem redactam, & quomodolibet deglutitam, si non ipsam Fermenti Fodinam directe, & immediate petere, saltem in Intestinis ipsis, & Ductibus Chyliferis ad longiusculum tempus morari, illisque ad modicum intervallum adhærere: quod non plane negabit qui animadvertet, res plurimas nutritioni ineptas, etsi ob molem, figuram, & pondus ad secedendum ab intestinis magis dispositas, ad longum tamen tempus in iisdem de more delitescere, antequam cum Chyli recrementis crassioribus foras amandentur. Id ipsum autem eidem Chinæ Chinæ non modo potest accidere, sed vere accidit, ut ramenta illius excreta, & fæces alvinæ tinctura ejusdem infectæ longe satis ab illius assumptione palam testantur. Atque ita actionem Chinæ Chinæ adversus Fermentum febrile per immediatum etiam utriusque contactum facile erit intelligere; & eo facilius, si præter iter Corticis per Intestina consideremus insuper necessarium progressum particularium illius in Lacteas, necnon longiusculam earum moram in iisdem Lacteis, in quas saltem, & per quas aliquando vehi debet Fermentum febrile ad sanguinem tendens, quicunque sit terminus, a quo in easdem illud delabatur. Denique ponamus, eandem Chinam Chinam si non crassiore, tenuiore saltem substantia sua, succis intra Intestina hospitantibus intime immixta, quod idem est ac dicere, virtute sua iisdem communicata, & impressa, Fermenti adinstar massam aliquam imprægnantis, eosdem succos ita alterare, & suis viribus roborare, ut continuato assidue illius usu evadant apti ad præstandam medelam Fermento febrili, cum quo alicubi sunt commiscendi, & ad illud retundendum, quoties eidem commiscebuntur. Quemadmodum enim, si pravi sint, possunt illud deterius reddere, ita si virtute polleant Febrifuga sibi a Peruviano Cortice communicata, non modo illud non acuent, sed balsamicam, quam quodammodo acqui-

fierunt, naturam ipsi demum Fermento impriment, pro residendo eodem ad nocendum inerti, etiamsi non statim ac retusum est, præcipitetur, sed in ipsam Massam sanguineam se insinuet, dummodo tamen assidua sit, & valida per novam Febrifugi ingestionem illius retusio.

Quod si etiam velimus nobis suadere eandem Chinam Chinam vel sanguinem munire adversus Fermentum adventurum, vel depurare illum, ac abstergere ab eodem Fermento intra eundem, veluti in sua Minera degente (quod alias cæteroqui non sumus lubenter amplexi) immo si velimus, eam altius penetrare ad lustranda remotiora quæque ejusdem Fermenti seminaria, non ideo sub hac hypothesi pro correctione ipsiusmet Fermenti febrilis minus feliciter curationem instituemus. Atque hoc dictum volo, etiamsi metuamus, quod China China nudum Fermentum adorta vel in suo Foco, vel tantum in suo itinere, *Causam* ejusdem Fermenti *productricem* nequaquam tollat. Neque enim de hoc quod pro dubio ad summum, ac incerto haberi potest, adeo soliciti esse debemus in casu ocyssime extremo, ut ob id præsens, & certum exitium velimus negligere, maxime cum impetratis induciis, tractu temporis vel natura ipsa, vel Ars, vel ætas, vel corporis exercitatio, vel anni tempus integram medelam consuescant subministrare. Certe in Cancro serius exitium minitante mos est adhibere Curationem, ut vocant, *Palliativam*, quæ mortem tantummodo protrahit, nec unquam sanat. Quidni ergo in caso præcipiti Febris Pernicioſæ liceat, imminente morte, uti (cum præsto sit) Curatione vera, & satis firma, ubi potiore jure, quam in Cancro, ipsa optabilis esset simplex Palliativa? Denique, si ex *Cornelio Celso*. *Multa in præcipiti periculo recte fiunt, quæ alias essent omittenda: meliusque est anceps experiri remedium, quam Ægros certo exitio relinquere*, cur in eodem præcipiti, certoque exitio omittendum erit remedium suapte natura tutissimum, & minime anceps, quod vel in morbis periculo carentibus communiter solet administrari? His ergo pro fundamento, aliis vero, quæ præmisimus, pro modulo agendi nobis propositis, facile est, ut juxta exigentiam casuum diversorum in ardua qualibet Febrium Pernicioſarum circumstantia, & temporis angustia. Peruvianum Corticem rite, & cum fructu valeamus offerre; nihilominus, ut firmiore talo in hoc possimus incedere, Methodum ipsam Specialem, certis regulis constitutam, & variis casibus, quæ in Praxi contingunt, accommodatam, vel saltem haud difficulter aptabilem, pro Medici videlicet curantis judicio, & pro diversa identidem eorundem casuum exigentia, jamjam aggredior luculenter exponere.

CAPUT III.

Methodus exhibendi valide, atque feliciter Peruvianum Corticem *adversus singulas recensitas Febrium Pernicioſarum species, etiam in casibus ferme desperatis.*

PER hoc, quod Febres Pernicioſas antea descriptas Peruviano Cortice curandas velim, non ideo cætera remedia rejicio, quæ, priusquam ingruat ferox pernicies solo Cortice domabilis, locum habere solent, & vel universalem humorum sensibiliter peccantium alterationem, vel etiam peculiarem (quantum conjectare valemus) Fermenti febrilis correctionem, aut mitigationem respiciunt. Rideo equidem, seu potius doleo, quod iis solis adeo fidamus, ut in eorum usu enervi, & imbecillo teramus assidue, ac inutiliter tempus, & verum, validumque Febrifugum illis posthabeamus: magisque rideo, dum in ea curandi ratione, quam *scrupulosam*, *& superstitiosam* festive appellat *Baconus*, rixas pueriles identidem audio inter -- *Tenaces propositi Viros* - sive circa numerum foliorum herbæ cujuspiam domesticæ, puta lactucæ, jusculo incoquendæ, vel amygdalarum emulsioni addendarum, an scilicet quinque sint plures, quatuor vero pauciores, quam par sit, vel circa usum Endiviæ potius, quam Cichorii, eo quod nonnulla certe sit talium Vegetabilium (etsi succedaneorum ad invicem) ut & salium eorundem diversitas: quasi in stomacho, & corpore nostro mille cibariis longe diversis assueto citra sensibilem humorum, aut sanitatis alterationem, quicquam insigniter diversum mediante usu jusculi medicati per quatuor, vel quinque dies assumpti possit efficere Endivia supra Cichorium. Proh quanta est delicatulorum aliquando Medicorum discordia circa delectum herbarum aliquot convivalium, in

qua-

quarum tamen usu promiscuo tantus est Coquorum non modo, sed & Botanicorum consensus!

Rideo pariter, sed risu Sardonio, cum a nonnullis non ob credulitatem (quod condonandum foret) sed ob garrulitatem, & vanam quandam ostentationem artis, ne dicam sui, pretiosa potius, sæpe inutilia, quam vulgaria, & minus conquisita remedia, meliora tamen (quæ scilicet ex mente *Plinii -- pauperimus quisque cœnat*) præscribi video, vel vulgaribus ab alio Medico propter eandem indicationem præscriptis substitui, ad captandum popellum: quasi Concharum, vel Cornu Cervi pulvere, quo ad effectum longe præstaret pulvis Margaritarum, aut effœtum Magisterium earundem, magisque excelleret, ubi indicetur potus ferratus, extinctio (debilior licet, Auri, quam Chalybis candentis, quemadmodum pretio supra Chalybem excellit Aurum. Ostentationes sane ridiculæ, simulque nauseosæ, esto quod ad illarum fulcimentum haud difficile sit nugatorias comminisci ratiunculas, ab ingenuis, cordatisque Viris despiciendas, & minime audiendas. Medicis hujusmodi optima supra cæteros memoria est opus, ne scilicet quod semel ab alio propositum repudiarunt, ut noxium in tali morbo, & subjecto, in eo ipso post annum tanquam utile proponant, affectatæ olim reprobationis obliti: quod aliquando contigisse memini.

Non ergo pro curatione Febrium Pernicioſarum de remediis inutilibus loquor, vel de utilium æquipollentium inutili, nimiumque religioso delectu; sed loquor de congruis omnibus recta, & ingenua Methodo administratis, eaque, quoadusque possunt prodesse, suis loco, & tempore esse usurpanda, ultro concedo. Cum tamen vita Hominis est in discrimine, nec nisi per promptam inhibitionem Paroxysmi Febrilis possumus declinare exitium imminens, tunc saltem, nisi prius, aliis remediis posthabitis ad Peruvianum Corticem debemus confugere; nec, nisi cum nostræ conscientiæ detrimento, perspectis jam illius viribus, possumus, ut reor, hujusmodi auxilium certum æque ac innocuum omittere. Nimium suadet hoc ipsius certitudo mortis, & certitudo remedii illam impedientis; si quod enim est in Medicina certum de morte præsagium, illud est unice in casibus Pernicioſarum septem præsertim priorum speciebus, cum illæ jam pulsus abolitionem, algorem universalem, lethargum mortiferum &c. intulerunt. Quæ sane certitudo funesti præsagii tanta nonnumquam est in moribundis, vel in agone constitutis ex qualibet Febre ab ortu Maligna, ut ipsa evincit experientia. Qui enim ad statum jam memoratum devenit Æger, etsi non statim expiret, sed per diem adhuc tantillum resurgat, accessione tamen correspondente certo perit, ni servetur ope Corticis, de cujus præsentaneo auxilio non minor est, ac esset antea de imminente morte certitudo. Liceat exemplo rem explicare, satis, ut puto, apposite. Si quispiam natandi nescius mergatur in vasto gurgite, nec illi quidquam circumprosset, quod possit prehendere, ut emergat, is profecto, licet semel, aut bis conatu suo naturali, & vi subeuntis aquæ, sursum trusus efferatur nonnihil, cito tamen, & certo suffocabitur, ni illi baculus, vel quid simile porrigatur ab adjutrice manu. In gurgite mergitur Æger ex Pernicioſa Febre algidus factus, & sine pulsu, utut paululum relevari semel, ac iterum videatur. Lignum extrahens e gurgite est Peruvianus Cortex rite porrectus. Manus adjutrix est manus Medici, illum methodice, ac opportune porrigentis.

Non una tamen præcise est Methodus in omnibus hisce casibus adhibenda, sed potius duplex, habito respectu ad duplicem ordinem Febrium Pernicioſarum. Rursus utraque adhuc varia evadit nonnihil pro diversitate motus, seu velocitatis ipsius Febris modo magis, modo minus celeriter in præceps ruentis: itemque pro diversitate temporis, quo vocatur Medicus, seu pro longiore, aut breviore intervallo, quod illi supereſt ad agendum, postquam vocatus fuerit pro inhibitione imminentis exitii. Juxta varias igitur hujusmodi circumstantias varia quoque aliquantulum est, nempe modo lenior, modo fortior Methodus exhibendi Corticem, ut mox apparebit.

Et quidem generaliter loquendo, Methodus fortior convenit magis septem prioribus Pernicioſarum speciebus, quas in primo membro latioris nostræ divisionis sumus complexi; & sunt, quando Febris quantumvis Exitialis suam Intermissionem, suumque Circuitum etiamnum servat. Atque eo validior ea esse debet, quo celerior est motus ipsius Febris

ad exitium properantis, & quo brevius eſt intervallum temporis, quo diſtat Acceſſio, quodque ad illam inhibendam Medico ſupereſt. Methodus vero lentior magis convenit octavæ, & ultimæ ſpeciei, quam in poſtremo membro ejuſdem primæ diviſionis ſolitarie collocavimus; & eſt, quando Febris Intermittens ab ortu ad Continuam eſſentialiter Acutam, & Malignam tendit. Atque hæc ipſa quoque Methodus, levior licet reſpective ad Methodum ſupradictarum, nonnihil fortis aliquando (& quidem magis, vel minus) debet evadere, prout velocior, aut lentior eſt motus ipſius Febris ad Continuam eſſentialiter tendentis, proutque majus, vel minus eſt ſpatium temporis, quod ſupereſt Medico vocato ad impediendam continuitatem.

Exordium itaque ducendo a validiore, & quo ad effectum celerem mirabiliore Methodo, ſeptem priores Pernicioſarum Intermittentium differentias reſpiciente, vel eam, ut dictum eſt, adhibere contingit, quando Febris minus præceps in ſuo motu ob graviſſimum ſymptoma maximum quidem periculum portendit, ſed non immediate: verum probabiliter poſt duos circiter (anteactorum reſpectu habito) paroxyſmos; & tunc etiamſi minus valide uſurpetur Cortex, nempe more fere vulgari, adhuc ſat eſt; vel eamdem methodum contingit adhibere (quod frequentius accidit) cum jam Febris ferali ſymptomate, quodcumque fuerit ex recenſitis ſuo loco, Ægrum in tali ſtatu repente conſtituit, ut vix illam, quam actu patitur, acceſſionem videatur poſſe tranſigere, cum morali certitudine quod alteri non ſit futurus ſuperſtes, & in tali caſu validiſſima opus eſt Corticis oblatione.

In quocumque autem ex duobus caſibus modo recenſitis reperiatur Æger, Pernicioſam Intermittentem quamlibet paſſus ex prioribus ſeptem ſpeciebus, ſtatim ita curandus eſt, ut quo citius poſſibile ſit, viæ omnes, per quas Fermentum futuræ acceſſionis tranſire debet, ut inde elutrietur in ſanguinem, Peruviano Cortice abunde conſpergantur, omneſque, quotquot ſunt, ſucci in primis viis cum Fermento alteram acceſſionem producturo commiſcibiles, omnes, inquam, eodem pulvere inebrientur; adeoque Ventriculus, Inteſtina, Vaſa Chylifera, omneſque ſucci per eadem Vaſa reptare ſoliti, hoc pulvere Febrifugo copioſe ſcateant neceſſe eſt, ut hoſpitem efferum ſive in illis latentem, ſive illis acceſſurum, excipiant ut par eſt; illum videlicet enervando, debellando, ac manſuefaciendo, ne ultra pergens, ultra lædat.

Ad hoc opus cito abſolvendum de more non minus requiritur, quam quantitas *ſex drachmarum* pulveris, nec plus, quam *uncia una*, ad impediendum ſcilicet futurum acceſſum, & *tantundem* circiter poſtea ad firmandam valetudinem, & inhibendam recidivam. Quæ quantitas modo celerius, modo lentius debet abſumi, prout magis, vel minus diſtat imminens paroxyſmus, & prout majus, vel minus eſt imminentis paroxyſmi periculum. Sciendum eſt enim, ut dicebamus *Cap. I. & viii. Libri primi*, ad ſiſtendam Febrem quamlibet Intermittentem ſufficere quidem *drachmas duas* pulveris, ſi uno hauſtu aſſumantur longe ſatis ab acceſſione futura, nempe vel in principio, vel ſaltem in fine acceſſionis antecedentis (loquor de correlativa ad eam, quam intendimus inhibere) ſed ſi talis diſtantia non adſit, ita ut paroxyſmus, qui debet impediri, diſtet *v.g.* per xxiv. horas tantummodo, vel etiam minus, & tamen opus ſit illum impedire ratione periculi, quod ſecum laturus eſt (non loquor de paroxyſmo vel jam invadente, vel quam proxime imminente, ſive lethalis, ſive mitior ille futurus ſit, quoniam ad eum curandum pertingere tempeſtive nequit actio Corticis) in tali caſu neceſſe eſt, quod copia pulveris ſuppleat defectum temporis, & quod ipſa quantitas adaucta abſumatur ea proportione, & ordine, ut primus hauſtus, ſi offeratur in forma liquida, vel prima oblatio, quomodocumque fiat, conſtet tali quantitate pulveris, ut potius ſit probabiliter ipſum paroxyſmum vel ſiſtere, vel per plurimum enervare: quod facilius aſſequeremur per primam oblationem validam, a paroxyſmo inhibendo magis diſtantem, quam per reliquas, quarum actio ſerius in actum deducitur. Et hinc eſt, quod ſi primo offeratur in pauca doſi, etiamſi poſtmodum, vel frequenter exhibeatur, ut mos erat *Talbotii*; & aliorum, vel copioſe etiam, ſed prope acceſſionem, facile fraudemur fine noſtro, ſecus ſi longe ab acceſſione fortius, prope vero acceſſionem debilius agamus. Utrunque autem ea proportione faciendum, quæ ſecuritati effectus, & caſuum

exi-

exigentiæ modo majori, modo minori apte respondeat.

Hanc autem regulam, & consona proportione dispositam distributionem remedii paulo infra melius determinabimus, atque exemplo illustrabimus, ut vim remedii cum brevitate temporis, quod supereſt ad impediendum futurum accessum, commensurare possimus, & cum prævia cognitione, ac quasi ex certa scientia id assequi in casibus arduis, quod in vulgaribus quasi fortuito nonnumquam contingere observavit *Monginotius* inquiens -- *Notandum venit, si invasio* (intellige Corticis) *admodum valida fuerit, aut si crebrius fuerit exhibita, nonnullos a primo etiam paroxysmo liberationem obtinere: unde Medicamento plurimum laudis accedit.* Et licet hanc citam curationem in casibus minime urgentibus, in quibus tantummodo illam observavit, minus firmam censeat, illique propterea anteponat (nec forsitan male) nonnihil lentiorem; in casibus tamen præcipitis exitii, eadem, utpote coacta, hanc exceptionem pati non potest: satius est quippe recidere segnius in Febrem, quam cito mori. Sed & de rara in hisce ipsis casibus recidiva aliquid infra sumus dicturi.

Si itaque Æger in talibus circumstantiis sit constitutus, ut probabiliter duos adhuc *ex. gr.* ferre possit, etiamsi intensiores futuri sint, paroxysmos, quatenus scilicet Febris sit motus non adeo præcipitis, & pernicioſum symptoma habeat adhuc quandam mediocritatem: in hoc casu (siquidem fidendum sit morbo, flui nullam sæpe servat proportionem, adeout non raro post accessum levem sequatur immediate lethalis alter) in hoc, inquam, casu, declinante accessione, vel ea integre soluta sufficit *drachmas duas* Corticis, prout de more in Intermittentibus Benignis. Quia tamen Febris Pernicioſa habet nescio quid pravitatis, & pertinaciæ supra Benignam, ideo ad majorem cautelam, si Febris præsertim duplex fuerit (loquor de Tertiana per modum exempli, & de hac semper intelligi velim, quippe magis obvia, & pernicioſo characteri magis obnoxia) ad majorem, inquam, cautelam utile erit, sequenti die, minoris scilicet afflictionis, *unam* adhuc *drachmam* præscribere, ipsoque futuri paroxysmi fortioris die pluribus horis ante accessionem adhuc *alteram*; sic enim dubio procul paroxysmus ille majoris afflictionis non succedet, sicut nec subsequens levior. Quod si, ut dicebam, suspicio de symptomate pernicioſo sit minor, & periculum magis distans, Febrisque tantum simplex, possumus etiam solis *drachmis duabus* antecedenter paroxysmo exhibitis contenti esse, & observare quid inde sequatur, priusquam Corticem repetamus, cum morali certitudine, quod, etiamsi correspondens paroxysmus adveniat, levior is erit, & longe minoris periculi; adeoque poterimus, si velimus, etiam per *semidrachmas* pulveris vel semel, vel bis in die exhibitas, paulatim accessiones imminuere, & intra paucos dies in totum extinguere. Mihi tamen semper magis probabitur Methodus validiuscula, ubi suspicio perniciei justum fundamentum habeat; tum quia infidus est ordo, & inæquale incrementum accessionum, quæ quandoque nos fallunt; tum quia, cum innocuum semper repererim in quacunque dosi remedium istud, non est cur ubi decernitur necessarium, hæreamus in parva, maxime cum fortius operetur, quo fortius exhibetur: & quo fortius operatur, eo minus sit semper periculum, quod repullulet Febris recisa.

Si vero ob neglectas Febres, nondumque ab ullo Medico curatas, vel ob easdem non satis a curante Medico observatas, aut observabiles propter occultam illarum malitiam, repentinamve, ac præcipitem mutationem, si, inquam, ob has, vel similes causas Æger (quod sæpe contingit) jam fuerit in exitium, sitque ideo in tali statu, ut jam frigidus, anhelosus, ac fere cadaverosus appareat, & quod pejus est, in eodem statu diutius perseveret destitutus auxilio Corticis, Medico videlicet illius restitutionem tentante per sola Alexipharmaca, atque Cardiaca vulgaria: in tali casu, dummodo vita in futuram saltem accessionem protrahi debeat (quæ conditio omnino requiritur ad evitandam calumniam, non vero quia China China obsit, cum nequit prodesse, ut fusius explicabimus sequenti *Capite*; neque enim hominem intra illam ipsam accessionem expiraturum vel Cortex, vel aliud quidquam sanare valet) in tali, inquam, casu, licet res in angusto sit posita, & insuper postridie *v. gr.* adventura sit nova

va. Acceſſio procul dubio cæteroqui lethalis, nihilominus ut omni conatu ſtatim tentanda eſt viriliter introductio liberalis quantitatis Peruviani Febrifugi, poſito quod Æger poſſit illud deglutire; hæc enim difficultas, quæ in lethargicis præſertim facile occurrit, non ſemel in cauſa fuit, ut quiſpiam remedio deſtitutus occubuerit, qui fere certo convaluiſſet, ſi potuiſſet aſſumere.

Ponamus itaque per modum exempli, quod Ægrotans aliquis poſt duos paroxyſmos *v. gr.* Tertianæ ſimplicis Intermittentis, quorum prior leviſſimus fuerit cum nullo, vel pauco ſtomachi angore in principio acceſſionis, & alter nonnihil fortior cum dolore mordaci oris ipſius Ventriculi, tertium patiatur fortiſſimum cum tali, tantoque morſu ejuſdem ſtomachi, ut primo ejulans, ac ululans, dein clamandi impotens, jactabundus, nauſeabundus, animo deficiens, cum pulſu pertinaciter abſcondito, oculis concavis, ſuſpiriis luctuoſis, ſudatiuncula frigida, & hujuſmodi, videatur animam efflaturus. Ponamus pariter, quod a Natura, atque a Remediis adjutus, & recreatus poſt plures & plures horas tandem incipiat reviviſcere cum levi aliquo ad tactum calore, pulſus, utut minutuli, elevatione, morſuſque ventriculi imminutione, adeout Medicus moralem certitudinem habeat de vita in futuram acceſſionem protrahenda, ſed ſimul æqualem de morte tunc temporis adventura una cum Paroxyſmo febrili, qui, quartus cum ſit, cæteriſque de more ferocior, quippe cum morbi ſtatu coincidens: & die ſeptima, in hoc certe caſu lethalis omnino futurus erit. Ponamus adhuc, quod ſtatim ac appareat ea ſymptomatum remiſſio, quæ ſinit Ægrotantem loqui, ille tum animæ primum, tum rebus deinceps ſuis ſucceſſive conſulat, ad quæ peragenda non parum temporis neceſſario requiritur. Omnibus hiſce tandem peractis, mane ſequenti (quæ dies eſt ab acceſſione vacua) ponamus denique alterum Medicum in conſilium vocari; Ægro aliquantulum quidem, ſed parum reſpective ad dies antecedenter correſpondentes allevato, & quo ad actus externos aliquantulum vegeto, ad motum non ſegni, & ad reſpondendum, licet languidiuſcule, prompto: ſed ex alia parte, remanente pulſu adhuc exili, & nonnihil celeri, ſudatiuncula quadam viſcida cum ſplendore faciei, nauſea, aut apepſia cum quadam ſenſatione moleſta in regione ſtomachi, oculis cavernoſis, voce ſepulta, ſuſpiriis identidem anheloſis, & nonnunquam ſingultuoſis: itaut de futura acceſſione ſequentis diei, ac per conſequens de futura morte inter Medicos curantes facile conveniat, niſi impediatur paroxyſmus (quod primo loco requiritur) ad impetrandas ſaltem inducias pro iis, quæ ſuperſunt, ſymptomatis ex arte corrigendis, & protollenda pulſus celeritate, & frequentia febrili, etiam extra paroxyſmum noviter introducta, quæ tamen nullo negotio etiam ſponte poſt inhibitum paroxyſmum cum reliquis ſymptomatis ſolet evaneſcere. Cum vero nullum in Medicina remedium ſit, a quo poſſimus promptam inhibitionem paroxyſmi ſperare, niſi a Cortice Peruviano rite adminiſtrato, iſte propterea in hoc ſtatu, quin & in pejore (in quo ne ipſi quidem Medici cæteroqui Cortice utentes, illum poſſe proficere quondam credidiſſent) nulla mora, vel cunctatione interpoſita, proponendus eſt a Medico recenter vocato, & nervoſe exhibendus.

Obſtat equidem in hoc caſu brevitas temporis (quæ aliquando etiam major eſt in aliis caſibus) obſtat, inquam, brevitas temporis, quod ſupereſt uſque ad futurum acceſſum. Et certe in tali temporis anguſtia *duæ drachmæ* Corticis, quæ requirunt pro actione ſua totum ſaltem ſpatium, quod intercedit inter unam, & alteram acceſſionem, non ſufficiunt ad impediendum, quin immo neque ad minuendum quantum opus eſt proximum paroxyſmum, qui quoque, etiamſi levior foret, & cardialgia minus feroci comitatus, adhuc tamen hominem viribus jam deſtitutum, qualem ſupra deſcripſimus, dubio procul jugularet. Igitur in hoc caſu neceſſe eſt, ut Æger, quo citius fieri poterit, ſaltem *drachmas ſex* Corticis deglutiat, primo quidem hauſtu *ſemiunciam* circiter, & reliquum partitis vicibus, *ex. gr. drachmam unam* poſt horas ſex, vel octo, & poſt ſimilem intervallum alteram, habita cautione, ut ultima oblatio, ſi proficua futura eſt pro paroxyſmo proximo, diſtet ab eodem paroxyſmo per horas circiter duodecim; quæ enim China China exhibetur paucis admodum ante-

acceſ-

acceſſionem horis, ea pro inhibenda acceſſione hujuſmodi nihil valet, niſi forte inquantum præceſſerit horis congruis alia quantitas roborari capax ab hoc adjecto. Quo nomine etiam expediet in caſibus breviſſimæ a paroxyſmo diſtantiæ, oblata doſi ampla tempore remotiore, aliam portionem repetere etiam non longe a paroxyſmo, licet cæteroqui hujuſmodi oblatio prope Febrem magis influat ad impediendos ſubſequentes paroxyſmos, quam ad avertendum imminentem, tali oblationi nimis immediatum. Quod dictum eſt de *ſex drachmis*, intelligi poteſt de *uncia integra* in caſibus ſumme urgentibus ante paroxyſmi adventum abſumenda, & prudenti partitione diſtribuenda.

Sin autem imminentis paroxyſmi propinquitas ſit talis, ut reddatur dubia quoad effectum etiam prompta oblatio *trium*, vel *quatuor drachmarum* Corticis ob temporis brevitatem, & Ægrotantis inſtans exitium, ut *v. gr.* ſi paroxyſmus lethalis per duodecim circiter horas tantummodo diſtent, tunc ad *ſex uſque drachmas* ſimul unica vice (quod pluries feliciter a me, & ab aliis me ſuadente factum eſt) licebit tranſcendere, *duabus*, quæ ſuperſunt, *drachmis*, in duas ſequentes dies reſervatis, ſi Æger tamdiu ſupervivat: quemadmodum, ſi diſtantia a paroxyſmo ſit plurima, ut in Quartanis, vel etiam Tertianis, Medicuſque ſit præſens poſtremo acceſſui perniciem aperte præmonſtranti, abeatque ideo totum tempus tum declinationis paroxyſmi, tum ſubſequentis intermiſſionis, pro præſcribendo citra tumultum Cortice, ſufficiet prima vice exhibere *drachmas tres*, vel etiam *duas*, ut paulo ante dicebamus, dein *drachmam unam* identidem, & frequenter repetere, ſingulis *v. gr.* ſex horis ante adventum paroxyſmi, aliiſve modis ſupra expoſitis, donec quantitas *ſex drachmarum* circiter ſit abſumpta.

Brevi hac, facili, & valida ſervata Methodo per totum tempus, quod acceſſionem antecedit (ſuppoſito, quod illud ſit horarum plus minus viginti quatuor, ab incæpto uſu remedii uſque ad horam futuri paroxyſmi) idem paroxyſmus vel inhiberi ſolet omnino, vel leviſſimus apparere, vel ſaltem procul dubio non lethalis eſſe; quæ ſors non contingit ullæ aliæ Methodo in uſum ductæ, ut, ſi ſolam infuſionem Chinæ Chinæ more *Talbotii*, *Helvetii*, aliorumve quantumvis frequenter uſurpemus, vel ſi alio quocunque modo procedamus, niſi *unciam* circiter, ſi affectus ſit præceps, ejuſdem Chinæ Chinæ in pura ſubſtantia aſſumpſerit Æger, vel tantum ſaltem Extracti recentis, aut validæ tincturæ Corticis, quantum poteſt æquare virtute *unciam unam* ejuſdem ſubſtantiæ ante adventum futuri paroxyſmi, cum animadverſione etiam, quod dimidium integræ doſis Æger jam uno tantum, vel duplici hauſtu habeat aſſumptum duodecim circiter horis, ſi fieri poſſit, longe ab ipſo paroxyſmo, ſiquidem neceſſe eſt, bonam quantitatem intra breve tempus hauſiſſe, & hauſiſſe longe ante horam quantum fieri poteſt, futuri paroxyſmi.

Propterea qui infuſionem *trium*, vel *quatuor unciarum* Chinæ Chinæ præſcribunt factam in magna liquoris mole, & plurium dierum ſpatio potandam, in caſibus Pernicioſarum Intermittentium moram non admittentibus, invalide utuntur Cortice: cum talis Methodus vix valeat in benignis, atque diuturnis Febribus, minus agente quantitate *quatuor unciarum* parvis doſibus uſurpata, ac agat quantitas *unciæ unius* larga doſi, brevique temporis ſpatio adminiſtratæ, ut diximus *Capite* vii. *Libri I.* Addo inſuper, tantum intereſſe non ſolum Corticem præſcribi in quantitate liberali, intra breve tempus abſumenda, verum etiam talem quantitatem diſtribui ea, quam diximus, proportione, ut data pari quantitate, *v. gr. uncia una* Chinæ Chinæ, eaque intra æquale tempus, *ex. gr.* intra viginti quatuor horas abſumpta, in caſu pari Febris Pernicioſæ, adhuc tamen poteſt ſanari Plato *v. gr.* & non ſanari Socrates, præciſe ob inæqualem adminiſtrationem remedii, quatenus Platoni oblata fuerit primo hauſtu *ſemiuncia* Febrifugi, & reliquum ad *drachmam*, & *drachmam*; Socrati vero oblata fuerit *drachma una* ſingulo trihorio *v. gr.* juxta *Morthoni* Methodum, vel aliter. Cum enim ſic, & nimis imbecilliter agatur primis horis, a paroxyſmo futuro magis diſtantibus, in quibus incidit occaſio præceps, ac tota agendi opportunitas, & fere incaſſum agatur ſecundum dimidiam circiter portionem remedii, poſtremis horis inutilibus

bus adminiſtrati, hinc eſt, quod in caſu præcipiti nullus ſequatur effectus, qui ex adverſo ſequeretur per oblationem *ſemiunciæ* primis horis, cui quidquid diſtributive, & parce poſtmodum ſuppeditatur, ſatis eſt. Et hoc neceſſe eſt, quod ſciant, atque intelligant ii, ſi qui forte ſunt, qui, ut uſui Chinæ Chinæ plaudere videantur, tanquam rei ſibi notiſſimæ, Pſittacorum more, quod minus perſpicue hinc inde excerpſerunt, confuſe repetunt per vicos, & per compita, ſcilicet audendum eſſe, & Chinam Chinam in Febribus quibuſcunque crebro, & liberaliter eſſe propinandam: Hoc enim jactare ſine experientia, & tradere ſine lege, eſt remedium contemptui exponere, & ſemetipſos cenſuræ ob aſſerti nimium late patentis animoſitatem, & ob frequentem carentiam ſucceſſus.

Poſitis autem in tuto hac ſtricta Methodo Ægri rebus, ad ulteriorem expugnationem Fermenti febrilis, & ad præcautionem Recidivæ, morbo, ut ita dicam, in medio ſui vigoris ſuffocato, neceſſe eſt inſiſtere in uſu remedii per plures dies, illudque poſtquam ad dies aliquot omiſſum eſt, ad plures alios denuo repetere; alterna ſiquidem reciprocatio temporanei uſus, & omiſſionis illius mirifice conducit ad intentum, præſtatque ipſi uſui non interrupto. Expediet idcirco non ſemel opus aggredi modis, & formis luculenter expreſſis *Lib. I. Cap.* præſertim vii. ut ideo hic idem repetere non ſit opus. Illud addam tantummodo, quod in caſibus Pernicioſarum, qualis eſt, quem attuli paulo ſupra per modum exempli, ſatius eſt primis diebus poſt fugatum paroxyſmum, & præcipue ſi aliqua febrilis incaleſcentia, ab ultimo paroxyſmo relicta, conſtanter nonnihil perſeveret (quod tamen per duos tantum, vel tres dies ſolet obſervari) ſatius, inquam, eſt primis diebus, quibus Cortex ad prophylaxim exhiberi ſolet, illum præſcribere nonnihil liberaliùs, ac in benignis, *ex. gr.* ad *drachmam unam* quotidie per tres circiter dies, dein ad *ſemidrachmam* bis in die per alios tres dies; unde quemadmodum *ſex drachmæ* abſumptæ fuerunt paulo ante adventum paroxyſmi pro eo impediendo, ita *ſex* aliæ poſtea abſumantur pro eodem longius pellendo. Interpoſita vero quiete ſex dierum circiter, *ſemiunciam* adhuc ad *ſemidrachmam* quotidie ſufficiet præſcribere pro eodem paroxyſmo, ſi poſſibile ſit, penitus arcendo. Atque ita *duabus unciis* ad ſummum Chinæ Chinæ in totum abſumptis, ſed doſi provide inæquali, & quidem intra ſpatium trium hebdomadarum (comprehendendo quietem intermediam unius hebdomadæ) Pernicioſa Febris jugulatur, hominem cæteroqui ſtatim jugulatura: cum ex adverſo apud alios, *unciis quatuor*, vel *quinque* enervi Methodo exhibitis vix pellatur Benigna.

Quod ſi adhuc radix aliqua febrilis repullulaſcere videatur, illa vel pauliſper ſibi ſinatur, ſua ſponte ceſſatura, vel poſtquam curſus aliquis illi permiſſus eſt, præmiſſa, ſi lubeat, leni aliqua corporis expiatione, vel ſanguinis miſſione, iterum repetatur uſus benignior ejuſdem Corticis, *v. gr.* ad *ſemidrachmam*, vel ad *ſcrupulam unum* quotidie mane per dies duodecim circiter ad impediendam omnem Febris revireſcentiam ſive in forma potus, ſive in forma boli, ſive in Extracto, aut Tinctura, ſive cum Syrupis, aut Conſervis, ſive alio quovis modo, quod parum refert, ut fuſius citato *Cap.* vii. *Lib. I.*, ad quod etiam in hoc caſu Lectorem remitto. Atque hæc eſt Methodus valida pro curandis illis Febribus Intermittentibus Pernicioſis, quas in primo membro diviſionis genericæ collocavimus, quæ videlicet etiam in ſua pravitate nativam adhuc ſervant intermiſſionem.

Exponenda ſupereſt alia Methodus temperatior pro curandis illis, quas collocavimus in ſecundo membro, & Octavam Pernicioſarum ſpeciem conſtituunt, ſcilicet *Subcontinuarum*, earum nempe, quæ ex Intermittentibus ad Continuas, & Acutas tendunt. Iſta autem Methodus, quam lentiorem voco, reſpectu habito ad ſupra deſcriptam, non ſemper adeo lenta eſt, ut aliquam non exigat celeritatem, neque tam levis, ut validum quandoque non admittat operandi robur, & doſim Corticis liberaliorem. Ab hoc ut cito me expediam, ſat erit generaliter dicere, quod pro Medici curantis judicio variandæ eſt doſis Chinæ Chinæ, & repetenda illius oblatio ea proportione, quæ ſenſim valeat ita enervare paroxyſmos ad continuitatem vergentes, ut priuſquam adveniat tempus probabile futuræ Continuitatis, atque (ut ajunt) Acutiei, iidem

paro-

paroxyſmi omnino ſublati ſint, abſumpti ſcilicet intra tale tempus apta diſtributione *drachmis ſex* Peruviani Corticis. Paroxyſmis etenim ſic inhibitis, ſeu, non recurrente nova acceſſione, mirum eſt, quam facile ipſa evaneſcant ſemina, & rudimenta ſuccreſcentis cæteroqui Continuitatis.

Ponamus itaque & in hoc caſu, quod tranſactis quatuor, vel quinque paroxyſmis Tertianæ Intermittentis, quos inter aliquis calor, atque ſiticula mediarit ipſa intermiſſionis die, & quibus invadentibus minor ſemper qualibet acceſſione facta fuerit ſenſatio frigoris, adeout levis tantum, & breviſſima evaſerit extremorum perfrigeratio, ponamus, inquam, quod poſt hujuſmodi paroxyſmos, longiorem etiam extenſionem, majorem ſemper intenſionem, & breviorem, ac obſcuriorem intermiſſionem habentes, ſubſequatur alter, cui loco intermiſſionis ſuccedat tantum notabilis remiſſio, perſeverante cum ſiti etiam linguæ ſiccitate, inquietudine, jactatione, calore ad tactum acriore, dolore capitis, urinis paucis, rubris, ac craſſis, & aliis hujuſmodi: adeout Febris de Intermittente jam facta ſit Subcontinua, ſeu Continua per ſubingreſſum, non quidem per ſimplicem mitiorum paroxyſmorum extenſionem, ſed propter violentam intenſionem, & validiorem ſimul extenſionem eorundem; unde ſub hac proportione patam fiat, quod Continuitas iſta, quæ per ſubingreſſum paroxyſmorum initium ſumpſit, minime velit in hac linea ſubſiſtere, ſed ultra pergere ad Acutiem, atque Malignitatem, ſimulque ad Continuitatem eſſentialem, poſt duos circiter paroxyſmos acquirendam, nullaque amplius periodo, vel nonniſi obſcuriſſima diſtinguendam; in quo ſtatu vel inutilis omnino, vel ſaltem imbecillis admodum ſemper eſt Cortex, ut *Lib.* V. dicemus.

In hoc ergo caſu Acutiem proxime, & Perniciem longiuſcule præmonſtrante, premiſſis ſuo tempore; quæ debebant præmitti, & repetita etiam, ſi opus ſit, paulo ante uſum Febrifugi, ut caſus quidem ferre videtur, Venæ ſectione, vel omiſſa tali repetitione, ſi jam antecedenter plenitudini, & exigentiæ ſit ſatisfactum, aut ſi nova acceſſio jam prope immineat, vel non admodum diſtet, danda ſtatim eſt opera, ut paroxyſmus imminens continuitatem majorem allaturus enervetur inſigniter, non autem inhibeatur omnino: quoniam cum efferveſcentia febrilis admodum valida ſit in hoc caſu, in quo intermiſſio jam evanuit, fortaſſe minus conveniens eſt illius repentina, & violenta ſupreſſio, maxime cum nec onus, nec alter paroxyſmus mortem ſit allaturus, ſed ſolam Acutiem. Enervato ſiquidem imminente paroxyſmo, per repetitum uſum Corticis magis enervatur & alter, donec ſenſim tertius omnino tollatur, & paulo poſt etiam ipſa cæteroqui invaleſcens continuitas. Hoc autem citius, vel lentius agendum eſt, prout magis, vel minus diſtat primus Acceſſus, & prout magis, vel minus celer eſt motus, quo Febris ad continuam vergit, majorve, aut minor ad ſuccumbendum oneri diſpoſitio Ægrotantis.

Redeundo itaque ad caſum jam poſitum, in quo Medicus poſt elapſum quintum paroxyſmum cogitet ſequenti die de impedienda continuitate, ſexto acceſſu validius adventura, dico, quod præmiſſis antea permittendis, ſtatim poterit exhibere mane, *v. gr. Scrupulos quatuor*, vel *drachmam j. ſſ.* Corticis, veſpere vero *drachmam ſſ.*, vel *ſcrupulos duos*. Dic autem ipſius Acceſſus, mane *drachmam unam* ſolam, vel *duos* tantum pariter *ſcrupulos*, totidemque ſero declinante Febre, offerre ſufficiet, & ſic per duos, vel tres dies continuare, inſumendo ſcilicet quotidie partitis vicibus *ſcrupulos* tantum *quatuor*, vel circiter pulveris: poſito quod primo die, primoque hauſtu liberalior aliquantulum fuerit, ut ſupra, doſis aſſumpta. Et quia, ubi agitur de Febre ad Continuitatem, atque Acutiem properante, ſuſpectus cuipiam videri poterit Vini uſus, propterea ad majorem cautelam in hac Febris ſpecie expediet Corticem offerre in aliqua aqua ſtillatitia, puta Cardui benedicti, Scorzoneræ &c., vel eandem Aquam loco Vini ipſi Cortici aſſumpto in forma boli ſuperbibendam præſcribere; quamquam (ut fatear) neque in his circumſtantiis vini, præſertim tenuioris, uſum unquam noxium ſim expertus.

Sublata in hunc modum periodo, & ſucceſſive evaneſcente, quæ ſupererat, Febre, ne facile eadem repullulaſcat; utile erit poſt quietem unius, vel alterius diei, immo etiam trium, vel quatuor, Corticem rurſus offerre ad *drachmam ſs.* modo ſemel, modo bis in die juxta majorem, vel minorem Ægri diſpoſitionem

ad

ad recidivam, quod oculato Medico haud difficulter conſtabit. Atque ita pro varia iſta Ægrotantis diſpoſitione, & Febris indole, brevior, aut diuturnior eſſe debet, & citius, aut tardius, crebrius, aut rarius, ac per breviora, aut longiora dierum intervalla reſumi uſus ejuſdem Corticis; hac tamen cautella generali ſemper adhibita, ne ſcilicet uſus crebrior tranſeat in abuſum. Abſumpſiſſe ſiquidem ſatis eſt *duas*, plus minus, *uncias* Chinæ Chinæ in ſubſtantia, quomodolibet id fiat, pro una ægritudine integra; quod enim non præſtat hæc quantitas, nec præſtat major. Immo non ſemel obſervavi pendente ipſo Corticis uſu liberaliore (qui pertinaciter a nonnullis in Benignis Intermittentibus perperam inſtituitur) Febrem inſimul rediiſſe; illa videlicet cum remedio ſibi familiari reddito aliquod tandem ſocietatis fœdus ineunte.

Quod ſi celerrimo gradu Febris ad Acutiem, & Continuitatem properet, itaut ſtatim ac incipit obſcurari intermiſſio præter indicia ſuperius expoſita, aut illis ſimilia, appareant etiam, ut quandoque aſſolent, alia fortiora, qualia ſunt motus artuum tremuli, aut convulſivi, ſubdelirium non plane intermittens, vox tremula, urina ſubjugalis, ſingultus, aut alia hujuſmodi, tunc gradu pariter velociore debet incedere Medicus in exhibendo Cortice ferme ad regulam Methodi in Perniciosis Comitatis conſtanter Intermittentibus inſurpandæ. Ut enim ſe habet reſpectu illarum imminens exitium, ita ſe habet reſpectu iſtarum imminens Acuties; utrumque magna quidem celeritate impediendum, non tamen omnino pari, quoniam diſpar quo ad tempus eſt extremum utriuſque periculum. In caſu itaque Perniciosæ poſt aliquot Intermittentes acceſſus motu celerrimo in Continuam degenerantis, expediet prima oblatione (quæ ſemper, ut alias diximus, cæteris longe validior eſſe debet, ut cum fructu efficaces eſſe poſſint leviores, quæ debent ſubſequi) expediet, inquam, prima oblatione *duas* ſaltem; vel etiam *tres drachmas* Corticis exhibere, dein altera die *drachmam unam* mane, & ſero: poſtea ad *drachmam ſemis* tranſcendere modo ſemel, modo bis in die, prout opus erit, donec abſumatur *prima uncia* circiter Corticis: reſervata alia *uncia* vel integra, vel dimidia, diſtribuenda pro prophylaxi eo modo; & ea proportione quæ Medico curanti videbitur opportuna, ut ſatis, ſuperque jam diximus.

Nec eſt, quod quiſpiam meticuloſus liberaliorem doſim, diuturnamve repetitionem Corticis eo, quo diximus, modo reformidet; præterquam enim quod major quantitas, & diuturnior oblatio ob leviorem cauſam in uſu jam fuit, & eſt quotidie, diverſa quidem methodo: apud alios, & præſertim in Gallia, nec tamen quidam detrimenti a tanta, & ſupervacanea Corticis ingurgitatione ad plures videlicet, ac plures illius uncias, ſuboriri intelligimus: addere inſuper poſſum & ego experientiam meam, quæ reſpective ad uſum innocuum Chinæ Chinæ generaliter eſt annorum circiter L., præter experientiam prævium Præceptoris mei, ab ipſo Corticis in Italiam adventu initia ſua ſortitam; reſpective vero ad uſum largiorem in Perniciosis Febribus eſt annorum XL., quod poteſt ſufficere ad firmandam ancipitem puſillorum fidem. Et quoniam Virorum omnium honeſtorum experientiæ, agentium de Corio humano, acquieſcendum eſt, lubet adjicere quoque experientiam *Mortoni* ab annis xxv. petitam, & *Sydenhami*. *Nunquam* (inquit *Mortonus*) *me pœnituiſſe memini, quod Corticem frequenter, & copioſe exhibuerim; Inde enim ſæpe appetitum magis firmatum, coctionem alimentorum in Ventriculo reſtitutam, generi nervoſo robur adjectum, & Habitum Corporis a ſtatu tabido in Athleticum mutatum obſervavi*. Quæ quidem omnia ſæpiſſime mihi quoque obſervare contigit. Immo copioſæ, ac repetitæ Corticis oblationi tantum tribuit citatus Auctor, ut incommoda, quæ aliquando Febres fugatas ſequuntur in aliquibus qui Cortice ſolum uſi ſunt quantum par fuit ad pellendam Febrem, & non ultra, adſcribat nimis parco Corticis uſui, Fermentum febrile ob idipſum ſupprimentis potius, quam ſubigentis: adeoque ſubdit, hujuſmodi incommoda reſtitantia, quæcunque ſint, *A repetito, & juſto Corticis uſu abſque quacunque alia methodo ſponte ceſſare*: tandemque concludit -- *Culpentur ergo Medici, qui ipſum ſatis copioſe non exhibuerunt, Aut Ægri, qui ejus repetitionem reſpuebant, non vero pharmacum, quod inſons eſt*. *Sydenham* pariter in Febribus præſertim Continuitatem affectantibus, in quibus cæteroqui magis ſuſpecta videtur eſſe debere copioſa Corticis quantitas,

titas, illum liberaliter exhibet in ſubſtantia præciſe ob hoc ipſum, quod Febris ad Continuam diſponitur. *Obſervandum eſt* (inquit ille) *quod quo magis Febris ſive ſponte ſua, ſive regimine calidiori ad continuitatem accedat, eo major Corticis quantitas exhibenda: itaut nonnunquam viderim morbum hunc nonniſi ſeſquiunciæ, vel unciis ejuſdem duabus ceſſiſſe.* Sed de hoc fuſius adhuc *ſequenti Capite*.

Denique pro coronide monendum ſupereſt, quod cum in caſibus Pernicioſarum quarumlibet, & præſertim poſtremarum, quæ octavam differentiam conſtituunt, earum ſuppreſſio contingat ut plurimum circa ſtatum morbi univerſalem (ſi enim periculum continuitatis in ipſo ſtatim ſe prodat principio, ſuo loco quæremus, an tunc quoque expediat Corticem adminiſtrare) cum, inquam, morbi mutilatio, ut ita dicam, contingat in medio illius curſu, ideoque tunc facilius recurrere poſſe videantur recidivæ, reciſo quidem, ſed non ab omni forſan radice penitus evulſo febrili fermento ob remotam ſcilicet productricem cauſam, quæcunque fuerit, fortaſſis adhuc vigentem: propterea in hujuſmodi caſibus utile erit, recidivam, ſi contigerit, non ſtatim iterum reprimere, ſed aliquantulum ſinere, quoniam ſemper debilior eſt ac fuerit invaſio prima, ſuamque Febris facilius, ac diutius, quam tunc, ſervat Intermiſſionem; atque ideo ſatis eſt efficaciter egiſſe a primordio periculi. Cæterum quæ ſubſequitur levior invaſio vulgaribus tantum, congruiſque, & cautis remediis erit tractanda, donec vel ſponte, vel conſueta Artis Methodo perfecte curetur. Quod ſi his non obſtantibus vel diutius; quam par ſit, protrahatur, vel iterum cum periculo recrudeſcat Febris, vel ad continuitatem eſſentialem tendat, tunc prompte, & ſine ulla cunctatione repetendus eſt Cortex ſive fortius, ſive temperantius, juxta exigentiam caſuum diverſorum, & ſecundum regulam in *Hiſtoriis ſequenti Libro* ſubdendis ſervatam: quod omne pariter faciendum eſt eodem modo, quoties ſive bis, ſive ter, ſive etiam pluries pervicax, & indomitæ fere cervicis Febris valide recruduerit.

De diæta ſervanda eo tempore, quo juxta Methodum utranque remedium in uſum ducitur, nihil habeo, quod addam ſupra id, quod obiter dixi de hoc *Cap.* viii. *Libri primi*: maxime cum facile ſit cuilibet Medico vel mediocriter verſato, alimentum in debita qualitate, quantitate, & temporis diſtantia præſcribere; præſertim ubi vel Methodus curativa lenior, vel mera prophylaxis ſit inſtituta. Ubi vero præ manibus ſit Methodus validior, in qua copioſe, & frequentius exhibetur Cortex, attente magis quo ad partitionem, & caute magis quo ad quantitatem victus eſt offerendus, ne cum eo confundatur intempeſtive remedium. Sed hæc ipſa cautela cito deſinit, cum brevitas unius diei naturalis, qua negotium magna ex parte ſolet abſolvi, difficultatem ullam vix poſſit admittere.

Circa hoc tamen illius non ſum ſententiæ, ut cum nonnullis credam, crebrum, & pleniorem ciborum uſum conferre Cortice utentibus; imo cum permixtio medicamenti cum cibis apud me ſit ſemper ſuſpecta, quo enim purior, & ſimplicior permeat Chyli vias ſubſtantia Remedii, eo activior eſt; & validior, ſatius duco, quod ea ſervetur victus ratio, quæ congruit naturæ morbi in data poſitione Acuti jam facti; ut propterea ſolliciti admodum eſſe non debeamus, ſaltem in Regione noſtra (ut *Libro* etiam *primo* innuebamus) de cibo offerendo, quaſi in adjumentum Remedii. Atque ideo præter Vinum, in quo frequentius propinatur Febrifugum (eſto quod & in Aquis ſtillatitiis, & in forma ſolida cum fructu æque offeratur) præter Vinum, inquam, quod portionem aliquam alimenti ſupplere poteſt, convenient juſcula carnium, ova ſorbilia, fercula ex illis confecta, panatellæ, emulſiones ex ſeminibus peponum, ex Amygdalis recentibus, & hujuſmodi.

Quo ad intervallum vero inter cibum, & Corticem, ego hanc regulam generalem teneo, ut quando Remedium offertur, Ventriculus ſit a cibo, ſi fieri poteſt, vacuus, vel ſaltem ſit peracta digeſtio: & quando cibus offertur, Remedium pariter, majore ſaltem ſui portione, ſit e Ventriculo ad Chyli vias propulſum. Idcirco quatuor ſaltem horis ante cibum exhibeatur Cortex; elapſis vero quatuor itidem, vel quinque horis ab aſſumpto tenuiore cibo iterum repetatur, & ſic deinceps toto tempore, quo durat frequentior oblatio ejuſdem Corticis. Hanc tamen regulam quandoque variare expedit, ubi urgeat neceſſitas tum nutriendi, tum Febri-

brifugum exhibendi : quo casu , partito singulis sex horis cibo dilutiore , ac tenui, horis demum intermediis (videlicet tribus elapsis ab assumpto jusculo) potest exhiberi Cortex , immo etiam paulo post , vel paulo ante assumptum jusculum , si sit opus ; quandoquidem aliquam alimentorum , præsertim liquidorum forte & solidorum) societatem non prorsus excludit remedium istud , facile Fermentorum nostrorum objectis , ut Fermentis ipsis nostris accommodabile . Quæ itaque pro regula generali circa hoc sunt prolata , non adeo religiose intelligenda sunt , quin variam pro diversitate casuum , & Methodi adhibitæ , ampliationem , aut limitationem juxta Medici curantis judicium identidem patiantur .

Hæc ergo est Methodus completa curandi Febres Periodicas Pernicioſas per usum Chinæ Chinæ . Superest , ut Methodum eandem hucusque expositam , quæ omnem forte legentis cujuspiam expectationem (tam facilis illa est , & obvia) nondum implevit , licet supra plurium expectationem mea sæpius , & Ægrotantium impleverit vota , *sequenti Capite* dilucidemus , examinemus , & a præcipuis , quæ obtrudi facile possent , objectionibus vindicemus . Jam enim mihi videor audire non paucos dictis meis succensentes , & palam clamantes

Quid dignum tanto tulit *hic promissor hiatu ?*

Docuit , inquiet aliquis curare Febres suapte natura Intermittentes mediante *uncia una* , vel *altera* Chinæ Chinæ , quod Lippis jam , atque Tonsoribus notum . Docuit , inquiet alter , experimentum periculosum , ferme deploratos curare tentans , temeraria affatim , exuberante Corticis oblatione . Docuit denique , concludent alii , sive recoxit , quod ante illum docuit præter alios etiam *Mortonus* , ob idipsum a sanioribus universaliter reprobatus . Hæc jam , & similia meis scriptis ominor . Etsi vero vel ob inania hujusmodi præjudicia , vel ob alienam incuriam , vel ob denegatam fidem , vel ob pervicaciam (neque enim unquam crediderim , quod ob nequitiam) in contemptum cadant hæc mea nullus dubito , quin ipsi contemptores , vel obtrectores mei , si qui futuri sint , Methodum istam , quam palam fortasse spernent , clanculum tandem usurpent , vel siquidem eam aperte profiteantur , confidenter apud ignaros jactitent , velut sibi jamdudum compertam , antequam mihi . At hoc parum refert : nullam enim hinc famam quærito , sed Proximi utilitatem ; nec me vana tangit prurigo garriendi , per quem vivat hac arte servatus homo , dummodo vivat . Cum longior autem dies , & diuturnus usus , isque dubio procul felix , universalem approbationem , juvat sperare , huic Methodo conciliaverit , tunc justitiam , quam mihi forte Nasuti complures denegabunt viventi , reddent extincto . *Tempori* , *Judici æquissimo* (ita monere videtur exemplo Celeberrimi *Harvei* , hisque ferme verbis innuere *Cl. Ramazzinus*) *Causæ committenda , & despiciendi Obtrectatorum latratus , neque responso dignandi , donec tandem ferietur livor , qui ut plurimum in vivis pascitur , ac cineribus parcit* . Sed & istud perinde mihi erit ac illud : quippe qui reprobantes audire vivens nolo , approbantes extinctus nequibo .

CAPUT IV.

Dilucidatur Methodus exposita , examinatur , & defenditur a male feriatorum dicteriis . Porro circumstantiæ , in quibus ea locum habet , & in quibus non , indicantur .

NE quæso existimet quispiam , eo quia plurimum tribuerim Methodo expositæ pro curandis Pernicioſis Febribus supra descriptis , in ardua fere qualibet earundem circumstantia , extremaque prope Ægrotantium angustia . velle me Methodum eandem jactanter venditare pro peregrino quodam Cogitato , aut Inventato , quod menti hominum unquam nec occurrerit , nec potuerit occurrere ; cum tamen admodum similem ante me excogitarit (me quidem inscio , cum antequam excogitassem , & in usum duxissem , non promulgarit) *Mortonus* , aliique forsitan privatim suo Marte tentarint , aut excoluerint , absque eo quod illam peculiari dignam reputarint historia . Non ea sane mihi mens est ; nec me latet , quam parum differt a communi usu Inventum Istud , quippe quod habet pro basi Remedium vulgatissimum , & pro scopo Febres Febribus eidem Remedio communiter addictis analogas . Non ergo Methodum hanc propono , ut rem abstrusæ , atque sublimis indaginis , sed ut rem summæ , atque admirandæ utilitatis , a cunctis quidem

dem facile excogitabilem, ſed a paucis excogitatam, & a perpaucis excultam, qua mediante ſervantur quamplurimi, cæteroqui perituri, & ſine qua plurimi pereunt, qui certo ſervarentur, pereuntque præciſe per hoc, quod Methodus iſta ſive obvia, ſive recondita, ſive vulgaris, ſive peculiaris, ſive aliena, ſive mea, communiter non noſcitur, nec in uſum ducitur. Quod ſi quis illam ante nos ſe noviſſe jactitet, etſi pudeat pro hac gloriola decertare, adducat in exemplum curationes noſtras, quas ſumus allaturi, æquales pondere, ac priores tempore, & manus vinctas dabimus. Sed aliud eſt decantare quod pluribus jam Libris nimium liberaliter evulgatum eſt, ex ideali quadam conjectura, Chinam Chinæ omnibus generaliter Febribus, & quolibet earum tempore poſſe convenire, in caſibus autem arduis, ubi vere convenit, neſcire præſcribere pro exigentia affectus curandi; aliud per praxim methodicam, propria obſervatione ſibi comparatam, certiſque regulis conſtitutam, pronunciato contra communem expectationem ſucceſſu, utiliſſime adminiſtrare, ſeque vadem eventus præbere in agone rei.

Invento huic qualicumque (ſiquidem Inventi nomine velimus illud dignari (incipit jam prope contingere, quod contigit olim jocoſo. Invento ſatis noto de Ovo ſtante, quod poſtquam viderunt, ſciebant omnes, & priuſquam viderent, ſciebat nemo. Sciunt autem ex Noſtratibus Medicis ingenui non pauci, qui me præeuntem in hoc ſaltem uno ſecuti ſunt, & imitati; digni tamen, ut illos in longe pluribus ſequar ipſe, ſciunt, inquam, & experiuntur, quot modo ſanantur hac via, qui prius inevitabili ſorte interibant. Sed jam male ſonat (noſco) delicatis auribus repetita pluries hæc cantilena, quam nihilominus vel invito ſæpius extorquet ſinceræ veritatis ſtudium, non inanis jactantia.

Quidquid autem ſingulare habet hæc Methodus, ſi quidquam habet, a duobus pendet. Unum ſe tenet ex parte Morbi, alterum ex parte Methodi ipſius. Ex parte Morbi mirabile eſt prorſus, non præciſe quod Febris Intermittens, etſi violenta, per Chinam Chinam depellatur; ſed quod depellatur Febris, quæ licet fuerit Intermittens, jam Continua facta eſt, Maligna, & Exitialis, & quidem in eo ſtatu, in quo Æger lethalibus undique ſtipatus ſymptomatis videtur jam morti proximus cum algore univerſali, frigidove ſudore, pulſuſque ipſe nullam amplius Febris habitudinem prodit, cum vix prodat ſe ipſum. In quo equidem ſtatu de nullo fere Remedio cogitare conſueverant Medici, niſi de Cardiacis, ut vocant, & reſtaurantibus vires, quorum tamen pretioſo apparatu inſtructi, ne dicam infarcti, Ægrotantes ditiſſime moriebantur. Ex parte vero Methodi peculiare quidpiam eſt, quod China China eo modo, & ea proportione exhibeatur, ut conſuetam activitatem ſuam valeat tranſcendere non modo curando morbum, qui a nullo amplius remedio videtur curabilis, quippe ferme *deploratus*, & quem propterea *non oporteat attingere*: verum etiam illum curando intra breve temporis intervallum, intra quod Benignam Intermittentem, ſi vulgaris quælibet uſurpetur Methodus, non valet curare, & intra quod, etſi Anguſtum, ſi curaret, non curaret amplius, ſi videlicet ſerius actio illius eſſet protrahenda, & priuſquam talis actio ſe poſſet exerere, novus ſe exereret paroxyſmus.

Hæc ſunt, quæ Methodum hanc *Peculiarem* reddunt, atque ſpectabilem, cum cæteroqui ſumma illius in hoc tantum conſiſtat, ut augeatur ſupra vulgatiorem doſis Chinæ Chinæ videlicet *ad drach. vi.*, vel *ad unc.* i., quod diſtribuatur determinata quadam proportione, ut prima oblatio ſit potis, Febrem non longe diſtantem valido ictu plectere, atque mulctare, & quod hæc doſis ſic adaucta, & ſic diſtributa intra breve ſpatium temporis abſumatur integre, ac etiam, ſi opus ſit, tota ſimul. Quæ omnes circumſtantiæ, ſi ſingillatim conſiderentur, ſunt leves quidem, & quaſi fortuito inventæ, ſicut fere fortuito olim applicitæ (ratione tamen duce) Caſibus quibuſdam, quibus parum, vel nihil profuturæ reputabantur; ſed ſi conſiderentur conjunctæ, ubi agitur de ſervanda pereuntis hominis vita, præſtant effectum (atque frequens equidem eſt occaſio præſtandi) præſtant, inquam, effectum & citum, & certum, & tutum, & admirabilem: uno verbo talem, qualem revera aſſequi nullus antea Medicinæ Liber, ſive ex Hippocratica, ſive ex Galenica, ſive ex Chymica Schola unquam nos docuit.

Ut magis eluceſcat peculiaris hæc Novitas cordatiorum oculis, ponamus exem-

plum. Notum est omnibus, Pleuritidem copiosa non modo, ac repetita pluries, quantum sinit virium status, phlebotomia curari, verum etiam id fieri per Specifica, ut ajunt, propinata, puta Dentem Apri in pulverem redactum, Mandibulam Lucii piscis, & hujusmodi. Hac nihilominus apud omnes vigente notitia, quot pereunt quotidie Pleuritici, quibus jam ad extrema redactis inutilia sunt, nec proinde amplius administrantur prædicta præsidia? Si ergo Medicus aliquis ratione, & multiplici experientia fretus doceret modum certum sanandi eos, etiam cum jam stertor bronchia pulmonum obsidet, suppresso sputo, cum pulsus exilissimus, facius Hippocratica, & anhelitus sublimis mortem præ foribus esse, & postridie cubiculum ingressuram prænunciant: doceret autem id assequi per oblationem *copiosiorem*, & intra *breve* statutum tempus *crebro repetitam*, Dentis Apri *v. gr.* itaut loco scrupuli unius, vel semidrachmæ, quæ est dosis usitatior, semiunciam *v. gr.* affatim offerret, ac subinde statis brevibus intervallis oblationem parciorem renovaret, donec uncia una quamprimum esset absumpta, is profecto *peculiarem*, & novam Methodum prodidisse, merito diceretur curandi Pleuritidem jam fere desperatam, licet remediis, pro morbo illo curando notissimis id præstaret. Sic *Lazarus Riverius*, eo quia Febrem Malignam Epidemicam intra biduum ab exortu. Parotidum Ægros fere omnes, quos corripiebat, necantem curare, & sanare cœperit iterata solum phlebotomia, & purgatione in eo gravi statu administrata, Methodum suam nomine *Insignis Experimenti*, *quod silentio præterire sit nefas*, donare minime dubitavit *Cap. de Febre pestilenti*. Sicque pariter, qui modo prædicto provectam, ut supra, Pleuritidem sæpius sanaret, *insigne experimentum* se peregisse, & *specialem Methodum* curandi Pleuritidem in eo statu se reperisse, haud immerito gloriaretur, etsi vulgaribus tantum id ageret, notisque remediis: quia videlicet, quos alii sanare nequeunt, ipse sanaret, præcise ob *peculiarem* notorum Medicamentorum administrationem, in quo uno tota sita esset prærogativa talis actionis. Ob id jure maximo ajebat Magnus *Verulamius* hanc materiam egregie suo more pertractans -- *Sciant pro certo Medici, posse, plura Medicamenta ad morbum aliquem gravem curandum recte præscribi, quæ debito ordine, & debito intervallo sumpta curationem præstent: quorum singula si per se tantum sumerentur, aut si ordo inverteretur, aut si intervallum non servaretur, fuerint prorsus nocitura:* etenim (liceat hic ex eodem auctore alibi dictum repetere) -- *Quæ in natura eximie possunt, & pollent, sunt Ordo, Prosecutio, Series, & Vicissitudo artificiosa*. Perfectio rerum consistit in parvo. Excellentem Picturam non reddit præcise congrua colorum electio, sed & consona dispositio. Crassiora quæque lineamenta efformant effigiem. Pauca, & tenuia efficiunt similem.

Sed neque in aucta dosi, & proportionata distributione Chinæ Chinæ mere consistit vis, & utilitas Methodi expositæ. Aliud namque requiritur, quod designari quidem potest aliquo modo, ut jam pro viribus factum est, sed nequit plane communicari. Tria sunt circa Methodi usum scitu necessaria, *Ubi* nempe usurpanda sit, *Quando*, & *Quomodo*. *Ubi* respicit Febres omnes, in quibus potest, aut debet administrari; *Quando* respicit tempus opportunum, & *Quomodo* quantitatem medicaminis, & proportionatam, celeremque distributionem illius. Contra *Ubi* peccatur, quando non dignoscitur natura Febrium, in quibus conveniat, ac prosit, & in quibus non, exhibendo *v. gr.* ubi nequit agere, vel omittendo. ubi miranda quandoque præstare posset. Circa hoc autem plura jam hucusque protulimus, & non pauca posthac, præsertim *Lib.* V. sumus prolaturi, ut nempe istud *Ubi*, quod plurimum refert, perspicue dignoscatur. Contra *Quando* peccatur, cum tempore inopportuno exhibetur Cortex, nempe vel procrastinando in occasione præcipiti, & offerendo nimis sero, cum lapsa est occasio, morsque jam proxime imminet, vel exhibendo nimis celeriter ob timorem Panicum: cum cæteroqui satius esset, Febrem vel nonnihil, vel omnino, sinere. Et de hoc pariter actum est, & deinceps agetur. Denique contra *Quomodo* delinquitur, cum quantitatem medicamenti, & illius distributionem non aptamus debita proportione Febri modo majorem affatim, modo minorem Corticis copiam, modo lentiorem, modo citatiorem repetitionem, & modo æqualem, modo inæqualem illius partitionem intra congruum tempus exigenti. Et circa hoc quoque, ut reor, quantum sat est, quid sentiam aperui,

spe-

ſpeciales cautiones, obſesvationes meas experimentales candide aperiens.

Haud equidem inficior, hanc ipſam doſim largiorem, atque etiam nonnihil celeriter abſumptam in uſu eſſe apud *Mortonum* (idem quoddammodo dici poſſet de *Sydenhamio*, aliiſque compluribus Exteris) atque ab eo nonnumquam applicari, ſeu applicitam fuiſſe Febribus Perniciosis ſupra deſcriptis; ut pariter fuit ab eodem applicita (forte nimis quam par fuerit, ſed tamen minus, quam fuerit hactenus creditum, ut videbimus) aliis quibusdam Febribus, ne dicam Morbis omnibus aliquid periodici redolentibus. Et propterea faſſus ſum alibi, atque hic iterum fateor, Methodum meæ conſimilem uni forte *Mortono* ante me innotuiſſe, ut teſtantur illius hiſtoriæ annum ſæpius 1690. quandoque & 1680. connotantes, licet Opera ejusdem ſerius impreſſa illam nobis non aperuerint, niſi poſt cœptum a me meæ Methodi uſum, ut Hiſtoria peculiaris *Capite* VI. hujuſce *Libri* exponenda, & aliæ deinceps *Libro ſequenti* manifeſte patefacient. Si tamen aliquis chronologiæ hujuſmodi fidere nolit, meque velit a *Mortono*, vel aliis Auctoribus inſtructum, parum refert; hinc enim, ut alibi dixi, plus mihi gloriæ, quam pudoris emerget; emerget ſiquidem gloria ſaltem imitationis in melius evectæ, ſi gloriola qualiſcunque inventionis denegetur.

Illud tamen mihi fidenter tribuo, aliiſquem compertum volo non ob contentionem quidem præeminentiæ, ſed ob utiliorem tantum Ægrorum curationem: nempe aliquam, nec prorſus levem eſſe diſcrepantiam inter meam; & *Mortoni* Methodum. Ille enim, cum doſim non augeat, niſi ob ſuſpicionem, quod Cortex ſit adulterinus, ut videlicet *drachmæ ſex* hujus adulterini ſortiantur effectum *drachmarum duarum* genuini pulveris, uti vidimus jam *Capite* VII. *Libri primi*, eandem doſim non diſtribuit proportione ſatis valida, ut quandoque opus eſt in caſu præcipiti, ideoque in talibus caſibus forte fallax erit *Mortoni* Methodus, *ſex illas drachmas* præſcribentis, & dividentis in ſex partes æquales, ſingulis quatuor horis aſſumendas, quæ eſt Methodus illi magis familiaris, nimis languide incipiens, & nimis prope Acceſſionem inhibendam deſinens. Inquit itaque ille diſſerens de Præparatione, Electione, & Exhibitione largiore Corticis -- *Nonnunquam vix decimam illius partem in Capſis, Mercatorum genuinam deprehendi* -- & paulo poſt ſubdit -- *Corticem, qui proſtat in officinis venalis, reapſe maxima ex parte eſſe ſpurium, effœtum, ac putidum, teſtes appello Medicos &c. Quin & res ipſa idem clamitat: quare enim doſim ſolemnem drachmarum duarum adultis olim præſcriptam, hodie in Febrium curandis ad tot uncias augere coacti ſumus?* En ergo qua ratione doſim adaugeat. Denique (quod & alibi retulimus) clarius iuquit -- *Doſis drach. ij. præciſe adultis præſcripta erat; jam autem, quia Cortex adulterinus eſt, coacti ſumus ſaltem unc. ſ. nonnunquam duas, vel tres ingerere, priuſquam ſcopum attingere poſſimus &c.* Hoc poſito, cum finis adauctæ doſis ſit ſolum, ut intra illam totam quantitatem includantur ſaltem *drach. ij.* germani Corticis, illa pariter diſtribuitur lento, & æquali progreſſu, nulla habita Febrium Benignarum, vel Malignarum, lentiorum, aut velociorum, caſuumve magis, vel minus urgentium ratione: ac proinde curationes inſignes, quas nonnunquam videtur abſolviſſe *Morton*, abſolvit fere fortuito per doſim liberalem in validas quidem, ſed non quantum aliquando par eſſet, portiones diſtributam, genuini probabiliter Corticis, pro adulterino habiti. En illius generalior præſcriptio -- *Adultis præſcribendus eſt Cortex, prout plus, vel minus genuinus ſit, ab unc. ſs. ad drach. vj. unc. j. unc. j. ſs. unc. ij. Infantibus, ac Pueris pro ratione ætatis a drach. j. ad ij. iij. iv. Neque tantam molem unica vice ingerere neceſſarium eſt, cum ſatius ſit partitis vicibus, drach. j. ſcilicet, drach. ſs. ſcrup. j. quarta quaque hora, reſpectu ad ætatem habito miniſtrare.* Hæc ille.

Ego vero, cum fraudem: ac fucum hujuſmodi in Cortice a noſtris Pharmacopolis electo, & diſpenſato, raro, vel nunquam deprehenderim, ſoliſque *drachmis duabus* in ordinario Intermittentium curſu optatum effectum ſemper ſortiri conſueverim: idcirco *ſex drachmas*, quas in caſibus arduis celeriter præſcribo, præſcribo ut bonas, neque ut æquivalentes duabus tantum, ſed ut triplo fortiores quam duæ, immo etiam plus; cum ſex conjunctæ, quas aliquando mihi contigit & aſſumere, & exhibere, longe plus agant, ac ſex ſejunctim, & per intervalla abſumptæ, ut jam diximus per extenſum *Cap.*

vii. *Libri primi*. Cum itaque plurimum interſit, ut prima, nonnunquam etiam altera, oblatio ſit valida, ubi videlicet præceps imminet periculum, ideo Methodus *Mortoni*, in quibuſvis caſibus non plus, quam *drachmam unam* Corticis ſingulis tribus, vel quatuor horis præſcribens, etſi præter Auctoris exiſtimationem genuinus ille fuerit, ſi verſemur in præcipiti caſu, erit infirma. Et hæc eſt ratio propter quam Curationes, quas adducit in ſuis Hiſtoriis, licet inſignes profecto ſint, univerſaliter tamen non ſunt admirabiles: immo propter hanc ipſam rationem cenſeo, Ægros aliquot gravius affectos, quos refert; quibuſque Cortex opitulari nequivit, Methodo forte noſtra ſanari potuiſſe, cum plurimos haud abſimili modo laborantes, hac eadem Methodo ſanatos noverim. Cæterum nunquam ſatis in hoc laudari poteſt idem Auctor: omneſque propterea, quotquot ſunt, Medicos efficaciter hortor, ut ſcripta illius circa Febrium Curationem Peruviano Cortice abſolutam, ac præſertim Experimenta, & Hiſtorias Curationum attente legant, nec negligant, aut contemnant; plurimum enim veritatis hujuſmodi Hiſtoriis ineſſe, nullus dubito, in illis etiam iisdem caſibus, in quibus videtur eſſe nimius, ut nonnunquam eſt, in præſcribendo Cortice citatus Auctor, nempe in ipſis Continuis. In his enim conſideratis, & ſumptis in eo ſtatu, in quo ille easdem ſumit, atque conſiderat, nempe in ſtatu manifeſtæ, & periodicæ remiſſionis, bene potuit, poteſtque nonnunquam, ſi non ſemper, eſſe proficuus Cortex, quatenus Febres hujuſmodi aliquem tunc characterem Intermittentium præſeferunt, licet illas ſub tali etiam circumſtantia nomine Febrium *Continentium* deſignet præter morem in Scholis uſitatiorem. Quod hic obiter monuiſſe ſufficiat; cum hoc idem, quod communi forſan æquivocationi circa illius aſſerta anſam dedit, exactius ad trutinam revocandum ſit *Libro* V.

Haud ſum neſcius, quod & nuper innui, ſcrupoloſis quibusdam, & in praxi parum verſatis, largam nimis videri poſſe tum quantitatem Corticis univerſalem, cum doſim particularem a me in Perniciofis præſcribi ſolitam. Sed de nihilo eſt cavillatio reſpiciens generalem quantitatem, ut de hac prius loquar: cum enim a in uno Ægro non ſoleat tranſcendere *unc. j. ſs.* vel *unc. ij.*, aut ſaltem cum paulo ultra extendatur pro curanda ſimul *Febre*, & impedienda *Recidiva*, nullo modo culpari poteſt hodie: hæc etenim minor eſt quantitas, quæ impendi conſueſcat. Gallia univerſam Chinam Chinam uſurpat ad unc. tres, quatuor, & ultra, ut vidimus *Cap.* vii. *Libri I. Sydenham* in Obſervationibus ad unc. quatuor in ſubſtantia *longo*, & repetito uſu per modum alterantis aſcendit: immo illum in Epiſtolis ſerius impreſſis, in quibus cum *Mortono* ferme concordat, *duas unica brevi* temporis ſpatio aſſumendas, ſæpius præſcribere conſueviſſe, adnotavimus jam *Cap. antecedenti*. *Monginotius* Vir cautiſſimus, & in uſu Chinæ Chinæ verſatiſſimus hanc regulam generalem tradit agens de præparatione Remedii in Zod. Med. Gall. Auguſt. 1681., nimirum -- *In Curationem unius Individui impendendam eſſe ſeſquiunciam, vel unc. ij. Quinquinæ, immo aliquando ſuperandam illam quantitatem pro varietate occaſionum*. Quid multis? Proſtat experientia *Mortoni* de uſu Corticis in ſubſtantia uſque ad libras duas tractu temporis exhibiti *Exercit. 1. hiſt.* 29. Cui doſi liberali adſcribit Ille vegetiorem contractum ab aſſumente Vetuia corporis habitum: quod & ipſe nonnunquam obſervavi, ac in hiſtoriis retuli *Cap.* x. *Lib. I.*; adeoque balſamicas huic remedio vires ineſſe, videtur exinde deducere idem *Mortonus*, qui doſin idcirco illius uberiorem ſemper anteponit parciori.

Quo vero ad doſim particularem, primis præſertim cyathis liberaliorem (in quo conſiſtit major efficacia Methodi noſtræ) nullum circa eam video cunctationi lucum, quandoquidem æque innoxie Ægris exhibentur, quantum centies expertus ſum, *tres*, vel *quatuor* ſimul *drachmæ* tenuiſſimi pulveris, ac exhibeantur *duæ* more vetuſtiori; extracta namque a Fermento ventriculi Corricis tinctura febrifuga, & utili, intruſiſque per lacteas particuiis tenuioribus, craſſior, & lignea ſubſtantia per alvum ſenſibiliter amandatur, quemadmodum ſolemne eſt, oblata etiam cæterorum omnium lignorum ſubſtantia, puta Santalorum, Salſæ, Guajaci, & ſimilium. De innocentia Remedii intrinſeca jam ſatis *Capite prim. Lib. I.* De eadem vero etiam in aucta doſi egregie ſubdit idem *Monginotius* in contextu ſupracitato, poſt arbitrariam, & indetermina-

minatam supra unicas duas dosis taxationem -- *Cum nihil mihi in animo obversetur, quam ut optimum quodque, & usu probatum adferam, dosim eo usque extuli, ratione, & experientia testibus. Cum ab hujus Remedii usu omne omnino absit periculum, satius est ad majorem quantitatem ascendisse, quam in minori hæsisse, ut Curationis τὸ ἀσφαλὲς sequatur.* Idem plane asserit *Charas*, loquendo de dosi Extracti sui in hunc modum -- *Mais il n' est pas necessaire d' etre scrupuleux sur la dose de ce remede : car il a cet avantage, que l' augmentation de la dose un peu au de là de l' ordinaire, ny la reiteration des prises ne laissent aucune mauvaise impression, & ne peuvent faire mal a personne.* Ita sentiunt Auctores omnes in præscribenda, & adhibenda China China exercitati. Et hæc quo ad dosim Adultis administrandam, quam, ut frequentiorem, pro modulo plus minus adduxi; ex ea namque facile est perito Medico, pro portionem elicere dosis Pueris, & Infantibus præscribendæ pro ratione ætatis eorum : jacto semper fundamento, quod, etsi liberalior nonnihil sit ipsa dosis, agitur de Remedio suapte natura innocuo, & de Absorbente æque inculpabili, ac cætera, quibus assidue utimur, sed magis specifico.

Neque pariter negaverim tam meæ, quam *Mortoni* Methodo objici posse, quod suppressis in ipso Morbi vigore Febrium paroxysmis aliquando recidant Ægri. Sed hoc excellentiæ ipsius Methodi nihil videtur detrahere : nam præterquam quod sæpissime non recidunt, & præsertim quo magis ad extremum fuerint redacti, & præterquam quod recidiva vel inhibetur continuato remedio, vel, si prorsus inhiberi non possit, saltem debilior solet esse radice sua, ut diximus agendo de oblatione Corticis in Benignis Intermittentibus, adhuc tamen, etiamsi recidiva certo recurreret, & si gravis æque foret ac ante (quod profecto non accidit) adhuc, inquam, hoc nihil officeret in nostris casibus, ubi agitur vel de exitio certo, ac imminenti, vel de periculo quam maxime impediendo, aut saltem suspendendo. Sicuti enim, si quispiam ex gravi Febre delirans se præcipitem daret in puteum, esset extrahendus e puteo, etiamsi recens emersum eadem Febris *certo* esset interemptura : ita in hisce casibus Æger est subtrahendus naufragio suo per Corticem, qui unicum, certumque remedium est, etiamsi contendatur esse Palliativum, ut sic dicam, aut foret Narcoticum (quorum nempe pro leviori loccasione frequens est usus) Causam Febris consopiens, ac ad tempus figens, ad impetrandas scilicet saltem inducias adversus mortem. Ea enim tunc temporis propulsata potest deinde Medicus, qui Cortici satis non fidat, aliam pro libito Methodum, si quam se putat habere meliorem, eligere pro eradicatione integra Causæ morbificæ. Caveat tamen, ne remedia, quæ Cortici putat ad prophylaxim substituenda, mortem iterum, quam Cortex propulsavit, accersant. Interim fat sit, si usu illius nostra Methodo administrati protinus vivat Æger, qui cæteroqui proxime moriturus erat, præsertim cum vivat non moriturus paulo serius : quod tamen quis flocci pendat ? sed victurus diutius, suosque dies naturaliter impleturus. Si tamen, postquam intra duos, vel tres dies ab Orci faucibus evidenter ereptus est, atque ad infebricitationem omnimodam redactus, obnoxius remaneat uni, vel alteri recidivæ leviori, post duas circiter hebdomadas contingenti, id æquo ferat animo. Feret autem, si memor fuerit periculi recenter elapsi, & si animadvertat, difficulter a remedio naturali restitui posse sanitatem fere in istanti, ut restituitur a Cortice, absque ulla recidivæ suspicione; hujusmodi enim modus agendi miraculosus foret, solique Deo reservatus. Sed revera nonnunquam transactæ procellæ obliti Ægrotantes, & ab hominibus male feriatis, cum recidunt, seducti facile exclamant quandoque, satius fuisse Febrem finere, a qua fortassis evasissent absque tædio tot recidivarum, quam illa violenter suppressa diuturniore incommodo præcocis sanationis pœnas tandem luere. Profecto receptum beneficium non exprobrarent si Febri illos jugulanti relicti fuissent; sed probi Viri est, cunctos servare, quos potest, & ferere beneficium, etiamsi sit messurus calumniam. Non sic ajunt postea, cum alios cernunt, in similibus circumstantiis hoc remedio, hacque Methodo destitutos perire.

Fatèor equidem, quod, quando Febris Acuta jam facta ferri potest, nec hominem propterea interimit, sed suum cursum integre, ac feliciter absolvit cum universali tandem, & critica fluidorum depuratione circa finem (dico *integre*, atque

feliciter: sæpius enim hoc fit imperfecte, & tunc quoque ex imperfecta judicatione plures recidivæ contingunt) melius , ac tutius quo ad suspicionem recidivæ judicatur morbus, ipso etiam fatente *Mortono*, quam si per Corticem impedito febrilis effervescentiæ progressu : etiamsi retusum simul sit, correctumque ipsum febrile Fermentum : integra impediatur per consequens eorundem fluidorum, & præcipue sanguinis despumatio ; quod circa citam nimis, validamque , ubi opus urgens non sit , Corticis oblationem observavit & *Monginotius* , a nobis super hoc ipso citatus *Cap. antecedenti*. At non proinde coercetur intus morbi fomes , totis suis viribqs iterum resumptis æque revicturus ac antea , sed longe debilius resurrecturus ; siquidem aliqua sui parte possit resurgere , revivisere , aut reproduci . Illud namque discrimen mihi videtur intercedere inter Febrem solutam primo , & resectam secundo modo, quod intercedit inter Arborem radicitus evulsam , & eandem ab imo trunco securi recisam . In primo casu ita extirpata est Arbor, ut nullum amplius possit emittere surculum. In secundo quoque certe integre resecta est ; nihil tamen obstat, quominus tenuius aliquod a detruncata radice pullulet germen, minime qualibet sirpicula facile averruncandum . Ita est profecto in casu Febris per Chinam Chinam curatæ. Non modo obtruncatus est Paroxysmus, sed prope radicem resectus, absorpto videlicet , correcto , enervato , ac retuso Fermento febrili ; remotiores tamen , & universaliores Causæ , quæ ipsum genuere Fermentum , etsi hac ipsa via enervatæ sint , non tamen sunt adeo domitæ , ac radicitus evulsæ , quin novum adhuc Fermentum , licet infirmius , aliquamve iterum illius portionem valeant progignere: qua de re fusius infra *Lib.* IV. *Cap.* V. Sed quorsum hæc ? Objectioni siquidem de periculo recidivæ, ubi agitur de impendente morte , nullus est locus , ni velimus in re seria fabellam renovare, qua fertur sitientem quendam proxime suspendendum patibulo , Vinum montanum potare renuisse , quippe quod laxoso loco genitum tractu temporis Calculum Vesicæ gignere poterat . Ne tamen festiva hac tantummodo, valida licet responsione velle satisfacere videar , ingenue repeto , quod pluries observavi, vel saltem quod mihi observasse sum visus (quod quidem ex historiis suo loco afferendis poterit quisque melius conjicere) perraram nempe contingere consuevisse recidivam in iis, quibus Methodo valida oblatus est Cortex in extremo prorsus eorum periculo; contra vero faciliorem , quando periculum aliquantisper ab extremo distabat , ut cum Æger duas adhuc Accessiones , vel unam saltem poterat probabiliter sustinere.

Est & alia Ægrorum non querimonia, sed potius despicientia adversus hanc Methodum , & est hujusmodi. Tam cita est , & tam facilis Illorum sanatio , nulla scilicet concurrente famosa operatione, nullo fere labore, dolore nullo, ut vix noscant , aut credant , etsi videant , se ab insigni liberatos periculo , quasi pretiosa illis non videatur acquisita sanitas, quæ non empta fuerit vel ingenti auri pretio, vel ingenti ipsorum cruciatu . Non ita foret , si copiam Lapidis Bezoartici nil agentis deglutissent , si torminosa , & nauseosa potassent pharmaca , vel si cucurbitulis , aut vesicantibus excarnificati ægre convaluissent . Proh magna innocui , & benigni Remedii calamitas ! Eo quod facile est , mansuetum , & minime dolorificum , vilescit . Sed & alia adhuc est ratio, propter quam vilescit sanitas per Corticem adeo mirabiliter acquisita . Ea est , quia Ægri assueti sunt credere , quoties evadunt a morbis , semper evasisse propter illa remedia , quibus sunt usi , licet nullum fuerit sive certum, sive sensibile illorum juvamen : ideoque etiam per Corticem sanati , non illi , vel Medico præscribenti plus tribuunt , ac tribuant aliis remediis , quorum pendente usu alias convaluere , licet sæpius non propter illa convaluerint , sed beneficio Naturæ . Hæc autem exceptio vere Cortici nullatenus competit , quippe qui statim sensibiliter, & semper suum munus absolvit in ardua fere quacunque circumstantia ; ei namque uni in tota Medicina datum est privilegium hocce , ut Medicus ante oblationem illius possit spondere subitam , certamque saltem moraliter Salutem , & restituto Ægro possit intra se modeste gloriari , exultare , & sibimetipsi dicere-- *Hunc Hominem certo pereuntem hoc uno Remedio vere servavi*. Sed hoc , quod probe dignoscitur a Medicis , minime dignoscitur ab Ægrotantibus ; adeoque illis minus conspicua redditur singularis excellentia Remedii, Medicique illud apte , & opportune

ne præscribentis industria. Verum hoc quoque parum refert. Et quoniam in aliis quandoque casibus laudatur a sanato Ægrotante Medicus, cum illius saluti nil fere præstitit, haud ægre ferat, si aliquando non laudetur, cum præstitit plurimum.

Denique illud, quod maxime exponit calumniæ Methodum istam, est necessitas illam quandoque adhibendi in talibus circumstantiis, ut forte Homini intra tres, vel quatuor horas animam efflaturo, illam contingat inutiliter administrare, & *subire speciem ejus, ut occisi, quem sors ipsius peremit*. Circa hoc oculatus valde sit oportet, cautus, ac peritus Medicus in dignoscendis casibus, ubi sit, vel non sit locus congruens actioni remedii, præsertim *in splendida persona, ne, si non servet, occidisse videatur*. Et, ut repetam quod *Capite* antecedenti obiter monui (est enim hæc magni momenti circumstantia) scire oportet, quod, sicuti ad hoc, ut virtus Corticis etiam copiose administrati in actum possit perfecte deduci, requiritur debitum temporis intervallum, XXIV. circiter horis circumscriptum, ita ne inutiliter exhibeatur necesse est, ut per XXIV. circiter horas victurus sit homo, cui debet exhiberi: adeoque oportet, ut ultra paroxysmum atrocem, quem actu patitur, vita illius sit protrahenda saltem in alterum, seu quod in illa Accessione occumbere non debeat, sed ad minimum in proxime sequenti. Caveat idcirco sibi Medicus, ne calumniam subeat, videatque, ac attente perspiciat, si vigente aliquo terribili paroxysmo vocetur, an a tali Accessione evasurus sit Æger (quod haud difficulter dignoscet, si expertus, & peritus sit) priusquam Corticem propinet. Neque enim statim ac vocatur; semper opus est illum immediate præscribere, sed satius est declinationem aliquam etiam hoc nomine expectare. Si enim aliqua symptomatum appareat remissio, & quædam Ægri jam fere morienti reviviscentia, utut ferme sine pulsu, & cum aliis lethalibus signis idem perseveret, alacriter exhibendus est Cortex cum spe probabili, ne dicam certa de servando homine propter moralem certitudinem, quam habet Medicus: de impediendo futuro Accessu.

Quod si res Ægrotantis eo devenerit, ut vita illius etiam intra paucas horas sit in discrimine, sive quia paroxysmus jam inchoatus videatur non posse ad declinationem pertingere, quin prius Æger deficiat, sive quia idem paroxysmus, non inchoatus quidem, sed quam proxime instans, nec proinde per Corticem amplius inhiberi capax, ultimus absolute, lethalisque futurus esse videatur: tunc, licet melius cautum foret famæ Medici non exhibendo Corticem, qui neque paroxysmos ipsos Benignarum Intermittentium vel inchoatos, vel proxime instantes valet coercere, adhuc tamen, ne caritati erga proximum suum ullo modo desit, ut quodammodo videtur deesse, si ob metum calumniæ negligat, vel omittat auxilium in talibus circumstantiis incertum quidem, ac probabiliter inutile, sed nihilominus innocuum, & forte juvandi capax, adhuc, inquam, crediderim, eundem Corticem a Medico misericordi offerri posse, plano tamen prius, & aperto præmisso prognostico, incunctantique protestatione de futura probabiliter inutilitate innocui cæteroqui tentaminis. Id eo magis licet aggredi (si non titulo curandi, saltem titulo indulgendi, atque tentandi, ut dictum est) si tale auxilium ab Assidentibus, vel ab ipso Ægrotante expresse expetatur, quandoquidem fama Remedii paucis ab hinc annis satis perspecta est, & vulgata cuique, dummodo Æger ipse jam fere non agat animam, Febrisque ex natura sua sit capax remedii, & non aliter. Aliud est enim illud tentare in Febre, cui cæteroqui conveniret, ni mors proxime instaret, aliud tentare in ea, cui nunquam, ne antecedenter quidem, convenerat, Illud, quamvis successu careat, condonandum; istud non ita.

Etsi tamen omnes quotquot excogitari possunt cautelæ, frustraneæ quandoque futuræ sint, ita ut a male feriatis hominibus nihilominus male audiat Medicus, qui Homini paulo post vita functo Corticem præscripserit, qualiscunque tunc fuerit Ægri status, qualiscunque illius, vel Adstantium efflagitatio, & qualiscunque propria protestatio ante remedii oblationem, non ob id Christianum Medicum decet abstinere prorsus ab usu talis remedii, ubi aliqua congruens ratio id exigat, vel tenuissima quævis non plane irrationabilis spes salutis in longinquo etiam affulgere, aut transpici posse videatur, ut si Ægrotus sit juvenis, & cæteroqui validus. Mihi etenim non semel contigit, licet non semper contigerit, Hominem

non modo a lethali paroxyſmo futuro parum diſtantem; ſed etiam in eo, quem patiebatur, expiraturum creditum; quin & prope expirantem ope Corticis Peruviani copioſe, & celeriter miniſtrati ſervare, ut ex Hiſtoriis poſthac afferendis patebit: etſi etiam poſt reſtitutam ſanitatem, & calumnias Detractorum, & querelas Convaleſcentium, & beneficii minime cogniti contemptum, & mala cuncta, quæ ſupra recenſui, ſim pluries expertus. Quid, ſi Cortice inutiliter miniſtrato Ægrotantes hujuſmodi occubuiſſent? Idcirco deſperatis omnino nunquam offerendus eſt, ne ſine ſpe juvaminis infametur. Atque eo magis ab illo abſtinendum, vel eo ſaltem cautiſſime utendum, ſi cum circumſtantia ſtatus Ægri plane deplorati concurrat altera circumſtantia temporis, de invadente jam, vel iſtante quamproxime paroxyſmo: quo caſu duabus, vel tribus horis ab aſſumpto Cortice, debet probabiliter Æger proxima jam Fata ſua ſubire. Satius ergo ſemper eſt, ſi fieri poſſit, remiſſionem Febris, ut ſupra diximus, expectare, ne orta ex morbo calamitas in remedium refundatur: uti non modo propter horam oblationis intempeſtivam, paulo videlicet ante paroxyſmum, ſed forſan (crediderim ego) ob hanc ipſam Morbi diſpoſitionem, in Pernicioſis præſertim facilem, aliquando in Anglia quid ſimile contigiſſe refert *Sydenham*, ſubortæ inde cunctationis nebulas diſſipans, uſumque Corticis, quodammodo tunc fatiſcentem, nervoſe reſtituens.

Quod dictum eſt de Cortice non exhibendo deploratis omnino, & citiſſime morituris, intelligendum eſt etiam de caſibus (rarioribus quidem) in quibus Pernicioſa Febris conjunctam habeat inſignem aliquam læſionem organicam Viſcerum, ſupra quam nullam habet ditionem Cortex; quare ſi a tali potius vitio, quam a conſueto Fermento producatur Febris, hæc tolli nequibit a Cortice, qui nil poteſt adverſus hujuſmodi Cauſam. Si vero eadem Febris periodi rationem habeat a Fermento ordinario, læſio vero organica Viſceris alicujus, puta Gangræna, Ulcus, Abſceſſus &c. ſit vel quid adjunctum per ſimultaneam coincidentiam, vel ſymptoma productum ab ipſa Febre, tanquam effectus a ſua cauſa, in tali quoque caſu, etiamſi per Chinam Chinam removeatur periodus, non tamen removebitur Gangræna, Ulcus, Abſceſſus &c. ſicut neque Febris illa Continua, quæ hujuſmodi affectiones comitari ſolet, aut ſubſequi, & quæ vel citam mortem, vel diuturnitatem morbi, utplurimum inexpugnabilem, conſuevit inferre. Hæc quidem coincidentia in Pernicioſis noſtris non eſt admodum frequens; ubi tamen ea contigerit, fruſtra eſt præſcribere Corticem: quemadmodum in ipſis diuturnis Intermittentibus, quas Ulcus aliquod internum, externumve profundum foveat, plurimi experti ſunt, & faſſi ingenui Scriptores; utpote ego ipſe poſſum teſtari, maxime ſi labes aliqua inſignis Thoracem præ cæteris occupaverit; ſed de his fuſius alibi.

Addamus pro coronide aliam nec levem, nec infrequentem, fere dixerim, calumniam, quam ſubire ſolet hæc Methodus: eam videlicet, quam aliæ Methodi curandarum Febrium, ſeu potius non curandarum, ut ſuam collabeſentem ſuſtineant exiſtimationem, neceſſitate quadam tutelæ *culpabilis*, huic affigunt. Primo itaque loco nonnulli Chinæ Chinæ infenſiſſimi, ſoloque illius nomine exhorreſcentes, qui ſcilicet eam nullo examine prævio ab uſu jam medico proſcripſere, mirum eſt dictu, quot nugas, quot ineptias, quot blaterationes, quot jurgia in illam effutiant. Illorum interim Methodus in curandis Febribus, noſtra rejecta, & exſibilata, ea ipſa eſt, quam lepide deſcribendo deludit Celeberrimus *Lucas Tozzi* peculiari Capite -- *De Methodo, qua reguntur noſtris temporibus, qui ſe Galenicos jactant*, ad quod curioſum Lectorem relego. Alii ſunt, qui China China vix audent uti in Febribus Intermittentibus Benignioribus, atque diuturnis, poſtquam videlicet omnes Pharmacopœorum alveolos incaſſum exinanierunt. Apud iſtos Methodus noſtra male audit; temeraria quippe, Empirica, & phantaſtica, ſemel per accidens utilis, pluries vero noxia, reclamantibus licet experientia, & ratione, reputatur. Præter hos nolim facile credere alios quoque reperiri poſſe, qui Methodo hac quomodolibet excerpta, vel intellecta, neque inutili in praxi reperta, quaſi tamen eos pigeat, ipſam, aliamve parum abſimilem palam profiteri, pudeatve alienum quodammodo morem ſequi, ea clanculum, ut ita dicam, utantur, etſi cæſpitanter, atque caſu tantum nonnunquam utiliter.

Iſti,

Isti, siqui sint, illam identidem, ut opinor, subfrigide, ac quibusdam tantummodo additis limitationibus laudabunt, sive laudabunt quantum sat est, ut ea possint uti sine exprobratione, si deprehendantur in facto, sed simul quantum sat est, ut possint opponere, & cavillationes adducere, eamve nonnihil (parum licet experti) reformare, vel castigare tunc, cum eadem sibi proponitur, vel mussitare saltem, cum ab aliis exercetur. Quod tamen ex his omnibus nemo ex prava intentione peccet, sicuti me certum reddit ipsorum integritas, ita æquum est, ut Lectores reddat æque certos integritas mea, me quoque in decursu totius Operis semper respicere, atque corripere opinionem tantummodo Adversantium, non mores: etsi præter intentionem alicubi forsan, ut & hic, mihi exciderint verba, quæ aliud sonare videantur. Cum itaque ex opponentibus istis nemo, ut ajebam, peccet ex prava intentione, sed *primi* ex præoccupatione quadam vetusta, *secundi* ex terrore Panico, & sliptica quadam circumspectione, *postremi* vero ex mutila experientia, sophisticis ut plurimum ratiociniis coinquinata: ideo pandere hujusmodi Methodum aperte decrevi, ut sublata dubitandi, murmurandive occasione, omnibus indiscriminatim prosim pro viribus, nominique deinceps meo hac spontanea qualicunque oblatione & consulam, & caveam.

CAPUT V.

Evitare Censuram vulgi difficile, si aliquando Æger hac Methodo curatus occumbat. Recensentur ideo fideliter Casus omnes lethales, in quibus culpatus est insons Cortex, *etsi non oblatus, ut & ii, in quibus vere oblatus non profuit, iique insimul, in quibus nec profuit, nec poterat prodesse.*

CAVEAT tamen sibi quantum velit, & quantum lubeat prudens Medicus, nunquam Censoriam Adversantium virgam declinabit: & quoadusque vivet Ignavorum blateratio, eousque culpabitur Cortex, & qui Corticem præscripsit, si quando unus tantum inter centum, suapte natura patenter jam moriturus, moriatur assumpto Cortice. Sed, bone Deus! aliud est mori sumpto Cortice, aliud est mori propter assumptum Corticem; nihilominus apud homines hujusmodi idem est mori aliquando post eum assumptum, ac propter eum assumptum; cum tamen non propter assumptum Pharmacum, nec propter assumptum Cardiacum, Bezoarticum, aut alia sexcenta dicuntur unquam mori tot, qui istis assumptis quotidie moriuntur. Anne soli Cortici injuncta est necessitas vel sanandi etiam deploratos, vel necandi quos sanare non valuerit? An quisquam illum venditavit pro Pharmaco immortalitatis, ut præstet primum? An aliquam habet, ut habent tot alia, quæ passim præscribuntur, noxiam, aut deleteriam qualitatem, ut præstet secundum? Cum vero tam præstans non sit, ut omnes sanet, præsertim in agone constitutos (licet forte sanet ex iis etiam nonnullos) num propterea ut Venenum audiet? Hic sane adamussim quadraret, quod ratione longe minore protulit olim *Botallus*, & ex Botallo nostris temporibus *Sydenham*, quorum uterque cum liberaliorem sanguinis missionem in Febribus Pestilentialibus usurparet, seque culpari resciret, si quando aliquis tali adhibita Methodo occumbebat, *Verum* (inquit) *Nebulones nequissimi, & ignavissimi in id semper culpam convertere satagunt, non quod nocuit, sed quod per nefas a cunctis vituperari exoptant. Aut si id nequitia non faciant, ignorantia tamen efficiunt: utraque certe perniciosa, sed illa magis.*

Non equidem ego in hanc querelam effundor, eo quia mihi, quod memor sim, unquam contigerit casus aliquis, qui alicui etiam in dicacitatem prono potuerit ansam præbere similia effutiendi; sed potius conqueror, quod hæc aliquando ab ignaro vulgo, vel deliris hominibus promulgata sint in Casibus quandoque Illustrium Personarum, quæ obierunt, quibus vere Cortex non fuit oblatus, quibusque utinam oblatus fuisset. Cæterum denuo possum testari coram Deo, & Hominibus, ut alias pariter testatus sum, me nunquam ulli Corticem exhibuisse, cui ille obfuerit, vel potuerit mihi serio meditanti suspicionem illam incutere de damno illato: excipiendo semper hic, & ubique suspiciones in historiis secundæ huic Editioni additis adumbratas, usumque minus tempestivum pharmaci cæteroqui innocui respicientes. Ne vero alicui intra Urbem nostram conscio de casibus quibusdam lethalibus, in quibus aliquando fama mendaci culpatus est Cortex, minus can-

candida videatur assertio mea, placet hic Casus ipsos obiter recensere, & ab iniqua calumnia insontem Corticem vindicare.

Sed prius circa hoc generaliter velim notari, quod, quando Æger, qui in extrema angustia Corticem potavit, vita fungitur ante adventum futuri paroxysmi, scilicet correspondentis ei, quo pendente oblatus est Cortex, non potest tunc idem Cortex culpari non modo de damno, ut patet, sed neque de inefficacia: quandoquidem in tali casu perit Æger in ipso paroxysmo, quo oblatus est Cortex, diutius protracto. Effectus autem Corticis est, inhibere correspondentem, ut diximus; adeoque quotiescunque vivente Ægro usque ad tale tempus correspondens paroxysmus inhibeatur, Cortex jam suum munus absolvit, sive deinde Æger successive sanetur, ut vere assolet, sive etiam inhibito licet paroxysmo, adhuc occumbat ob aliquam *v.gr.* labem adjunctam, quæ Febriculam Continuam foveat, sublata etiam periodo, lethalem, ut in nonnullis Casibus contingit, immedate infra subdendis.

Primo igitur loco fama tulit apud nonnullos, Clarissimum olim Virum *D. Nicolaum de Sanctis*, A secretis, & Status Consiliarium Serenissimi Ducis Nostri, in postrema ægritudine sua (qua Fato cessit) assumpto juxta hanc Methodum Cortice obiisse; sed falsum est. Sumpsit quidem alia remedia vulgaria, & obiit; Corticem autem vere non sumpsit: nec obiisset fortasse, si vere sumpsisset. Torquet adhuc animum meum memoria de Cortice non oblato tunc, cum tempus aderat, de non tentato saltem etiam tunc, cum præteriit. Quatuor eramus curantes Medici, *D. Dandrinus*, *D. Ferrarius*, *D. Davinius*, & ego, qui propter levem quandam invaletudinem, qua paulo ante correptus fueram, postremus accessi, nec primis, ut alias consueveram, morbi diebus interfui curationi. In alia difficillima ægritudine ejusdem Patientis non sine fructu tale remedium, vix vix indicatum, cum aliis tamen quamplurimis longo temporis tractu præscripsimus, & ab eo morbo contra ipsam expectationem nostram evasit. An Cortex simul cum aliis remediis, an sola Naturæ actio opus illud absolverit, ignoro. Eadem fiducia propositus fuit unanimiter Cortex per modum alterantis in novissima ægritudine, tempore congruo, cum videlicet Febris Tertiana duplex, sat valida, & per subingressum paroxysmorum Continua, suas adhuc servabat periodos; sed & unanimiter (postquam paratus fuit in pyxide, & secundum tenuem portiunculam ab eodem libatus) ab ulteriori illius oblatione supersedimus victoriam a sola Natura sudatiunculas quasdam tentante per viam vel crisis, vel lentioris coctionis, concordi voto sperantes. Sed quid? Non multo post intenditur morbus; tandemque irritis Cardiacis, & Bezoarticis ruit in præceps. De tentando Cortice remanet anceps judicium. Creditur inutilis futurus, timetur calumnia, nec offertur; eoque intentato occumbit Æger, superstite intra pyxidem Cortice: Medici vero subeunt calumniam de eodem perperam oblato, dum eos pœnitet non tentasse ob calumniæ metum.

Secundo loco Nobilissima Matrona *Domna Gertrudis de Sanvitalibus*, Eminent. Cardinalis Soror, *Marchionissa Rangona*, anno 1707. post paucos paroxysmos duplicis Tertianæ in soporem incidit tam gravem, tamque profundum tempore accessionis cujusdam, ut de illius Vita maximopere a curantibus Medicis dubitaretur. Duo erant hi; unus quidem Junior (talem quippe respectu alterius licebit illum appellare) alter vero Senior, nempe *Cl. Ramazzinus*, qui durante Patavinorum Studiorum interstitione Mutinæ agens, amplissimæ huic Matronæ operam suam, ut quondam consueverat, in hac quoque ægritudine præstitit. Apposita sunt statim, gravi hoc ingruente symptomate, ex eorundem curantium Medicorum præscripto Vessicantia, aliaque peculiaria remedia; jam enim universalia præcesserant. Tandem advocor & ego tempore, quo sopor nonnihil incipiebat una cum accessione remitti: ipsa namque Patiens paulo post me nosciens est allocuta. Statim Corticem valide administrandum propono ad impediendum paroxysmum correspondentem. Annuit meis motus rationibus, meisque, si fas sit dicere, sibi sat notis experimentis *D. Ramazzinus* in curatione præcipuus (quidquid olim minus favorabiliter in suis *Constitutionibus Epidemicis Mutinensibus* scripserit ille de Cortice in hisce præsertim circumstantiis, aliud scilicet

licet ſentiens ante annum 1695. & aliud poſt) cunctante tamen , nec niſi præ auctoritate ipſius *D. Ramazaini* , pluribus nominibus ſibi æſtimabili , conſentiente altero Medico ; quamobrem parata eſt illico *ſemiuncia* Chinæ Chinæ e veſtigio potanda , ſaltem pro medietate ; ſed inculcante rurſus eodem Junioje Medico adeſſe tempus commodum pro expectanda majori remiſſione , prima oblatio , quæ a me illico proponebatur , ſerius (me quoque officioſe conſentiente) protracta eſt . Sumpſit itaque Nobiliſſima Ægrotans tantummodo *drach. j. ſs.* circiter pulveris uno hauſtu circa noctem. Mane diluculo alia ſimilis ſaltem doſis debebat exhiberi , & reperi poſt aliquod breve temporis intervallum , prout fert Methodus mea ; ſed quia conſtanter aſſeverabat antedictus Junior , qui permanentius adſtabat , acceſſionem illius diei conſueviſſe eſſe parvi ponderis , quod tamen non facile admittebant domeſtici , nec proinde opus eſſe tam feſtina Corticis oblatione , neſcio , an ipſius , An Aſſidentium deliberatione loco Chinæ Chinæ cibus fuit exhibitus . Cumque paulo poſt ipſe ſuperveniſſem , ſub fiducia rerum mihi narratarum (maxime cum ſtatim a cibo remedium opportune amplius exhiberi non poſſet) circa meridiem tantum illud propinari poſſe cenſui . Aſt inopinato ante tale tempus nova Acceſſio , quæ debuerat eſſe minor ex relatu , violenter Ægram corripuit cum tanta mentis hebetudine , ut Chinam Chinam oblatam non valuerit aſſumere , actum deglutitionis edere neſcia ; illam enim , poſtquam ore diutius agitaverat , deglutire credens , expuebat : nec inde potuit ullo modo eam per œſophagum demittere , ſed facta omnino lethargica , mane ſequenti obiit , annum implens ætatis ſuæ LIII. Forte tamen , ne dicam certo , non obiiſſet , ſi primo hauſtu *quatuor* , vel *ſex drachmas* pulveris , ut facile poterat , aſſumpſiſſet .

Tertio D. Candrinus Medicus , qui poſt receptam Methodum meam (recepit autem ſtatim ac vidit) plures ea mediante perfecerat curationes eximias , in ultima ægritudine ſua , cui medebatur , me per accidens abſente , *D. Davinus* , pauloque poſt ſimultaneo officio medebar pariter ſuperveniens & ipſe , ſæpius mihi inculcabat , ut memor eſſem de propinando Cortice more meo quotieſcumque ſe offerret occaſio ; noſcebat enim , Febrem Continuam cum exacerbationibus obſcuris , & irregularibus , qualis erat ea , qua detinebatur , Corticem nondum plane admittere . Levis aliqua remiſſio circa decimamquartam diem , & ſudores inde erumpentes cum facili tolerantia bonum omen tractu temporis videbantur ſpondere : adeoque etiamſi aliquis forte tunc locus eſſe poſſet uſui Corticis , non tamen opportunus admodum , neceſſariuſque videbatur . Interim tranſacta die xxi. labuntur vires . Circa xxiv. morbus in pejus ruit , *D. Davinio* plura incaſſum meditante , & agente , mihique poſt duorum dierum abſentiam in Urbem recenter redeunti , proponente , antequam Ægrum inviſerem , an novam venæ ſectionem , an potius Corticis uſum ſeligerem in hoc caſu , in quo nonniſi cenſuram prævidebat ex utroque remedio , quodcunque eorum inutiliter adminiſtraretur . Recta ideo conferimur ad inviſendum Ægrum , ut alterutrum ſeligamus : ſed eum jam properantem ad interitum cum gravi anhelitu , & pulſu deficiente reperimus . Et quoniam nullius phlebotomiæ , vel ulli remedio , virium robur exigenti , locus erat , Corticem potius tentari poſſe credidimus , licet probabiliter ſine fructu , ut pleno palam ore proteſtati ſumus . Aſſumptis ergo prius Eccleſiæ Sacramentis , meliore quo potuit modo , levem Corticis portionem potavit ; ſed creſcente jugiter gravi anhelitu , & pulſu ruente , impotens factus eſt ullam amplius portionem aſſumere : immo , etiamſi potuiſſet , abſtinendum præcepimus ab ulteriore oblatione in ſtatu jam evidenter lethali , quo in ſequens tantum mane protracto , intra diem xxvii. expiravit , & intra annum ævi ſui IL.

Quarto tandem Vir Patricius *D. Joſeph Gallianus de Coccapanis* annum agens 64. quem quondam laborantem Tertiana Perniciosa Cholerica ſanaverat Cortex , ut ſuo loco dicemus , Æſtate anni 1708. poſt ſuperatam in principio Veris gravem ægritudinem Tertiana ſimplici corripitur , cujus prior Acceſſus accidentalis creditur a Ægrotante , atque a cruda repletione pendens ob vomitum adjunctum materiæ inconcoctæ . Accitus ego ſecunda morbi die , infebricitantem omnino deprehendi , & in omnibus vegetum , Tertianam nihilominus Febrem

ſe-

ſequenti die ſe proditurum, eidem pronuncians. Tertia die mane illudit ille mihi de inani prognoſtico: adeo ſibi fidebat, nil incommodi percipiens. Redit tamen poſt meridiem Acceſſio comitata dolore ſtomachi ſatis ſenſibilis, & vomitu laborioſo, quæ duo ſymptomata illi ſemper fuere in Febribus omnibus familiaria. Duravit per quatuor horas vexatio; quæ me veſperi accedente, blandaque remedia præſcribente evaneſcebat. Mane ſequenti potat Oleum Amygdalarum dulcium, quo materia biliosa placide per alvum educitur. Optime tolerat, totaque die immunis a Febre Amicos admittit, & cum iiſdem amœne confabulatur. Altera die, quæ erat morbi quinta aſſumit bolum confectum ex cryſtallo mont. præp. Conf. de hyacintho, ac Tantillo Theriaces recentis; & tranquille ſe habet per totum mane. Accedo hora ſuſpecta, quæ erat tertia pomeridiana, & invenio illum recenter expergefactum a ſomno cum vi, & impetu, ratione inſomnii cujuſdam, in quo ſibi viſus eſt expellere Diabolum ſub aſpectu mulieris ad ſe accedentem. Narrat ſomnium iſtud, aliudque inſuper plane feſtivum; de utroque ridet, & interim præterlabitur hora tertiæ Acceſſionis. Moror adhuc ibi per aliquod tempus; dumque diſceſſum meditor, inquit ille: *modo non admodum bene me habeo*. Hoc dicto, ſtatim turbatur pulſus, inſurgitque angor ſtomachi, & proclivitas in vomitum. Præſcribo juſculum tenue, identidem potandum ad demulcendam humoris acrimoniam, miſturam anodynam ex abſorbentibus, incraſſantibus, & Cardiacis, cochleatim ſumendam, fotus externos, aliaque hujuſmodi, & abeo quo me trahit ſtatuta hora Conſultatio quædam gravis. Poſt horas quinque circiter redeo (verſabamur autem circa ſecundam noctis horam) & ab Aſſiſtentibus, priuſquam Ægrum inviſam, intelligo; immanem fuiſſe irritis auxiliis omnibus illius Acceſſionis Cardialgiam, adeo ut Æger vix loqui valeret interciſo ſermone, & irrequietus huc illuc aſſidue jactaretur. Intra memetipſum ſtatim cogitavi de Cortice propinando, metuens exitium in quarto Acceſſu; ſed Ægrum ſubinde ſuſpiciens, invenienſque in eo ſtatu, ut potius metuendum eſſet de morte in illa eadem Acceſſione, quam in altera, mutato conſilio abſtinui, alia tantum cardiaca remedia ſubſtituens: factoque interim funeſto prognoſtico, & præſcriptis Eccleſiæ Sacramentis, diſceſſi ſubdens, quod ſi forte Acceſſio illa perveniret ad declinationem, itaut ſpes eſſet, vitam poſſe protrahi in alterum Acceſſum, mane Corticem exhibere. Mane igitur quandam ſenſuum promptitudinem, quam etiam maximam habuit in aſſumendis Sacramentis, obſervans, etſi Febris adhuc vigeret, & protraheretur potius intenſa, quam ad remiſſionem vergeret, cæteraque omnia mortem proximam minarentur; unum hauſtum Corticis ſatis moderatum (hærebam enim non parum) exhibui poſt tres dein horas alterum oblaturus. Sed accedens rurſus, ut hunc exhiberem, novi Ægrum ſemper in deterius labi, nec illam Acceſſionem, quippe nondum declinantem, prætergreſſurum eſſe; ideoque ab ulteriori Corticis oblatione ſuperſedi, illum pro deplorato omnino reputans, ut nimium circa ſecundam noctis horam confirmavit eventus. Atque ita periit Amicus, qui forte non periiſſet, vel ſaltem non periiſſet tunc, ſi illi poſt ſecundum ſtatim paroxyſmum integram Corticis doſim propinaſſem. Sed quis quantumvis oculatus tam præceps exitium in tanta tranquillitate prænoviſſet?

Hæc ſunt, de quibus Medicos moneo in curatione Perniciosarum, indigus præ aliis, ut admonear ipſe, eſto quod mea nonnunquam præſagia fortunet eventus: quo demum capti popellus, atque plebecula,

------ *Me quoque dicunt*
Vatem . . . . ſed non ego credulus illis

ab inopinato identidem ſucceſſu doctus oppoſitum. Mihi tamen in caſu tam repentino, & minime præmonſtrato (præmonſtraverat tamen aliquid Acceſſio ſecunda, licet tam præceps non indicavit exitium) mihi, inquam, in hoc caſu nulla per Urbem objecta eſt omiſſio, quæ vere a nemine mihi poterat objici niſi a me ipſo, ut qui forſan in perſona minus ſplendida ſtatim Corticem obtuliſſem; forte tamen etiam non. Sed ſi obtuliſſem in hac poſt ſecundum tantum paroxyſmum, qui fuit primus, quem inſpexerim, pluresque poſtea, ut ſuſpicari fas eſt, contigiſſent recidivæ, vel ſi in earum aliqua obiiſſet Æger, quid quæſo dictum foret de Cortice, quid dictum,

immo

immo quid non dictum de me? Evitavi tamen Censuram, quia obiit vulgari curatus methodo; non evitassem, si curassem feliciter Cortice. Utinam ita egissem tunc, ut modo Censuram paterer. Videant ergo, quam crasse hallucinentur ii, qui censent (si qui sunt, qui censeant) in enarratis Casibus propinatum fuisse toto conatu Corticem, cum vere propinatus non fuerit, vel saltem pro non propinato habendus sit: cujus rei veritatem, ac seriem Assidentes, & Consanguinei Defunctorum possunt testari. Quia vero ingenuitati meæ, vel publicæ fidei nunquam deero, fateor (quod latet Obtrectatores Corticis) in nonnullis Casibus præter recensitos fuisse a me exhibitum Corticem, & nihilominus Ægrotantes illos æque obiisse, ac obiisient eo non assumpto: adeoque minime inficior, illum aliquando, raro licet, inutilem esse, ut sæpius sunt quævis remedia: sed absolute nego esse noxium, præsertim si methodice adhibeatur.

I. Ita contigit, ne quicquam reticeam, alteri Viro Patritio *D. Antonio de Quatrinis*, cui medebar ego adjuncto mihi in societate *D. Davinio*. Illi itaque pendente cursu simplicis Tertianæ addita est dysenteria ferox, & essentialis, quæ tunc fere epidemice vagabatur per Urbem. Utroque Æger vexatus morbo, brevi frigidus factus est, singultuosus, & fere sine pulsu. *D. Davinius* tunc me sciscitatur, cur Corticem non proponam, ut mihi mos est, in tali angustia. Respondeo, dysenteriam esse essentialem, nec sequi motum Febris, adeoque illam Cortici Febres cum suis tantum symptomatis tollenti non simul cessuram. Desperatis tamen rebus tentandum censuimus. Itaque oblato valide remedio, nulla amplius observatur febrilis recrudescentia horis periodicis, sed perseverante pertinaciter dysenteria cum indiciis sphacelatæ partis, intra paucos dies Æger vita fungitur. Forte in hoc casu majorem, quam China China, contulisset opem Ipecacuanha tempestive oblata, & si præsto fuisset, etsi nec æque certum, nec forsan semper æque tutum, innocensve remedium sit Ipecacuanha in linea Antidysentericorum, ac China China in linea Alexipyretorum.

II. *P. Felix de Tagliazucchis* ex Ordine Fratrum Minimorum S. Francisci de Paula, quem curabat *D. Riccius*, in quodam Tertianæ, non sum memor an simplicis, an duplicis paroxysmo, sudoribus diaphoreticis frigidissimis abunde diffluens cum totali asphyxia, sensibus licet vegetus, jam moriebatur. Absente ab Urbe curante Medico advocor ipse, ut qui tunc feliciſſimam Curationem in illa vicinia absolveram in casu valde consimili. Ancepi ego, an suffecturus sit Æger usque ad declinationem accessionis, quippe inscius de morbi cursu, & de rebus gestis, ut nihilominus Amicorum adstantium petitionibus morem geram, & præmisso prius prognostico de infausto exitu, adducor, ut Corticem ad *unc. ſſ.* ni fallor, statim præscribam, sed incassum; nam perseverantibus iisdem sudoribus intra illam eandem Accessionem post paucas horas, viventium numero deletus est.

III. *D. Francisco de Favalottis*, quem *D. Davinius* curabat, detento duplici Tertiana ob gravissimum Comatosum affectum pernicioſa, Corticem more meo propinandum esse, consultus credidi; erat enim meo judicio morbus eo remedio sanabilis, & opportunum tempus oblationis illius. Sed, nescio quo Fato, quave infausta Pharmacopolæ, aut Assidentium diligentia, illi percolata tantum infusio, seu potius decoctio *unicæ unius* Chinæ Chinæ exhibetur per statuta intervalla loco ejusdem Chinæ Chinæ in substantia, liquori, ut proposueram, conjungendæ. In hoc æquivoco moramur per duos ferme dies: dumque aliam pyxidem similem paratam video, eidem semper innixus credulitati indico, satius esse pro tunc supersedere sufficientem jam assumpti remedii reputans quantitatem pro impedienda Accessione proxime futura. Redit tamen illa eodem forti, lethargicoque comitata symptomate. Miror novitatem rei, & melius inspecta pyxide errorem deprehendo. Cogitavi statim de præscribendo validius remedio (non enim tunc cum Collega curante illuc conveneram) sed renui facere solus, & tantummodo superaccitus, nec mihimetipsi amplius satis fidens in eo rerum statu. Interim Æger fit summe lethargicus, & deglutiendi nescius. Die sequenti habitus est pro expirante; aliquot nihilominus tenues cyathos illius percolatæ decoctionis cochleatim hausit, vitamque præter multorum expectationem ad tres, vel quatuor dies frigidus, & sine pulsu, simulque sine exacerbatione protraxit, donec pari passu deficiens tandem expirarit,

rit, qui forsan remedio nervosius oblato sanari potuisset.

IV. *D. Ludovicus Cæsar de Carandinis* valetudinarius perpetuo, & in Tabem pronus, diuturna Quartana Ruri detentus, quæ tractu temporis pertinacem diarrhœam, mox & vomitum cum summa virium dejectione, & corporis extenuatione secum traxit, Urbem transfertur, & *D. Riccio* Medico suo ordinario curandus committitur. Invenit is, ut retulit, Quartanam non amplius Intermittentem, suos tamen circuitus etiamnum manifeste servantem, & comitatam prædictis symptomatis, maxime vero vomitu fere assiduo. Cumque Accessio quælibet Ægrum fatigaret tali proportione, ut paucis in posterum suffecturus videretur, cogitavit ille de præscribenda China China ad *drach. ij.* more vulgari. Quia tamen continuitas introducta, quæ si essentialis fiat, de more lethalis esse consuevit (ut norunt Practici) rationalem aliquam illi suspicionem incutiebat de infructuosa oblatione, me ideo in consilium vocavit. Annui ego, atque animum adjeci, eo quia adhuc manifesta mihi narrabantur signa periodi, inter quæ frigus in accessione invadens, naturamque Febris Intermittentis etiamnum designans in ipsa accidentali, ut ita dicam, & recenti continuitate. Quoniam vero non longe distabat paroxysmus, hunc prius observari debere censui, antequam plane statueretur oblatio Corticis. Advenit Febris, quæ Ægrum fere sustulit, remansitque ille cum pulsu vix perceptibili etiam in majore Febris, & symptomatum remissione. Tunc statim ad *drach. ij.* præscriptus est Cortex, & sequentibus duobus diebus ad *drach. j.* mane, & sero; sicque Accessio die correspondente non rediit. Continuata est ad aliquot alios dies eadem China China, non quidem amplius in substantia, quia eam nauseabat Æger, quomodolibet offerretur, sed in Extracto ad *scrup. j.* bis in die. Jamque nullum omnino periodi indicium amplius visebatur; sed nihilominus nec resurgebat pulsus, nec tollebatur lenta febricula, nec removebantur, licet paululum remitterentur, symptomata. Interim Æger languidior fiebat; tandemque diarrhœa sensim colliquante, vomituque vix cibum admittente, statimque rejiciente confectus expirabat. In hoc casu, quin vitium aliquod grave latuerit in partibus solidis, nempe in Visceribus, minime dubito; præstitit tamen Cortex quod potuit, & vitam, ut reor, ad aliquot dies protraxit.

V. Alium Casum addam de Pictore quodam, nomine *Dominico de Villanis* a *D. Candrino* curato, qui cum Quartana longissima Hydropem simul confirmatum patiebatur. Venter illi immaniter turgebat; sonabat percussus, & repercutiebatur Aqua. Facies similiter turgebat, & intra palpebras inflatas, ac diaphanas adeo condebantur, ut vix apparerent oculi. Pedes æque insigniter intumescebant; brachia vero, tibiæ, & crura summe gracilia, extenuataque apparebant. Sed mirum! Ipse maraſmus erat tumor: casu namque compressæ digito partes istæ foveam profundam nil tale cogitanti exhibuerunt; quare subducto calculo nonnisi ossa, & pellis arida, sero subcutaneo flaccide turgida, tactui se se offerebant. Erat insuper totus ad sensum frigidus, identidem singultuosus cum pulsu summopere exili, & ægre cibum capiebat. Solum mente constabat, languide loquebatur, & noscebat se paulatim mori. Ad hæc paroxysmum Quartanæ suæ periodice patiebatur, quo durante semper profunde somnolentus jacebat, ut mortuus videretur, donec declinante paroxysmo aliquantulum, semper tamen imperfectius reviviscceret. In consilium vocatus, immo expresse accitus, ut tantum inspicerem, non ut curarem, renuebam ipse quidquam proponere Homini chronicis jam morbis insanabilibus ferme confecto, ætatemque insuper sexagenariam agente; sed ab Amicis illius, atque domesticis postmodum rogatus, ut quidquid etiam inutiliter tentari posset, vellem tentare, & curanti Medico prompte cuncta executuro indicare, ausus sum Corticem proponere. Uno verbo, Cortex oblatus est, & repetitus pluries suis temporibus, statimque sublata est periodus, & comatosa affectio conjuncta. In eum deinde statum devenit, ut per mensem jusculum Viperinum, aliaque remedia reliquas affectiones respicientia potuerit assumere, Corticis quoque usum imminuta, & continuata dosi per intervalla repetens. Usque tamen durabat Hydrops cum extremitatibus maxime excarnibus, & nihilominus maxime tumidis. Revixit singultus summumque simul cibi fastidium, sensimque Æger post tres cir-

circiter, ni fallor, menſes ab oblato Cortice (quos omnes dubio procul ope Corticis vixit) deceſſit e vivis. Atque hanc hiſtoriam, quam jure merito inter triumphos Corticis numerare poſſem, quia mortem Ægrotantis inevitabilem, & imminentem longe ſerius, quam par erat, protraxit, intereventus nihilominus infauſtos lubet collocare.

VI. Obiit quoque *D. Flaminia de Ingonis* Matrona ſpectabilis, de cujus ægritudine vix, quantum ſat eſt, ſum memor; memini tamen quæ præcipua ſunt. Ab initio Tertiana ſimplici laboravit ex gravi animi pathemate, & facile remediis ordinariis liberata eſt. Recidit illa, atque iterum ſimiliter ſanata. Recruduit denuo morbus, Febriſque non Intermittens, ut antea, ſed Continua apparuit cum periodicis obſcuriſſimis exacerbationibus. Ingraveſcente morbo *D. Davinius* fit mihi curationis ſocius. Adminiſtrantur quæ ſunt ex arte, ſed irrito ſemper ſucceſſu. Tandem erumpunt duæ Parotides, unaque earum ſatis inſignis. Evaneſcit tamen utraque citra ſuppurationem, ac ſubinde paulo manifeſtiores videntur fieri Exacerbationes, & Remiſſiones Febris; verum in ipſis exacerbationibus gravis ſopor ſe prodit cum ſummo virium languore, pulſuque minime conſiſtente. Re in pejus ruente, ambo cupidi prohibendi exacerbationes Febriles, ſoporoſi ſymptomatis mortem portendentis productrices, decernimus de tentando uſu Corticis. Auctor ſum ipſe: conſentit Collega. Prima vice aſſumit illa, ſed difficulter, profundo quippe ſopore oppreſſa: qua de cauſa potis non eſt remedium repetere, ſicque incœpto inauſpicato opere; dein imperfecto remanente, Ægra paulo poſt lethargica prorſus e vivis ſublata eſt.

VII. VIII. Deceſſere denique mihi, abſque eo quod hiſtorias per extenſum referam, nil proficiente uſu Corticis etiam tempeſtive adminiſtrati, duo Religioſi Viri ex Carmelitarum Excalceatorum familia, quorum unus ſeptuagenarius, debilis, & valetudinarius erat, obiitque correptus Tertiana duplici, pernicioſa, & exitiali facta ob continuitatem, & acutiem irrito Cortice progredientem. Alter vero Juvenis erat, qui a Febre primum Acuta, & Continua Proportionata, mox & ab Intermittente, in quam recidit, fuerat ſanatus, & quidem ſemper ſine Cortice. Recidit ille tertio, febriculas iterum Intermittentes longiuſculas paſſus, & Cortice leviter per modum alterantis aſſumpto denuo ſanatus eſt. Recidit quarta vice. Et quia Febres videntur ad acutiem vergere cum tendentia ad ſoporem, præmiſſis ex arte in tali caſu præmittendis, offertur iterum Cortex validiuſcule in formam Opiatæ; ſed incaſſum. Omittitur idcirco illius uſus nondum plane completus, aliaque remedia volatili, & diſſolvente virtute prædita ſubſtituuntur; ſed fruſtra: Juvenis namque cum pulſu raro, & quodammodo, ut videbatur, laudabili, profundum in ſoporem labitur, vix potis cibum capere; tandemque ſingultuoſus, & anheloſus cum pulſu minuto, & celeri Deo ſuam piam animam reddit.

Sunt hi fideliter Caſus omnes Ægrotantium tractu annorum ferme XL. defunctorum, quorum ſim memor: eorum videlicet, quibus Cortex incaſſum a me propinatus fuerit in Febribus Pernicioſis antea deſcriptis, quas cæteroqui idem Cortex eadem methodo, ſed opportuniori tempore, & in circumſtantiis magis propitiis adminiſtratus curare potuiſſet. Nonnullos equidem alios præter hos, paucoſque caſus, in quibus irrito pariter ſucceſſu oblatum eſt remedium iſtud, referam *Lib. V.* Aſt id contigit in Febribus tantum quibuſdam eſſentialiter Continuis, vixque paululum, ac ne vix quidem remittentibus, pro quarum medella cum ſuapte natura anceps ſit actio, & effectus Corticis, ipſa quæ ſubſecuta quandoque eſt, carentia ſucceſſus, nobis eo loco ſuppeditabit fundamentum ſuſpicandi de ipſius inefficacia in Febribus illiuſmodi, in quibus ideo nonniſi certa quadam adhibita diſtinctione ut vere proficuus admittetur. Sed hæc hujuſce loci non ſunt.

Ut vero ad recenſitos nuperrime caſus, in quibus inaniter miniſtratus eſt Cortex, fugaci ſaltem intuitu convertamur, ſtatim animadvertere eſt, eundem Corticem prioribus quatuor Ægrotis proprie non fuiſſe propinatum, vel ſaltem noſtra non ſervata, aut non completa methodo. Iis etenim fere contigit, quod contigit (ne vel minimum quidquam ſupprimam) Patricio Viro, Sereniſſimæ Ducalis Cameræ Generalis Procuratori, *D. Gaſpari de Quattrofratris*, qui anno 1697. ex Tertiana Pernicioſa Diaphoretica irritis omnibus curantis Medici conatibus jam plane confectus, Chinam Chinam potare cœpit

pit quatuor circiter ante obitum horis, unoque tantum, vel altero assumpto haustu spiritum edidit, remanente domi remedio, Pauperi cuipiam levius febricitanti dispensando. Idem etiam contigit, & quidem patentius, uni ex ejusdem Nepotibus, qui vix unica ante obitum hora, dum scilicet illi suffocans stertor jam in bronchiis inflammatorum Pulmonum obstreperet (occumbebat enim Peripneumonicus) tam enixe Chinam Chinam expetiit, eamque sibi denegari tam ægre tulit, ut ad solamen morientis liquorem aliquem amaricantem sub specie Chinæ Chinæ eidem offerre decretum fuerit. Cum vero casu præsto esset ibi ipsum remedium, paucula statim illius portio exhibita est, quam summis vix attigit labiis, cumque id abunde sufficere, præsens ipse subjunxerim, substitit ille: & sic expleta imaginatione sua post horam circiter expiravit.

Hujusmodi ergo, atque similibus Ægrotantibus nemo profecto jure dixerit, oblatum fuisse Corticem. Aliis autem pluribus ex iis, quos recensui, licet vere oblatus fuerit, id tamen actum fuit desperatis jam æque rebus, morte quamvis paulo plus distante, tentandi scilicet solum, vel indulgendi causa, pauciſque tantum: ut ex relatu patet, fuit oblatus in circumstantiis, quæ valeant ostendere (quod a me non negatur perpetuo) invalidum nonnumquam, incertumve in difficillimis quibusdam casibus esse posse robur remedii, cæteroqui saluberrimi, & admirabilis, cui par non est, nec umquam fuit in linea Alexipyretorum. Ex oppositio namque plus centum illustres historias Hominum ab imminente morte servatorum possem adducere, quarum non paucas sequenti potissimum Libro usum allaturus: relicta unicuique, qui sibi os strenue perfricuerit, libertate blaterandi, me donasse nomine non potentium servari, quotquot China China necavit; nomine vero sanatorum, quotquot ea nequivit occidere.

Quod si aliquibus Cortice perperam vel languidiuscule, dosique irregulari, aut priusquam, plusquamve deceat imminuta utentibus, vel præscribentibus ubi non conveniat, ut in Febribus essentialiter Continuis, & in extremo earum periculo, ille non videatur proficere, non id in medicaminis, vel Methodi meæ vitium vertant, sed in culpam Methodi suæ, si quam habent, aut habere credunt: si enim huic (quam protuli in eum finem, ut qui eam non satis callent, callere possint) fidem velint adhibere: eamque integre non renuant amplecti, feliciores procul dubio post hac curationes absolvent.

Sed eheu! nimium fortassis Methodum hanc amplectentur nonnulli, & indiscriminatim in usum ducent, nimiumque forsitan intemperanter tractu temporis illam Medicis suggerent importunæ mulierculæ, adeoque in abusum, & tandem in contemptum, culpa scilicet utentium promiscue, & sine delectu, cadet Remedium eximium, fietque tandem de Cortice, quod jam perperam factum est, ac quotidie fit de Cardiacis, & Bezoarticis. Neque enim legitime mortuus vulgo crederetur homo, cui non sit prope mortem oblatus Cortex, quæcunque sit Febris, aut quæcunque affectio, quæ illum jugulet, quemadmodum legitime mortuus vulgo non creditur, qui ventre pretiosis lapidibus, eorumve confectionibus turgido Lethem non tranat. Cumque hoc pacto Remedium alioqui saluberrimum sæpissime inutiliter exhibitum fuerit, ac inde fundamentum aliquod acquisierit Obtrectatorum dicacitas, a communi etiam Saniorum æstimatione fortasse decidet, ac in legitimis quoque casibus, in quibus vere proficeret, rejicietur. Verum quid angor solicitus de futuro, cum satis prostet unde conquerar de præsenti? Sat sit huic occurrere;

---- *maneat seros ea cura Nepotes.*

CAPUT VI.

Historia peculiaris, quæ primam occasionem inventioni Methodi traditæ auspicatissime præbuit.

PRÆMISSIS Casibus omnibus, quos mihi memoria suggessit, infaustum eventum sortitis, licet semper sine crimine Corticis, & sæpius etiam sine assumptione illius, saltem ad leges Methodi expositæ, jam tempus est, ut plurium inter quamplurimos faustorum, & si fas sit dicere, admirabilium seriem subnectam. Priusquam tamen illos certo ordine ad peculiaria redigam capita Libro sequenti, unum a cæteris lubet secernere, & seorsim exponere, quippe qui huic Methodo primam dedit originem, mox increcre-

crementum, & famam. Fuit autem hujuſmodi.

Vir Generoſus *D. Comes Bailardinus Nogarola*, tunc Præfectus Aulæ Sereniſſimi Ducis noſtri, annum agens LIII., ſanguineo temperamento, habituque corporis carnoſo præditus, & podagricis inſultibus, fluxuique ſanguinis hæmorrhoidalis periodice obnoxius, ſub finem menſis Auguſti 1695., fluente adhuc, nec diminute quidem hæmorrhoidali ſtillicidio, corripitur Febre Quartana ſimplici Intermittente. Accitus ego, invenienſque *Malum bene compoſitum*, ſanguiniſque excretionem, modum Naturæ ſervantem, nil inſigniter agendum, vel movendum duxi: quapropter; præſcripta tantum modo victus ratione, jnſculo matutino paucis herbis alterato, nec non emulſione ſem. melon. cum tantillo pul. Cornu Cervi in vigore acceſſionis potanda, clyſteribuſque blandis ad alvum lubricam ſervandam identidem injiciendis, ſuaſor fui, ut Febrem, ſuapte natura, eaque præſertim tempeſtate diuturnam futuram, æquo ferret animo abſque majore remediorum apparatu, dummodo intra conſuetos limites illa ſubſiſteret; me poſtea paratum offerens ad eam Peruviano Cortice fugandam, poſtquam curſum ſuum non nihil exegiſſet, & poſtquam ego Æquinoctii non longe diſtantis phœnomena obſervaſſem, ne ſcilicet ea diutius in Autumnum protracta, auctaque inſimul, quæ jam ſupervenerat, lienis obſtructione, radices ageret non facile per totam Hyemem extirpandas.

Tranſactis ſex Circuitibus, die 18. Septembris (erat autem dies ſeptimam periodum immediate antecedens) Febris extra ordinem Ægrum invadit, repetitque die 19. ut conſueverat. Mane ſequentis diei, nempe die menſis xx. cum protraherentur nonnihil reliquiæ antecedentis acceſſionis, & ſanguinis hæmorrhoidalis fluxus eſſet notabiliter imminutus, ac inſuper Ægrotans aſſereret, ſe perſentiſcere remota quædam indicia, vi quorum horis pomeridianis novam acceſſionem præſtolabatur, ſtatim præmiſſo clyſtere ex lacte, & ſaccharo, Venam brachii ſecari juſſi, & ſanguinem detrahi ad *uncias decem*. Poſt meridiem circa horam xx. rediit Acceſſio, ut ſibi prænunciaverat Æger, atque eundem ſervavit motum diebus pariter xxi. & xxii. ſubſequentibus ut de triplici Quartana nulla poſſet eſſe dubitatio. Quia tamen nativam ea ſervabat intermiſſionem, & quod paroxyſmi majorem extenſionem cum aliqua poſtpoſitione acquirerent, ideo iiſdem remediis inhæſi, addendo tantummodo paululum Salis Prunellæ juſculo matutino, propter aliquam ſubortam urinarum imminutionem, ut nempe blandioribus iſtis remediis hoſtem demulcere datum eſſet, abſtinendo a fortioribus illum exaſperare aptis, donec ſaltem Æquinoctialis anomaliæ præterlaberetur influxus.

Die Menſis xxiij., quæ ſexta erat a triplicatione Quartanæ, *D. Davinio* urbana ſorte quædam officia Ægrotanti præſtante, occaſionem arripui illum mihi adjungendi ſocium in curatione. Habita Conſultatione, ſtatuitur methodus fere eadem ac antea, febriſque circa horam xxij. ſuum renovat acceſſum ſub oculis Medicorum, conſueto, minore tamen cum frigore invadens. In hoc Paroxyſmo, ſcilicet in vigore ipſius (ut mane retulit Uxor vigilantiſſima) Æger paſſus eſt levem aliquam oblocutionem, quod ſymptoma in nullo alio unquam morbo toto vitæ ſuæ tempore paſſus fuerat, ut & notabilem quendam capitis, & membrorum tremorem cum aliqua etiam rerum ab ipſo paulo ante expetitarum oblivione. Symptoma iſtud magnum mihi timorem incuſſit; quare iterum convocato Collega, nova inita eſt Conſultatio, novaque ſunt præſcripta remedia, aliaque propoſita viciſſim; & viciſſim rejecta, ut in opinabilibus mos eſt.

His non obſtantibus die xxiv. veſpere circa horam 24. rediit acceſſio, in qua nullum quidem ſubdelirium obſervatum eſt, ſed loco illius altus ſapor, a quo difficulter admodum excutebatur vocatus Æger, atque concuſſus. Obliviſcebatur bibere, & mingere, poſtquam Scyphum, & Matulam poſtulaſſet; immo utrunque vas facille illi manibus excidebat, poſtquam prehendiſſet.

Die xxv. confeſſus eſt peccata ſua, & poſt meridiem, longe etiam ante acceſſionem (erat enim dies Quartanæ primariæ juxta vetus morbi ſtadium) adaucti ſunt notabiliter motus tremuli membrorum, ipſi Ægrotanti ſenſibiles, quin & illis ſocium ſe adjunxit ſingultus: quæ ſymptomata anſam dedere diſquirendi, an Veſicantia, aut Emplaſtrum Sinapiſmum apponi poſſent partibus arthritidi obnoxiis; factoque rei examine, ſtatuta fuit

Sinapiſmi Emplaſtri appoſitio, & veſperæ in uſum deducta. Ingruente poſtmodum circa tertiam noctis horam paroxyſmo cum frigore ſemper minore (uſque tamen ſenſibili) in profundum adeo ſoporem demerſus eſt Æger, ut quibuſvis plane functionibus edendis impar eſſet, perinde ac ſi fuiſſet Cadaver; nec nulla qualibet dolorifica Artis induſtria executi potuit per multas horas. Non loquebatur, non movebatur, nec oculos aperiebat, ſed tantummodo involuntarie mingebat, nil tale ſentiens. In hoc ſtatu permanſit ad plures & plures horas, tandemque ligaturis, & frictionibus ſumme dolorificis, cucurbitulis tractis, & evulſis, Veſicantibus ſtatim incunctanter appoſitis, ſpirituque ſalis ammoniaci naribus admoto, & ſale volatili cornu Cervi in os intruſo, Deo dante, in eum ſtatum ſenſim devenit (appropinquante ſcilicet jam Febris declinatione) ut prope Auroram Venerabile Euchariſtiæ Sacramentum valuerit aſſumere.

Mane vero jam facto, die nempe menſis xxvi., cum conſpicua nonnihil eſſet remiſſio Febris, atque ſymptomatum (omnia tamen, etſi paulum remiſſiora, uſque perſeverabant, ſopor videlicet gravis, ſingultus, & Febris ipſa; quæ jam de Intermittente continua facta per paroxyſmos ſe mutuo excipientes ad continuam eſſentialiter celerrime properabat) cum, inquam, nonnihil conſpicua eſſet ejuſdem Febris, ſymptomatumque remiſſio, ſtatuta eſt nova ſanguinis miſſio ſat liberalis, videlicet ad libram, partitis tamen vicibus: qua celebrata, & ab Ægro bene tolerata, ſupervenit juſſu Sereniſſimi Ducis (cui ſummopere cordi erat Viri tam egregii vita) Bononia accitus Clariſſimus, & in Patrio Archilycæo Profeſſor quondam eximius *D. Jo. Gæleatius Manzius*. Is intellecta facti ſerie, & approbata methodo in uſum ducta, ſalem inſuper Viperæ, ſpiritumque fuliginis, & ſimilia remedia propoſuit ad præcautionem præcipue, & ſublationem ſoporoſi ſymptomatis. Sed & hæc, ut & alia præmiſſa, incaſſum uſurpata fuere: ſiquidem paulo poſt, videlicet longe prius, & longe magis ac conſueviſſet antea, cœpit gravari caput, obmuteſcente nempe Ægrotante; qui paulo ante haud difficulter loquebatur, & in profundum, aſſiduumque ſoporem jamjam labente, nullumque motum edente, excepta ea violenta univerſi corporis concuſſione, quam identidem ſuſcitabat, abſque eo quod illum a ſomno excuteret, importunus, frequenſque ſingultus. Sic perſeveravit uſque ad horam 23. quo tempore cum nonnihil magis frigefieri viſus eſſet, de invaſione novæ acceſſionis incidit ſuſpicio, præſcriptumque fuit, ſpe fere nulla, cochlear Julapii gemmati cum pauxillo lapidis Bezoartici, exhibendum tantummodo circa v. noctis horam, ſiquidem Æger quidquam deglutire valuiſſet. Revera tamen non 23. hora diei, ut creditum eſt, ſed ſolum circa quartam noctis advenit acceſſio; id præmonſtrante non tantum levi extremorum perfrigeratione, verum & aliqua pulſus concentratione, majoreque ſymptomatum omnium, & præcipue ſoporis, atque ſingultus intenſione. Tunc ſane talia fuere, tam gravia, tamque funeſta cuncta accidentia, tantaque, & tam patentia proximæ mortis ſigna, ut Parochus Sacramentum extremæ unctionis illi miniſtrans anxie feſtinaverit pro complenda functione, metuens ſcilicet, ne expiraret Æger, priuſquam ille ſacrum opus abſolveret. Remanſit itaque Patiens uſque ultra nonam noctis horam quaſi in vero mortis agone, quo poſtmodum tempore perexigua quædam dare cœpit motus, & ſenſus ſpecimina, ac proinde in ſequens mane vitam adhuc, ægre licet, protraxit.

Itaque mane diei xxvii. circa horam 14. a nobis inſpectus, vix capax inventus eſt deglutiendi plurima quoque adhibita induſtria cochlear illud Julapii gemmati, quod aſſumpſiſſe debuerat nocte præcedente, ſi potis fuiſſet. Quapropter conſiderata proportione, qua celeriter, atque vehementer augebatur Febris, & cum Febre lethargus, motus convulſivi, & ſingultus: item clare inſpiciendo hæc omnia jam ad novum incrementum non longe diſponi (quod ſatis præmonſtrabant ſingultus frequentior, ſubſultus membrorum crebriores, & mictatio aſſidua, involuntaria, ac pertinax cum intermixto narium ſtertore) unanimi omnium noſtrum voto ſancitum eſt, nil amplius ſupereſſe ſpei, futuramque acceſſionem, quacumque hora invaluiſſet, fore ultimam Vitæ, etſi juxta calculum Quartanæ ſimplicis acceſſio hæc non incideret in diem majoris afflictionis, ſed in antecedentem, hoc eſt in correſpondentem diei primæ metamorphoſeos. Etenim abſque ullo dierum calculo revera impoſſibile

bile videbatur, posse Ægrotantem ab imminente accessione evadere, etiam ut mortem tantum differret in subsequentem; minime cum adeo invalescerent quotidie paroxysmi, eorumque symptomata, ut nulla amplius observaretur in illis quartanaria proportio, nec amplius distingui posset accessio gravior, nisi inquantum semper gravior erat novissima. Commissa ergo tantummodo Assidentibus cura Ægrum cochleatim per jusculà refocillandi, si fuerit opportunitas, discedebamus concordes in funesto prognostico, quin & in hora circa circum futuri interitus; quæ hora cum ad summum circa ad mediam noctem designaretur, immo cum eam *D. Manzius* propiorem adhuc metueret, institit ille deferri statim Serenissimo Duci ferale præsagium, sibique Mutinæ (ut ajebat) inutili quamprimum parari quadrigam, qua vectus posset eadem die Bononiæ restitui. Fuit autem Ille de instante, certaque morte Ægrotantis adeo persuasus, ut, cum in medio itinere a quodam Equite sibi obvio interrogaretur de statu *D. Co: Nogarolæ*, absque ulla hæsitatione responderit (etsi conscius mei tentaminis, quod mox subdam) eum jam probabiliter mortuum esse, vel, siquidem adhuc viveret eo momento, tandiu non esse victurum, ut ille Mutinam petens vivum amplius posset invenire.

Interim dum Quadrigam præstolaremur simulque ubi conveneramus moraremur paulisper, *D. Manzio* discessuro urbanitatis officia præstituri *D. Davinius*, & ego; ego, inquam (quem præ familiaritate, mutuoque amore summe pigebat tantum Virum, & amicissimum perire) plurima volutabam mente, plurima meditabar pro eo salvando, quem Febris a primordio Quartana jam jam jugulabat, & quem dosis duarum drachmarum Peruviani Corticis ante paucos dies oblata, ut tunc in usu erat, a tali excidio citra dubitationem præservasset. Præ cæteris autem meæ menti observabatur casus *D. Octavii Masolli Lib. I. Cap. X. Hist.* 18. recensitus, dicebamque intra me. Quantumvis lethalis & esse videatur, & reapse sit status istius Ægrotantis, certe vel viveret, ut vixit *Masellus* (etsi tunc minus graviter affectus, sed in hunc eumdem statum tendens) vel, inquam, viveret, vel saltem serius occumberet, si posset aut inhiberi omnino, aut notabiliter enervari imminens paroxysmus: quo enervato, tantillum temporis lucraremur pro magis semper enervandis, ac paulo post debellandis subsequentibus paroxysmis, ut & symptomatis probabiliter concomitantibus, quemadmodum videram in præcitato casu ante annos 17. circiter mihi forte observato.

Pro hoc autem opere perficiendo (me secreto alloquens, prosequebar) etiam in casu Febris, recentem quidem continuitatem adeptæ, quin & Acutæ, Malignæ, atque Exitialis jam factæ, sed nativum adhuc periodi characterem servantis, pro hoc, inquam, opere absolvendo potis esset China China, quantum est ex intrinseca virtute illius, ut vidi in recensito casu, si *tempus* sufficiens adesset, requisitumque ad opus hujusmodi, & si in Ægrotante adesset *capacitas* ad deglutiendam tantam molem remedii. Quo ad *tempus*, non minus tunc requiri censebam, aut noveram in Quartanis sive simplicibus, sive duplicibus, sive triplicibus, quam totum intervallum, quod est inter unam & alteram accessionem Quartanaria proportione sibi respondentem, idemque data proportione credideram de Tertianis, sive simplices illæ fuerint, sive duplices, quod perinde putaram, nec male; sic namque me docuerat experientia, quoties *duas* tantum *drachmas* Corticis uno haustu in principio accessionis obtuleram, quibus correspondentem solum accessionem, non intermedias, inhiberi observaram. Quo ad *impotentiam* vero Ægrotantis, hanc evidenter agnoscebam in difficili oblatione materiæ cujuscumque fluidæ, etiam gustui non ingratæ, cochleatim factâ; quid fieret ergo (dicebam contra pariter intra me) si offerrem pulverem copiosum, nauseosum, & ægre deglutiri aptum in plurimo liquore? Primæ autem difficultati occurrebam ipse mihimet subdens: Forsitan insignis quædam quantitas Corticis celeriter, si fieri posset, in ventriculum illius intrusa, efficeret intra breve tempus, quod solet efficere intra longiusculum quantitas modica. Secundæ vero difficultati, quæ aucta remedii mole simul crescebat, sic reponebam. Fortasse si ab insigni, quam meditor, & insolita Corticis quantitate tantum Tincturæ recentis valido vehiculo extractæ (non quidem nudæ, sed tenuiore insimul, optimeque triturata ejusdem substantia impregnatæ) posset educi, quantum pos-

et in pauca mole æquare virtute *ſex*, vel *octo drachmas* puri pulveris, fortaſſis, in quam, & deglutiri intra breve tempus cochleatim poſſet, & intra breve tempus Acceſſionem inſtantem licet, ſaltem infringere, vitamque prorogare in craſtinam diem. Sed ſi ab hodierna in craſtinam, cur non & a craſtina in alteram, & ſic deinceps, continuato congruenter, magiſque poſtea temperanter uſu remedii?

Statuto intra me, quoties conſenſiſſent Collegæ mei, tentamine, ſtatim hæc omnia, qualia cogitaram, combinaram, & ſeriatim deduxeram, palam feci, ampla proteſtatione præmiſſa, me nulla omnino ſpe ductum ea proponere, ſed tantummodo ne mihi ſolicitudo ulla ſupereſſet, extincto Amico, de non communicato conſilio, fruſtraneo quidem forſitan, ac inutili, ſed ſimul innocuo, quod mihi non Ars, quæ ibi locum habere nequibat, ſed cœcus quidam, & inutilia quoque tentaturus amor ſuggeſſerat. Cum autem interrogarer a Collegis, quo pacto hæc omnia generalia, & dictu ſpecioſa in praxim demum, uſumque peculiarem ducere cogitarem, item qualis futura eſſet hæc tinctura Corticis, num ab aliis in hiſce caſibus hæc acta viderim, aut legerim, & ſimilia, reſpondebam: me nondum ſpecialiter cogitaſſe de modo tenendo; aliquem tamen mente revolvere: neque idcirco vidiſſe me, aut legiſſe exempla hujuſmodi; vidiſſe tamen unum aliquo modo ſimile, cum Junior eſſem, in Ægroto ſola *drachmarum duarum* Corticis oblatione ſanato; ſed præſentem Caſum eſſe longe magis præcipitem, & plane deſperatum, neque me proinde quidquam ſperare, ſed votum tantum permiſſivum exquirere, dummodo id rationale, & tutum in talibus circumſtantiis iiſdem videretur, & non aliter. Quotieſcumque enim non ſolum pro inutili, verum & pro temerario, aut damni ſuſpecto ab illis reputaretur tentamen meum, ſumma animi tranquillitate, atque interna quiete abſtinere ab eodem eram paratus, ut qui ab infauſto, qui præ foribus erat, eventu, ſi non calumniam, deriſionem ſaltem me reportaturum noſcebam.

Annuit illico, qui primus interpellabatur, *D. Manzius*, admiſſo mecum ſuppoſito, quod vere quævis diligentia inutilis futura eſſet, invalidumque, ac irritum quodlibet, utut conquiſitum Artis tentamen. Atque hoc ſerio tenens, quod res ipſa clamare videbatur, ſtatim diſceſſit. Annuit pariter eadem confirmans de re plane deplorata *D. Davinius*, mihique uni rei totius agendæ penſum denuo conceſſit; ſuo tamen æque ac antea continuato, ut ſpopondit uſquequo viveret Æger, ad eundem acceſſu.

Nulla itaque mora interpoſita abii; atque ad Pharmacopolam ingreſſus juſſi extrahi celeriter ſtrictam tincturam ab *unc. ſs.* Chinæ Chinæ cum vino malvatico in B. M., quæ tinctura cum forti expreſſione ſubſtantiæ Corticis elicita, & ad pauca cochlearia redacta, non ſine difficultate ipſo mane diei xxvij. circa meridiem propinata fuit Ægrotanti, cui ab initio vi adhibita os apertum eſt; & aperto injectus liquor. Una plus minus elapſa hora (ſive id contigerit ope vini, ſive ope remedii) cœpit ille loqui, interciſo tamen ſermone, quod mihi animum addidit ultra pergendi ad paroxyſmum imminentem validius antevertendum. Aſſumpta itaque *unc. j.* novæ Chinæ Chinæ, & ea Vini ſpiritu irrorata, mox addita aliqua Vini malvatici portione, novam tincturam extrahi juſſi per ſimplicem infuſionem cum expreſſione validiſſima, cui admodum faturatæ, & turbidæ adjici curavi modicam quantitatem Vini tenuis; inde evaporato Vini ſpiritu in B. M. liquorem reſtringi iterum juſſi, cujus majorem portionem per clyſterem injectam volui (quod factum ab alio quopiam nondum noveram) minorem vero per os exhibui circa horam 24. Quæ omnia ſine difficultate acta ſunt, Ægro facilem ſe præbente, ſomnolento licet; obtuſo, ſuiſque motibus convulſivis, & importuno ſingultu indeſinenter vexato. Nocte autem ipſa, qua expectabatur funeſtus Paroxyſmus circa horam ſextam, levis tantummodo, vixque obſervabilis facta eſt acceſſio cum omnium admiratione: quare mane ſubſequente, nempe xxviij. Septembris potis fuit me ad Lectum illius appropinquantem amabiliter amplecti, & oſculari, ut & Conſanguineos, ac Amicos intimos, eoſque alloqui, & cum iiſdem de rebus omnibus alacriter differere cum integro mentis, nec non modico corporis vigore; quod omne ipſe jam cernens, vix oculis meis fidebam, mirabarque (quod mirabantur, & alii omnes) mei felicitatem tentaminis, cui ſimile nemo in hac urbe, ne per ſomnium quidem, antea

pere-

peregerat, aut viderat. Atque ita poſt curſum decem dierum ab inchoata triplicitate Quartanæ intra 24. horas, quin etiam citius in hunc ſtatum devenit, qui mane antecedente derelictus plane fuerat ut conclamatus, & pro tali a cunctis inevitabili Fato habitus, ut & rationabiliter habendus.

Eodem nihilominus mane repetita eſt oblatio Corticis ad *drach. ij.*, ad arcendum certius paroxyſmum illius quoque diei, eo quia in eam diem incidebat Acceſſio præcipua juxta periodum antiquam Quartanæ ſimplicis. Cum tamen ea minime apparuerit, ſtatuta deinceps fuit a me pro pluribus diebus ſequentibus continuatio Corticis doſi tantummodo diminuta, per modum ſcilicet levioris alterantis, prius ad *drach. ſs.*, poſtmodum ad *ſcrup. j.*, donec penitus abolita fuerit quælibet, utut levis umbra periodi.

Sublata in hunc modum quavis periodo, & redacta ad ſummam exilitatem febricula permanente, ſive Continua, quæ poſtremis anguſtiæ diebus irrepſerat, expugnato lethargo, ſedatiſque motibus membrorum tremulis, ac convulſivis, unus ſupererat ſingultus, qui pertinaciter perſeveraverit per undecim dies irritis ante hunc terminum omnibus remediis erat enim tam vehemens, ut facile audiri poſſet etiam in aliqua diſtantia tranſeuntibus per viam. Exacto nihilominus, ut dictum eſt, undecim dierum curriculo, ceſſit tandem, neſcio an Cortici, an pluribus aliis remediis tam internis, quam externis conſtanter adhibitis, & applicitis. Inter hæc mirabilis fuit, quantunvis aſpera Veſſicantium, & Sinapiſmi Emplaſtri tempore procellæ appoſitorum operatio, quibus remediis perraro cæteroqui, & in quibuſdam tantum, quæ non facile ſimul coeunt, circumſtantiis uti conſuevi. Ab illorum autem appoſitione in caſu enarrato excitatis veſſiculis, & excoriatis genubus, effluxit per menſem, & ultra quantitas incredibilis materiæ putridæ, quæ ipſa ſæpius ſtrata, & pulvinaria penetrabat, non ſine mea admiratione: qua demum evacuatione completa, eaſdem, aliaſque etiam articulationes corripuit Arthritis, quæ eouſque vagata eſt huc, & illuc, donec illi ſupervenerit juſto moderamine, & ſtillicidio fluxus hæmorrhoidalis, ultimum tandem univerſæ Ægritudini finem imponens intra 40. dies ab enunciata triplicitate Quartanæ. Circa brumale equidem Solſtitium ejuſdem anni 1695. (ut nihil ſubticeam) cum Tridentum uſque profeciſſet, Sereniſſimi Ducis Sponſam Sereniſſimam glorioſæ etiamnum recordationis excepturus, eique famulaturus in itinere Mutinam uſque, leviores aliquot febriculas paſſus eſt, quas facile tulit per totum iter, conſueta nunquam mania intermittens; ab iiſque, priuſquam Mutinam pertingeret, nulla ope medica perfecte liber evaſit.

Atque hæc eſt ingenua narratio hiſtoriæ morbi, & Curationis illius: de cujus narrationis veritate in omnibus, & ſingulis ejus partibus abſque ullo addito fuco non eſt quod quiſquam dubitet: nam præterquamquod non deſunt de hac re teſtes oculati omni exceptione majores; ipſe inſuper apud me ſervo univerſam, & exactam deſcriptionem Caſus, ſingularumque circumſtantiarum illius Italico conſcriptam idiomate, firmatamque, ac roboratam propria manu, & charactere Generoſi pariter Viri *D. Comitis Aloyſii Nogarolæ* filii Ægrotantis, quam huc non tranſtuli, eo quia plura continet ad rem noſtram minime facientia, variaſque ſermocinationes ſingulis Conſultationibus habitas, quæ molem hiſtoriæ inutiliter augerent. Quæ tamen hic inſerta viſuntur, ab ipſa deſcriptione ſunt excerpta, ut cuique curioſo non pigebit oſtendere.

Alios equidem caſus, quos Libro ſequenti ſum relaturus, etſi non minus inſignes ſint nuper expoſito, immo ipſorum nonnulli ſint eodem adhuc mirabiliores, non tamen, ut hunc, ex peculiari quadam deſcriptione penes me aſſervata poſſum colligere; pendente ſiquidem ægritudine memorati Nobilis Viri otium aliquod mihi ſuppetebat, quod inde non ita ſuppetiit: quippe tunc ſolutus eram recenter nodo aulico per obitum Sereniſſimi Franciſci II., necdum obſtrictus eo, quo nunc teneor immeritus. Quamobrem cum fere cuncta fidere memoriæ labili fuerim ſubinde coactus, quotidianam omnium expoſitionem modo perſequi eſt impoſſibile; & quandocumque etiam facile id foret, eſſet tamen nimis prolixum, etſi ex alia parte majoris foret utilitatis. Aliud eſt enim deſcribere Morbum lethalibus jam ſymptomatis ſtipatum, aliud eſt videre gradatim progreſſum ipſius Morbi in talem ſtatum pervenientis, ad hoc ut poſ-

possimus recte noscere, quantum præstiterit remedium in eodem vere ad exitium tendente, non vero propter imminentem fortasse Crisim, vel ob Judicantis imperitiam, aut præoccupationem tali apparente, ac perperam credito. Id tamen fidenter exigam a Lectoribus meis, ut scilicet pro certo habeant, quod licet compendiosius quæ supersunt, historias sim relaturus, & licet minutas illarum circumstantias, ac seriem ordinatam nequeam exprimere (quod tamen ubi poterit fieri pro modo fiet) attamen, nonnisi quæ certo mihi comperta sunt, scribam, quæ nempe vel ex schedulis impolitis, sed veridicis, apud me loco Adversariorum, aut historiarum servatis, vel ex ipsa mea indubitata reminiscentia deprompta sunt. Neque enim Histrionum more quidquam attollere, sed castigatissime, prout Virum candidum decet, cuncta referre mihi lex est. Quod tamen si non plane quispiam admittat, hunc ad Sanatorum, Assidentium, Consanguineorum, & Amicorum eorumdem Tribunal appello.

Etsi vero (ut pro coronide repetam quod alias protuli) etsi, inquam, has, & cæteras hujusce ordinis protestationes sparsim habitas, tam abunde hactenus edidisse contigerit, ut eas, fere dixerim, videar jactasse: absit tamen, ut alio id egerim, agamve studio, nisi ut mearum, quotquot sunt, assertionum veritatem, ac ingenuitatem (de utraque enim æque sum, nec parum, sollicitus) coner in propatulo ponere, atque hac tandem via, prævio scilicet multiplicis, & indubitabilis experientiæ lumine, & cunctis pateat, me *pro ingenii modulo* (si *Sydenhami* verbis uti liceat) me, inquam, *pro ingenii modulo omnes animi nervos in hoc intendisse, ut, si quo modo fieri posset, Morborum* (dicam ego, *Febrium Pernicioſarum, saltem Periodicarum*) *medela post cineres meos majori cum certitudine administretur.*

THE-

THERAPEUTICES SPECIALIS

LIBER QUARTUS.

Curationes insignes quamplurimas exhibens omnium specierum Febrium Pernicioſarum, alias recenſitarum, Methodo jam deſcripta abſolutas, una cum gravi circa hanc materiam Praxeos Problemate.

CAPUT PRIMUM.

Hiſtoriæ inſignes Intermittentium Pernicioſarum, in primam præcipue Corporis Regionem ſævientium, noſtra methodo jugulatarum. Harum ſpecies ſunt, Primo *Cholerica, & Dyſenterica*, Secundo *Subcruenta, & Atrabilaris*, Tertio *Cardiaca*.

UT ORDINE aliquo procedat hiſtoriarum omnium, cæteroqui nonnihil diſparatarum, & octo celebrioribus jam recenſitis Febrium Pernicioſarum ſpeciebus reſpondentium ſeries, congruum hic loci cenſeo commodiorem illam diviſionem ſequi, ſecundum quam Cap. II. Libri III. diſtinximus illas in triplicem ordinem, habito reſpectu ad triplicem noſtri Corporis regionem, in quarum aliquam peculiariter plus quam in aliam nonnullæ ipſarum ſævire ſolent. Qui quoque ordo, ſi bene ſpectetur, ab aliis diviſionibus antea præmiſſis non multum abludit.

Juxta hanc ergo diviſionem ad primum ordinem connotantem primam regionem reducentur ſpecies iſtæ Pernicioſarum, quas alibi jam Sylviano more peculiari donavimus nomenclatura; nempe, Primo *Cholerica, & Dyſenterica*, Secundo *Subcruenta*, & *Atrabilaris*, Tertio *Cardiaca*. Et harum Hiſtoriæ primo hoc Capite deſcribentur. Ad ſecundum ordinem connotantem ſecundam Corporis provinciam referentur primo *Diaphoretica*, Secundo *Syncopalis*, Tertio *Algida*, Quarto *Subcontinua malignans*; Et hiſtoriæ iſtarum ſequenti Capite comprehendentur. Ad tertium denique ordinem reſpicientem tertiam pariter Corporis regionem revocabitur unica ſpecies, nempe *Lethargica*. Atque illius hiſtoriæ ſucceſſivo pariter Capite narrabuntur. Et ſic ſub tribus tantum Capitibus Hiſtorias omnes octo ſpecierum Febrium Pernicioſarum a nobis ſtatutarum, nulla ſervata temporum, aut conditionis perſonarum ratione, ordinate complectemur, quibus poſtquam alias non abſimiles ab Amicis in noſtræ Methodi confirmationem communicatas junxerimus, hunc tandem Librum claudemus arduo quodam in Praxi circa hanc materiam Problemate, cujus dilucidationem aliæ noſtræ non parum promovere poterunt peculiares hiſtoriæ. Cohærenter itaque ad diviſionem ut ſupra admiſſam inter hiſtorias hujuſce Capitis primam ſedem teneant.

CHOLERICÆ HUMIDÆ.

I. D. *Joſeph Gallianus de Coccapanis*, cujus obitum præcipitem ex Pernicioſa Cardiaca paulo ante deſcripſimus, laborabat anno 1696. Tertiana ſimplici intermittente, comitata vomitibus bilioſis indeſinentibus, & bilioſa pariter dejectione correſpondente. Cum alias conſueviſſet morbo hujuſmodi cum ſymptomatis ſimilibus, præſertim cum copioſo vomitu, corripi, itaut non ſemel conſtitutus fuerit in Vitæ diſcrimine, tuliſſet tamen ſemper, etſi ægre, labores conſuetos, adjutus remediis uſitatioribus, blandiebar ipſe mihi conjectans quod & hunc pariter morbum remediis iiſdem, quæ jam in uſum ducebantur, adhibitis eſſet laturus. Aſt quarta, ni fallor, vel quinta acceſſione tam immanis, tamque ferox, tam frequens, tamque copioſus vomitus ſupevenit cum ſimultanea ſem-

per, ac per breviſſima intervalla repetita dejectione materiæ, bilioſæ, feroſæ, & corruptæ, ut utroque motu Æger jam fere confectus, univerſaliter perfrigeratus jaceret cum pulſu ferme abolito, oculis cavernoſis, ſingultu, anxio anhelitu; ſupinoque decubitu; quippe jam impotens ſe vel erigere, vel convertere in alterutrum latus, ut vomeret, vel alvum identidem irritatam exoneraret. In hoc ſtatu, in quo dubitabatur, an poſſet quidquam ingratum guſtui deglutire, vel deglutitum retinere, cum juſcula ægre deglutiret, & deglutita rejiceret; immo in quo Sacri Miniſtri eidem ut abſolute morituro aſſidentes, nec non ego ipſe metuebamur, ne non uſque in craſtinum victurus eſſet, in hoc, inquam, ſtatu auſus ſum cum cenſuræ periculo præſcribere Corticem (quo mediante paulo ante evaſeram ipſe a morte propinqua) & quidem ampla doſi juxta Methodum antea deſcriptam, remediumque intra horas aliquot congrua proportione repetere, ut jam tradidi *Lib.* III. *Cap.* III. neque enim opus eſt eandem crambem pluries recoquere. Hinc factum eſt illico, ut ſubſequens paroxyſmus nequaquam acceſſerit, licet quo ad reliqua adhuc moribundus Æger videretur. Paroxyſmo autem inhibito, & impetratis induciis, pullus cœpit nonnihil elevari, & Ægrotans, eſto difficulter, atque tardiuſcule incaleſcere; quare, continuato remedio, & liberaliore inſimul facto etiam ultra Medici indulgentiam Vini uſu (vix enim aliud quicquam aſſumere poterat, aut retinere primis præſertim diebus) ſenſim convaluit, intra non multos dies fere a morte revocatus in vitam, quam ad duodecim inde annos ſine ulla recidiva nervoſe protraxit.

II. *Uxor Bartholomæi Giannaſii* binos paſſa cum dolore ventris, vomituque, ac ſeceſſu copioſo in Acceſſionis principio, Tertianæ ſimplicis paroxyſmos, quos protalibus minime noverat, tertium ferociſſimum ſubit, in quo cum ingenti inteſtinorum, ſtomachique dolore humoralia immodica excernit ſurſum, atque deorſum ſine intermiſſione, unde frigide reddita, & ſine pulſu cum pallore mortali, oculis concavis, acutis naribus, collapſis temporibus, conclamata creditur, & quidem confecta dolore colico. Advocor nihilominus, deſcribiturque mihi ab Ægra vix loqui valente, ut & ab Aſſidentibus ipſis morbus ſub ſpecie doloris inteſtinalis, nulla facta Febris mentione. Carentia fere omnimoda pulſus, & carnium frigiditas non ſinebant me certiorari de Febre, multoque minus de natura, & ſpecie illius. Intelligens tamen non ſine labore, & ex vi interrogationum repetitarum, recurſum alternum cum anticipatione regulari, & cum proportionali augmento intenſionis ſymptomatum ſemper ſimilium, facile ſuſpicatus ſum de Tertiana Pernicioſa abſcondita, ut *Mortonus* loqui conſuevit. Statim itaque ad Corticem confugi, non ea quidem doſi, quæ valeret Febrem plane ſupprimere (quippe adhuc hærebam nonnihil anceps de natura morbi) ſed ea tantum, quæ valeret eandem imminuere, & obſervaturus interim melius quod mihi tunc confuſe tantum deſcribebatur. Altera die pulſus revixit, licet minutus, & paululum frequens, carnibus tepor aliquis redditus eſt, cæteraque omnia minus gravia apparuere; quod mihi de Tertiana Cholerica præbuit fortius indicium. Veſperi cum coactus eſſem recedere ab Urbe, noctu vero expectaretur quartus paroxyſmus, aliquam rurſus, ſed levem præſcripſi portionem Corticis in forma boli Cardiaci, meque mane reverſurum ſpopondi, ut Ægram curioſus inviſerem, nec operi chriſtiana pietate incepto ullo pacto deficerem. Cum autem nocte invaſiſſet Febris etiam anticipans, Ægra moræ impatiens præ dolore, vomitu, atque ſeceſſu conſueto, licet tolerabiliore, alium me abſente Medicum ſummo mane accerſiri curavit. Dum iſte varia pro ſolvendo ſtomachi, ventriſque dolore (neque enim alium morbum accuſabat Ægra, neque ex pulſu frigido, ac vix perceptibili poterat Medicus cæteroqui Cortici amicus quidquam aliud conjectare) ipſe ſuperveni, & de periodo certior jam factus, ac de Pernicioſa Tertiana, amicum Medicum monui de vero morbo; ac de inchoato jam uſu Corticis, vi cujus illa acceſſio, utut graviſſima, aliquod nihilominus ſuſceperat moderamen reſpectu prioris. Obſtupuit ille his auditis, mihique incœptam curationem meam abſolvendam conceſſit lubens, & de exitu curioſus. Statim ergo Chinam Chinam præſcripſi valida Methodo, ſtatimque pariter Febribus, vomitibus, torminibus, & dejectionibus modum impoſui, non quia morbus ad declinationem vergeret (ſubſequen-

ſequentes etenim crudeles recidivæ patefecerunt oppoſitum) ſed quia febrifugum larga doſi ſumptum cuncta compoſuit. Perſeveravit ea in uſu ejusdem febrifugi diminuto, & ſana viſa eſt; paulo poſt tamen Febris eadem, licet parum manifeſta quo ad alias febriles circumſtantias, clare repullulavit quo ad ſymptomata prædicta, & periodica. Quoniam vero hæc minus fortia ſe prodiderunt, curationem primum tentavi Methodo, ut loqui mos eſt, rationali, per uſum ſcilicet Enematum anodynorum, per oblationem *Olei amygdalarum*, *Chryſtall. mont. Salis abſynth. Theriacæ recentis*, *Conf. de hyacinth. Laudani odiati* &c. mox his non proficientibus, Febreque cum dictis ſymptomatis invaleſcente tranſitum feci ad uſum *Syrupi de China China Cap.* VII. *Lib.* I. deſcriptum, cui in progreſſu ipſam Corticis pulverati ſubſtantiam placuit adjungere. Sed cum hæc quoque nihil proficerent, mihique jam metum incuſſiſſet effera quædam, quæ his non obſtantibus ſucceſſit Acceſſio, ne in ſubſequente periret Ægrotans, ad validam Methodum rurſus confugi, unde omnimoda ſtatim Febris, & mentitæ Cholericæ affectionis abolitio. Poſt aliquod tamen diuturnum tempus iterum periodica affectio ſemicholerica alternis diebus ſe prodidit, Febre vix, ac ne vix quidem ſenſibili. Hanc blandis tractavi remediis, & ſine Cortice ſanaſſe ſum viſus. Dum ecce ex improviſo ea iterum caput extulit, ſed alia ſub larva; ſiquidem loco excretionis flavæ, ac viridis, cruenta impenſe, ac nigricans, ut mihi relatum eſt, ſucceſſit dejectio. Huic pariter nondum Cortice, ſed aliis interim remediis; donec materiam altera periodo datum eſſet inſpicere, obviam eundum eſſe cenſui, utut exilitas pulſus quam maxima non levem mihi terrorem incuteret. Cum vero die afflictionis modica, nec ullius pravi coloris fuerit excretio materiæ per ſeceſſum, & nulla per vomitum, ſubſtiti, nec Corticem præſcripſi: ſenſim autem interea morbus inducias dedit. Non multo poſt gravidam quadrimeſtrem mihi notabilem ventris illius intumeſcentiam exploranti ſe prodidit Ægra non ante conſcia; idque ex certis ſignis ante paucos tantum dies ſibi conſtaſſe indubitanter aſſeruit. Dimiſi illam non bene credulus; ſed iterum vomitus, nec levis quidem, ſed nec immodicus, alternis diebus illam torquebat cum febrili tamen incaleſcentia, & cum debita pulſus emicatione: quod per tres ante menſes nunquam deprehenderam. Venam ideo in brachio ſecari juſſi, cum antea præ exuberantia excretionum, & pulſus exilitate non auſus fuerim. Viſa eſt melius habere, reſumptis viribus, carnibus, & modico faciei colore. Aliquam nihilominus fere citra Febrem paſſa eſt vomitus, & bilioſæ dejectionis recrudeſcentiam alternis diebus, typoque adhuc tertianario recurrentem, quæ poſtmodum appropinquante brumali tempeſtate ſenſim diſperiit; unde Ægra ſtadio ſuæ geſtationis ſatis feliciter exacto partum edidit naturalem, ſana iam reddita, & in novæ tantum geſtationis recidivam prona.

CHOLERICA SICCA.

III. *Eminianus Campiolus* ætatis annorum XLIX. habitus admodum gracilis, aſpectuſque ſquallidi, ac luridi, Tertiana ſimplici correptus cum inani, ſed diuturniore vomituritione, poſt tres, vel quatuor acceſſus eo pervenit, ut illi jam continua, ac indefinens fieret in vomitum propenſio, vi cujus liquida omnia, & protulenta aſſumpta ſtatim rejiciebat, tantumque ova ſorbilia (quæ tamen, ut & alia quæcunque, admittebat ægre) ad breve aliquod tempus retinebat. Extra vero occaſionem cibi aſſidua erat, ut diximus, in vomitum proclivitas cum nonnulla etiam, parca licet bilioſæ materiæ acerimæ rejectione. Alvus pariter reſpondebat vomituritioni, ſæpe ſcilicet Ægrum ſollicitans, paucam vero, ſeroſamque identidem excretionem pariens, Præſcripta ſunt remedia ex arte; ſed incaſſum: adeout ingraveſcentibus paroxyſmis, & duplicata jam Febre, augerentur in dies ſymptomata. Pulſus debilis fiebat, & celer; immo Febris a primordio intermittens poſt acquiſitam duplicitatem, aliquam etiam continuitatem affectare, quin & adipiſci videbatur. Jamque res in anguſto erat poſita, neque illi adminiſtrari Sacramentum Euchariſtiæ permittebat metus rejectionis. Lingua ſicca erat, arida, & ſcabra; urina pauca, craſſa, & rubra: aderat quoque jactatio aſſidua, virium exſolutio, oculorum concameratio, & tandem ſingultus. Præſcribo Corticem copioſum in plurimos bolos diviſum, partitis vicibus cum vino tenuiore ex cochleari ſu-

ſumendos, ſi Æger poſſit aſſumere. Vi ſibi illata nonnullos deglutit, & retinet. Renuit laborem ſumendi reliquos. Hortor, ſuadeo, inſto, ut aſſumat, ſi illi ceteroqui morituro jucundum eſt vivere. Annuit tandem, aſſumit, & retinet. Sic perſeverans evadit ab Acceſſu futuro, qui nempe non advenit. Incipit ſedari vomitus, & alvus denſari, ac ſiſti. Perſeverat adhuc levis Febricula ſuperſtes ad duos dies, quæ continuato uſu Corticis cito deſinit. Denique per ſeptem, vel octo dies uſurpato per modum alterantis remedio, eo ſolo, clyſteribus ex lacte identidem injectis, perfecte ſanatus eſt abſque recidiva. Duobus, vel tribus inde annis elapſis, eodem morbo, iiſdemque prorſus ſymptomatis corripitur. Priuſquam ad extrema deſcripta perveniat, circa quartum videlicet, vel quintum paroxyſmum, præſcribo Corticem doſi modica, terque, vel quater debilius repeto. Sanatur perfecte, pariterque non recidit.

DYSENTERICA.

IV. UNus ex famulis Splendidi, ac Nobilis Viri D. Marchionis Camporei duplici Tertiana Intermittente, plurimum tamen intenſa, vexatus cum biliosis vomitibus admodum laborioſis, ingruente tertio paroxyſmo potiore materiam primo porraceam, & vitellinam vomere cœpit, atque dejicere, mox mucoſitatem quandam cruentam copioſam, qualem in vera Dyſenteria contingit obſervare; cum hac tamen differentia, quod hujuſmodi excretio in Dyſenteria per alvum tantummodo fieri ſolita, in hoc caſu fiebat etiam per vomitum, ita ut ex inſpectione talis materiæ per vomitum excretæ, quiſque illam prodiiſſe per ſeceſſum, indubitanter credidiſſet. Alia inſuper obſervabatur differentia inter hanc excretionem, & eam, quæ in vera Dyſenteria contingit, quod ſcilicet in hoc caſu dolores; atque cruciatus Ventriculum præciſe occupabant, non vero Inteſtina, in quibus tormina nulla perſentiebantur, licet ab omni teneſmo non eſſent immunia. Sævum hoc Symptoma maximam Ægrotanti jactationem inferebat, linguæ ſcabritiem, urinarum paucitatem, craſſitiem, croceumque impenſe ruborem; Febris vero tum intenſior facta, tum magis extenſa, jam ad continuam eſſentialiter tendere conſpicieba-tur. Repetita eſt ideo die minoris afflictionis Venæ ſectio antea celebrata, & injecti clyſteres ex juſculo, cremore hordei, lacte chalybeato &c. item continuatus eſt uſus ſeri Vaccini antea præſcripti, aliaque in uſum revocata, quæ humorum omnium fervorem, & acrimoniam temperare, ac retundere apta ſunt credita. Quarto nihilominus Paroxyſmo graviore, qui motu admodum obſcuro, nulloque fere frigore ſe prodidit, rediit longe violentior ac prius eadem excretio ex muco copioſo, & cruore mixta, per alvum quidem abunde, ſed ſatis diminute per vomitum. Irrequietus Æger neſciebat momento temporis ſtare loco: clamabat, ululabat, ſibi erodi, atque divelli ſtomachum identidem repetens, nil videlicet proficientibus diluentibus, oleoſis, incraſſantibus, anodynis &c. Non equidem compatiebatur cor, neque pulſus (proinde non erat hæc Cardialgia) ſed ferocia nihilominus doloris, Febris intenſiſſima, ardor univerſalis, vigiliæ pertinaces, concidentia faciei, & carnium repentina extenuatio, vel aliquam inflammationem internam præ foribus eſſe, prænunciabant, vel irreparabilem tranſitum in Febrem ardentem, hoc adjuncto ſymptomate facile lethalem. Hærebam hic (fateor) circa oblationem Corticis; immo proclivior eram in continuationem Methodi incœptæ propter rationes quamplurimas; ſed cum plura jam incaſſum methodice adminiſtraſſem, nec eventum meliorem ominari fas eſſet, niſi per promptam inhibitionem paroxyſmorum (ſiquidem hanc amplius licuiſſet aſſequi, progrediente jam celeri paſſu ad cotinuitatem Febre) idcirco tandem decrevi Corticem offerre, methodo tamen nonnihil leviore, ea videlicet, quæ pro curatione Pernicioſarum Octavæ præſertim ſpeciei deſcripta eſt *Lib. III. Cap. III.* Oblata itaque, & repetita temperanter China China in forma boli, eique ſuperbibenda præſcripta Aqua Plantaginis, ſtatim ſubſequentes paroxyſmi vix perceptibiles ſunt redditi cum manifeſta Febris intermiſſione, mucoſæ, cruentæque excretionis omnimoda ſuppreſſione, urinarum coctione, ſomno modico, & ſufficienti linguæ antea areſcentis humectatione: adeoque intra tres dies fere ſanus viſus eſt, factuſque ſubinde poſt alios duos, vel tres perfecte talis, nullam

lam expertus recidivam, ſed ſimplicem tantum Ephemeram poſt menſes a cauſa procatartica, & evidenti oriundam. Paſſus & hic eſt iterum, neſcio quo anno, ſimilem morbum cum ſimili ſymptomare: & eadem methodo ab ipſo anxie expetita citius adhuc ſanatus eſt; nec amplius, quod ſciam, ægrotavit.

SUBCRUENTÆ.

V. Pictor quidam nomine *Joſeph Cerchiarius* anno 1697. in ſecundo ſimplicis, intermittentiſque Tertianæ paroxyſmo, ſeroſa quadam, atque ſubrubra, ſimulque copioſa dejectione corripitur. Contingit hæc in ipſa Febris invaſione, & per modicam quoque acceſſionis extenſionem perſeverat: ab ea tamen quicquam incommodi, vel doloris Æger non percipit præter notabilem virium proſtrationem. Cumque die ſubſequente ſatis leviter ſe habeat, ſitque omnino infebricitans, nondum putat ſe indigere ope Medici, ac proinde, tertium præſtolatur paroxyſmum, antequam decernat de implorando auxilio. Succedit itaque tertius Acceſſus, in cujus principio ſtatim plurimas habet ſedes materiæ copioſiſſimæ ſubcruentæ, ac loturæ carnium ſimilis, qualis eſt ea, quam nomine *Fluxus Hepatici* donare conſueverunt Veteres. Prodibat hæc tam facile, tamque blande, ſeu, ut melius loquar, tam ſubdole, ut Æger inde levamen potius aliquod, quam detrimentum capere ſibi videretur ſaltem ab initio; ſed progrediente copioſis, & repetitis vicibus dejectione, tanta ſenſim, ac talis ſupervenit virium proſtratio, ut non amplius potis eſſet ullo pacto de lecto ſurgere ad alvum deponendam, quin & in lecto decumbens frequentem patiebatur lipothymiam. Ob id ſtatim advocor; narranturque mihi, quæ ſimiliter, licet longe mitius, contigerant acceſſione antecedente. Inſpicio materiam totam (erat autem plurima) quæ veram loturam carnium referebat, nec quicquam aliud. Intueor Ægrum adhuc frequenter dejicientem, oculis cavernoſis, voce clangorem edente, acutiſque naribus præditum. Pulſus illi exilis, celer atque minutulus, & ſucceſſive palam deficiens: languet ille, exſolvitur, & frigidus univerſaliter jacet, etſi a pluribus jam horis febricitet, immo etſi in augmento. Acceſſionis jam antea incaluerit. Quo ad reliqua, ſatis bene ſe habere videbatur. Non ſitiebat admodum, optime conſtabat mente, nulla tormina, nulloſque patiebatur cruciatus, ac tantummodo, ſe aſſidue deficere, mortemque propero jam gradu accedere ſentiens, ac noſcens aſſeverabat. Præſcribo ſtatim corroborantia, fluxum compeſcentia, & vires inſtaurantia, quantum ſinit anguſtia, & circumſtantia temporis; atque ita ab acceſſione illa paulatim, difficulter licet, evadit. Sequenti mane fluxus ſiſtitur ſponte, ut contigerat etiam poſt ſecundum paroxyſmum; vires tamen, & pulſus notabilem exſolutionem patefaciunt, itaut novæ certo acceſſioni conſimili nequeat Æger ſufficere. Munitur ideo Sanctiſſimo Viatico, deinde aſſumit *unc. ſs. Corticis*. Veſpere *duas* pariter potat ex Vino ejuſdem Corticis *drachmas*. Die ſequenti nulla redit acceſſio, neque pariter ulla dejectio. Diebus aliquot ſequentibus utitur eodem remedio in modum vulgaris alterantis, & perfecte curatus eſt abſque ulla unquam recidiva. Neque hic quiſpiam obtrudat, morbum jam forte cum tali evacuatione fuiſſe ſolutum, neque Cortici adſcribendam curationem; nam *primo* in ſimilibus caſibus, priuſquam Cortice uterer, alium profecto progreſſum, alium exitum obſervabam; *ſecundo* nimium frequens eſt, nimiſque immediata poſt Corticem quolibet morbi tempore propinatum ſanatio, ad hoc ut ſemper ea Naturæ adſcribi poſſit, vel Caſui; *tertio* generaliter advertendum eſt, quippe hoc in plurimis occaſionibus militabit, quod qui ſanantur per Corticem tertio paroxyſmo periculoſo, ſponte ſanati credi nequeunt; quartus enim ſaltem paroxyſmus, ſi tertius præſertim validus fuerit, de more inevitabilis eſt, ac ſemper intenſior, ut norunt Practici.

VI. Reverenda Monialis *Mater Maria Joanna a Cruce* Carmelita Excalceata, & Monaſterii Rectrix anno 1703. poſt duos Tertianæ ſimplicis Intermittentis paroxyſmos tertium patitur copioſiſſima dejectione loturæ Carnium ſimili comitatum, cujus tanta eſt ferocia, ut Ægram ſemiconfectam, frigidam, pulſu, voceque carentem, & præ nimia evacuatione proſtratam omnino, exſolutam, & jam prope deficientem reddat. Debilis illa conſtitutionis, & valetudinaria habitualiter erat

ante,

ante. Facile ideo est conjectare, cum hoc adjuncto qualis evaserit. Jam prope mori videbatur, languida, anhelosa, & animo deficiens, illique propterea Sacramenta Ecclesiæ celeriter sunt ministrata. His absolutis, præscriptæ sunt *drach.* vj. Corticis ex Vino potandæ partitis vicibus longe ante horam quarti paroxysmi; tertium siquidem Cardiacis dictis, aliisque spirituosis remediis, non sine magna tamen difficultate transegit, in subsequenti probabiliter defectura: quo remedio statim cohibitus est, alioqui futurus accessus, & una cum eo subcruenta lethalis dejectio. Perseveravit deinde aliquandiu in usu remedii ad prophylaxim, vixque levem tractu temporis recidivam, cito, & sponte solutam, passa, perfecte convaluit.

ATRABILARES.

VII. Milles quidam præsidiarius Urbis nostræ in tertio pariter Febris Tertianæ paroxysmo, quantum, colligere licuit ex confuso illius relatu, dejectionem passus est impense nigricantem, ac veluti ex cruore, partim concreto, & partim dissoluto conflatam. Referebat illa nonnihil fluxum copiosum sanguinis hæmorrhoidalis; sed revera color ater, excrementis ipsis mollioris consistentiæ intime, ac exacte permixtus, altiorem illius accusabat originem. Prodibat hæc pariter etiam syncera, & excrementis impermixta, sanguini atro simillima, qualem vocarunt Antiqui *Atrabilarem*. Copiosam valde observare erat, frequentem, & cum impetu erumpentem hujusmodi dejectionem, hominemque insimul facie Hippocratica plane insignitum, frigidum in extremis, ac lividum, totum cadaverosum, pulsuque ferme carentem, & in lacu terræ hujusce materiæ præ pauperate sepultum potius, quam natantem; ab illa tamen irritis conatibus, & jactatione irrequieta sese expedire tentantem. Præscribuntur idcirco quamcitissime Sacramenta Ecclesiæ omnia, deinde peruvianus Cortex, valida Methodo, sed spe fere nulla. Mane sequenti manet anceps judicium de invisendo Ægro, ob suspicionem probabilem de morte illius. Vivebat tamen; sed summe prostratus viribus, ac pulsu, atque adhuc subfrigidus. Renovatur usus medicamenti, ut mos est, leviore dosi; nec aliud quidquam præter hoc, & victum præscribitur. Altera die levissima fit Accessio, in eaque pulsus incipit attolli, & corpus tantillum calefieri, sedata jam, nec redeunte atra dejectione. Eadem proportione singulis postmodum diebus in melius Æger profecit: quare, nulla amplius renovata Accessione:, & continuato nihilominus pro prophylaxi ad nonnullos dies remedio, cito, integre, & absque ulla pariter recidiva convaluit.

VIII. Decumbebam adhuc anno 1696. vix convalescere incipiens a Pernicioſa Febre, a qua evaseram ope Corticis copiose epoti, ut referam sequenti *Capite*, cum *De Cervius* Amicus amaræ simul, suavisque memoriæ, mihi tenerrime assidens nunciavit, se habere præ manibus Ægrotantem mihi notum, & alias me quoque socio ab eodem curatum, nempe *D. Antonium Mariam Zanni*, cujus hæc fuit ægritudo. Tulerat ille tam facile aliquot Tertianæ simplicis Intermittentis paroxysmos, ut die vacua potuerit electo surgere, consuetoque scribendi muneri vacare. Et revera die ipsa feralem Accessionem mox describendam proxime antecedente, computa gravia suæ administrationis exacte reddiderat, cum die subsequente circa meridiem consueta corripitur Febre, cui repentina, copiosa, & immanis adjungitur dejectio materiæ atrosanguineæ. Hujus autem tanta fuit ferocia, ut Ægrum eadem die sine pulsu ferme confectum, universaliter summe frigidum, & carnibus veluti arefactis, ac induratis præditum cum voce clangosa, singultu, aliisque funestis symptomatis, jam jam in agone constituerit. Hac mihi enarrata historia scisitatus est *D. Cervius*, num in hoc casu locum posset habere Cortex, quem in casu meo mirabile noverat, metuebat siquidem, ne symptoma expositum immutaret adeo circumstantias, & naturam ipsam morbi, ut res per ullum febrifugum nequiret absolvi. Respondi alacriter, dummodo Æger in crastinum viveret, pulsu, licet perexiguo, restituto, incunctanter statim offerendum esse larga dosi Corticem, quo nempe futurum accessum impediente, impediri quoque, ac inhiberi debere symptoma ipsum dejectionis atrocruentæ ab ipsa plane accessione pendentis, certo censebam. Mea ille confirmatus assertione (erat quippe, uti cautus valde, ita & facile meticulosus) statim Ægrum adiit, eumque inveniens in statu aliquo vitæ sperabilis usque ad novum paroxys-

xyſmum, pro eodem impediendo Corticem obtulit ad *ſex drachmas*, ut a me viderat aſſumptum. Hoc uno Febri finem impoſuit, & cruentæ dejectioni; unde paulo poſt ſalus integra ſubſecuta eſt: quod miratus idem Medicus, lætabundus ſtatim nunciavit mihi, de reliquis poſtea neque conſcio, neque curioſo, quippe iterum paulo poſt ægrotanti. Suaſi tantummodo diuturnam Corticis repetitionem, quam, an uſurparit, ignoro: crediderim tamen. Vixit porro reſtitutus Æger ille per annos XIII. quibus exactis, tumore quodam imi Ventris correptus eſt fere univerſali, verumque Hydropem æmulante, ſed tamen inflammatorio, & comitato Febre Continua intenſiore, quæ tumore ſenſim decreſcente nihilominus magis intendebatur; hiſque omnibus brevi confectus, diem ſuum celeriter obiit.

CARDIACÆ LEGITIMÆ.

IX. D. *Lucratia Vaucaria* Vidua, Tertianis Febribus cum bilioſo impenſe vomitu, & dolore ſtomachi non contemnendo frequenter obnoxia, a quibus non ſemel male plecti conſuevit, anno 1707. correpta eſt pariter Tertiana Febre, circa initia quidem naturæ conſimilis, ſed in progreſſu longe ferocioris, quippe quæ tertia acceſſione veram Cardialgiam ſibi comitem adſcivit, quæ tamen Cardialgia ad duas plus minus horas tantummodo perſeveravit, remediiſque oleoſis, edulcantibus, anodynis, & hujuſmodi ceſſit. Die ſequenti Febris præter conſuetudinem facta eſt duplex non ſine quopiam ventriculi morſu in ipſa invaſione, quod mihi anſam dedit cogitandi de propinando Cortice, priuſquam quarta ingrueret fortior acceſſio. Sed quia ſera admodum erat hora, quippe non longe diſtans hora futuri gravioris acceſſus in anticipationem proni, & quia denique minus metuebam in ſubjecto ſolitum, ſeu ſaltem ſimilem laborem fere conſueto, ac metuiſſem in alio minus aſſueto; ideo ſuperſedi pro tunc a præſcriptione Corticis. Sed me facti fere pœnituit altera die; vehemens ſiquidem per totum principium, augmentum, atque etiam ſtatum acceſſionis increbuit Cardialgia, vi cujus Ægra ſibi erodi, & mordicari a Canibus ajebat orificium ſtomachi. Ejulabat, dum poterat; ſed ſæpius intercepta voce deficiebat animo; ſicque alternatim ululans, ſuſpiria edens profunda, vomitus inanes tentans, & animo deficiens, ſubfrigida cum minutis circa frontem ſudoribus, cum pulſu exili, & crebro, cum facie, ſemimortuam referente, oculis caligantibus, & temporibus collapſis, animam jam prope reddere videbatur. Quia vero per breviſſima intervalla nonnulla identidem prodebat ſigna reviviſcentiæ, pulſuſque tunc temporis nonnihil reſurgebat, & appropinquante hora declinationis, cætera quoque tantillum remittebantur ſymptomata, ideo Ægra remediis etiam pro re nata adhibitis adjuta, potuit a tam forti acceſſione evadere, remanentibus tamen non modicis poſtremi paroxyſmi reliquiis. Supererat quoque ſumma ſtomachi ſubverſio, imbecillitas, & ciborum omnium nauſeatio, vox clangoſa, jactatio frequens, frequenſque pariter ſuſpiriorum emiſſio. Quamobrem vel citam, & certam ſuſpicatus mortem in futuro paroxyſmo graviore, ſi Cardialgia rediiſſet, vel periculoſiſſimam ſaltem Febris continuitatem, ſi ea non rediiſſet (quæ continuitas eandem quoque mortem, ſegnius licet, erat æque probabiliter allatura) Corticem valida Methodo ſtatim præſcripſi, non tamen validiſſima, quoniam non pauca intererat adhuc inter prægreſſum, & futurum paroxyſmum fortiorem temporis diſtantia. Ope remedii, poſt leviorem, quæ parum diſtabat, acceſſionem, fortior altera vix conſpicua fuit, vixque aliquis ſtomachi leviuſculus angor; quapropter, repetito paulatim remedio, intra ſeptem, vel octo dies e lecto ſurrexit incolumis. Tranſactis autem aliquot diebus, cum alvus ipſi non ſatis obediens videretur, meque perraro accedentem non facile poſſet conſulere, ſuo marte portiunculam Aceti ſolutivi in condimentum radicum cichorii pro Acetario elixarum aſſumpſit. Forte paulopoſt ipſe ſuperveni, qui, re intellecta, Febrem altera die reverſuram indixi. Sed prognoſticum non fuit exacte verax, cum enim altera die ad eam acceſſiſſem, intellexi, Febrem jam nocte ipſa immediata ab epoto ſolvente, etſi leviorem, illam corripuiſſe. Quia vero Febris ipſa nullum fere laborem intulit, Corticem non amplius exhibui; ſed duobus tantum vel tribus elapſis paroxyſmis levioribus, eadem ſponte ſubſtitit: Ægraque perfecte, ac permanenter, nullo amplius per os uſa ſolvente, ſanata eſt.

X. Al-

X. Alteram mulierem nomine *Adamantam*, Ancillam in Domo Camporea, ſimillima Cardialgia cum duplici pariter Tertiana, quam deſcribere ſuperſedeo, correptam, cui miniſtrata jam fuerant Eccleſiæ Sacramenta, quippe quæ proxime moritura credebatur, & vere videbatur, id ſuadentibus aſſiduis ex vomitu, atque acerrimo ſtomachi morſu deliquiis cum abolitione pulſus fere omnimoda, facie hippocratica, frigidis ſudoribus, & intercepta loquela, hanc, inquam, mulierem juvenculam (neque tamen hyſtericam) intra paucos vies ſanavit confeſtim Peruvianus Cortex, deſcripta jam Methodo oblatus, Recidamque leviorem leviuſcule pariter propinatus in totum ſuſtulit.

CARDIACÆ SPURIÆ.

XI. ANno 1708. *D. Roſam* uxorem *D. de Roncaelis* Doct. Med. Tertiana Intermittente cum ſtomachi angore, præcordiorum æſtu, anxietate, animique defectione aliqua detentam, & auxilium Corticis implorantem, non ſatis unanimes erant in voto, ut exaudirent duo curantes Medici, *D. Clericus* videlicet, atque alter Medicus in illius ſocietatem ſimul vocatus. *D. Clericus* primus in curatione, meæ probe conſcius Methodi, meique moris, facile annuebat petenti, eo quia etiam prætedente acceſſu eadem ſyptomata non contemnenda obſervaret. Cumque poſtremo illo paroxyſmo fortior adhuc eſſet, & diutius perſeverans ſtomachi dolor, ſecumque frequentiorem traheret animi defectionem, Ægraque ſe apprime explicaret de ſenſu mordicationis acerrimæ in ore ventriculi, aſſereretque Febre declinante, ſe ferre nequire alium ſimilem paroxyſmum, neque hujuſmodi affectionem habere quidquam hyſterici, ſed eſſe merum, & grave ſymptoma Febris, juſtum ſibi mortis timorem incutiens, adderetque inſuper, Clariſſimum *D. Ramazzinum* longe levioribus de cauſis Tertianas admodum mitiores uſu Corticis alias eidem ſuſtuliſſe; ideo *D. Clericus* non modo ſe facilem præbebat, ſed & ſponte inſtabat, ut offerretur Cortex, priuſquam novus paroxyſmus (erat enim prope ſtatum morbus) funeſtam Cardialgiam inferret. Contra alter Medicus non plane conſentiebat ſiſti, aut ſuffocari morbum ad ſtatum tendentem) in quo non adeo urgentem, ut narrabat Ægra, agnoſcebat occaſionem, reputans angorem illum ſtomachi non tranſcendere conſuetos benignarum etiam Tertianarum limites, neque adeo male vexari Ægram revera, quantum præ timore præ concepto eadem aſſeverabat, cuncta (ut ajebat ille) aliquantulum magnificans. Maritus anceps quinam opinioni calculum ſuum apponat, advocat me tempore declinationis ipſius acceſſionis. Exponunt quod ſentiunt ambo curantes Medici; neque unus ab altero adeo diſcrepat, quin uterque ſit deſcenſurus in opinionem illius, cui accedam ego. Hæſitavi tantiſper & ipſe, laudabilem Febris remiſſionem inveniens, quin & proximam infebricitationem, mulieremque audiens ſatis alacriter differentem. Sed & hoc ipſum me movit, ut crederem, eam probe noſcere, quæ tam exacte referebat; & cum de Affectione, veram Cardialgiam ſaltem æmulante, ac ab ea parum diſtante, minime dubitarem, viderem-que *D. Clericum* alias non facile meticuloſum, in hoc caſu ſumme metuentem, tutiorem partem eligere ſatius duxi, & Corticem expetenti non denegandum credidi. Propinatus autem ille eſt ipſa jam penitus declinante acceſſione *ad drach. ij.* mane ſequenti *ad drach. j.*, & ſimiliter *ad drach. j.* veſpere: & abolita eſt ſtatim omnis Febris. Ne vero ſuſpicio incidat, fuiſſe exhibitum remedium morbo jam ſponte evaneſcente, animadvertendum eſt, quod Recidivam leviorem non poſt paſſa eſt Ægra. Si quod enim certum indicium eſt, Febres ſumpto Cortice fugatas, ab eodem vere fuiſſe depulſas, non autem ſponte ſolutas, illud inter cætera eſt Recidiva poſt 20. circiter dies levi qualibet de cauſa contingens, eſto etiam, quod ea non contingente ſæpius ſolutæ videanrur ope Corticis Febres cæteroqui lethales, nec ſponte ſolvendæ. Recidivam itaque, ut ajebam, non multo poſt paſſa eſt Ægra, & quia novo ſimul, leviore licet, dolore ſtomaci premebatur, eodem iturum remedio curara eſt integre.

Quod autem eo anno obſcurum nonnihil remanſit circa hanc Curationem (neque enim ſtatus Ægræ ad periculum plane conſpicuum adhuc pervenerat) anno ſequente dilucidatum eſt. Cum enim eandem Tertianam inſigni, & metuenda (dicamus tamen etiamnum ſpuria) Cardialgia vere comitatam obſervaſſem, eodem curante *D. Clerico*, neque citius ac antea

in consilium vocato, sed ulteriorem morbi progressum expectare, & observare volente, coactus sum festinanter, & methodo validiore Corticem propinare, cunctatione cæteroqui mea in grave periculum prope impingens, prius scilicet de eodem nimium certiorari sollicitus.

XII. Non multo post obitum D. Joseph Galliani de Coccapanis. *D. Anna Victoria de Forcirolis Marchionissa* ejus Uxor corripitur Tertiana duplici non plane Intermittente, nulloque cum sensu frigoris invadente. Protrahitur morbus usque ad nonam diem absque ullo gravi symptomate, remediisque vulgaribus caute tractatur. Eo tempore incipit Accessiones comitari dolor, angor, & morsus stomachi non contemnendus, modum tamen non excedens. Crescit in dies symptoma, & cum symptomate Febris. Monet illa me, ut caveam, ne sibi quoque contingat, quod contigit, paulo ante Viro suo: se enim magnum in stomacho mordicationem, sævumque dolorem pati, constanter conquerebatur. Ægre tunc expirabat, & suspiria potius edebat; acuebat vocem, dum clamabat præ dulore, & vicissim obmutescebat, clamare impotens; illam tamen remediis vulgaribus, & bezoarticis (erat quippe in sudorem non negligendum proclivis) usque curabam; ipsa vero mihi quotidie, placide licet, obtrudebat casum defuncti conjugis, & eadem via eodem se tendere, quamvis segnius, asseverabat. Revera dolorem oris ventriculi in dies majorem fieri constabat, illique adjungebatur inanis, ac dolorifica pariter vomituritio ad horas & horas perseverans, ac lipothymiam secum sæpiuscule trahens. Febris ipsa difficulter se se exerebat: jamque vix amplius dignoscebatur illius accessus, sed sibi constanter æqualis jam prope fiebat; quod ideo majorem mihi in præscribendo Cortice suspicionem incutiebat de successu irrito. Cum tamen de Cardialgia, si non legitima, quæ violentius corripit, & certius interimit, saltem spuria & nihilominus admodum dum periculosa, manifeste constaret, insuperque de Febre ad Continuam essentialiter celeri jam gressu tendente, decrevi Corticem exhibere festina, & validiuscula methodo. Quo factum est, ut intra tres, vel quatuor dies (assumptis scilicet primo haustu *drachmis duabus* Corticis, & *drachma una* mane, & fere per duos dies) Febris desierit, continuatoque ad *semidrachmam* quotidie per aliquot dies eodem remedio, Ægra ipsa laudabiliter convaluerit. Cum tamen esset Rus profectura ad aeris mutationem, iterum correpta est Febribus similibus quo ad typum, sed levioribus quo ad intensionem & quo ad symptomata; quare, iisdem Febribus methodo prius vulgari tractatis, mox sibi relictis, nec tamen cessantibus, fuit opus, Corticem iterum, sed leviter & per modum lentioris alterantis exhibere, a quo illæ integre depulsæ sunt, Ægraque, superveniente paulo post diarrhœa spontanea, ab omni suspicione recidivæ penitus liberata.

XIII. Inter plane insignes non referam curationem *Uxoris meæ*, Tertiana primum simplici, & Intermittente (Cardiaca tamen Notha) mox duplici, & sub continua detentæ, usque Corticis haud illaudabiliter sanatæ, non referam, inquam, inter penitus insignes hujusmodi curationem, licet eam & non vulgarem, & notatu dignam reputarint Amici Professores, mihi, Domuique meæ perpetuo faventes. Gravia equidem fuere morbi accidentia, graviusque præ cæteris acutus stomachi dolor ad plures & plures horas invadente Febre respirationem æque impediens ac vocem. Cum tamen pulsus tunc etiam temporis satis rigeret, me non insignis: urgebat metus. Quia vero symptoma istud cœpit occupare plurimam Accessionis partem, Febrisque post quintum Accessum duplex, & sub continua fieri, ideo, ut abundarem potius, quam deficerem in cautela, Corticem præscripsi, & liberaliter, & fere dixerim præ mature. Eadem die assumpti remedii Febris supra expectationem meam visa est subsistere: sed revera, plurimis licet horis post ponens, noctu accessit, mitior tamen, & ultima. Continuatus est usus remedii ad aliquot dies pendente convalescentia. Sed cum Ægra etiam vigente sanitate esset obnoxia dolori acerrimo in regione hepatis, vi cujus aliquoties icterica visa est fieri, licet nec complete, nec permanenter in hac quoque convalescentia idem insurrexit dolor, huicque verus successit Icterus, cujus rudimentum fortassis erat dolor ipse Ventriculi in Accessu Tertianæ tam fortiter premens. Curatus autem est Icterus propriis remediis; & licet pertinaciter pluries recurreret cum unico insimul febrili Accessu, cujus statim soboles erat Icterus ipse, continuato tamen vulgarium remediorum usu, omnimode sublatus est. Successit

ceſſit poſtmodum moleſta convaleſcentia, plurimis incommodis de genere hypochondriaco identidem ſcatens, quibus circa Solſtitium hybernum ſopitis (decubuerat autem illa ſub finem Æſtatis) mox circa Æquinoctium Vernum reviviſcentibus, & paulo poſt in totum extinctis, priſtinæ, Deo dante, valetudini eſt reſtituta.

XIV. Dum hæc primum diſponerentur Prælo, *D. Comes Antonius de Marchettis* Præſes Armorum Civitatis Regii, Patriciuſque illius Urbis, decumbebat ex Intermittente Tertiana ſimplici primum, mox duplici. Jamque ſeptima tranſierat dies, cum ingruente octavæ diei paroxyſmo ſuapte natura leviore, parumque cæteroqui conſpicuo, ab inſigni inſimul Cardialgia correptus eſt, vi cujus frequenter animo deficiens cum pulſu exili, & laborioſis ſudatiunculis, totam acceſſionem non ſine gravi periculo & aſſidentium metu tranſegit. Gravis hæc acceſſio cum novo ſymptomate jugiter conjuncta anſam dedit tribus curantibus, doctiſque Medicis conjectandi, eam eſſe probabiliter acceſſionem nonæ diei inſigniter anticipantem; ſed illa vix paulum declinante vera ſucceſſit potior Acceſſio cum renovatione ejuſdem Cardialgiæ, quæ eouſque proceſſit, ut de Vita Egregii illius Viri, de cujus ſalute Urbs tota erat merito ſollicita, non parum meruerent iidem cordati Medici, qui proinde præter medica præſidia ſubitam quoque Sacrorum adminiſtrationem inſtitui juſſere. Mane ſequenti (agebatur jam dies morbi decima) conſilio inito, ſtatutum eſt inter eoſdem Medicos tentare paroxyſmorum, adjunctique ſymptomatis mitigationem, & omnimodam paulatim abolitionem per uſum Chinæ Chinæ. Quamobrem parata eſt tinctura levis ex illius *unc. j.* extracta cum *lib.* v. ni fallor, aquæ cujuſdam ſtillatitiæ, cujus percolata infuſio exhiberi decernebatur ad *unc.* iv., vel v. ſingulo trihorio. Et quoniam hujuſmodi infuſio ipſis præſcribentibus Medicis viſa eſt nimium diluta, ideo roborata eſt additione *ſemidrachmæ* Corticis in ſubſtantia, adjungendæ cuilibet infuſionis, ſeu tincturæ cyatho. Advocor interim & ego Regium Lepidi hac una de cauſa, annuente ipſo, ac tantum non imperante Sereniſſimo Duce; dumque hora ejuſdem diei 14. illuc pervenio, video actu exhiberi primum cyathum infuſionis cum additione antedicta. Narratur mihi morbi ſeries, periculumque tum prægreſſum, tum imminens ex Acceſſione, & Cardialgia, quarum utraque primis horis nocturnis expectatur, durante nihilominus, ac tantummodo imminuta Acceſſione antecedente, Febreque idcirco continua jam reddita. His intellectis, quoniam conveniebamus omnes in Indicatione, & Remedio, nil aliud mihi proponendum ſuperfuit, niſi methodus validior, quam propterea pro viribus inculcavi, eo maxime quia methodus blanda videbatur relinquere Ægrotantem adhuc obnoxium periculo, & Remedium dedecori. Acquievere ſtatim ratiocinio huic Docti illi, & ingenui Profeſſores, unanimiterque vota ſua meo qualicumque aſſociavere. E veſtigio igitur oblatæ ſunt *drachmæ tres* Corticis ex Vino, octoque circiter horis elapſis repetitæ ſunt *duæ aliæ drachmæ* pariter ex Vino, alia vero *ſeſquidrachma* noctu offerenda relicta eſt. Hac ſtatuta, & magna ex parte impleta jam methodo, diſceſſi hora 21. Mutinam redux, relinquens prognoſticum, quod nocte ſequente leviſſima, ac vix perceptibilis futura eſſet Acceſſio, & quod continuato *ad drachmas* tantum *duas* altera die remedio, Acceſſio ſubſequens (ipſius videlicet undecimæ diei) nullo pacto eſſet adventura. Ita adamiſſim evenit, prout literæ curantium Virorum me certum reddidere. Protractus deinde eſt uſus Corticis ad aliquot dies, primo quidem *ad drach. j.*, deinde ad *drach. ſs.*, eoque poſt debitum temporis intervallum modice repetito, probe reſtitutus eſt Æger, & ſupra plurium expectationem a vera recidiva ſervatus immunis, utut liberum vivendi regimen, debilior nativa ſtomachi conſtitutio, & habitualis, inſigniſque Tibiarum tumor vix tale quidpiam futurum ſuaderent. Haud tamen inficior, familiaria ipſi incommoda uſuque permanſiſſe, de more tamen ſemper circumgeſta, unamve inſuper, ac alteram Febriculam, occaſione præſertim aſſumpti ſuaſu Pharmacopolæ ſolventis, exacto circiter bimeſtri ſpatio illum corripuiſſe: quæ tamen Febriculæ uni ſtatim venæ ſectioni, aliiſque leviſſimis, pauciſque remediis facile, ne dicam ſponte, ceſſerunt.

CA-

CAPUT II.

Historiæ mirabiles Pernicioſarum Periodicarum agentium lethaliter in ſecundam præſertim Corporis Regionem, curatarum eadem Methodo. Harum differentiæ ſunt: Primo *Diaphoretica*, Secundo *Syncopalis*, Tertio *Algida*, Quarto *Subcontinua Malignans*.

DIAPHORETICÆ.

I. ANNO 1696. tot, & tam varias experiebar in me moleſtas, inſolitaſque ſenſationes, quas hic referre non vacat, meque a me ipſo tam diverſum noſcebam, ut lethalem mihi ægritudinem impendere, niſi per quampiam aliam ſalubrem affectionem Chronicam, puta Quartanam, præſervatus forem, pluribus amicis conterraneis ore tenus, exteris vero media literarum communicatione, non ſemel nunciaverim. Hac de cauſa ad præcautionem (metuebam etenim violentum aliquid in nervoſo genere, vel circa originem illius) plura præter morem meum meditatus ſum, & expertus. Ipſo namque Januarii Menſe bis mihi venam ſecui: adventante Vere venas hæmorrhoidales aperui; atque ex ipſa pharmacia alterantia non pauca, præcipue Chalybis Tincturam, aliaque non infimæ notæ deprompſi, & in uſum duxi.

His non obſtantibus, die ſeptima Julii correptus ſum Febre levi, & brevi, cum pauco horrore invadente, & cum modico ſudore penitus ſoluta, ut ideo de correſpondente typo probabiliter tertianario, non eſſet dubitandum. Itaque poſt unam intermiſſionis diem rediit Acceſſio ſimilis, quæ tamen hoc unum habuit peculiare ſymptoma, ut durante toto tempore augmenti & principio ſtatus, plane obſurduerim, quod nihilominus ſymptoma cum Febre facile evaneſcente facile pariter evanuit. Sequenti die, Amicorum curantium ſuaſu (erant hi *D. Cervius* tunc vivens, *D. Davinius*, & *D. Ramazzinus*: adſtabat vero praxim tunc mecum obſervans *D. Clericus*) Amicorum, inquam, curantium ſuaſu, quoniam non magna videbatur mittendi ſtatim ſanguinis jam antea pluries educti indicatio, ſerum vaccinum depuratum ad libras tres, & ultra potavi, a quo ſeroſa pariter, celer, & copioſa eſt ſubſecuta dejectio. Cæterum immunis a Febre, hilaris, Amicos libentiſſime excipiens, & vix decubitum in lecto patiens, totam diem alacriter tranſegi. Altera autem die tertius de more rediit acceſſus, in cujus principio potius, quam in augmento, quandam pariter, ſed leviorem, atque breviorem paſſus ſum ſurditatem. Paulopoſt dum quietus, & ſine ulla jactatione conſiſterem, aliquam ad ſudandum propenſionem perſenſi; & licet hæc præcox nonnihil videretur, attamen blandiebar ipſe mihi, breviorem fortaſſis inde ominatus acceſſionem. Apparuit itaque ſtatim ſudor circa pectus, brachia, collum, & frontem, qui cum perſeveraſſet, nec Febris inde imminueretur, coegit me mutare prognoſim, & longam ſaltem, ni gravem mihi præſagire ægritudinem. Sudorem illum ad aliquod breve tempus bene tuli; ſed dum quartum mutarem induſium, mihique adjutricem manum præſtaret Chirurgus forte ibidem præſens, viſus ſum mihi de repente hanc ſenſationem pati, ut ſcilicet crura tranſverſim uno ictu mihi obtruncarentur, & veluti ſemiſectus exſolverer: adeoque ſymptoma, quo premebar, paululum meditatus exclamavi -- ſentio aliquid in me, vi cujus vel quam cito morior, vel ſenſationum mearum compos non ſum -- Duravit hæc ſenſatio per aliquod ſpatium temporis: cum tamen interim motum haberem, & ſenſum in illis iiſdem partibus liberum, ac exquiſitum, mentem alacrem, pulſum validum, faciemque, ac oculos (quod in oppoſito ſpeculo intuebar) a naturali ſtatu parum, ac fere nihil diſtantes, ajebam, me vix mei compotem eſſe poſſe, cui, dempta Febre, robuſto mors tamen proxima videretur: forte igitur hypochondriaca quapiam illuſione tentatum me cenſui.

Poſt hæc paulatim remittitur ſenſatio illa moleſtiſſima; ſed ſudor notabiliter augetur, & cum ſudore ipſa Febris, quæ cæteroqui minui debuerat. Agnoſco tunc, me colliquari ex continua, & ſemper adaucta ſudoris etiam male repentis profuſione. Pulſus fit parvus, & celer, vireſque non parum labefactantur. Superveniunt interea mihi faventes Amici Medici, & ſtupent novitatem rei; nondum tamen præcipitem exſolutionem, quam ego mei conſcius me patenter experiri iiſdem inculco, plane approbant. Non diſſimulata tamen rei valde gravis veritate, judicium ſuſpendunt ad duas horas, poſt

eas ſcilicet elapſas me iterum inſpecturi; remanente tantummodo apud me præter *D. Clericum* Adſtantem *D. Cervio* Collega quondam meo. Redeunt itaque hora ſtatuta *D. Davinius*, & *D. Ramazzinus*; & cum me undequaque ſudore frigidiuſculo diffluentem inveniant, audiantque ab aliis, & ex pulſu ipſo dignoſcant, quantum de hora in horam deterior fiat conditio mea, ſtatim præſcribunt ea omnia, ſeu ea pauca, quæ in hiſce arduis caſibus ſuppeditare poteſt curta Medicinæ ſupellex. Perſeverat nihilominus pari paſſu ſudor, intenditurque eo magis Febris: minutus, exiliſque fit pulſus, creſcit exſolutio virium, maximaque fit mihi anguſtia, compreſſio, & flammea ſenſatio circa præcordia, nihilque mihi magis laborioſum, ac noxium, quam ſomnus, a quo, ſtatim ac illum cogebar admittere, laſſitudine victus illico expergiſcebar cum repentino tremore, anxietate, & inexplicabili moleſtia, ut ideo quietem illam omni cura ſtuderem evitare. Jamque nox erat admodum protracta, nec plus quam per unam, aut alteram horam diſtabat dies. Cumque mihi celeri paſſu viderer deficere, ſciſcitatus ſum *D. Cervium* (qui cum *D. Clerico* inſomnem totam noctem ibidem tranſegit) ut explorato pulſu, & penſitato mature ſtatu meo aperte diceret, quemadmodum noſtra ferebat amicitia, an crederet, poſſe me expectare diurnam lucem pro aſſumendo Santiſſimo Viatico, ut jam veſpere communi conſenſu ſancitum fuerat, an potius periculum eſſet, ne diem preveniret mors, uti videbar ex ſenſationibus meis poſſe ſuſpicari; quo caſu omni celeritate mihi miniſtrari, prout Catholicum decet, Sacramenta omnia enixe precabar. Nequivit tunc lacrhymas choibere tener Amicus (quem in interitu ſuo paribus lachrymis perlui) præ manibus pulſum meum detinens, diuque contrectans: tandemque poſt non brevem hæſitantiam, inquit -- Tam parum diſtat dies, ut probabiliter credi poſſit adhuc tempeſtiva unius, aut alterius horæ dilatio: interim admonebimus poſt pauxillum adhuc temporis Parochum, ut cuncta diſponat ſatis prompte, ut ſolicitudini etiam tuæ morem geramus -- Atque ita valde diluculo ex largitate infinita Dei abſoluta ſunt cuncta, completoque præcipuo Animæ negotio, & condito ſucceſſive teſtamento, animum etiam converti ad ſanitatis curam. Et cum jam a viginti-quatuor horis febricitarem ex noviſſimæ acceſſione, eſſetque nihilominus ea vel tunc longe intenſior, ac fuiſſent antecedentes tempore ſummi vigoris, ſudorque etiamnum protraheretur non tanto quidem profluvio, ſed cum difficillima ſemper tolerantia, clareque cognoſcerem, quod etſi illa die ſperare poſſem leviuſculam Febris, & colliquativi ſymptomatis remiſſionem, vitæque ipſius protractionem, adhuc tamen ſequenti die mors mihi inevitabilis imminebat, ſtatim *ſex drach.* Corticis Peruviani in tenuiſſimum pollinem redacti mihi afferri juſſi, quem manibus ipſis meis, tremulis licet, in Vino infundere volui, & aſſervari in pyxide uſque ad adventum reliquorum Medicorum mihi faventium, re prius cum *DD. Cervio*, & *Clerico* communicata.

Accedentibus itaque *DD. Davinio*, & *Ramazzino*, poſtquam diverſa illorum audivi ratiocinia, & propoſita hic inde remedia (circa quæ omnia non paucæ utrinque ambages fuere) conſueta inter nos libertate loquendi eoſdem obſtrinxi, ne gravarentur fateri, quod ego jam optime conſcius periculi mei evidenter noſcebam: nempe *Primo*, remedia vulgaria, circa quæ plurimas audieram dubitationes, & noveram difficultates, id certi præſeferre, ut eſſent imparia huic morbo ſanando: *Secundo*, futuram ſaltem Acceſſionem per 24. circiter horas tantum diſtantem, ab hujuſmodi remediis inhiberi non poſſe: *Tertio*, eam periodum abſolute craſtina die futuram eſſe ultimam vitæ meæ. Judicium hoc abſolute prolatum dum cauta tergiverſatione modificare tantillum ſtudebat *D. Davinius*, Artis noſtræ, & præſagiorum ejus incertitudinem recolens, periculum tamen maximum nequaquam diſſimulans, *D. Ramazzinus* in eum converſus -- Cum Profeſſore (inquit) ſanæ adhuc mentis, ſuumque ſtatum perſpicue dignoſcente, ulli officioſæ diſſimulationi locus non eſt. Dein converſus ad me -- Ingenue (inquit) vera fateor, quæ dicta ſunt de noſtrorum remediorum incertitudine, atque imbecillitate; fateor pariter, ab illis craſtinam acceſſionem inhiberi non poſſe; fateorque inſuper eandem, ſi non abſolute inferat mortem, talem ſaltem illaturam eſſe perniciem, ut quod cras non contingit, poſtridie tamen ſit eventurum. Sed (ſubjunxit) quid aliud ex hoc inferre poteſt vir prudens, niſi quod tentanda ſint omnia Artis conamina, eaque, qualiacunque ſint, manui Dei adjutrici committenda

cum

cum indifferentia ad exitum quemcumque? Suſpicabatur ſiquidem ille, quod cognito pro irreparabili exitio meo nulli remediorum incommoda me vellem ſubjicere. Ad hæc itaque reſpondi: non alia de cauſa me exquiſiviſſe judicium illud de ſtatu meo, & ingenuam confeſſionem de ineſficacia præſidiorum mihi propoſitorum, nili ut remedium majoris ſpei in caſu ferme deplorato ipſe quoque proponerem. Corticem idcirco in pyxide aſſervatum ambobus inſpiciendum exhibui: Caſum *D. Comitis Nogarolæ* anno anteacto ſanati *D. Davinio* commemoravi, & caſum *D. Levizzani pag.* 140. deſcriptum *D. Ramazzino*, alioſque caſus non abſimiles ſucceſſiſive innui: aliquid ſimile de me ipſo, ſaltem pro tunc hac eadem via nequaquam deſperans. Atque ita implorata prius, ſi iisdem placuiſſet, dein impetrata permiſſione, quam illico conſequi fuit facillimum, *ſex integras* Corticis *drachmas* in Vino paulo ante infuſas uno hauſtu potavi. Quid plura? Tota quidem die Febris perſeveravit in eodem fere ſtatu, ſed ſudores (ſemper circa frontem, collum, & pectus) ſatis moderate fluxerunt, noctuque, cum placide nonnihil quieviſſem, fere omnino fuere ſuppreſſi. Mane ſequenti remiſſa notabiliter eſt Febris, neque hora ſuſpecta quicquam ſuſcepit incrementi, immo conſpicua magis declinatione, etſi eſſet dies afflictioni deſtinata, ſemper decrevit; adeout tertia de poſt aſſumptum pharmacum ab omni Febre immunis omnino remanſerim, atque ab omni ſymptomate.

Supererat, ut Corticem repeterem ad diutinum tempus; ſed quia menti meæ a pluribus jam menſibus, ut dixi, alte infixum erat, indigere me morbo depuratorio ad abluendas, & abſumendas meorum fluidorum ſordes (quas plurimas eſſe ex inuſitato plurium menſium torpore, ſegnitie, ſomnolentia &c. alias conjeceram) ideo decrevi abſolute, velle me Recidivam, quam certo oppetiebar, pati potius, quam eandem forte declinando per continuatum uſum Corticis fluidorum mei Corporis depurationem forſitan impedire, leviorem interim, ac diuturniorem relapſum in Febres mihimetipſi ominatus. Quodſi, ajebam, contingat, ut recidiva hæc ſit pejor (quod non facile tamen crediderim) radice ſua, vel eidem æqualis, mihi ſat ſit ſemel vixiſſe: neque enim mens eſt contra ſtimulum calcitrare, ſi ſit in Fatis, ut moriar. Per dies undecim Febre vacavi. Octo ex his jam præterierant, ego vero non ſine magno labore valebam e cubiculo egredi: adeo namque ponderoſas citra tumorem tibias ſentiebam, ac ſi plumbo eſſent obductæ; indicium mihi manifeſtum futuri relapſus. Undecima tamen die omni conatu, quem exerere poteram, adhibito. Eccleſiam (inter quam, & domum meam ſola media erat Via) adivi, die videlicet 25. Julii, domumque reverſus, ſtatim a prandio Febre iterum correptus ſum, quæ duplicis Tertianæ Subcontinuæ ab initio typum habuit, nullo ſudore, nulloque præcipiti ſymptomate comitatæ. Cum autem ab illa, remiſſionem forte ſufficientem ut Cortici obtemperaret circa initia ſaltem ſervante, curari renuiſſem per uſum repetitum ejusdem remedii ob rationes allatas, acquiſivit illa paulopoſt characterem Febris acutæ, a qua methodice ab iisdem DD. mihi faventibus ſedulo curatus ſum, ſuperata videlicet opportunorum auxiliorum uſu intra undecimam diem acutie, vi cujus in novum grave, ſed non tam præceps diſcrimen adductus eram. Pariter intra vigeſimam modificata eſt quædam, quæ rurſus ſuccreverat, recrudeſcentia, & abolita intra quadrageſimam omnis Febris, etſi longam poſtmodum convaleſcentiam nocturnis, anomaliſque motibus Febrium æmulis interſperſam duxerim.

Illud denique non prætereundum (atque hujus hiſtoriæ prolixitas nonnullarum brevitatem compenſet) quod, etſi aliquot ab hoc morbo præterierint menſes, atque ipſe Ruri degens ſatis firmo talo ſpontaneis laboribus, & aſſiduæ venationi indulgerem, ſi quando tamen Rheda vehebar, pedibus, ut mos eſt, ſupra Rhedæ pontem impoſitis, ſtatim eam, vel ſimilem ſaltem experiebar tranſverſim in mediis cruribus ſenſationem, quam tertio *Diaphoreticæ perniciosæ* paroxyſmo fueram expertus, adeoque, ne leviuſcule ſaltem animo deficerem, quod prope ſentiebam, opus erat, ut tibias horizontaliter collocarem, vel aliquo ſaltem modo, ſive manu, ſive aliter ſuras fortiter comprimerem, tremulo durante Rhedæ motu, quo auxilio adhibito nihil amplius percibiebam incommodi, duravitque ſenſatio iſta ad duos, vel tres menſes, ut ideo tunc, quantum licuit, ab uſu ipſius Rhedæ abſtinere fuerim coactus. Tractu

dein temporis non diuturno hoc ipſum qualecunque evanuit incommodum, & ab eo tempore in hanc uſque diem mihi (Deo dante) valetudine firmiore ac antea perſeveranter uti licuit.

Hiſtoriam autem hanc prolixam non ideo per extenſum exaravi, quia eam inter inſigniores collocem (plures enim graviores, ſi non quo ad malum exitum utrinque imminentem, ſaltem quo ad ſtatum actualem Ægrotantium longe majori languore obſitorum, & tantum non expirantium, in ſubſequentibus ſtrictius ſum relaturus) ſed quia, cum mihi de cunctis intime conſcio omnia phænomena probe innotuerint, eorumque adhuc ſim memor, operæ pretium duxi cuncta enarrare ad illuſtrandam praxim, ut poſſimus quandoque percipere, quod ſæpe Ægrotantes nequeunt ſe ſolis, niſi a nobis minute interrogantibus adjumentum capiant; ſatis dilucide exponere.

II. Vix evaſeram ab enunciata ægritudine, nec adhuc convaleſcentiam meam plane compleveram, cum ab otio ruris accitus fui ad curam Præclariſſimi Viri *D. Marchionis Joannis Galliani de Coccapanis* a Secretis, & Status Conciliarii apud Sereniſſimum Ducem. Is tunc ſexagenarius & ultra, & gracilis, arthriticus, nephriticus, ſtudiiſque, curis, & arduis aſſidue negotiis defatigatus, in quarto Tertianæ Intermittentis paroxyſmo ſudorem tam copioſum, & laborioſum paſſus eſt, ut ab eo ſenſim refrigerato, & incrementum Febris loco declinationis inferente, brevi fuerit ad extrema redactus. Decumbebat jam perpetuo ſupinus ſine ullo motu, & anheloſus; ſudatiunculam aſſiduam, frigidam cum carnibus ſumme frigidis, & extremitatibus impenſe lividis, patiebatur, pulſumque potius nullum, quam formicantem habebat. Non loquebatur ſponte; interrogatus tamen reſpondebat; ſed ſepulta, & clangorem edente voce. Urina illi mingendi immemori omnino ſuppreſſa cum diſtentione veſſicæ, ſed abſque ulla perceptione ſtimuli. Lingua nigra erat, & aſpera, ductoque hiante ore ſpiritu areſcens. In hoc ſtatu, in quo non amplius diſtinguebantur temporaneæ paroxyſmi viciſſitudines, incrementi videlicet, aut decrementi, ſed anguſtia ſemper majore cuncta ruebant in præceps, Ægerque ad interitum properabat, vix cibus capiens, & ſacris jam Miniſtris plane commiſſus, peracta prius ope Catheteris meliore, quo licuit, modo lotis extractione, Corticem illi propinare tentavi: quod cum tandem non ſine difficultate ſucceſſerit, cumque methodum meam in actum exerere perfecte potuerim, ille intra paucos dies incaleſcens, nec ullis deinceps acceſſionibus prehenſus, ſenſim, paulatimque reſtitutus eſt, & poſt diuturnam, laborioſamque convaleſcentiam (ratione dyſuriæ ſuperſtitis) perfecte ſanatus, obnoxius tantum conſuetæ Arthritidi, atque dyſuriæ, quibus periodice duntaxat recurrentibus, ad annos XV. vegetam, activamque Vitam inde protraxit, donec expleto LXXVI. annorum curſu, e vivis deceſſerit, atroci dyſuria confectus, & duplici poſt obitum reperto Veſſicæ Calculo.

III. *D. Comes Andreas de Sanctis* filius unicus Cl. quondam *D. Nicolai* a Secretis, pariter, Statuſque Conſiliarii anno 1705. duos faciles ſine tamen frigore invadentes paſſus paroxyſmos Tertianæ ſimplicis, lato modo loquendo, intermittentis, adeout die vacua ipſam ſecundam Acceſſionem ſubſequente ægre in lecto detineretur, catervas amicorum excipiens, & cum illis tota die amœniter confabulans, tertium ſubiit paroxyſmum ſine frigore pariter, ſimulque ſine ullo ſymptomate invadentem. In augnento Febris ſudare cœpit; cumque illi amans Genitor emulſionem ex ſeminibus melonum confectam circa horam ſtatus vellet exhibere, obſervavit pulſum magis depreſſum, ac fuerit in principio acceſſionis. Advocat ſtatim ille me, ſerius alioquin adventurum, anceps videlicet, an emulſionem ab Ægro avide expetitam offerat. Obſervo & ego pulſum celerem, minutum, ac inſigniter depreſſum; obſervo profuſum ſudorem, & jactationem irrequietam. Suſpendo emulſionis oblationem, & judicium de morbo ad ſemihoram. Cumque omnia in pejus, & in præceps ruere ſatis prænoſcam, præſcriptis pro tunc Cardiacis refrigerantibus, aliiſque uſitatioribus in ſimili caſu remediis, Corticem primo a Pharmacopola larga doſi parari jubeo, & aſſervari, dein inſto, alium Medicum in conſilium vocari. Fuit is *D. Davinius*, cui cuncta narravi; & quia tota metamorphoſis intra unam? vel alteram horam initium cœperat; dixi; me Corticem mea methodo exhibendum paraſſe, ſi circa veſperam clariora, & certiora forent indicia imminentis, quod me-

tue-

tuebam, exitii. Calculum ille ſuum addidit ſententiæ meæ ſub conditione perſeverantis, aut adaucti periculi, meæ fidens experientiæ quo ad modum exhibendi, non ſatis adhuc intime, ut paulopoſt, eidem notum. Veſpere itaque iterum inſpecto Ægro, ſudorem adauctum, & frigefactum comperimus; pulſum vero magis depreſſum, & celerem, faciem concidentem, oculos languentes, & irrequietam undequaque jactationem cum luctuoſis ſuſpiriis. His viſis, ſtatim præmiſſo Euchariſtiæ Sacramento, Corticem, ut paratus fuerat, exhibuimus. Nocte perſeveravit frigidus ſudor cum anhelitu frequenti, ut ideo anceps *D. Ferrarius* Aſſidens, an ea ipſa hora Extremam Unctionem illi adminiſtrari curaret, metuens, ne in craſtinum non viveret, me noctu advocari ſtuduit, qui tamen ab extrema hac ſacra functione pro tunc ſuperſedendum duxi. Atque ita, cum mane aliquantulum recreatus, & pauco ſudore diffluens Æger reperiretur, ſtrenue repetitus eſt Cortex: ex quo quarta inhibita eſt Acceſſio, cujus loco brevis, ſed copioſa, & celer ſubſecuta eſt diarrhœa bilioſa, colore Corticis notabiliter infecta. Continuatum eſt autem ad aliquot dies more conſueto remedium, Ægerque Brevi, quippe Juvenis, atque robuſtus ad priſtinam valetudinem redactus eſt, nulla unquam, ne levi quidem Recidiva interruptam.

SYNCOPALIS.

IV. ANNO 1695. paulopoſt abſolutam non ſine plauſu (uni quidem Deo ſit gloria) *D. Comitis Nogarolæ* curationem, obſtrepente adhuc per aures Amicorum fauſto hujuſmodi curationis rumore, anxie advolavit ad me *D. Candrinus* Medicus, inſtans, ut cum eo ad inviſendum *D. Marcum Martini* profeſſorem Muſices, Amicum ſuum jam pereuntem in tertio Paroxyſmo Syncopalis Tertianæ, me citiſſime vellem conferre, inſpecturus, utrum in hoc caſu locum ullum (quod tamen vix ſperabat) poſſet habere peculiaris mea, quam nuperrime audierat, Peruvianum Corticem offerendi ratio. Amico morem gerens, ſtatim cum eodem accedo ad Ægrotantem, invenioque jam ſacrum Miniſtrum Animæ commendationem auribus illius intonantem; & candela accenſa ad os appoſita, ſpiritus exitum expectantem. Hoc viſo ſpectaculo, ambo flectimus genua, piæ ceremoniæ complementum præſtolantes, ſpectamuſque a longe faciem Ægrotantis cadavericam, calorem plumbeum, oculos ſemiclauſos, albumque tantummodo exhibentes, anhelitum ſublimem, ſupinumque ſine motu decubitum. Excuſat ſe Medicus mecum, & veniam poſcit aſſeverans, quod ante tres, vel quatuor horas, Febre ſcilicet incipiente, non tam cito periturus videbatur Ægrotans. Revera dum ibi aliquantulum moraremur, agnovimus veram Syncopem fuiſſe in actu tunc cum advenimus, Ægrumque jam ſenſim ab eadem leviuſcule reſurgere. Pulſum exploravimus, nec niſi aliquot vix perceptibiles, & cum inæquali pariter intermiſſione diſtantes pulſationes obſervare datum fuit, etſi Febris augmentum jam caperet, & tota, quanta eſſe poterat, eſſet remiſſio ipſius Syncopes. Sic pariter & alia ſe habebant ſymptomata, remiſſa videlicet intantum, ut non amplius in ipſo mortis agone eſſet Æger, prout fuerat paulo ante, ſed tamen itaut ad veſperam circiter (erat autem tunc meridies) eſſet tantummodo protrahenda Vita, videlicet uſque ad ſtatum Acceſſionis. In hoc prognoſtico concordes diſceſſimus, dixique ego Aſſidentibus in eo ſtatu nil auſis expoſcere: quod ſi Æger veſpere viveret, veſperum illum iterum inviſeremus. Dum petebamus domum, inquit *D. Candrinus* - Si viveret Æger veſpere, quid tum? Subjunxi -- Si viveret, ſique non moriturum crederem niſi futura Acceſſione, tentarem quod peregi in caſu *Comitis Nogarolæ*. Sed nec is probabiliter tandiu vivet: frequens enim, & gravis hæc Syncope imminentis jam mortis prænuncia eſt; neque volo ego ſub hujuſmodi incertitudine ſubire calumniam inevitabilem, vel ſaltem deriſionem, qua illudetur mihi, tamquam deſperatos omnes uno remedio temere reſtituere præſumem. Hoc dicto tantillum ſubſtiti, quaſi me dicti pœnituiſſet; atque interrogavi, num Æger ex Pharmacopæa Fratrum ejuſdem Medici medicamenta deſumeret: & cum reſpondiſſet affirmative, hanc fraudem honeſtam velle me tentare ſubjunxi, ut ſcilicet pararetur validiſſima (qualem præſcripſi in caſu *Comitis Nogarolæ*) Corticis Tinctura, quæ nomine miſturæ cardiacæ inſigniretur, offerreturque Ægrotanti poſt duas, vel tres horas, ſi vi-

viveret, nec esset in agone: hoc tamen pacto fideliter inito, ut si sanitatem acquireret, liceret arcanum develare; sed si occumberet, tantum Confectionis, de Hiacintho, vel Alchermes, Aqua aliqua cardiaca dissolutæ, describeret in sua tessera Pharmacopæus, quantum par esset pro æquando prætio absumpti Corticis; ne scilicet mihi calumnia inde eveniret, vel saltem derisio. Factum est illico prout edixi. Extracta est Chinæ Chinæ Tinctura fortis, & Ægro malevivo post duas circiter horas oblata, & non multo post repetita. Vixit adhuc, atque ab Accessione illa, Syncopeque simul evasit. Die sequente exhibitus est Cortex in substantia *ad drach. j.* mane, & sero. Altera die, qua expectabatur quartus. Paroxysmus, vix apparuit levis umbra Febriculæ. Adhuc tamen nemo illum victurum credebat; adeo languidus, adeo debilis, adeo attonitus, & tantum inconcinne gemebundus apparebat. Sed quid multis? Continuato ad aliquot dies, ac repetito remedio cito sanatus est; & longam licet convalescentiam cum intermixtis levioribus Recidivis, nec non diuturnam virium imbecillitatem passus, perfecte convaluit; & in præsentem usque diem nonagenario major feliciter vivit.

ALGIDÆ.

V. D. *Joseph Barbarius* Tertiana Intermittente, primo simplici, mox duplici Ruri detentus (ita tamen ut leviter se haberet, & quotidie potis esset electo surgere) ut mihi se committeret, in Urbem delatus est. Eadem sui adventus die, dum solita Accessione corripitur (erat autem dies morbi quinta) adeo perseveranter frigescit, ut numquam frigori succedat consuetus calor. Jamque plures horæ erant elapsæ ab invasione accessionis; & tamen nec pulsus elevabatur, sed summe depressus, frequens, ac humilis permanebat, qualis videlicet fuerat in ipsa invasione, nec caro ullum calorem externum acquirebat, cum tamen ille intense sitiret, & in se contractus, ac nonnihil hebes de nulla alia re conquereretur. Primo aspectu culpavi illius obesitatem, ratione cujus calor, & pulsus, ut mos est, difficilius sese exererent: sed cum protrahi hunc statum usque in alteram diem cum minima tantum remissione observassem; cumque paroxysmo paulo post subsequente singula intendi vidissem symptomata, Ægrumque jam Algidum universaliter fieri ut marmor, plurimis licet horis elapsis, pulsuque (si fas sit dicere) omnino carere, respirationem augeri, colorem faciei plumbeum, extremaque livida evadere cum aliquo etiam mentis torpore, & funesta tenuium urinarum paucitate, statim Sacramentis Ecclesiæ præmissis Corticem Peruvianum præscripsi valida methodo, quo solo intra triduum ab omni accessione, & consequenter ab omni periculo liberatus est: quoniam & calor blandus expansus est per universum corpus, & pulsus paulatim elevatus, ac simili proportione restituta respiratio, ut & restitutus naturalis faciei color, urinarumque debita cum abundanti simul quantitate consistentia. Paucis postea elapsis diebus, a pauxilla pariter, & sine exacerbationibus superstite Febre immunis evasit intantum, ut valuerit denuo Rus adire. Ibi tamen leviores aliquot, brevesque Recidivas passus est; Urbique etiam ipsi restitutus per totam hyemem accessiones nonnullas irregulares, & erraticas identidem tulit, quas levioribus primo remediis tractavi, mox soli Naturæ commisi, & adventanti Veri; quo nempe sponte, ac facile evanuerunt.

VI. Strenuus, & ob id celebris Bajulus Urbis nostræ, *Julius Salviolus* anno 1707. decumbebat Tertiana, ut retulit, (Febre non satis novi, an simplici, an duplici; curabatur siquidem ab alio Medico, cujus nomen libenter subticeo) vi cujus Febris septima, ni fallor, morbi die de repente ruit in præceps, consueta videlicet, sed ferociore Accessione illum inopinato de medio fere tollente. Terrefactus jure merito Medicus de alio non cogitat; nisi de Sacramentis celeriter ministrandis; & de vulgaribus Cardiacis. Cumque Ægrum mane sequenti (erat enim tunc sero) minime victurum crederet, dixit Adstantibus, ut retulerunt, quod si forte viveret in crastinum, nunciarent: alias se minime rediturum. Funesto huic præsagio justam occasionem dedit Algor universalis Ægrotantis, & perseverans abolitio pulsus. Cum vero in hoc statu permansisset Æger per totam noctem, mane nescio quo spiritu ductus, institit advocari non Medicum suum, sed me, qui alias in casibus arduis, & signate de vulnere quondam Abdominis penetrante illum feliciter curaveram in Nosocomio. Advocor itaque per internuncium

cium titulo caritatis, ut Hominem jam-jam pereuntem velim ſolari ſaltem, ſi non ſit locus curationi, mihique interim ſubticetur circumſtantia, quod ab alio curetur Medico, cum quo nulli alii facile eſt convenire. Accedo ad Ægrum, illumque intueor a ſe ipſo valde diſſimilem, exhauſtum videlicet, ac ſi a duobus jam menſibus ægrotaſſet; pulſum diligenter perquirens, non percipio; carnem vero univerſi corporis ſentio frigidam, ut marmor, urinamque paucam video, ac impenſe rubram. Cæterum mente alacrem, parum ſiticuloſum, atque oculis adhuc vividis, ſed ſupra conſuetudinem micantibus præditum reperio. Tum inquit ille -- Jam noſco, & ſentio me mori. Deo dante munitus ſum Sacramentis, & promptus ad implendam voluntatem Dei. Curabar ab alio Medico, qui me jam mortuum putat, heri ſiquidem ſine pulſu me dereliquit; an modo ſim in eodem ſtatu; ignoro: agnoſco tamen, me ſic diu vivere non poſſe. Nihilominus obſecro te, ut velis curam mei ſuſcipere, & dimiſſis omnibus delicatulis inſpectionibus adjuvare me, ſi ullus (quod vix credam) locus eſt ſaluti meæ -- Denique cum me hæſitantem noſſet; ne ſcilicet viderer injurius alteri Medico, cum quo cæteroqui de remedio convenire erat impoſſibile, nil intentatum reliquit, ut me ſuaderet ad opus: recolens, quod ab antiquo Pater ejus fuit famulus Patris mei: quod idem meus Genitor Ægrotantem ipſum ſuſcepit ad Sacrum Baptiſmatis fontem, & ſimilia. Sed mea jam me ſatis ſuadebat conſcientia, ne illum forte ſanabilem deſererem, intentato remedio innocuo, & probabiliter ſalutari, videlicet Cortice, priuſquam nova inſurgeret lipyriam referens, & plane lethalis acceſſio.

Difficultas erat circa modum offerendi remedium, & evitandi calumniam, ſi occubuiſſet Æger, vel cenſuram inurbanitatis, ſi inſcio Medico curante obtuliſſem. Propoſui ideo Febrifugum, ac præſcripſi in ſchedula juxta doſim, & methodum in hiſce caſibus mihi familiarem, dixique Ægro, & Aſſidentibus, ſtatum illius eſſe ſumme periculoſum, ut ipſi noſcebant, non tamen eſſe plane deſperatum; & ſi quidquam eſſet; quod poſſet illum ſanare, eſſe id ſolum, quod in ea ſchedula præſcriptum proſtabat (eo ſiquidem ſolo plures etiam pejus degentes ſanati fuerant) an vero idipſum illi eventurum eſſet, me plane ignorare. Monui idcirco, ut iterum, ac ſtatim advocaretur Medicus curans, illique nomine meo oſtenderetur ea ſchedula; & quandocunque ipſe eam approbaſſet, eadem uterentur: ſin minus, ſequerentur opinionem, quam vellent; nequem enim amplius opus erat interventu meo, dum eo remedio uterentur, prout præſcripſeram, multoque minus, ſi non uterentur. At cum mihi obtruderetur (quod & ego certo prævidebam, neque ideo conſcientiæ meæ videbar integre ſatisfeciſſe) hoc eſſe idem, ac nihil agere, ob prævi[illegible]am indubitabilem rejectionem, & proſcriptionem remedii, intimo quodam impetu motus ſum ad id exequendum, chriſtiana videlicet impellente caritate, quod nunquam peregeram, & quod nunquam poſthac, niſi in ſimilibus circumſtantiis acturus ſum. Spreto metu calumniæ, negleſtoque omni officio, Vitæ Ægrotantis infenſo, auxilium ſpopo[illegible], ſtatimque domum meam adii, & Corticem, quem penes me ad domeſticos uſus aſſervo (nil autem aliud medicamentoſum degit domi meæ, neque ipſa Theriace) in Vino diſpoſui partitis doſibus exigentiæ proportionatis.

Et quoniam caſus urgens Nobiliſſimæ Virginis me celeriter advocabat longe ab Urbe, opus plene adimplendum commiſi Juveni praxim ſub me addiſcenti, qui egregie opus ad ſuum complementum provexit; unde redux ego in Urbem inveni Ægrotantem (primus quippe fuit ille præ nobilibus, penes quem fuerim) jam excalefactum; & pulſu aliquo donatum, Cumque nulla amplius ab epoto valide medicamento Acceſſio apparuerit, ſenſim ac ſenſim intra paucos dies integre reſtitutus eſt. Dolui equidem, quod pendente uſu, & actione Corticis, cum Medicus ordinarius nil tale ſciens, & ad Ægrum ſuum inviſendum ſponte reverſus, pretioſa illi medicamenta, ipſamque reſurgente pulſu Salvatellæ ſectionem præſcripſiſſet, Adſtantes ſimulaſſent cuncta fieri, quæ ille quidem præſcripſerat, ſed quæ vere nullatenus fiebant: magiſque doleo, quod dum lætabatur ille de curatione felici, quam lubentiſſime illi conceſſiſſem, rem totam revelaſſent eidem, & in me forte indignationem illius concitaſſent. Sed quis plebeculam novit continere? Uno verbo; me vix bis, aut ter Ægrum inviſente, tota curatio feliciſſi-

me peracta est. Et licet ob diuturnitatis impatientiam ad paucos tantum dies passus fuerit Æger remedium paulatim assumere, & deinceps renuerit illud repetere: immo licet prava victus ratione uteretur, & laboribus, ac ludis nervosis intemperanter indulgeret, nullam tamen unquam recidivam fuit expertus. Quod magis fortasse miratus erit Medicus ordinarius, qui re Corticis intellecta maximum illi timorem incusserat de morte nihilominus propter usum Corticis intra annum inevitabili Fato subeunda.

VII. *Jacobus N.* Auriga Sereniſſimæ Ducissæ Brunsvicensis Dominæ meæ laborabat Tertiana duplici, illique medicinam faciebat alius a me. Is cum morbum repente fieri prope lethalem nosset, me accivit, qui, ut teneor ex officio, lubenter acceſſi. Algebat jam a duobus diebus Ægrotans, pulsus erat illi vix perceptibilis, sudatiuncula frigida collum, frontem, & superiores artus occupabat; Urina crassa erat, pauca, atque admodum saturata, anhelosa respiratio supinusque decubitus. Adhuc tamen manifesta erant nonnihil statis horis subobscuræ cæteroqui accessionis indicia, necnon perceptibile levamen aliquod matutinis horis. Oblatus illi est ideo nulla mora interposita Peruvianus Cortex methodo mea, atque intra paucos dies sanatus est Æger, novam tamen post mensem circiter recidivam passus, a qua debiliore quidem, sed diutius protracta, novo tandem usu Corticis perfecte liberatus est.

VIII. Ad Algidas referam quoque Febrem, mihi ceteroqui in exortu suo ignotam, qua detinebatur *D. Marcus Antonius Origonus* Sacerdos septuagenarius circiter, & in Juventute sua celebris Cantor. Curabatur ille Febre, ut ajebam, nescio quo a Medico Chinæ Chinæ penitus adverso: erat nempe ille idem; qui curabat Bajulum *Salviolum* nuper relatum. Is Febrim carere periculo, ac benignam esse, semper asseveraverat, ut latum fuit, cum nocte quadam (nescio quo casu) Æger ruit in præceps; perfrigeratur repente totus, minuto sudore circa pectus diffluit, & circa superiores artus; fit subinde anhelosus; pulsuque fere abolito languet, ac deficit. Diluculo summa celeritate advocatur Medicus, qui re inspecta institit statim administrari Ægro festinanter deficienti Sacramenta Ecclesiæ, non aliud quicquam agendum superesse, fassus. Interrogatus postea, unde tam præceps exitium in morbo, quem ultima etiam visitatione tutum pronunciaverat, respondit ea ipsa nocte morbum eumdem malignam impense naturam adeptum fuisse, neque de repentinis hisce mutationibus prævidendis, aut prohibendis, sicut nec reparandis, Medicum teneri. His auditis, convocatus est alter Medicus, nempe *D. Floranus*, ut casum inspiceret, consultaturus postea de remediis cum Medico ordinario, si locus fuisset. Inspecto autem Ægrotante, & intellecta rerum serie, respondit iste: exitium esse irreparabile; deinde subdidit, forsitan in hoc casu locum habere posse peculiarem quandam meam methodum exhibendi Chinam Chinam, prout a me in colloquiis familiaribus alias audierat: ideoque hortatus est consanguineos Ægrotantis, ut me potius advocarent, & abiit. Ne vero ego renuerem alienam curationem suscipere solus, vel cum Medico Corticem non admisturo altercari (abstinere siquidem a curationibus alienis, & ab altercationibus mihi summa religio est) innuit, optimum consilium esse, ut preces porrigerent Sereniss. Ducissæ Brunsvicensi, ejusdem Sacerdotis benignissimæ Protectrici, ut me ad illum invisendum, atque curandum mittere dignaretur. Ita ad unguem factum est. Accedo itaque jussus ad Ægrotantem, & invenio in statu supra relato. Nil valet ipse respondere præ languore interrogationibus meis, neque ab Assidentibus quicquam aliud extorquere possum, nisi quod tolerabiliter se habere videbatur diebus anteactis, sed quod nihilominus illum assidue febricitantem crediderunt, etsi Medicus bene habentem pronunciasset. Tandem protulerunt tamquam rem indubitatam. Illum diebus semper imparibus, & alternis pejus notabiliter habuisse. Hac una fretus circumstantia, Corticem illico præscripsi *ad unciam semis*, quam intra tres, vel quatuor horas duplici hausu potavit. Die sequenti pulsus aliquantulum resurrexit, nec ulla sensibilis accessio observata est. Repetitus est Cortex *ad drachmam unam* mane, & sero die subsequenti, dein per aliquot successivos *ad drach. ss.* semel tantum in die, intra quos dissipatis lethalibus omnibus symptomatis Febris evanuit, remanente tantummodo maxima virium imbecillitate, & recurrente post duas, vel tres hebdomadas una, vel altera recidiva leviore, eodem Corti-

te repetito ſublata, ſed difficili convaleſcentia ſuperſtite: adeout non prius, quam poſt tres menſes, valuerit domo egredi, & ſacrificium offerre. Vixit tamen ad plures annos incolumis, atque vegetior ac antea.

IX. Ambigo, utrum ad Algidas pariter, an potius ad Diaphoreticas (quippe quæ particeps utriuſque naturæ viſa eſt ante inhibitum illius progreſſum) referam Febrim, qua die 17. Februarii anni 1709. correptus eſt Nobiliſſimus Adoleſcens *D. Comes Claudius Rangonus*, robuſto æque, ac obeſo corporis habitu præditus. Curabat illum Medicus, cujus quoque nomen lubet ſubticere; non enim cum Opinantibus uſpiam mihi res, ſed tantum cum Opinionibus: utque mihi in exponenda morbi hiſtoria fuit relatum, Febris Ægrotantem primo invaſit cum rigore, & obſcuro frigore, diuturno tamen, ita ut nonniſi poſt plures horas pulſus depreſſus, ut tunc temporis aſſolet, ſe ſe extulerit. Frigori fere ſtatim præcox ſucceſſit ſudor in partibus ſuperioribus, quo tum perſeverante, tum mox ceſſante, Acceſſio nihilominus protracta eſt admodum, ac tandem ſoluta. Secunda die bene ſe habuit, non perfecte tamen creditus immunis a Febre. Tertia die rediit Acceſſio ſecunda anticipans cum quadam vomituritione, frigus fuit adhuc minus ſenſibile, ſed longiuſcule protractum: cæteræ Paroxyſmi viciſſitudines, ſudor nempe immaturus, & declinationis protractio, eodem prorſus paſſu proceſſerunt ac antea. Quarta die levius habuit, omni tamen Febre non plane carens. Urinamque reddens turbatam, craſſam, rubram, & paucam; quamobrem a Medico curante præſcripta eſt phlebotomia, clyſtere præmiſſo. Veſpere tamen motu inexpectato novus Paroxyſmus ſupervenit, quo Tertiana de ſimplici facta eſt duplex Continua, ſaltem Spuria, ſive per ſubingreſſum. Die ſequente, morbi videlicet quinta, cum nova, & proportionata anticipatione rediit mane hora 15. Acceſſio ex primariis tertia cum exiguo rigore: adeout pulſus initio Acceſſionis ſe minime concentrarit, ut mos erat; verum etiam poſt duas horas, & ultra ab invaſione Acceſſionis, ſenſibiliter apparuerit. Statim vero, & ex improviſo quædam erupit univerſalis cutanea efflorescentia cum papulis rubris, quæ inſignem Ægrotanti moleſtiam intulit; ſubinde vero pulſus depreſſus eſt, itaut per aliquot horas omnino latuerit, nec ullo tactu potuerit percipi. Ambigebatur tantum, an in ſiniſtro carpo obſcura quædam perciperetur pulſus formicantis imago; ſed hæc eadem credita eſt illuſio ab ipſo Medico curante, vel motus arteriolæ extremorum digitorum tangentis Medici, & valide comprimentis. Jactabatur tunc irrequietus Ægrotans, neſciens momento temporis conſiſtere, potumque impatienter poſcebat inexplebili ſiti vexatus, lingua licet non admodum areſcente. Sudatiunculam interim, evaneſcente jam efflorescentia cutanea, patiebatur circa pectus, & frontem cum anguſtia, & inquietudine uſque creſcente.

Horret Medicus his viſis, & jure pavet, ſociumque in ſubſidium curationis expoſcit. Accedo ego celeriter accitus, & quoniam ſperabile videbatur, pulſum adhuc poſſe reſurgere, febrilemque calorem poſſe ſe ſe exerere, licet ad aliquot jam horas uterque lateret, dedi manus adjutrices, ut ea præſidia adhiberentur tum interius, tum exterius, quæ motum humorum, & ſanguinis promovere credi ſolent (quidquid ſit de veritate rei) atque ideo cucurbitulas ſiccas univerſo corpori affigi conſenſi, frictiones inſimul celebrari, ſtibiumque diaphoreticum ſubinde exhiberi, ſuperepotis liquoribus, qui vim illius qualemcumque adjuvare poſſent: ſubdens inſuper, quod reſurgente, ut ſperabam, pulſu, oportebat tempeſtive cogitare de inhibendo altero Paroxyſmo periculoſiſſimo, ac probabiliter lethali. Adminiſtrata itaque ſunt cuncta, & plures elapſæ horæ ab ipſa adminiſtratione; nec tamen pulſus redire noſcitur, etſi cæteroqui pulſu inſigniter elato, ac turgido dotatus naturaliter ſit Patiens, obeſus licet. Creſcit interim jactatio vorticoſa, ſitiſque nullo potu explebilis; ſudor ardentis pectoris, & colli jam induſia madefacit, ſicco, & vix ſubtepido exiſtente reliquo corpore, manus pariter circa carpum ſudant ſubfrigidæ, frons vero, & capilli copioſo ſudore diffluunt frigido, aut male tepente, necdum umbra pulſus apparet. Admonitus Æger de periculo confitetur peccata ſua, Venerabile Sacramentum Euchariſtiæ mox aſſumpturus. Interim ego a duabus jam horis & ultra inculcabam Medico, neceſſe eſſe ſtatim confugere ad uſum validum Chinæ Chinæ, nec aliud quicquam ſupereſſe, a quo Vita Ægrotantis poſſet ſervari: altera quidem die dummodo tandiu

diu viveret, novus debebat ingruere ex ſuborta jam Febris duplicitate Paroxyſmus, & ſubſequente poſtmodum die valde diluculo gravior alter, atque lethalis. Fatebatur Ille periculum præſens, fatebatur inevitabilem quartam acceſſionem (& inde conſequenter mortem) Febrem tamen, duplicis licet tertianæ typum ſervantem, ut jam Continuam, atque Malignam Cortici minime ceſſuram, mordicus ſuſtinebat, ipſumque idcirco Corticem in illa ullo pacto convenire non poſſe. Opponebat inſuper habitum corporis obeſum, in quo non profuturam Chinam Chinam hariolabatur. Obtrudebat etiam in caſu jam pereuntis celebrem cauſſæ morbificæ, & humorum fixationem, ac inde futuras recidivas. Has ego cum lubenter admitterem, immo & anxie exquirere profiterer, ac tantum inducias morti, ſubdebat animoſe, ſæpius etiam Ægrotantes obire cum China China in ſtomacho, meque diverſa aſſerentem eſſe nonnihil præoccupatum favore hujuſce Remedii, neque ſe idcirco experientiæ meæ acquieſcere poſſe (*Experientia ſiquidem ſine ratione*, confidenter ajebat, *eſt Navis ſine Rectore*) neque in meam ſententiam æquo animo eſſe deſcenſurum, niſi alius quiſpiam Profeſſor votum deciſivum apponeret. Atque ita, licet nonnullas identidem interſereret officioſas proteſtationes, humaniorum recordationum titulo convaliditas, me tamen propoſiti ſui tenax uſque carpebat. Inſtabat denique, oblationem Remedii prorogari ſaltem in ſequentem diem, ſubſtituens interim illi, immo anteponens Lapidem Bezoarticum, non tam ad promovendum ſudorem illum ſymptomaticum, quo durante videbat Ægrum in præceps ruere, quam ad reſiſtendum malignæ, ut ajebat, qualitati, pulſum deprimenti, cujus elevationem China China, ipſo judice figens, præſtare nequibat.

Ferebam ego patienter hæc omnia, atque ad ſingula placide reſpondebam, reponens tantummodo adverſus petitam dilationem non modo occaſionem præcipitem, ſed & Caſum funeſtum, quem *Lib.* 3. *Cap.* 5. *Hiſt.* 2. retuli de prædefuncta Genitrice D. Decumbentis, cui ob ejuſdem Medici cunctationem nequivit ad complementum Cortex adminiſtrari. Tandem mea fretus experientia, ne dicam, quadam ſupra Auditorem quondam meum auctoritate, ſtimulante me acriter fervore ſervandi, quem ob frivolas cavillationes perire noſcebam, coactus ſum erumpere in hanc animoſam propoſitionem coram præcipuis Æquitibus Urbis noſtræ, ipſo paulo poſt conſcio Sereniſſimo Duce Domino meo -- *Ni Æger iſte Chinam Chinam cito hauriat, uti præſcribam, illum perendie moriturum prænuncio; ſi cito hauriat perendie ſanum fore: utrumque autem ea certitudine, qua ignis congrue applicitus comburit ſtuppam, & non comburit non applicitus* -- Cum vero his non obſtantibus ſuæ ſententiæ immobiliter adhæreret Medicus curans, nec aliter conquiſitus reperiretur, laberetur autem occaſio præceps, Ægerque jam inciperet ſenſibilius, atque univerſaliter perfrigerari, durantibus iiſdem ſymptomatis, & præſertim omnimoda pulſus abolitione, Nobiliſſimus æque, ac omnifaria eruditione conſpicuus D. Decumbentis Frater Primogenitus *D. Marchio Joannes Maria*, qui me uti ſuum Medicum ad curationem ſuperacciverat, cognito, pro eximio, quo pollet, mentis acumine, parique prudentia, rationum pondere, meæque plurimum fidens imbecillitati, & tribuens experientiæ (quam pro Cymbula cum Rectore humaniter habet) inſtitit ea, qua ſemper aſſolet, comitate, ac morum ſuavitate, ut peragerem libere quidquid eo caſu proficuum crederem; aſſerens, id non ægre laturum Medicum curantem, quem ideo hæc audientem, atque ſilentio tacite comprobantem, ſecum adduxerat ab Ægrotante ad me. Suſpenſa itaque ad breve intervallum temporis, quæ proxime celebranda erat, Sanctiſſimi Viatici oblatione, præmiſſa eſt illi, quippe longiuſculum tempus exigenti, celer oblatio Corticis jam parati ad *drachmas tres* ex Vino tenuiore potandas (Medico curante cubiculum quidem intrante, forte ne ſocius criminis videretur) atque eveſtigio celebrata eſt pariter Euchariſtici Sacramenti adminiſtratio, circa horam nempe inclinantis diei vigeſimam tertiam.

Supervenit forte tunc temporis; me vix recedente, *D. Davinius* conquiſitus tempore diſputationis, ut diſſidium componeret, ſed non inventus, qui præterlapſam agnoſcens conſulendi occaſionem circa oblationem remedii, Ægrumque intelligens aliis intentum, abiit illo nequaquam inſpecto. Rediit tamen circa primam noctis horam, quo tempore pulſus incœperat nonnihil ſe exerere, & labo-

laborioſus ſudor imminui. Admonitus eſt de rebus diſputatis, & actis, ac de ſuo circa eas judicio requiſitus. Reſpondit ille: Remedium jam eſſe propinatum; nec proinde locum eſſe diſputationi, an eſſet propinandum, nec ne. Interrogatus poſtmodum, quid ipſe ſperaret ab uſu remedii, eidem fortaſſis haud ſatis fidens in tali anguſtia (quippe qui in præcedente, licet longe majore, Ægrum non viderat) reſpondit, Chinam Chinam, ut & alia quoque remedia, habere ſua vigoris, & inefficaciæ tempora, adeoque in quibuſdam Conſtitutionibus mira præſtare, in aliis nequaquam; quod & in ſuis *Conſtitutionibus Epidemicis Mutinenſibus* aſſeruit jam *Cl. Ramazzinus* (licet in illis de Pernicioſis *noſtris* nulla fit mentio) Corticem ſcilicet in calidis; & ſiccis Conſtitutionibus prodeſſe; obeſſe vero in frigidis, & humidis. Cum vere ea tempeſtate, qua nondum Ver advenerat, nullum adhuc periculum factum eſſet de Cortice, in aliis quandoque tempeſtatibus plurima operato, nullum, inquit, eo caſu ferri poſſe de futuro eventu judicium. Subdidit tamen præter alia, ut amicum decet, officioſa verba circa uſum, & opportunitatem hujuſce remedii plurimum tribuendum eſſe peculiari experientiæ meæ, atque his dictis diſceſſit. Eo vix abeunte, ipſe adveni circa primam pariter noctis horam, invenienſque pulſum ſeſe attollentem, & ſudorem ſymptomaticum pari proportione ſeſe imminuentem, alacri animo *drachmas duas* novi Corticis ſimiliter ex Vino potandas circa horam octavam ejuſdem noctis offerri juſſi, mane vero hora 15. *alteram drachmam*. Atque ita inæquali hac artificioſa partitione, intra horas ſexdecim *drachmæ ſex* Corticis fuerunt abſumptæ.

Inſpecto tunc temporis Ægro, Febrem inveni admodum conſpicuam cum calore univerſim expanſo, & cum pleno, ac valido pulſu, ad quem forte reſpiciens *D. Davinius*, qui mane quoque ſponte Ægrum inviſerat, phlebotomiam (ut mihi mox retulit) ſi ſuperveniſſem, proponere meditabatur; ſed cum non ſupervenerim, urbane dimiſſus receſſit, non rediturus. Accedens autem ego, atque Ægrum inveniens jam univerſaliter excalefactum, pulſuque inſigni præditum, utut non modice febricitatem, tanquam rem habens in vado, nulli alii remedio incerto fidere volui; ſed ſoli Cortici, nullo adjumento indigenti (leviore tantum inde ſervata Methodo) unice inſiſtere. Immediate poſt meridiem, majorem adhuc caloris, & Febris intenſionem percipere mihi ſum viſus cum pulſu inſigniter elato, ac turgido. Veſpere autem notabilem inveni Febris remiſſionem (utut eam exacerbatam eſſe, fuerit falſo prolatum) cum ſudore blando, ac univerſali, modico tamen, nec admodum copioſo, cui ſucceſſit nox tranquilla cum placido, & ſemel tantum interrupto ſomno, occaſione ſcilicet ſumendi *alteram*, quam præſcripſeram, *drachmam* Corticis; qua epota, pacatum iterum ſomnum uſque in ſequens mane Æger protraxit. Erat hæc dies ſuſpecta, morbi nempe ſeptima, qua die circa horam 13. contingere debebat Acceſſio gravior, quarta videlicet, ſupputatis tantum primariis. Aſt cum ego accederem hora 16. (neque enim ulla me angebat ſolicitudo citius accedendi, ob moralem certitudinem de fauſto futuro eventu) inveni Ægrotantem, ut prænunciaveram, in tuto, exigua videlicet Febre detentum, urinam non amplius imminutam, rubram, ac craſſam, ſed copioſam, ſubcitrinam, ac diaphanam reddentem cum ſuo eneoremate, omnibuſque ſignis coctionis: uno verbo ſanum quo ad ſublatam lethalem periodum, & quo ad omnia, exceptis reliquiis ſenſibilibus Febris jam continuitatem adeptæ, quæ tamen reliquiæ intra duos tantum dies (quibus *ſemidrachmam* Corticis quotidie hauſit Æger ad complendam unciam illius) penitus extinctæ ſunt, nullo alio concurrente remedio. Extirpata celeriter in hunc modum Febre, per ſeptem dies vacavit ab uſu Corticis, & cujuſcumque remedii (quo tempore non parva fuit difficultas in detinendo domi Ægrotante) quibus elapſis iterum ſumpſit primo mane *drach. j. ſs.* Corticis, altero *drach. j.* & per tres alios ſubſequentes dies *drach. ſs.* pro qualibet vice; & ſic novam *ſemunciam* Corticis ad præcautionem aſſumpſit. Interjecta vero alterius hebdomadæ quiete, aliam rurſus *ſemunciam* in octo partes diviſam intra octo pariter dies (quotidie ſcilicet ad *drach. ſs.*) abſorpſit, remedioque terminum poſuit die ipſa Verni Æquinoctii, nullam inde, Deo dante, recidivam, nullumque incommodum paſſus, utut cauſam Febris intus detentam, fixatam, coercitam nonnemo diceret, *Furemque domi latentem*, nec-

necdum expulsum, nova damna illaturum hariolaretur.

At bone Deus! Etsi recidisset, ut ipse præmiseram posse contingere, quid tum? Nonne is antea, minime expectata recidiva, peribat? Ast inquiet aliquis, qui rem non vidit: Sanatus esset etiam aliis remediis, Lapide scilicet Bezoartico, Cardiacis, & hujusmodi. Effatum hujuscemodi non tam facile admittent periti Medici, & ingenui. *Mercatus* certe, cui notus non erat Cortex, longe aliam prognosim instituit in talibus circumstantiis. De *Mortono*, quippe suspecto, etsi veridico, non loquor. Verum concedatur. Nemo tamen spondere hoc ausus est cum Lapide Bezoartico, ut ego ausus sum experientia fretus, spondere cum Cortice. Tandem hoc saltem stet: neque tam cito, neque tam blande ullis aliis remediis salutem obtineri potuisse, ut obtenta est usu Corticis, tot Syrupis, tot Confectionibus, tot Cucurbitulis, tot Vesicantibus locum surripientibus. Subdet tamen quispiam. Forte tunc erat terminus naturalis morbi. Ita profecto. Febris tertiana duplex continua & tandem maligna (talem quippe descripsit ipse Medicus curans) cum urinis ab ipso initio turbidis, & imminutis, cum sudore frigori Febris statim succedaneo, quæ die quinta constantem inferat, omnimodamque pulsus abolitionem cum sudoribus symptomaticis, partialibus, & male tepidis, jactatione irrequieta &c. vere solet, dictum factum, ex se solvi feliciter, & aboleri. Hæc adamussim est via, qua quotidie ad salutem iter, sed æternam. Miror sane, quod ante factum nemo hæc tam secunda præviderit, cum ego fidenter prædixerim, innixus tamen virtuti Corticis, meæque de ipso, ac de mea Methodo experientiæ. Sed esto; demus hæc omnia, ipsique insimul Soli lucem denegemus. Quid inde? Saltem (infero) Cortex non nocuit, neque obstitit huic palam advenienti felicitati, vel humores figendo, vel aliud quodpiam crimen patrando. Potestne minus tribui remedio tam evidenter admirabili, & pereuntis Hominis liberatori? Sed neque hoc plane concedetur, si quindecim ab hinc annis ephemera corripiatur Nobilissimus Patiens. Vivit interim perfecte sanus, vivetque favente Deo. Hoc mihi sat est, etsi forte contendatur, illum aliunde vivere.

X. In genere pariter Algidarum Intermittentium insignis est ea, quam me suadente, licet curationi nequaquam præsente, felicissime absolvit *D. Candrinus*, ut subinde ab eodem accepi, in ægritudine *D. Sigismundæ Nardæ* prope octogenariæ. Hanc itaque in quadam Accessione Febris tertianæ universaliter frigefactam, nec amplius recalescentem, pulsu penitus destitutam, & jam pro deplorata communiter habitam (id suadente morbi præcipitis violentia, atque ætate decrepita, cum ceteris algoris funesti, & deficientiæ pulsus symptomatis) intra paucos dies integre restituit Peruvianus Cortex post Extremam Unctionem mea Methodo administratus, Ægra ad multos postmodum annos superstite.

SUBCONTINUA MALIGNANS.

INnumeras propemodum Febrium hujusce speciei referre possem historias, & quidem quoad accidentia plurimum dissimiles, in curatione autem simillimas, quatenus omnes jugulatæ sunt uno Cortice Peruviano, modo celerius, modo lentius, modo parcius, modo liberalius, prout opus visum est, administrato. Sufficiat tamen selectiores nonnullas adducere; atque una, vel altera fusius descripta, cætera strictius, proportione scilicet a peritis facile intelligibili, transigere, quarum nihilominus momentum minime levius est, sed saltem æquale, etsi tale non semper appareat, ut ab Ægrotantibus ipsis satis notis, eorumque Assidentibus potest facile quilibet saltem Nostras certior fieri.

Nolim tamen pusillum aliquem, qui viderit in prægressis, & in subsequentibus Historiis, Sacramentorum administrationem præcessisse fere semper ante administrationem Chinæ Chinæ, sibi suadere id factum in gratiam remedii, quasi illud sit experimentum aliquod periculosum, quod tentare non liceat, ni prius consulatur Animæ; sed sciat, videatque, id factum esse ob exigentiam affectus summe periculosi, & exitii certo imminentis, quoties ob accidens aliquod China China illud remorari potis non fuisset. Quamobrem in illis casibus non aliud actum est in hac linea, nisi quod æque actum foret semoto etiam Chinæ Chinæ usu actumque est ideo præcise ratione Morbi, non ratione Remedii.

XI. *D.*

XI. *D. Jacobus de Carrettis* Sacerdos, Sereniſſimi Principis Foreſti Eſſenſis Capellanus, duplici Tertiana laborabat, intermittente quidem, ſed longas, ſibique immediate ſuccedentes acceſſiones habente. Tractu dierum aliquot, non obſtantibus remediis ex arte adhibitis, Febris cœpit quadam continuitatis ſpeciem præſeferre, ut & ſymptomata Febrium acutarum propria; ſervabat tamen adhuc periodos ſuas, obſcuras quidem, ſe ab aliquo nihilominus brevi rigore, leviſſimaque extremorum perfrigeratione conſpicuas. Succedebat autem ſtatim calor maxime mordax, Coma quoddam ſemper pervigil, urina ſummopere ſaturata, & quoad quantitatem admodum imminuta, ſummaque perpetuo linguæ ariditas, atque ſcabrities ſine ſiti, immo cum omnimoda non curantia potus. Proſecutus ſum nihilominus curationem vulgari methodo, prout incœperam: ſed irrito ſucceſſu: exacerbationibus etenim jam fere abolitis quoad ſigna exteriora, cæteriſque omnibus in pejus ruentibus, res eo ſenſim devenit, ut jam de vita illius actum eſſe pronunciaverim, ſpiritualibus tantum auxiliis, Sacriſque Miniſtris eundem committens; neque enim alium quempiam videre facile eſt, ſignis talibus plane lethalibus, non repente, ſed paulatim de die in diem acquiſitis ſtipatum, qui paulopoſt non occumbat. Jacebat ſiquidem ſupinus immobiliter quoad omnia membra, brachiis exceptis, ruebat in pedes, reſpirabat crebro anhelitu, & ore ſemiaperto; linguam nigram prorſus habebat, ſcabramque veluti folium borraginis, quam inſuper nequibat exerere, denteſque nigro pariter, ac denſo lentore obſitos. Nullum verbum articulate proferebat; ſubmurmurabat tamen aſſidue, ſermone quodam balbutiens minime intelligibili, jactabatque brachia, quaſi quidpiam vellet præhendere per aerem, ſed tandem tremulis unguibus nil aliud, quam floccos linteorum carpebat, plicas cum eorum fimbriis modo caſu conficiens, modo ignarus iterum explicans. Hoc territus ſpectaculo abii: imumque jam prope attingens januæ veſtibulum, converſus ad *D. Franciſcum* Fratrem ejus me comitantem, condoleo cum eodem de Fratris jactura. Dum vero ſejungor ab illo, remque jam plene deſperatam eſſe inculco iterum, ſubdo inſimul quaſi per modum contemptus, poſſe tantummodo tentari remedium, quod forte potuiſſet prodeſſe, ſi citius fuiſſem auſus tentare; ſed modo neque ſperabile eſſe levamen ullum, neque poſſibilem in ægro deglutitionem remedii, ridiculumque eſſe in tali ſtatu quicquam experiri. Animum tamen mihi addidit ſedulus Frater ut præſcriberem quidquid luberet, ſe offerens paratum ad omnem diligentiam; ut ægro cochleatim remedium ingereret: mecumque pactum iniit de non revelando cuiquam noſtro tentamine, ne aliis quidem Fratribus, jam cubitum euntibus, illique curam ægri corpoream relinquentibus, ne ſcilicet remedio inſonti opprobrium eveniret, aut culpa in caſu evidentiſſime deplorato. Sub hac conditione præſcripſi *unc. ſs.* Corticis, quo citius fieri poſſet (ſiquidem abſolute poſſet fieri) illi offerendam, ſubdens Fratri, me mane (erat enim nox) ſi Æger viveret, victuruſque eſſet ſaltem uſque ad tempus novæ, obſcuriſſimæ exacerbationis, aliquid ultra præſcripturum. Hauſit æger cito, licet particulatim, totam doſim, & mane vixit adhuc; cumque aliquam remiſſionem leviuſculam eſſet aſſequutus, prout ſemper horis matutinis quoquo modo antea conſueverat, alacriter *aliam ſemunciam* Chinæ Chinæ præſcripſi ſatis caleriter abſumendam. Hanc pariter aſſumpſit; ne longior ſim, cœpit veſpere, Febre non amplius exacerbata, melius ſe habere, & melius adhuc deinceps progredi; adeoque conſueta methodo ad dies aliquot in uſum ducta, repetito videlicet ſenſim remedio, priſtinam tandem ſanitatem cum ſegniore tamen convaleſcentia recuperavit, nunquam amplius recidens, ſed plurimis licet ab eo morbo annis elapſis perfecta perfruens valetudine.

XII. Uxor Aurigæ cujuſdam Aulici Tertiana duplici violenti motu, validæque intenſionis detinebatur, cujus videlicet Paroxyſmum quemlibet vix tantillum remiſſum, plurimumque a ſolutione diſtantem, excipiebat ſuperveniens alter, adeout Febris eſſet indeſinenter Continua; motum tamen ſenſibilem ſervans Intermittentis adinſtar, Præmiſſa, & repetita ſanguinis miſſione, aliiſque remediis methodicis, quoniam Febris ad gradum æqualis continuitatis properabat, taliaque celeriter acquirebat ſymptomata, qualia Febribus malignis, atque lethalibus competunt, decrevi Corticem temperanter ſaltem adhibere. Erat autem ægra hæc tunc perpetuo vigil, per-

perpetuo ſiticuloſa, areſcebant fauces, & lingua, jactabatur aſſidue, & non ſemel abſque cauſa manifeſta inſigniter deficiebat animo. Urinam tenuem ſubſtantia reddebat, & quantitate modicam, pulſumque nonnihil quidem reſiſtentem ſervabat in remiſſione Febris, ſed in augmento, & ſtatu ſumme inæqualem. Præſcripto leviter, ſcilicet *ad ſemidrachmam* in forma boli cardiaci, Cortice per duos dies (ſemel tamen tantum in die) parum profici viſum eſt quod ſymptomata, quæ graviora potius fiebant, quatenus aliqua inſuper aderat mentis confuſio, & torpor; quod ſymptoma Sacramentorum miniſtrationem urſit. Febris tamen ipſa ad majorem aliquam remiſſionem videbatur interim pertingere. Quamobrem eundem Corticem mane, & ſero repetendum duxi; quo circa nonam morbi diem peracto, Febris cœpit ſenſibilius imminui, & perfectam fere intermiſſionem acquirere; adeoque remedium fidentius continuatum eſt: ſed interim pone unam aurem una Parotis apparuit, & altera die pone alteram altera. Tunc, fateor, non parum hæſitavi circa continuationem Corticis; ſed meis motus rationibus, eidem remedio inſiſtendum cenſui, rurſus tamen ſemel in die, quoniam & Febris parvula facta erat, & Chinæ Chinæ quantitas decens abſumpta. Quid plura? Intra decimamquartam morbi diem paulatim evanuere Parotides, & intra decimamſeptimam omnimode Febris, convaleſcente citiſſime (reſumptis quippe facillime viribus) Ægra, nullum inde incommodum, nullamve recidivam paſſa.

XIII. *D. Catharina Mundatoria* ſeptuagenaria ingruente Hyeme laborabat Tertiana duplici, per ſubingreſſum paroxyſmorum Continua, eamque curabat *D. Candrinus*. Cumque acceſſiones ita inciperent ſe ſe mutuo excipere, ut de Continua eſſentialiter jamjam ille metueret, quod ſymptomata vehementiora inſuper ſuadebant, cogitavit de offerendo Cortice; anceps tamen cum eſſet non parum, me ſtatim in conſilium vocavit. Ego cum remiſſionem laudabilem Febris acceſſu meo inveniſſem, nec ſymptomata reputaſſem adeo vehementia, quin ſolutio morbi via ordinaria ſperari poſſet, idcirco reſervata Corticis oblatione in caſu majoris exigentiæ, pro qua tempus ſufficiens ſupereſſe mihi ſuadebam; ab hujuſmodi oblatione tunc ſuperſedendum duxi. Sed paulopoſt me dicti, & facti ferme pœnituit: altera namque die exacerbatio fere inſenſibiliter, & ſubdole invaſit; in augmento autem, & ſtatu, tota quanta eſſe poteſt in Juvene, & tempore æſtivo, fuit intenſio, & violentia ſymptomatum. Linguæ ariditas, & ſitis nullo potu explebilis, jactatio aſſidua; & integumentorum projectio, urina craſſa, & rubra, anhelitus anxius, calor mordax, pulſus tamen interim exilis, celer, & inæqualis, motus manuum, & linguæ tremuli, ſubſultus tendinum, ardor faucium, & ipſe ſingultus erant accidentia morbi. Sperabam equidem, hæc omnia conſuetæ remiſſionis tempore debere remitti inſigniter; ſed aliud ſucceſſit ab eo, quod expectabam: protracta namque eſt Febris, & protracta pariter ſunt ſymptomata. Quamobrem cum mane ſequenti cuncta adhuc non parum vigerent, licet parumper remiſſa, dubius hærebam, metuens, ne lapſa eſſet occaſio exhibendi Corticem. Cum tamen Venæ ſectio, aliaque valida præſidia ſufficienter adminiſtratæ fuiſſent, & periculum eſſet in mora, ſi in levioribus hæreremus, non modo ad Corticem confugi, ſed quia metuebam imminens exitium in exacerbatione; vel ſequenti, vel ſaltem correſpondente, præmiſſis præ caſus urgentia Eccleſiæ Sacramentis, illum validiore aliquantulum methodo uſurpandum, ac mox repetendum duxi, quod illico factum eſt: & (mirum dictu!) ceſſit æque facile Febrifugo Cortici Febris illa jamjam Acuta Continua, ſed indolis a primordio periodicæ, ac ſi prorſus Intermittens fuiſſet. Quamobrem intra paucos dies perfecte libera evaſit Ægra, duas tantum, vel tres leves periodos Tertianæ ſimplicis intermittentis paſſa circa Æquinoctium Vernum.

XIV. Vexabatur anno 1708. Tertiana duplici inſigniter continua *D. Lucretia de Pincettis*, ſeptimum, ni fallor, agens geſtationis menſem, eamque curabat *D. Davinius*. In ipſo morbi ſtatu, abſolutis jam plene remediis generoſioribus, & ingraveſcente nihilominus cum ſuis ſympromatis Febre, non parum periculi in eo præſertim ſtatu portendente, advocor & ego, qui licet accedam hora majoris remiſſionis, invenio tamen ægram intenſe admodum febricitantem, aſſeriturque mihi, eam vere tunc temporis melius ſe habere, ac alio quovis temporis. Vix credo

do ego, posse in hac Febre observari incrementum sensibile, licet Adstantes asseverent, Febrem qualibet nocte cum sensibili, & extenso rigore exacerbari. Redeo mane, narraturque mihi, Exacerbationem illam, quæ admodum intensa vere observabatur, invasisse cum manifesto rigore, ac frigore Intermittentium more. Huic innixus assertioni Corticem propono, statim ac aliqua fiat exacerbationis remissio, potandum. Annuit subridens *D. Davinius*, & Corticem præscribit leviuscule (sic namque conveneramus) in forma boli. Sed cum Ægra deglutitioni inassueta difficulter bolos prima vice assumpsisset (assumpsit tamen) potui autem se promptam offerret, ideo *D. Davinius* Chinam Chinam iterum prescripsit, copiosiorem quidem, ut optabam, sed, ut illi mos est, in dilutiori infusione; propterea hortatus sum ego Assidentes, ut diligenter agitent Vas, priusquam remedium exhibeant, ut scilicet turbida, quantum fieri potest, evadat potio, & Cortice imprægnata, repetantque bis in die oblationem. Discedimus ambo; dumque mox inter nos familiariter loqueremur, novissemque ego *D. Davinum* officiose potius, quam ex animo consentientem in usu Corticis, solicitavi, ut sensa sua libere aperiret. Cui instantiæ respondit, se quoque probe memorem effectuum utilium Chinæ Chinæ a me in Casibus arduis feliciter ministratæ, cogitasse paulo ante de eadem hic adhibenda: sed revera post serium examen se phantasma hoc rejeciisse, & modo tantum consensisse propter me, eam cæteroqui non præscripturum profecto, si curationem egisset solus: subdens se non reputare Febrem illam expugnandam Cortice, quam pro Acuta potius i, & fere æqualiter Continua noverat, quidquid de nocturno, ac periodico frigore, aut horrore venditarent, vel imaginarentur (nisi ab alia causa id forte penderet) assidenter mulierculæ -- Mane sequenti accedo de more ad Ægrotantem, quam die antecedente relinqueram cum Febre vere intensa, & cum symptomatis valde gravibus, Febriumque Acutarum, & ab essentia Continuarum propriis: Cumque nondum adveniisset *D. Davinius*, interim interrogavi diligenter Adstantes, an ea quoque nocte Ægra consuetum rigorem passa esset. Et cum respondissent, affirmative, ac constanter confirmassent, quod dixerant de noctibus antecedentibus, licet tunc quoque vigeret valide Febris, præsertim quoad frequentiam pulsus (quam tamen ex parte refundebam in gestationem) neque *D. Davinius* accederet adhuc, hortatus sum Ægram remedium aversantem, ut illud e manibus meis vellet assumere, priusquam discederem. Haud difficilem ea se præbuit; quamobrem ego assumpta pyxide, & effusa, abjectoque liquore pulveri subsidenti supernatante, subsidentiam illam crassam, paucoque liquore saturatam, indidi copiose in os illius, quæ cum gustasset, deglutissetque portionem satis insignem, renuit bibere quod remansit. Discendenti mihi occurrit obviam *D. Davinius*, cui rem gestam enarro, & instio, ut hortetur Ægram ad complendum opus. Ille vero subjunxit, posse nos contentos esse hoc Catone; atque, hoc remedio jam pro viribus nostris administrato, ad alia progredi, licet cum spe perexigua, quæcumque forent, quæ valeremus eligere. Abii ego, adiit ille, Ægraque superstitem portionem minime assumpsit. Quia tamen assumpserat insignem, intra duos, vel tres dies, obliteratis statim exacerbationibus, invita, ut ita dicam, sanata est; dissipatisque sensim paulopost minutioribus Febris reliquiis, ad Partum quoque naturalem feliciter perducta.

XV. Alteram mulierem gravidam octimestrem similiter curavi, nomine *Lauram de Artiolis*, laborantem Tertiana duplici per subingressum continua, sed ad continum essentialiter, acutamque properante, intensissimis quippe symptomatis sitis, ardoris, vigiliæ, nauseæ, vomitus, & aliis hujusmodi comitata, usque tamen incertis quidem horis, sed alternis constanter diebus nonnihil remittente. Huic præmissis remediis methodicis, & repetita præsertim quæ maxime indicabatur, phlebotomia, cum majus In dies impendere periculum clare cognoscerem, crescentibus scilicet symptomatis, & præcipue delirio fere continuo, nonsine gravi metu imminentis, prout signa omnia indicabant, abortus, cœpi Corticem præscribere per modum alterantis, dosi videlicet perexigua. Jamque vix bis assumpserat, cum nocte quadam in vigore exacerbationis ad remissionem vergente, abortum passa est, subsequente pauco lochiorum effluxu. Admoneor de successu jam prævisо: & quoniam alia magis urgere videntur, supersedeo parumper ab

usu

uſu Chinæ Chinæ, ſubſtituoque miſſionem ſanguinis ex pede; incaluerat enim ad intenſum uſque ruborem facies, & mens erat ſubdelira. Viſa ſunt nonnihil augeri puerperia, & tota illa die leviuſcule ſe habuit; die tamen ſequente (verſabamur circa undecimam ni fallor; & fere ſemper in omnibus caſibus Subcontinuarum oblatio Corticis peracta eſt inter ſeptimam, & undecimam diem: quod ſemel hic monuiſſe ſufficiat) die, inquam, ſequenti, procedentibus licet nonnihil copioſius lochiis, Febris valde exacerbata eſt, & cum Febre ſymptomata omnia, ſtaut vita eſſet in non levi diſcrimine, Ægraque ob id Sacramentis Eccleſiæ munita, Pulſus quippe celerrimus erat, minutulus, & minime reſiſtens, linguæ, & faucium ariditas maxima, ſitiſque inexplebilis, vomitus fere aſſiduus materiæ porraceæ, ſumma ciborum averſatio, quædam adhuc alienatio mentis, reſpiratio frequens, infelixque decubitus. Cum vero Febrem hujuſmodi conſideraſſem, ut procedentem a prima radice, ſive a fermento, nullam fere cum partu, vel abortu Communionem habente, iterum renovavi uſum Corticis etiam liberaliorem; quo mediante intra duos, vel tres dies ut mos eſt, ab exacerbationibus, & paulopoſt ſenſim ab omni Febre immunis evaſit, procedentibus ſemper (quod notatu dignum eſt) tempore uſus Corticis repetitionis illius tertium renovatæ, rite, & juxta caſus exigentiam puerperiis.

XVI. *Monialis* quædam prope octogenaria, ac ideo jam emerita, & Cœnobio Sanctæ Mariæ Magdalenæ, quod diu gubernaverat, percara, laborabat duplici Tertiana per ſubingreſſum Paroxyſmorum continua, ſuoſque motus ſatis obſcuros habente. *D. Davinio* curanti, quippe Medico illius Monaſterii ordinario, in ſocietatem adjunctus propono uſum Corticis, ſeptima die vix elapſa; Febris enim fere ardens fieri videbatur; tanta erat ſitis, ariditas totius cutis, & ſine quiete jactatio indeſinens; quæ morbi, & ſymptomatum intenſio ætati minime congruens magnum faceſſebat negotium, & ſolicitabat auxilia. Cum autem non conveniremus ſemper ſtatis horis, retulere mihi Moniales, *D. Davinium* relinquere arbitrio meo liberam præſcriptionem Corticis, ſi mihi placuiſſet præſcribere, ut & doſim illius. Præſcripſi idcirco *ad drachmam* in forma boli quotidie mane per tres dies, & *ad ſemidrachmam* bis in die ad alios tres dies: Subſtitit Febris; ſed perſeverabat ſitis, non obſtante potu refrigerantium liberaliter permiſſo. Iterum præſcriptus eſt Cortex *ad drach. ſs.* ſemel tantum in die, cujus uſu depulſa jam Febre, melius habuit Ægrotans; non tamen adeo feliciter convaluit, quin opus habuerit identidem repetitione Chinæ Chinæ ob duas ſaltem, quas paſſa eſt, recidivas in diuturna ſua, & difficili convaleſcentia. Morituram certo credidiſſet quiſque intra undecimam ad ſummum, ni per Corticem inhibitus fuiſſet morbi progreſſus. Vixit tamen adhuc ad ſeſquiannum, quo exacto, ut *D. Davinius* retulit, obiit Pleuritica, aut Peripneumonica, vigente extremo frigore algidiſſimi Januarii anni 1709.

XVII. *D. Dominicus de Traeris* inclinante Æſtate anni 1708. corripiebatur ab aliquot jam diebus Tertiana duplici per ſubintrantes Acceſſiones continua, ſemper quidem intenſa, ſed obſcuris exacerbationibus, ac remiſſionibus viciſſim interpuncta. Et cum malum in die augeretur ultra debitam proportionem, non obſtantibus remediis ab alio, qui eidem aſſidebat, præſcriptis, me quoque accivit, qui curationem poſtmodum ſolus exegi ob ſubortam immediate ipſius Curantis ægritudinem. Eo igitur tempore, quo primum ad Ægrum acceſſi, vix diſtinguebantur Exacerbationes, & Remiſſiones: diſtinguebantur tamen; & ab initio morbi longe clarius fuiſſe diſtinctas, certiorabar a cunctis. Lingua illi aridiſſima erat, labiaque præ rubore flammea, & arefacta, urinæ craſſæ, rubræ, ſeu croceæ, ferme ac ſi Æger vero Ictero laboraſſet: manus, & digiti aſſiduo tremore obſidebantur, mens confuſa erat, & difficulter ſe explicans, cum aliqua tamen advertentia, & cognitione; nec ſemel, licet rariuſcule, apparuerunt motus ſingultuoſi. Pulſus tantum validus erat, frequens tamen ſupra modum cum acerrimo ad tactum calore. De vehementi aliqua ſuſpicans ego Capitis in ſomnis, & ſubdeliri affectione, ſtatim repetita nova præter celebratas ab initio ſanguinis detractione, alvoque per clyſterem ſubducta, & largo, quæ tamen Æger, licet arefcens, parum guſtabat, imperato Aquæ, aliorumque refrigerantium potu, Opiatam præſcripſi ex Confectionibus Cardiacis, aliqua ex parte; majore vero ex China China compoſitam, de qua bis,

ac ter in die ſumebat quantitatem moditam, itaut Methodum meam pro Subcontinuis Pernicioſis deſcriptam impleret; quo factum eſt, ut intra quatuor circiter dies decremento quotidie manifeſto Febris illa ad Ardentem tendens integre, ac nullo negotio ſublata fuerit ſine ulla penitus recidiva; ni recidivæ nomine donare velimus ſimplicem Tertianam, quæ tum correptus fuit circa Solſtitium Æſtivum anni ſequentis, tum facile inſimul liberatus.

XVIII. Clariſſimus JCtus. *D. Peregrinus Barberius* Conſiliarius Juſtitiæ Sereniſſimi Ducis, annum agens ætatis ſuæ 59. poſt diuturnam, gravemque ægritudinem Romæ, ubi a longo jam tempore domicilium ſtatuerat, contractam, poſtque plures Recidivas æque graves inde ſubortas, tandem ope Chinæ Chinæ in eum valetudinis ſtatum devenit, ut valuerit adventante Vere, Roma relicta, fieri redux in Patriam, debilis licet, taloque mala firmus. Varia poſt reditum paſſus Mutinæ per totam Æſtatem incommoda, die tandem ſecunda menſis Septembris Febre corripitur, quæ Tertianæ duplicis, Subcontinuæ tamen, typum periodicum ſervat. Accidentia morbi tertia ſtatim ægritudinis die ſatis gravia ſe produnt, ſitis nempe cum linguæ ariditate, jactatio, capitis dolor gravativus, mentis obtuſio quædam, & perexigua morboſi ſui ſtatus dignotio, urinæ intenſo rubore, & quantitate inſigniter imminuta peccantes &c. Matutinis tamen horis tum Febris, tum ſymptomatum omnium ſuccedit quotidie non contemnenda remiſſio. Adminiſtrata rurſus Venæ ſectione, quæ non longe ante morbum ob non modicum ſanguinis ſputum tuſſi rejectum fuerat celebrata, adhibitiſque aliis pro re nata remediis, qualia methodice præſcribi ſolent, morbus procedebat Acutorum greſſu, ancipitis quidem exitus ſigna jugiter præbens, ſed quinta potiſſimum die majus etiam portendens periculum. Sexta nihilhominus tanta, taliſque apparuit prægreſſæ Exacerbationis remiſſio, eaque ſenſim proportione illa proceſſit, ut veſpere nullus fuerit, conſuetæ cæteroqui, quotidianæ Exacerbationis inſultus. Duravit malacia iſthæc uſque ad veſperas ſeptimæ diei: cum ecce ex improviſo tam vehemens ſuccrevit Exacerbatio, ut vita illius in non leve diſcrimen fuerit adducta. Aderant quippe non modo ſymptomata quintæ diei longe intenſiora, ſed & inſuper alia graviora; delirium ſiquidem ſupervenerat tale, ut nec quicquam ad rem loqueretur, neque Medicum, aut Aſſidentes noſceret, neque de quoquam, eo poſtmodum ſedato, memor eſſet amplius. Delirio ſucceſſit ſoporoſus affectus a Lethargo parum diſtans, vi cujus clamoſe vocatus vix palpebras attollebat. Pulſus hoc caſu exilis erat, inæqualis, parumque conſiſtens, reſpiratio crebra, lingua ſcabra, urina fere nulla, eaque lixivialis. Mane ſequenti nonnulla equidem, ſed paucula obſervata eſt remiſſio Febris, atque ſymptomatum, vi cujus validam oblationem Corticis ſum meditatus; ſed me cunctantem reddebant ſuſpiciones de labe aliqua forſan latente in infimo, vel medio Ventre, quod mihi per literas jam indicaverat Amicus doctiſſimus, ſollerſque Anatomicus *D. Pacchianus* Romæ illi medicinam faciens; auxeratque poſtmodum ſuſpiciones hujuſmodi diuturna, & difficillima convaleſcentia, prægreſſum ſanguinis ſputum, dolor quinta ipſa morbi hujuſce die inter medii, infimique Ventris confinia ſubortus, & reſpirationem reddens nonnihil difficilem, egeſtio ſæcum a longo jam tempore nonnunqnam ſanie quadam, vel ichore infectarum, cum teneſmo temporaneo, quaſi hæmorrhoides internæ, vel Inteſtina potius (quod ſum ſuſpicatus) cuniculoſo quopiam, aut ſinuoſo ulcere obſiderentur &c. Verum his omnibus in gravi, celerique periculo tandem ſepoſitis, mane ipſo octavæ diei morbi Corticem propinavi ad *unc. ſs.* & ſero *ad ſcrup.* iv. Per totam diem Febris ſemper facta eſt remiſſior, ſed noctu hora inſolita, quippe interturbata periodo, iterum exacerbata eſt ſenſibiliter cum pulſu elato, & aliqua ſenſuum hebetudine, necnon cum ſuperveniente ſurditate, ut Acutorum mos eſt, ſive ut morem eſſe Chinæ Chinæ opinatur *Mortonus*. Die tamen nona iterum *ſcrup.* iv. Corticis mane tantum præſcripſi, obſervaturus veſpere quid inde ſuccederet. Cum autem Febris veſpere procederet quidem, ſed non exacerbaretur neque tunc, neque noctu, die decima Venerabilis oblationem, eo mane cæteroqui deſtinatam, ſum remoratus, novi interim Corticis *ſcrup.* iv. iterum exhibens. Hinc veſpere Febris ſenſibiliter remiſſa eſt; ego vero propinata jam intra horas 48. uncia una Chinæ Chinæ ſubſtiti pro tunc. Un-

decima die Febris facta eſt remiſſior, & longe remiſſior adhuc die duodecima. Cum tamen Æger, dimiſſa jam ſurditate, inciperet conqueri de ſuperſtite mentis ſegnitie, ſibi naturaliter valde prompto omnino inſolita, multumque incommoda, idque inſonti Cortici adſcriberet, inſtitit propterea, ut remedium aliquod Caput roborans illi præſcriberem, quod fungeretur vice Antidoti, Chinam Chinam, ut putabat, hebeteſcere facientem corrigentis. Id ſtatim me præſtiturum ſpopondi: rurſuſque inſcio novam Chinam Chinam ad *drach. ſs.* in forma boli, ut ajebam, Cephalici, bis in die ſumendam veſtigio præſcripſi; cujus uſu cum Caput ſibi in dies roborari aſſereret, ſimulque oblite-rarentur leviores, noctu identidem obrepentes acceſſiunculæ, recuperata tandem longe firmiore ac antea valetudine, fraudem illi meam revelavi, & riſu unanimi laudata eſt inſons deceptio.

XIX. *Peregrinus Zecchinus* Febre Tertiana duplici, valida, celeriterque Subcontinua facta detentus, cum Exacerbationibus vehementibus æque ac obſcuris, ordinatis tamen, urina ſupra modum rubra, vigiliis gravioribus, crudaque, & ad exceſſum vergente alvi lubricitate, tam violenter torquebatur ab hujuſmodi Febre, ut cum jam appropinquaret morbi ſtatus, & fere obliterarentur incrementa, & decrementa acceſſionum, facile decreverim, imminente ſeptima morbi die, offerre modicum Peruviani Corticis, quoniam reliqua remedia præſcripta tam Chirurgica, quam Pharmaceutica, invalida deprehendebantur pro imponendo, ut par fuiſſet, moderamine efferveſcentiæ febrili nimium late fuerint. Priuſquam ergo ſeptima invaderet de more fortior Exacerbatio, præſcripſi Corticem ad *drach. j.* in forma boli mane, & ſero ſumendam, cum Aqua Card. bened. ſuperibenda tum eo die, tum etiam ſequenti, ni prius ipſe ad Ægrum inviſendum rediiſſem. Sumſit; eaque die, ut ferebat morbi conditio graviſſime habuit. Immo cum de vita illius prope actum eſſe crederet importuna, loquaxque ejuſdem Soror, acceſſit ea ad me mane ſequenti valde diluculo, ferme increpans, eo quod ad Ægrum proxime moriturum, extremiſque Sacris nondum munitum, non adhuc rediiſſem. Uno verbo, adeo læſit patientiam meam gracitans muliercula, ut coactus fuerim primo reſpondere: me certe ſcire, nil damni ex mora meo Ægrotanti emergere vel potuiſſe, vel poſſe, dummodo interim conſtans eſſet uſus jam præſcripti remedii, cujus effectus nondum ſenſibilis eſſe poterat, tandemque ſubjungere, quod, ſi erat illa impatiens moræ, Medicum diligentiorem quæreret, & abiret abs me. Repoſuit illa mihi, ſe id facturam, dummodo ipſe permitterem, nec ægre ferrem; quandoquidem id poſcebat quamprimum valde deterior Ægri ſtatus. Tunc ergo conſiderans, poſſe me ſubire cenſuram de caritatis defectu erga Ægrotum pauperem, inſuperque poſſe contingere, ut in Medicum aliquem Cortici infenſum facile Mulier incideret, qui mala ſaltem ſuccreſcentia incœpto Corticis uſui poſſet adſcribere, eoque proinde rejecto, inertia ſubſtituere, ne dicam noxia, meamque idcirco ceſſationem ab opere poſſe per accidens Ægro pernicioſam fieri, & fortaſſe lethalem, Chriſtiana ſtatim pietate motus, -- Redi Mulier, dixi, ad Ægrum tuum, ad quem & ipſe mox redibo ſolo caritatis intuitu, ne ſcilicet quem ſervare manibus hiſce debilioribus ſpero, forſan ſub valentioribus pereat -- Paullopoſt ad Ægrum acceſſi, & graviter quidem ſe habentem, ſed non ut ſuſpicabar, inveni. Nil itaque innovando, conſuetos tantummodo Corticis bolos cum Aq. Card. bened. continuandos duxi, quorum ope intra triduum a Febre plane liber evaſit. Cumque ſubinde valde copioſa Criſis per urinam, modica inſimul comitante diarrhœa, ceſſitque, abſque ulla etiam Recidiva perfecte convaluit.

Non multo ante eadem ſorte, eadem methodo, eodemque morbi non abſimilis tempore, curaveram *Rev. D. Nicolaum de Septis* Eccleſiæ Albareti Archipræsbyterum prope octogenarium, nec proinde morbo tam gravi ſuffecturum, niſi fuiſſet Cortice adjutus, quo mediante, a Febre ſtatim evaſit ſine Recidiva, vitamque ad biennium feliciter protraxit. Illius tamen curationem ordinatim deſcribere ſuperſedeo, ut & poſtremam mere ſenilem, cui lente ſuccubuit, ægritudinem, ne longe ſim.

XX. Idem *D. Dominicus de Traeris*, paullo ante memoratus, ſub initium Autumni 1710. concurrente non una cauſa procatartica correptus eſt Tertiana duplici Subcontinua cum ſymptomatis non longe abſimilibus iis, quæ non multo ante retulimus, ſed paululum remiſſioribus. His adjungebatur oblocutio quædam, &

re-

repetita plurium Lumbricorum excretio per vomitum. Transacta die morbis septima, meditatus sum oblationem Corticis, dummodo aliqua, ut consueverat, apparuisset remissio in octavæ principio; metuebam siquidem ex observata obscuratione præcedentis Exacerbationis, Febrem jam in continuam essentialiter degenerasse. Apparuit autem remissio non modo consueta, sed ut verum fatear, etiam major ac consuevisset: cumque præcessisset nox satis tranquilla, & aliquis in carpis observaretur mador, mihi visus sum prævidere declinationem morbi Cortice non indigentem. Nihilominus nec satis fidens inconstantiæ morbi, nec quicquam metuens ab usu Corticis, quandocumque etiam bona Crisis fuisset imminens, neque inutilem plane reputans Corticem in verminoso apparatu, illum præscripsi in forma Opiatæ *ad semunciam* absumendam pro medietate statim, & pro altera medietate altero mane. Sumpsit ille, ut præscripseram; nec ulla amplius facta est exacerbatio Febris: immo renovata eadem Opiata, intra quatuor successivos dies absumenda, *ad drachmam nempe unam* Corticis quodlibet mane, omnis omnino sublata visa est radix Febris, comitante videlicet usum Corticis copiosa, & critica excretione urinæ, illamque subsequente critica pariter, copiosa, & diutius protracta expulsione nocturni sudoris usque ad liberalem pulvinarum humectationem. Verum his non obstantibus post aliquod spatium temporis breviusculam recidivam passus est tribus levioribus Tertianæ Febris accessibus, a quibus tamen statim post salvatellæ apertionem convaluit.

Historiam autem hanc non ideo retuli, quia in ea vires Corticis fuerint eximiæ: puto enim morbum ex se fuisse tunc temporis propensum ad declinationem, & Crisim saltem imperfectam; sed retuli solummodo, ut pateat experientia duce, hujusmodi remedium Crises quoquo modo disposita vel promovere pro viribus, & pro dispositione materiæ, vel eas saltem non impedire, aut remorari, ut ex Historia etiam hanc præcedente manifeste constat.

Tempore qnoque primæ ægritudinis ejusdem *D. de Traeris* Casus alter contigit, longe præstantior, ac vere admirabilior de Febre inæqualiter remittente, sed maligna, & effera, qua detinebatur *D. Geminianus de Emilianis* Sacerdos, & Ludimagister, quem curabat *D. Ferrarius*. Hic deinde me socium voluit eo nomine, ut decernerem, an oblatio Corticis more meo, quam meditabatur ipse probe conscius methodi, & efficaciæ illius, locum habere posset in tali Casu. Sed Historiam describere supersedeo, quia illam ab ejusdem relatu paullo infra Lector habebit. Æquum est autem, ut illi uni adscribatur curationis honos, qui me cunctantem prius habuit (fateor) quam consentientem. Ejusdem pariter Sacerdotis Matrem eodem tempore ad extrema ferme redactam, & ambobus nobis curantibus ope Corticis restitutam describet idem *D. Ferrarius*, ejusque itidem Historiam inter communicatas infra reponam.

CAPUT III.

Historiæ memorabiles Intermittentium Perniciosarum, agentium ferociter in tertiam primario corporis regionem, eodem quoque ritu sanatarum. Harum species unica est.

LETHARGICA.

IN hac Febrium Pernicioſarum ſpecie poſtrema Lector animadvertat velim, eam eſſe graviorem ac eſſe videatur. Et licet in Caſibus infra poſitis non ſemper deſcribantur ſimul accidentia lethalem morboſi ſaporis intenſionem indicantia; ſemper tamen cum *Lethargum profundum* dico, intelligo vere id, quod hoc nomine venit apud Medicos. Neque enim hyperbolice loqui, ſed fideliter morbos deſcribere mihi mens eſt, & quidem diſſimulando potius nonnihil, quam amplificando illorum gravitatem: quod plane factum eſt quoque in antecedentibus omnibus. Si enim exactam Ægrorum hypotypoſim proſequutus eſſem, profecto ſicuti aliqua Hiſtoria, ubi nonnunquam id quoquo modo actum eſt, mirabilis viſitur, ita quælibet alia non minus mirabilis appareret. Cæterum quam gravis ſit hæc ſpecies Lethargicæ Cerebrum lethaliter impetentis (ita ut, qui ſic moriuntur, febricitantes a Medicis parum doctis, vel non parum vafris, non ex Febre, ſed ex Apoplexia caſu ſuborta mortui dicantur) ſatis oſtendit obſervatio, quæ hic velim conſideretur; nempe quod in Febribus hujuſce ſpeciei fere ſemper contingit Recidiva, ſæpe etiam gravis, ſubſequiturque difficilis convaleſcentia ex difficillima eradicatione cauſſæ ad nervorum uſque ad principia

translatæ, ibique ſecundum aliquas ſui reliquias tenax contubernium agentis. Sed jam quæ modo dicta ſunt ex re ipſa eluceſcent.

I. Decumbebat duplici Tertiana Intermittente, intenſa tamen, detentus *D. Comes Alphonſus Saxus* in medio curſu floridæ adoleſcentiæ ſuæ, eumque curabat *D. Riccius*. In quodam graviore Paroxyſmo circa decimumquartum morbi diem incidit Ille repente in profundiſſimum ſoporem, a quo difficillime expergiſcebatur. Gravitas ſymptomatis, & extraordinaria Febris intenſio, eo adjuncto manuum tremore, qui bibentem in actione ſua penitus impediebat, amantiſſimos Parentes impulit, ut pro ſervando Primogenito ſuo alterum etiam Medicum conſulerent. Accitus ego veſpertinis horis inveni illum graviſſimo ſomno oppreſſum, non reſpondentem, etſi alta voce vocatum, vixque oculos aperientem, dum valide concuteretur, & dolorificis cruciaretur irritamentis. Appoſuerat ideo ſtatim Veſſicantia, præmiſſis antea venæ ſectionibus, aliiſque remediis Medicus curans. Et quoniam ſudor quidam in illius Acceſſionis progreſſu erumpere videbatur, propoſuit idem Medicus Lapidem Bezoarticum ad hujuſmodi excretionem promovendam; quod remedium lubenter admiſi, ſudoris inde progreſſum, & Febris, ſymptomatiſque pernicioſi remiſſionem ſperans. Redeuntibus autem nobis circa primam noctis horam ſuppreſſum invenimus conſpicuum antea eruptione quadam univerſali ſudorem; cujus loco particularis, & minuta tantum ſupererat circa frontem ſudatiuncula cum majori Febris intenſione, univerſali fere tendinum ſubſultu, & Lethargo inexpugnabili, adjunctoque inſuper narium ſtertore, & ſpiritu ſublimi. Metuens ego, ne in illa ipſa Acceſſione diutius protracta occumberet Æger, non auſus ſum Chinam Chinam proponere, niſi ſub conditione, quod pulſus poſt aliquot horas explorandus ab Aſſidente Juniore Medico mecum praxim obſervante polliceretur ſecuritatem aliquam de protrahenda Vita in alteram ſaltem Acceſſionem. Interea propoſui *grana duo Salis volatilis Viperæ* ſtatim exhibenda ex cochleari cum liquore idoneo, quibus ſuperbibendam præcepi, ſi fieri poſſet, liberalem Aquæ quantitatem: dein Adſtantem monui (*D. Riccio* cunctis, quæ propoſueram, conſentiente) ut adimpleta conditione, quam illi indigitaveram, ex pulſu dignoſcenda, in noctis decurſu *drachmas tres* Corticis majori, qua poſſet, celeritate exhiberet Ægrotanti, dummodo is deglutire non prohiberetur a ſomniculoſa ſua ſtupiditate. Deo dante, qua diligentia peracta fuere Animæ negotia in lethargico, eadem quoque fuere abſoluta reliqua morbum reſpicientia per oblationem Corticis: & mane paucula aliqua obſervata eſt Febris remiſſio, ut & aliqua mentis, ac ſenſuum alacritas. Atque ideò cum ea die levior tantum Acceſſio fieri conſueviſſet, ſperavi continuationem remedii poſſe tempeſtive impedire Paroxyſmum graviorem, atque adjunctum ſoporem, tertio quoquè die, ut mox intellexi, aliquo modo antea etiam recurrere ſolitum. Sed præter conſuetudinem, & præter expectationem curantis Medici, ea ipſa die afflictionis demere minoris nova, & vehementior adhuc facta eſt Exacerbatio cum motibus convulſivis jugiter apparentibus, & cum lethargo fortiore; itaut nec per capillorum evulſionem, nec per aliam quamcunque dolorificam vim illatam reſponderet, dimoveretur, aut oculos aperiret. Tunc vere credidi, mortem imminere, Cortice ante paucas horas oblato ad eam impediendam haud ſatis idoneo, propter viciniam inſolitam vehementiam talis acceſſionis: etſi alioqui major Febris accenſio ab epota China China nonnunquam contingens in bonis haberi ſoleat ab Auctoribus; quod & ipſe non ſemel obſervavi, obſervavitque præ omnibus Anonymus alias citatus his verbis - *Ce Febrifuge ſemble encore quelque fois allumer la fievre après la premiere priſe, Mais il ne l' augmente, que pour la mieux combattre, & ce deſordre apparente eſt la marque la plus aſſurèe de ſon triomphe, car plus il a rendu un accès violent, plus on eſt aſſurè qu' il ne ſera pas ſuivi d' un autre* -- Sed ego hoc caſu aliud ſum ſuſpicatus ob vehementem intenſionem Febris non modo, ſed & ſimul ſymptomatis. Repetito nihilominus interim Sale Viperino, meliore, quo datum fuit, modo, & juvenili, robuſtaque coadjuvante natura, ſuſtinuit ille revera eandem acceſſionem, in cujus progreſſu aliqua facta eſt profundiſſimi ſoporis diminutio. Propterea ſtatim repetitus eſt Cortex *ad unc. ſs.* duplici hauſtu, Febriſque poſt aliquot horas cœpit remitti (prout de more jam ſuo) & cum Febre lethargus. Cum vero appropinquaſſet hora

gra-

gravioris acceſſus, qua obitum illius ſibi nunciari metuebat, expectabatque trepidans afflicta Genitrix, loco novæ acceſſionis major apparuit veteris declinatio, intantum, ut ea ipſa die vegetus mentis, ac ſenſuum, & quo ad Febrem ſatis leviter ſe habens, ab omnibus vel rudibus & famulis, nedum Amicis, Atque Nobilibus evidenter cognitus fuerit. Procedente itaque per gradus levamine, & continuato juxta methodum Chinæ Chinæ uſu brevi remanſit a reliquis febrilibus liber, ut ſtatim a periodo liber remanſerat, & a ſoporoſo ſymptomate. Febris ſolutionem comitata eſt copioſa prius, ac critica urinarum excretio, mox & diarrhœa ſpontanea non ſine infectione quadam mucoſa, & ſubcruenta, torminibus tamen caſſa, quæ ad aliquot dies moderate, & cum facili tolerantia proceſſit, clyſteribus tantum ex lacte, & ſaccharo identidem injectis, Sic integram nactus eſt. Ille valutudinem ſine ulla recidiva, aliove unquam amplius ſalutis incommodo, excepto pertinaci tendinum ſubſultu, qui ſicuti toto Ægritudinis tempore valide perſeveravit, ita & tempore convaleſcentiæ, immo & poſt ipſam non plane ſubſtitit; ſed ſanum quoque, ac vegetum non modo noctu inter dormiendum, verum & interdiu, dum commederet, biberet, aliudve ageret, per aliquot hebdomadas afflictavit. Aſt tœdio tantum affecit, non noxa; tandemque ſponte penitus evanuit.

II. Eodem fere tempore accerſitus fui ad inviſendum Judæum quemdam, nomine *Lazarum Pacificum*. Is, ut retulit Medicus curans, poſt Febrem primo validam, mox lentiorem, atque diuturnam, inſuper diarrhœam contraxit, quæ poſtmodum in dyſenteriam migravit eadem durante Febricula. Demum dyſenteria rurſus in diarrhœam converſa, cœpit ſimul Febris typum manifeſtum acquirere Tertianæ duplicis intenſioris. Tantum ſcilicet valent alvinæ dejectiones ſine coctione, aut ſine prævia inteſtina ſecretione ad abigendas Febres. Hæc autem Febris in invaſione ſua ſoporem ſimul aſcivit admodum profundum, quo circa declinationem Acceſſionis evaneſcente, ſtupidus, attonitus, & immemor ad plures horas Æger remanebat. Cum vero ſymptoma iſtud quotidie creſceret, adeout fieret quaſi continuum, pari pacto, ac tales fiebant, ſe mutuo excipientes paroxyſmi febriles; cumque a principio Acceſſionis uſque ad ſtatum, & ultra, lethargus tam fortis ingrueret, ut jam mortem minaretur intra unam, aut alteram Acceſſionem in Subjecto morbi acutie primum, mox & diuturnitate confecto, Corticem Peruvianum propoſui larga doſi celeriter exhibendum, adducens in exemplum caſum recentem *D. Comitis Saxi*. Et quoniam nondum mihi fuerat occaſio oſtendendi, vel communicandi huic Medico, cujus nomen & hic juvat reticere, quantum in ſimilibus caſibus Cortex valeret (nondum enim mihi cum illo contigerant, quas ſupra innui *Cap. II. Hiſt.* 9. circa hujuſce remedii adminiſtrationem altercantiunculæ) ſubdidi, ut curioſus attenderet, viſurus nempe, quæ cæteroqui non tam facile credidiſſet, Annuit ille tunc, meæ morem gerens aſſertioni, etſi non bene credulus (neſcio autem cur non annuerit poſtea in aliis caſibus, cum in hoc efficaciam remedii clare deprehendiſſet) & Corticem præſcripſit, prout Illi indigitaveram. Et ecce ſtatim imminuto paroxyſmo, oblationem validiuſculam Corticis ſubſequente, alteroque prorſus inhibito, ſymptoma ipſum ſoporis ſimul evanuit; quare brevi a Febre, a lethargo, & a diarrhœa liberatus eſt Æger. Tunc ſtupente Medico eidem communicavi plura illi incomperta circam uſum Corticis, monuique ex corde, ne negligeret quæ candide communicaveram, ſi Ægrorum ſuorum ſaluti, & propriæ exiſtimationi optabat prodeſſe. Excepit ille monitum ſatis humaniter; ſed paulopoſt memoria excidit. Recidit autem Æger poſt tres circiter hebdomadas in easdem Febres, ſed leviores, aliqua tamen adhuc in ſomnum propenſione comitatas, quibus methodice prius curatis, nec tamen abeuntibus, denuo repetitus eſt Cortex ad *ſemidrachmam* bis in die, cujus ope abſque alio incommodo perfecte convaluit.

III. Eximius JCtus, & Sereniſſimi Ducis a Secretis, & Status Conſiliarius, *D. Gaſpar Jovanardus* Febre corripiebatur Tertiana ſimplici intermittente, cum pauco tamen rigore invadente, cujus duobus jam paroxyſmis elapſis celebrata eſt dievacuo phlebotomia, indicata a plenitudine, & ab urina rubra, craſſa, & pauca. Eo ipſo die circa veſperas leviter incaluit, & aliquam alterationem ſuſcepit, quæ tamen mane ſequenti ſoluta eſt. Circa meridiem redit Acceſſio tertia principalis, qua invadente incipit

Æger præter morem nonnihil obloqui, mox difficulter conceptus ſuos exprimere, quod & ipſe noſcebat, impotens tamen ſeſe corrigere, dum unum verbum pro alio identidem proferebat. Tandem dormire cœpit: ſed ſomno tam forti, ut difficulter poſſet ab Adſtantibus excitari, & ſiquidem excitabatur, minime ad rem reſpondebat, iterumque labebatur in ſomnum. In Acceſſionis ſtatu ſopor imminuebatur: principia tamen nervoſi generis in capite graviter affici, demonſtrabat motus tremuli manuum, & ſubſultus tendinum. Declinavit nihilominus ſatis feliciter Paroxyſmus, & mane ſequenti ſatis leviter ſe habuit Ægrotus vix tantillum febricitans. Repetita eſt ideo ſtatim phlebotomia, præmiſſo clyſtere, & acta quæcunque ex arte in hiſce circumſtantiis peragi ſolent. Veſpere ſexta die, rediit febricula correſpondens quartæ diei: & licet leviuſcula fuerit, aliquem tamen mentis, & loquelæ torporem mox & ſoporem induxit, quod mihi cæteroqui ancipiti anſam dedit, ut decernerem de miniſtrando celeriter Cortice, priuſquam quarta ingrueret (ſeptima die) fortior Acceſſio. Conſilium ſtatim communicavi *D. Candrino* Aſſidenti, nil tale opinanti, nec exitium tam præceps, ut ego ſuſpicabar, adhuc metuenti. Meis tamen annuens votis, atque rationibus (quas ſcilicet vel ipſis Auditoribus meis, qualis ille fuerat, libenter expono) noctu in remiſſione Febris obtulit Corticem, cujus *drach. vj.* duobus hauſtibus ſejunctis aſſumpſit Patiens octo horis ante quarti fortioris Paroxyſmi adventum. Viſus eſt ille interim bene ſe habere; ſed adventante Acceſſione formidabilia ſupervenere ſymptomata, quæ cæteroqui mitiora ſperaveram, delirium ſcilicet manifeſtum cum manuum, & linguæ tremore, dein lethargus inſuperabilis, & cuilibet refractarius cruciatui, motus convulſivi artuum, & totius corporis, ac inſuper progreſſu Acceſſionis frequens, importunuſque ſingultus. Vere a Cortice tam prope Acceſſionem oblato inhibitionem Paroxyſmi nequaquam ſperabam; ſed neque illum cæteris majorem fore, immo potius a China China, ut frequentius aſſolet, nonnihil imminuendum, credidiſſem. Quod autem aſſequi tunc datum non fuit, fidenter expectabam de more ſubſequente Acceſſione, deducta videlicet in actum medicaminis activitate; pro cujus eventus ulteriori probabilitate, novum Corticem offerri curavi in graviſſimæ illius Acceſſionis, quam quidem ægre tranſegit, remiſſione: non retardata tamen interim adminiſtratione Sacramentorum. Paulo poſt cœpit ſe exerere virtus recens roborata Febrifugi; quippe nullus amplius rediit Paroxyſmus, nulla oblocutio, ſopor nullus, nec ullum ex iis, quæ antea viſebantur, ſymptomatis. Atque ita intra tres circiter dies ab omni penitus Febre immunis evaſit. Paulo poſt Rus adiit; ubi poſtquam ad aliquot dies permanſit, dum Corticem per modum levioris alterantis aſſumebat, iterum nihilominus correptus eſt Tertiana duplici, quæ tam levis viſa eſt, ut renuerit ipſe in Urbem regredi ad curationem illius. Quinto tamen Acceſſu me illum Ruri inviſente, & redeuntibus iiſdem omnino ſymptomatis, etſi aliquantulum mitioribus, coactus fui valida rurſus methodo Chinam Chinam præſcribere, a cujus uſu ipſum ſuperſedere juſſeram ſtatim ac Febris revixit: qua epota, ſedata ſunt omnia, ſubſequente interim ſudore univerſali, ſed modico, quo reliquiæ Febris diſcuti viſæ ſunt. Recidit ille nihilominus in Febres mitiores, quæ ſine Cortice remediis tantum vulgaribus ſopitæ ſunt, ſed & iterum poſt aliquot dies ſuſcitatæ, ſibique ſolis relictæ, donec tandem beneficio tempeſtatis ſponte evanuerint. Ab eo tempore nullam amplius Febrem paſſus eſt præter Ephemeram tempore Veris, a cauſſa procatartica oriundam. Licet autem cuncta ſui Gradus munia perfecte obiret, non tamen robuſtam valetudinem, qua fruebatur ante morbum, plane reſumpſiſſe videbatur; adeoque nonnunquam uſus eſt remediis domeſticis, puta, Vino abſynthite, Syrupo de Cichorio cum Rheo, & ſimilibus. Cum vero Autumno ſequenti meditarer illi nervoſiorem prophylaxim inſtituere, tinctuamque chalybis, præmiſſis præmittendis, ad aliquod tempus offerre, ex improviſo graviſſimis actus negotiis Romam migravit, ubi rigidiſſimo ſupra morem Hyemis anni 1709. tempore correptus Peripneumonia, ni fallor, ibi tunc temporis Epidemica, intra paucos dies non levi hujus Urbis jactura diem ſuum obiit.

IV. Nobiliſſima Matrona *D. Marchioniſſa Octavia Capraria Montecuccola*, jam pro-

proxime octogenaria, Febrem Tertianam patiebatur adeo abſconditam; adeoque difficulter explorabilem ex pulſu (quippe ſumme inæquali, ac ſyſtematico fere ſemper, præcipue vero tempore Paroxyſmi) adeo latentem, inquam, Tertianam patiebatur, ut ea potius ex ſopore profundo, de tertio in tertium invadente cum obſcura quadam extremorum frigiditate, quam ex ullo alio charactere magis proprio diſtingueretur. Symptoma iſtud inſigne pro vero Morbo habitum Modicos curantes diſcordes reddidit de repetenda phlebotomia ab initio jam celebrata, obſtabat quippe ætas, & habitus corporis cacheticus reputatus, ac in Hydropem pronus ex recenti quadam infirmitate, quam non multo ante paſſa erat Bononiæ cum ſuſpicione etiam tum incipientis Hydropis juxta aſſertionem curantium Medicorum. Ad componendum diſſidium advocor & ego, qui ex relatu nondum probe conſcius periodi tertianarii, conſiderans affectionem capitis fere ut morbum eſſentialem, ſuſpicanſque ſimul quicquam aliud latere ob inſignem pulſus inæqualitatem Ægræ, ut aſſerebatur, etſi ferme octogenariæ, minime familiarem, inſuperque obſervans, habitum illius nil cachetici vero præſeferre, calculum appoſui pro altera ſanguinis miſſione: qua feliciter peracta, & redeunte nihilominus per circuitum manifeſtum ſopore profundiſſimo, ac Febre, facile deprehendi naturam ſoporis lethargici eſſe aliam ab ea, quam ex relatione conjecturam. Certiorem adhuc de hoc me reddidere Aſſidentes, qui Circuitum ſibi quoque obſervatum aſſeverabant, illumque paroxyſmum jam tertium eſſe fatebantur, quo vere ſopor parum ab Apoplexia videbatur diſtare; atque in eam facile forſan degeneraſſet, niſi Acceſſionis remiſſio intuliſſet quoque remiſſionem ſymptomatis uſque ad eum gradum, ut commodum licuerit Sacramentorum adminiſtrationem perficere. Periodo rite intellecta, dignovi ſtatim, confugiendum eſſe ad Peruvianum Corticem pro inhibendo Lethargo inſimul, & Paroxyſmo. Sed quia vix a longe, & quaſi per modum neglectus memorando Corticem ad impetrandas inducias (cum periodicus eſſet, & ſoboles ipſius Febris periodicæ ſopor ille mortiferus) quia, inquam, vix Corticem memorando alter e duobus Medicis potior in Cura protinus exhorreſcebat, ego ad evitandas fervidiores altercationes, quas ſemper dedecere duxi Viros maturos, gravemque perſonam agentes, præſertim in Praxi, & ad ſervandam inſimul via certiore Matronam graviſſime, & ocyſſime periclitantem, dum Medicus curans Lapidem Bezoarticum conſtanter proponebat, velut remedium nobile, ut ajebat, & ſtrenuum, hac Arte lepida uſus ſum, ne dicam fraude inſonte.

Lapidem in primis Bezoarticum ſummis laudibus extuli, eumque eſſe veram illius morbi antidotum, proclamavi: opportuniſſimum autem illius uſum fore die ſeptima (erat enim illa dies quinta, tertiuſve Febris Acceſſus) ad excitandum probabiliter ſudorem univerſalem, optimum futurum pro morbi ſolutione. Interim vero ſubdebam: quærendum eſſe remedium aliquod tutum, atque canonicum, quod valeret quodammodo Chinæ Chinæ adinſtar reprimere, & enervare futurum Paroxyſmum, ſi poſſet fieri, & cum eodem fortaſſe ſymptoma ſoporis; non vero figere, & ſupprimere affatim ipſum Paroxyſmum, ejuſque Cauſſam, quemadmodum fieri fertur (ajebam) a China China. Memineram forte tunc, me legiſſe apud *Cl. Lucam Tozzi* (quem Auctorem ſciebam eſſe in debita exiſtimatione apud Medicum curantem) poſt laudatum ab eodem Auctore ad Febres intermittentes pulverem Corticis Peruviani, poſtque alia ab eo enumerata illius ſuccedanea, memineram, inquam, me legiſſe hæc verba: *Meminit alterius pulveris Bartholinus, de Gannaperide dicti ad eundem uſum*. Corticis autem Peruviani Planta ipſa, ut refert *Badus*, & alii, utque hodie ſatis notum eſt, ab Indis vocatur (præter alia, quibus donatur, nomina) *Gannaperide*, quod dubio procul *Cl. Tozzium* latuit. Hac itaque arrepta occaſione, levem hanc, nulliuſque momenti hallucinationem *Tozzi* ex induſtria ſecutus ſum, quod nempe *Gannaperide* ſit aliquid a China China diverſum: dixitque ideo Medico curanti, poſſe nos interim uti *Gannaperide*, quam loco Chinæ Chinæ commendat ex *Bartholino* Lucas *Tozzius*, ſeu ſaltem Extracto illius; non enim tam facile cognitu illud erat, ut Cortex ipſe.

His auditis, Medicus curans nil quærens de natura Plantæ, ne hoſpes in Botanica videretur, licet hujuſce notitiæ carenti-

tia Viro docto vere nil detrahat, in fide Celeberrimorum *Bartholini*, & *Tozzi* annuit, Quamobrem præscriptum est statim ad *drach. j.* in forma boli extractum *Gannaperidis*, seu (quod satis noverat Pharmacopola) Chinæ Chinæ; idque mane, & sero continuatum. Appropinquabat interim Accessio quarta, diesve septima, qua ex pacto celebrari debebat solemnis oblatio Lapidis Bezoartici; sed interim coactus ex improviso idem Medicus alio migrare longe ab Urbe, enixe commendavit Assidentibns, ut memores essent, in illa Accessione prædictum Lapidem offerre, sicut ego hora congrua eram præscripturus. Quia vero jam *quatuor drachmas Extracti*, quantum sat erat, recentis assumpserat Nobilissima Patiens, Accessum Febris sortita est satis tolerabilem, & cum breviore, minusque profundo sopore conjunctum: quapropter, ut hostem fortius insequere jam fugere incipientem, loco Lapidis Bezoartici *novum Extractum Chinæ Chinæ* præscripsi. Et quoniam absentia Medici illius ab Urbe valde diu erat protrahenda, cœpi ad obtinendum majori certitudine intentum, uti ipsa China China in substantia, in formam boli redacta; & sic fere integram alterius Paroxysmi suppressionem sum nactus, ut & soporis adjuncti: continuato autem post depulsionem Febris ad aliquot dies remedio per modum levioris alterantis, feriatus postea sum diu ab eodem. Interim vero tres alios, vel quatuor passa est Ægra leviores paroxysmos, modico tantum sopore comitatos, quibus rursum levissima Corticis ope depulsus, diuturniorem nonnihil, sed minime incommodam sustinuit convalescentiam, ac inde congruam valetudinem usque ad annum 83. ætatis suæ: quo demum tempore senilibus morbis confecta vivere desiit.

V. Ridebit fortasse quispiam, quod inter præclara Corticis facinora reponam sequentem historiam; plaudet tamen, & Cortici, & mihi, qui æqua lance cuncta pensitans, vim exinde medicaminis eximiam, & candorem insimul meum dignoscet.

P. Crescentius ab Angelo Custode Carmelita Excalceatus (in hoc namque Cœnobio frequentius, quam in aliis, Pernicioſas Febres mihi contigit observare) tulerat jam, & ordinaria Methodo superaverat Æstate anni 1708. Tertianam duplicem continuam, vix tantillum remittentem, omnesque acutæ Febris characteres præseferentem; immo unam & alteram recidivam pariter transegerat, biliosa diarrhœa inutiliter comitatam, lentoque semper pepasmo, vulgaribus tantum remediis promoto, sine ulla unquam ope Corticis ad bonum exitum perductam, Remansere tamen perpetuo signa imperfectæ judicationis, ac præ cæteris urina pauca, & impense rubra, irritis semper omnibus conatibus pro perficienda, & complete firmanda valetudine. Denique sub finem tempestatis Autumnalis correptus est Tertiana simplici intermittente, cujus duos ante adventum meum passus erat Paroxysmos satis leves. Cumque accessissem die vacua secundum Paroxysmum subsequente, & scirem, illum paulo ante pluries, ac per epicrasim etiam sufficienter purgatum remediis ipsi familiaribus, præscripsi modicam sanguinis detractionem, a gravativo præsertim capitis dolore, rubraque urina indicatam, celebrandam tamen post tertium futurum Accessum; altero nempe intermissionis die, ni ego Aulicis tunc curis distractus prius rediissem ad illum invisendum. Advenit itaque sequenti die tertius Paroxysmus, in cujus principio Æger præter morem cœpit balbutire, variaque inconcinne loqui; & obloqui modo cum advertentia, sed impotens sese corrigere, vel coercere, & modo nullatenus compos sui. Post hæc in somnum delapsus est profundissimum Apoplectici adinstar, unde creditus est ab Assidentibus cito expiraturus. Circa vesperas invaserat illum Paroxysmus; jamque nox erat, dum hæc contingerent. Cum vero nec ipse accedere legitime impeditus, nec me invenirent, ut saltem possent alloqui, soliciti Patres me incassum quærentes, alium Medicum sibi amicum, familiaremque, nempe *D. Roncaleam*, advocarunt, qui viso spectaculo statim in ipso Febris augmento ratione præcipitis symptomatis phlebotomiam, quam pro die sequente ipse præscipseram, celebrandam esse judicavit; nec male. Sed pro sua erga me urbanitate subjunxit: se quidem phlebotomiam illico instituendam minime dubitare; verum si meum super hoc votum vellent, possetque tempestive exquirere, id illi pergratum futurum. Atque his dictis, discessit.

Advolarunt itaque rursus domum meam anxii Patres ubi cum non adessem, præstolati sunt adventum meum usque ad sextam circiter noctis horam; neque enim mi-

hi domum citius redire datum fuerat. Re intellecta, exprobavi illis officium urbanitatis, Ægrotanti fortaſſe noxium, renuique poſt tot horas elapſas a præſcriptione Medici phlebotomiam vel admittere, vel ſuſpendere Ægro non prius inſpecto. Quamobrem ipſis licet officioſe reluctantibus ad eum acceſſi, & inveni lethargicum quidem, & ſtertentem, ſed dum clamoſe vocaretur, oculos aperientem, & ſubmurmurando reſpondentem: quorum neutrum, ut retulerunt Aſſidentes, antea ullo pacto præſtare potuerat; immo cum tantiſper ibidem morarer, illumque variis modis conarer excitare, loqui cœpit, & veniam petere de incommodo mihi illato hora inopportuna, pergens tamen ultra, cœpit obloqui, aliaque effari extra rem, & minime cohærentia, dein in ſoporem relapſus eſt, ſed minus profundum. Hæc, & alia attente conſiderans prognoſticum iſtud elicui, nempe, Illum certo evaſurum ab ea Acceſſione, ſed certo quoque in altera correſpondente periturum, non obſtante qualibet phlebotomia, aliove ordinario artis auxilio, niſi per Corticem Paroxyſmus ipſe venturus prompte inhiberetur. Hoc ſtatuto, Remedium præſcripſi valida methodo in ſequens mane exhibendum poſt Sanctiſſimi Viatici adminiſtrationem, Epoto autem Cortice levis facta eſt ipſo intermiſſionis die inſolita Acceſſio, jam parata pro duplicanda Tertiana, ut magis lethalis evaderet ſubſequens, ſuapte natura gravior. Hanc tamen novitatem nihili feci, certus de inhibendo Paroxyſmo fortiore, ut omnino contigit. Atque ita fere ſtatim a Febre, a ſopore, & mentis ſegnitie, aliiſque ſymptomatis plane liber evaſit: quod Patribus mirabile quidpiam ferme ſupra Naturæ vires viſum eſt.

Præ cæteris autem peculiari obſervatione digna fuit inſignis mutatio coloris faciei, & urinæ; fere namque per tres menſes colorem ſubcitrinum, palpebraſque ſubtumidas circumtulerat, urinam vero perpetuo croceam, rubramve, ac imminutam reddiderat: neque diutina diarrhœa ſpontanea, neque epicraticæ purgationes, neque deobſtruentia, aliave ſimilia remedia quicquam profecerant. Statim vero ac Corticem aſſumpſit, adeo bene coloratus, & vividus factus eſt; urina adeo decenter mutata eſt, citrina ſcilicet, palearis, ac concocta conſtanter reddita, viriumque robur adeo vigoroſe reſumptum, ut fere ſuperfluum reputarit Æger uti novo Cortice ad prophylaxim, ut illi præſcripſeram. Obſequens fuit nihilominus, quo ad hoc, ſed nequivit ſe continere, quin conſueta munia tam domi, quam extra exequeretur: quod illi ſibi nimium, narratiſque ſignis fidenti, incaſſum exprobrabam.

Jamque menſis circiter erat exactus, cum quodam die paulo poſt Brumale Solſtitium ante fores Aſceterii alia occaſione prætergrediens ego veſpertinis horis ſciſcitatus ſum aliquid de illius valetudine, reſponditque Janitor: me opportune adveniſſe, Illum namque paulo ante domum reverſum, denuo Febre correptum jacere. Accedo ad eum, & modice febricitantem invenio, Acceſſione a principio ad augmentum progrediente. Nullus illi tunc ſopor, obloquutio nulla; ſed tantum conqueritur de intenſo capitis dolore. Interrogatus, an diebus anteactis ullam Febrem perſenſerit, reſpondet negative; ſubdunt tamen Aſſidentes, ſe dubitare, Illum die quoque ad normam tertianarii circuitus correſpondente, levem aliquem Febris inſultum paſſum fuiſſe, licet nec decubuerit, nec officia ſua, quæ tamen exegit infirmius, intermiſerit; quod ipſe tandem non amplius negavit, ſed umbram Febris, imbecillitatiſque appellavit. His auditis, ſubjunxi -- Quoniam modo nullus eſt motus de ferali ſopore, aliove gravi ſymptomate, quod nos cogat ad Corticem ſtatim confugere, ſanguiniſque miſſionem alias præſcriptam, & modo a dolore capitis rurſus indicatam, omittere, ſed nobis ſuppetit congruum tempus ad omnia, cras mane nulla interpoſita cunctatione detrahatur ſanguis ex brachio ad *uncias octo* -- Cætera præſcripſi de more, & abii. Mane valde diluculo nunciatur mihi, Ægrotantem nocte in ſtatu Acceſſionis in profundiſſimum ſoporem incidiſſe, ut olim, ac proinde quæri, utrum eo ita ſe habente debeat celebrari phlebotomia, an agi quidquam aliud. Phlebotomiam ego illico celebrandam inculco, acceſſurus ſubinde ad alia peragenda, ſi opus ſit. Detracto ſanguine acceſſo, invenioque Ægrotantem ſopitum, ſupinum, ſtertentem, Apoplectici adinſtar. Minime tamen apoplecticum eſſe deprehendo, quoniam & alta voce vocatus, & varie concuſſus, oculos identidem aperit, ſe erigere tentat, & voces aliquas edit claras, ſed extra

rem,

rem, & alias interruptas; ut proinde ſymptoma Febris ſit ejuſmodi lethargus. Relabitur tamen Æger ſtatim in ſomnum, & videtur in agone verſari, ut propterea nullus ſit locus Cortici : adeo vehemens adhuc eſt Febris, nullatenus in remiſſionem prona, tamque breve intervallum temporis, quod ſupereſſe videtur ad expirandum. Præſcribo interim cucurbitulas ſiccas partibus inferioribus affigendas, veſſicantia vero & inferioribus, & ſuperioribus artubus, liquores ſpirituoſos cochleatim ingerendos, ipſumque tandem Corticem parari jubeo offerendum, ſi tempus ſinet. Sed quid? Jam ruit ad mortem, nec ulla ſpes ſalutis affulget. Dimittitur ideo ut deploratus omnino. Cortex ipſe paratus nequit exhiberi, nec tempus ullum ſupereſſet illius actioni, etſi exhiberetur; immo ſecunda portiuncula vi quadam in os ingeſta, exit eadem, qua intromittitur, via. Reponitur ideo, ne per lintea effuſus ſubeat nihilominus apud maleferiatos homines calumniam de occiſo Ægrotante; ipſe autem Æger in vero jam agone conſtitutus poſt aliquot horas in illa ipſa Acceſſione, qua primo decumbit, expirat, comprobans generale præſagium *Mercati*, nempe, quod *Perniciosæ, quæ ad cerebrum tendunt, lethales fiunt, ſi in lethargum, aut phrenitidem commigrent*.

Vixit ille profecto ope Corticis, ut perſuaſum habeo, per menſem; quo elapſo complevit, quod antea jam complere debuerat, niſi auxilium a Cortice retuliſſet. Defecit tamen hic Regula, quam alias univerſalem poſui, Recidivas nempe poſt Corticem aſſumptum eſſe conſueviſſe ſua radice leviores. Sed una exceptio Regulam non tollit. Eſt autem congruum, nonnihil perpendere varia in hoc caſu, notatu digna. *Primo* namque obvium eſt conjicere, quam parum felix, & quam imperfecta fuit pluries ſolutio morbi toties reviviſcentis; licet exacta, diligentique Artis methodo per tres circiter menſes curati, modicaque, ac tolerabili, longa tamen diarrhœa ſpontanea comitati; quin immo leviuſculis purgationibus (diarrhœa videlicet ſuſiſtente) epicratice repetitis, morbus vel perſeverabat vigens, vel ſopitus redibat, intantum ut poſt hæc omnia, poſtque tam longum tempus valuerit in Tertianam Pernicioſam iterum aſſurgere, mortifero quidem lethargo inſignitam, ſed tamen Corticis actioni illico obſequentem. *Secundo* meditatione noſtra dignum videtur id, quod non ſine rationi ſuſpicati eſſent plurimi, & forſitan ego ipſe, ſi in primo hujuſce difficilis Ægritudinis ortu fuiſſet propinatus Cortex, tunc ſcilcet cum Febris tertiana duplex continua aliquam, præſertim ſtata quadam hora inter levioris Acceſſionis decrementum, & incrementum fortioris media, remiſſionem periodice præſeferebat, vi cujus forſitan uſui illius locus aliquis adeſſe poterat : ſi inquam, ab initio Cortex fuiſſet oblatus, & Febris cohibita, cuncta vero, quæ ſecuta ſunt, æque ſecuta eſſent, tot nempe Recidivæ, & tandem mors, dignum noſtra, ut ajebam, meditatione eſt id, quod in tali caſu de Cortice eſſemus ſuſpicati, non immerito quidem, falſo tamen, ut patet. *Tertio* ſubit animadvertere, & repetere, quod jam dictum eſt, nempe Hominem abſolute moriturum altera cæteroqui Acceſſione, ni Corticem aſſumpſiſſet, tunc, cum aſſumpſit, eo tamen mediante vitam vegetiorem ac antea (quod ſane mirandum) protuliſſe ſaltem ad menſem. *Quarto* denique, quod licet Cortex, qui ſemel eripuit a morte, reputari ſoleat a me ita eripuiſſe, ut in Recidivis metus æqualis infortunii remanere non debeat, maxime quoniam nova, & æqualiter valida Corticis aſſumptione, infortuninm æquale, ſi redeat, videtur poſſe repelli; attamen nonnunquam, etſi raro, ut in hoc caſu, redire poteſt idem prorſus exitium talique inſuper vehementia, impetu, ut prima jugulet Acceſſione, neque ullum vivifico Cortici locum concedat.

VI. Infelicem exitum P. Creſcentii penſabit facile felix, quantumvis laborioſa ſanatio *Monialis cujuſdam* ex eodem Ordine. Hæc anno pariter 1708. Tertianam foporoſam ſatis intenſam paſſa eſt, ſine frigore invadentem, & periculum aliquod minitantem; a qua tamen abſque adjumento Corticis ſolis remediis vulgaribus cito ſupra expectationem meam (qui longam ſaltem, ni gravem, ominatus fueram ægritudinem) liberata eſt. Poſt aliquot dies recidit inſigniter, in ſecundo paroxyſmo graviſſimum lethargum paſſa. Proinde ea ipſa die declinante paroxyſmo præſcripſi Cortciem *ad drach. j.* veſpere; mane ſequenti *ad drach. j.* pariter; ſero *ad drach. j. ſs.* & mane alterius diei, qua die expectabatur tertius paroxyſmus, *ad drach. ſs.*

ſs. Sperabam fore, ut ingeſtis longe ante hunc Acceſſum per horas circiter duodecim *drachmas tribus*, & *ſemis* Corticis, non computata poſtrema oblatione Acceſſioni proxima, Febris inhiberetur; ſed mea me fefellit opinio: rediit namque Acceſſio ſatis gravis, & cum eadem æque gravis ſopor. Quid ſi China China non fuiſſet oblata? Miratus ſum pervicaciam morbi; & quoniam durante illa Acceſſione nil aliud poteram moliri, cucurbi tulas dolorificas, & Veſſicans Emplaſtrum cruribus affigi juſſi, non omiſſo internorum remediorum volatilium uſu; atque inter ea præcipue Salis Ammoniaci ſpiritus tum externe, tum interne adhibitus eſt: quibus auxiliis adjuta Ægra evaſit non ſine difficultate a Lethargica illa Acceſſione. Mane ſequenti, præmiſſo Sanctiſſimo Viatico (erat quippe adhuc ſomniculoſa valde) exhibui paulopoſt *drach. ij.* Corticis uno hauſtu; nec altera die rediit ulla Febris; ulluſve ſopor, ſed vegeta inſigniter apparuit. Sumpſit nihilominus per ſex continuos dies *drach. ſs.* ejuſdem Corticis quotidie ad præcautionem; ſed tamen non multo poſt recidit cum ſopore. Illo creſcente ad eum uſque gradum, ut Ægra per horas plurimas ſupina jaceret vix quicquam ſentiens, utut moleſtum, ac dolorificum, neque proficientibus ſpirituoſis liquoribus, aliiſve remediis internis, aut externis, præſcribo *drach. vj.* Corticis, quas omnes partitis tamen vicibus intra unum diem, ni fallor, abſorbet. Ceſſat illico Febris, ſed non omnino ſopor, qui gravis adhuc, etſi minus, periodice recurrit alternis diebus, ut antea recurrebat Febris. Adjuvatur conſuetis, noviſque volatilibus remediis, ex C. C. ex Vipera, & aliunde petitis: atque inde levamen aliquod ſuſcipit. Adjungitur tamen nonnumquam ſopori periodico periodica queque Febricula; ſed hæc vix dignoſcibilis. Tandem poſt renovatos quavis deſinente menſtrua purgatione (& quidem pendente curſu trium, aut quatuor menſium) ſoporis inſultus, typo ſemper tertianario invadentes, ſæpius ſine Febre, rarius cum ea, ſed leviore, tandem, inquam, appropinquante Hyeme deſiit utraque affectio, & ſanata eſt Ægra, aliqua tantum ſuperſtite, de qua toto etiam morbi tempore graviter conquerebatur, capitis imbecillitate, quæ pariter tractu temporis paulatim evanuit.

VII. Decubuerat diu Venetiis, & quidem, ut ipſe retulit, valde graviter, anno 1709. Cubicularius Domini de Prougen, cui nomen *Alexander Landinus*, tandemque ab omni periculo evaſerat ope Corticis, quem proinde ſalibus quibuſdam aſſociatum ex curantis Medici præſcripto ſecum tulit in itinere. Mutinam redux, ut pro re nata rurſus aſſumeret. Iter ille ſuum feliciter tranſegit, abſolvit; ſed paulopoſt diarrhœa bilioſa correptus eſt, valde copioſa, torminoſa, vireſque admodum dejiciente per dies duodecim. Accitus ego Serum Vaccinum præſcripſi per dies nonnullos, pauciſque aliis remediis, ab altero, qui eidem aſſidebat, prius oblatis, viſus eſt ſatis laudabiliter judicari, & convaleſcere. Paucis tamen diebus elapſis (tantum ſcilicet evacuatio profecit) iterum labitur in Febrem tertianam intermittentem, primo levem, ut retulit idem Aſſidens, mox validam, in cujus videlicet paroxyſmo tertio ſoporem inſignem cum aliqua oblocutione paſſus eſt. Quarto autem Acceſſu idem ſymptoma adeo vehemens increbuit, ut Decumbens ad plures horas immobilis, ac fere Catalepticus jaceret. Advocor rurſus, & invenio hominem ab octo jam horis, velut ſimulacrum quoddam, ſupino ventre decumbentem. Oculos ille quidem ſervabat apertos, ac diaphanos, atque ob id tantum a cadavere aſpicientibus diſtinguebatur, eos tamen attonitos, ac immobiles, nec quidpiam cernentes. Concuſſus, excuſſus, vellicatus, confricatus nil ſentiebat, nec linguam, nec oculos, nec membrum ullum movens, aut retrahens. Diffluebat autem profuſo ſudore in partibus tantum ſuperioribus, ac maxime circa caput, nondum tamen frigido. Facies ſubcitrina erat, palloreque infecta mortali. Pulſus ſolus robur aliquod oſtentare videbatur. Ob id Ægrum poſſe fortaſſis ab illa Acceſſione evadere, moriturum tamen altera, cunctanter conjeci. Statim præſcripſi clyſterem acrem; ori vero ſalem volatilem Viperinum, ad aliquot grana induſtrie ingerendum, naribuſque ſpiritum ſalis Ammoniaci frequenter admovendum curavi, non omiſſis frictionibus, ligaturis dolorificis, cucurbitulis ſiccis, & aliis hujuſmodi remediis ſpiritus excitantibus, & ad motus, ac ſenſus munia obeunda revocantibus: poſt quorum uſum, quandocunque reſipiſceret Æger, & deglutire valeret, Corticem tandem *ad ſemunciam* exhibendum

dum præcepi. Prioribus administratis, visus est tantillum expergisci, ut proinde valuerit assumere Sacramentum Eucharistiæ: Febrisque interim suam declinationem noctu sortita est. Mane itaque prout dixeram, nulla mora interposita, rerum omnium ante gestarum prorsus immemori offert China China pura, quam ex Vino oblatam, quia statim vomitu rejecit, opus fuit repetere in forma boli. Vespere *duæ drachmæ* exhibitæ sunt; atque *totidem* mane sequenti, qua die lethalis paroxysmus expectabatur. Sed dictum factum: incantamenti adinstar (ut de salvatellæ aperitione jure minore ajebat *Galenus*) sublata est Febris, sopor, stupor, & quidquid funesti nudius tertius apparuerat, cum omnium admiratione; neque enim tam insignem mutationem potest facile mente concipere, nisi qui inspexit. Ad præcautionem tamen Corticis usum imminutum continuavit Æger ad paucos dies: unde omnino in pristinum restitutus est. Resumptis ille viribus Bononiam proficiscitur, ibique iterum post tres hebdomadas Febre cotripitur, mox revertitur Mutinam, ubi Febris pro Tertiana duplici statim se prodiit. Accitus iterum ego die majoris afflictionis Ægrotum invenio obloquentem, atque intense febricitantem. Copiosæ mihi narrantur excretiones diebus anteactis prægressæ, præsertim sudoris immodici; Febris tamen his non obstantibus suscepit incrementum, & vires. Præscribo Clysterem injiciendum mane sequenti, ac successivam præcipio salvatellæ apertionem, dein post horam Chinam Chinam *ad drachmas duas*. His peractis omnibus, die tertia vix redit umbra Febris; sed loco illius vomitus biliosus, & consimilis dejectio succedit cum quadam mentis hebetudine. Offertur iterum Correx *ad drach. j.* & altera quoque die similiter exhibetur. Aboletur Febris omnino; sed perseverat torpor quidam actionum cum capitis dolore. Renovantur clysteres, & simul usus levior Corticis, videlicet *ad drach. ss.* quotidie per dies quinque cum *gr. ij. Salis volatil. Viper. in forma boli*, *super hausto cyatho aquæ betonicæ*. Sublatis reliquis symptomatis, solus superstes manet capitis dolor ad dies quatuor, vel quinque: quibus exactis, supervenientе biliosa diarrhœa, & vomitu consimili cum facili tolerantia, solvi videtur; sed revera, eadem licet perseverante diarrhœa, & recurrente identidem biliosо vomitu, idem perseverat ad aliquot dies gravativus capitis dolor, qui tandem paulopost sponte evanescit, Ægrumque ab omni prorsus incommodo reliquit incolumem.

VIII. Vir honestus *Jacobus Barianus* decumbens ex Tertiana duplici, Perniciosa ob adjunctum soporem letargicum, inferentem grave periculum vitæ, curabatur a *D. Clerico*, qui probe jam versatus in usu congruo Corticis, hunc obtulit Ægrotanti, illoque periculo, ut mos est, statim subtraxit. Unam aut alteram recidivam leviorem, & sopore carentem passus Æger; vulgaribus evadebat remediis; cum ex improviso rursus recidens in secundo Paroxysmo tam insignem lethargum patitur, quem describere supersedeo, ut vix credi possit ab illo evasurus. Tunc & ego in consilium advocor, interimque pendente adventu meo vena secatur; sed affectio soporosa æque perdurat. Supervenio tandem, & Corticis usum validiorem; si Æger alte dormiens, vix oculos aperiens, syllabasque tantum aliquas incohærentes edens, deglutire sit potis, Corticis, inquam, usum validiorem celeriter repetendum censeo. Offertur, assumit Æger; assumitque subinde Sanctissimum Viaticum. Evadit ab illo Accessu; nec alio tentatur, quippe munitus novo Cortice paulatim assumpto. Recidit tamen post aliquod tempus, sed longe minus graviter. Quia vero aliquam non levem prodit in somnum proclivitatem, Cortice iterum modice assumpto, & sensim continuato, integre convalescit. Idem post annum Quartana corripitur, a qua, post aliquod tempus duplici, & mox triplici reddita, lento, sed diuturno Corticis usu iterum liberatur; robustiorque subinde, ac coloratior factus, quam antea inculpata fruitur valetudine.

IX. *Filiolus* blandulus, & unicus D. Comitis *Jo: Baptistæ Saxi*, Collegii Nobilium Convictor, detinebatur Tertiana duplici per subingressum paroxysmorum continua, cujus symptomata gravia fuere crebri vomitus porracei, simulque verminosi, dejectiones consimiles, maxima ciborum aversatio, atque hæmorrhagia e naribus frequens, & cum excessu copiosa. Hic dum consueta Artis methodo caute curaretur, incidit in soporem profundissimum, in exacerbatione Febris invadentem, & usque ad remissionem illius

lius perdurantem. Renovabatur ſymptoma quotidie, Ægerque jam decolor, ab effuſione cruoris, & viribus deſtitutus non erat par ferendo morbo quotidie magis illum opprimente, torpidumque, ac hebetem aſſidue detinente. Cum ergo ad ſummum deveniſſet vitæ periculum, jamque facies illi adeo immutata eſſet, ut vix veſtigia ſervaret naturalis ideæ, illi Chinam Chinam, dummodo poſſem, miniſtrare decrevi. Et cum aſſumendæ amaræ Corticis potioni, vel bolis deglutiendis imparem cognoſcerem, præſcripſi remedium in forma Julapii, in quo tamen plurima Corticis latebat, ultroque addebatur ſubſtantia; eoque copioſe pro ratione teneræ ætatis, & frequenter exhibito, paucis clyſteribus interjectis, intra paucos dies Febrem omnino ſuſtuli, Lumbricos, & ſoporoſum ſymptoma adjunctum.

X. *D. Joannes Buzzalinus* poſt acutam ægritudinem, quam duplex Tertiana Continua intulerat, ſat bene compoſitam, incidit in affectum ſoporoſum, quem delirium, atque convulſio præceſſerant, adeo gravem, ut fere Catalepticus videretur. Pulſus illi erat exilis, vixque tactu perceptibilis, Ipſe vero immobilis quoad decubitum: haud difficulter tamen aſſumebat oblata, etſi cum ſtupiditate delirus. Notitia habita, quod Febris, quæ huic fere ſymptomati dedit originem, & quæ adhuc ſub ipſo, ut inquit *Mortonus*, larvata latebat, fuit ab ortu ſuo periodica, anſam dedit mihi circa decimamquintam morbi diem accito, ut cunctanter proponerem *D. Ferrario* curanti uſum Corticis, quotieſcumque aperitio Salvatellæ & Veſſicantia illico appoſita non proficerent. Cum ergo intra dies ea nil profeciſſent, ille autem adhuc deglutiendi capax videretur, cum jam Sanctiſſimum Viaticum aſſumpſiſſet, illi celeriter miniſtratum tanquam proxime morituro; idcirco præſcriptus eſt eidem, ſatimque oblatus Peruvianus Cortex methodo modice valida, frequenter ſcilicet, ſed non larga doſi, ut ſenſim obſervaretur actio medicaminis: quod cum prodeſſe nonnihil viſum ſit, alacriter continuatum eſt; eoque intra ſeptem circiter dies integre reſtitutus eſt Æger ab omni ſtupiditate, & Febre conſtanter immunis.

XI. Similis pariter Cataleptico videbatur in quadam Tertianæ duplicis Subcontinuæ recidiva *Petrus Pini*, quem a prima ægritudine liberaverat Cortex a *D. Ferrario* illum curante præſcriptus. In novo itaque Febris reditu: quæ pariter continuitatem aliquam redolebat ut ante: cum ſopor inſuper graviſſimus eidem adjungeretur, qui etiam tunc cum videbatur remitti, hominem tamen attonitum detinebat, ac fere immobilem, loquela tantum aliquo modo ſuperſtite, & deglutiendi facilitate, cogitavit Medicus de communicando mecum caſu, ei, quem ſupra deſcripſimus, non multum abſimili, ut decernerem, an & hic offerendus eſſet Cortex, nec ne: quoniam modo major, modo minor ad leges periodi febrilis obſervabatur intenſio ſymptomatis, caput tamen quotidie gravius obruentis, & præceps periculum minitantis. Acceſſi ergo ad inviſendum Ægrum, cui proinde Corticem exhibendum duxi. Cumque omni, quo poſſet, modo, repugnantiam ſuam medicamento ingrato, ſibique cognito oſtenderet, mortem ego illi ſevere minatus, ni aſſumeret, vel invitum ſumere, & congrue reaſſumere coegi: quo auxilio depulſa paulopoſt, ut aſſolet, Febre, mentis alacer, ac vegetus factus eſt, & abſque alia recidiva perfecte ſanus.

XII. Anno 1707. aſſidebat Medicus Junior praxim mecum obſervans Nobiliſſimæ Virgini decumbenti longe ab Urbe. Ea occaſione inviſit ille quendam Ægrotantem nomine *Nicolaum Amici*, in Pago Florani degentem, & a Medico illius viciniæ curatum. Detinebatur Æger Tertiana duplici per ſubingreſſum continua, ſuas tamen periodos adhuc non obſcure ſervante. Proceſſerat ad decimamquartam diem Febris, & ſupervenerat primo delirium, mox ſopor gravis, qui ſingulis acceſſionibus gravior fiebat. Proponebat Medicus Junior cæteris abunde jam adminiſtratis uſum Corticis, prout a me uſurpari aliquoties viderat; præſertim in *D. Comite Alphonſo Saxo*, cui adſtiterat; renuebat autem Medicus curans, haud ſatis conſcius de efficacia medicamenti in hiſce caſibus, multoque minus de methodo mea. Cum ergo inter ipſos non conveniſſet de remedio, me interpellarunt per literas, ſic expreſſe jubente ipſo Loci Domino, D. Marchione Philippo Antonio Coccapano, Aulæ Sereniſſimi Ducis Præfecto, Viro omnium amantiſſimo, atque omnibus pariter dilectiſſimo tum propter eximios mores generis nobilitati conjunctus, tum propter ſummam erga egenos omnes, & præſertim Subditos ſuos beneficen-

ficentiam. Statim ac intellexi morbi seriem, & gravitatem symptomatis, facile votum edidi pro valida oblatione Corticis, præsertim si forte cæterorum remediorum incapax suisset Æger, & manifeste cæteroqui periturus. Interea qui aliquantisper distabat ab extremo statu, in hoc temporis intervallo ad illum devenit, nova accessione, novoque sopore ferocius ingruente, itaut vix Sacramentorum administrationem valuerit admittere. Dum ergo conclamatus credebatur, fuit oblatus Cortex methodo valida, Ægerque præter expectationem servatus. Recidit tamen alias, longamque convalescentiam, & improsperam valetudinem passus, ab omni tandem morbo liber evasit, talisque permansit ultra biennium, quo tempore (ut mox intellexi) Pleuritide correptus vitam cum morte commutavit.

XIII. Inter soporosas quoque Febres enumerare lubet sequentem, licet vere non tam ratione soporis, quam ratione Continuitatis acquisitæ, aliorumque symptomatum periculosa evaserit. Sed quo in ea proclivitas in somnum fuit symptoma fere continuum, nec leve, præcessitque Febrem ipsam Comatosus affectus gravis, ideo illius historiam coronides loco ad hanc soporosarum speciem placuit revocare.

Illustrissimus, & Reverendissimus Episcopus Urbis nostræ D. *Ludovicus Comes Masdonus*, septuagesimumsextum agens ætatis annum, Nephritidi obnoxius, Rheumati, & Podagræ, post duos insultus levioris Apoplexiæ, in non levem totius sinistri lateris paraplegiam commutatæ, Tertiana subinde correptus est, Intermittente quidem, sed duplici. Cum vero longe ab Urbe degeret, quo se contulerat ad mutandum aerem, neque ibi assiduum plane haberet curantem Medicum e propinquiore Civitate accitum, Virum cæteroqui diligentem, ac Doctum, sed cujus opera se non admodum indigum reputabat, res eo devenit, ut Febris suas quidem patenter servaret Exacerbationis, & Remissionis vicissitudines, sed non perfectam amplius attingeret solutionem. Interim somniculosus ille assidue jacebat, viribus summe destitutus, & summe pariter emaciatus, longe ab habitu suo naturali. Status illius Sereniſſimo Duci relatus movit animum Celsitudinis suæ, ut me mitteret ad invisendum decumbentem Præsulem, quem reperi vix transacta decimaquarta morbi die febricitantem intense in vigore Exacerbationis, remisse autem aliis temporibas. Interea tamen præter soporem non quidem profundum, sed fere continuum maximam observavi quovis tempore linguæ ariditatem, quam comitabatur loquela ob id nonnihil difficilis, vox, ut dici solet, clangosa, urina impense rubra, & quantitatis perexiguæ, ac tandem singultus. Imbecillitas Ægri me paulisper detinuit ancipitem, an illium exponerem itineri, ut in Urbem Lectica vectus transferretur. Deo tamen dante satis feliciter factus est redux; vixque elapsa imminente nocturna Exacerbatione, statim illi oblatus est Peruvianus Cortex *ad drach. j.*, die videlicet 15. Julii 1710. vespertinis horis. Sequenti die repetitus est mane tantum ad *scrup. iv.*, cæteris vero diebus *ad scrup. ij.*, primo bis in die, deinde semel tantum, eo quia prima statim Febrifugi oblatione admodum enervata, & paullopost omnino abolita remanserat Exacerbatio periodica. Quia vero non plane extincta erat Febris, quæ secundum tenues sui reliquias assidue perseverabat, & cum ea rubor, ac paucitas urinarum, linguæ ariditas, & ipse nonnunquam singultus, ideo brevi quiete interposita iterum renovatus est usus Remedii *ad scrup. ij.* quotidie usque ad complementum *unciarum duarum* a principio ad finem morbi: quibus absumptæ quoque sunt Febris reliquiæ, & fugata connexa symptomata, itaut hoc uno auxilio, & interjecto clysmatum usu sine ulla purgatione, aut sanguinis missione (quæ duo notatu digna) non modo sit restitutus in pristinum sine ulla recidiva, sed & adeptus habitum corporis meliorem, atque pleniorem ac antea digniſſimus Antistes, cum universali totius Civitatis, Gregisque sui lætitia, & plausu.

CAPUT IV.

Aliæ insignes Historiæ, ab Amicis communicatæ, variarum specierum Febrium Perniciosarum, curatarum ope Chinæ Chinæ *nostra Methodo administratæ.*

NE FIDEI tantum nostræ innixa prodeat in apertum veritas eorum, quæ ad ostendendam efficaciam Chinæ Chinæ nostra Methodo administratæ summo hucusque candore protulimus, haud erit incongruens, Historias aliquot Curationum non minus insignium, ex alie-

nis

na quoque fide, ac experientia depromptas, in medium afferre non in vanam quandam ejusdem Methodi gloriolam, sed in publicam utilitatem, & unius testimonium multiplex veritatis. Quoniam vero qui præ cæteris talem Methodum amplius sunt, & experti perutilem in Febrium Pernicioſarum periodicarum curatione, fuere ii, quos quondam ut Filios amore, & disciplina colui, modo honore ut Socios, & Collegas (quemadmodum eos pariter colit & Lyceum, & Civitas) illorum propterea hac in re præ multis expertorum, ac omni fide dignorum, Historias quasdam mihi humaniter communicatas peculiari hoc, & sejuncto Capite placuit propriis nuperrime recensitis adnectere.

Per hoc autem quod duos tantum Professores, Methodum meam, (& quod magis refert) occasionem, ac opportunitatem eadem utendi in Pernicioſis præsertim Febribus apprime callentes; præ aliis selegerim, nolim argui, quod desint in hac Urbe quamplurimi, qui China China frequenter utantur primæva præcipue Methodo in vulgaribus saltem, ac diuturnis Intermittentibus; perpauci enim modo sunt ii (licet sint aliqui) quibus plane exosum sit istud Febrifugum. Immo addam, nec deesse quoque Ingenuos aliquot, qui cum viderint, aut intellexerint fauſtos, qui ab anno 1695. in hanc usque diem mihi pluries obtigerunt eventus ex liberaliore dosi Chinæ Chinæ in arduis jam memoratis circumstantiis oblatæ; consideratis ab eo tempore majori animi contentione, majorique fiducia ac antea iis omnibus, quæ cohærenter ad experimenta mea sibi visa reperere apud alios etiam Auctores, Peruviano Cortice viriliter utentes, suam tandem sibi Methodum comparare cœperunt, qua non contemnendas identidem curationes per Chinam Chinam absolvunt. Hos inter peculiari, & honorifica mentione dignus occurrit *D. Davinius*, Aulicus Collega meus Eruditissimus, qui paulopost exactam mihi feliciter anno prædicto 1695. ipso interveniente, *D. Comitis Nogarolæ* Curationem *Lib. 3. Cap. 6.* descriptam, aliasque plures, illo nedum præsente, sed & concurrente absolutas, quas nuper *Cap. 2. hist. 1. 3. 9. 14. & 16.* retuli, Methodum ampliorem, ac profitereatur ante, cœpit amplecti, media scilicet copiosioris Corticis infusione intra copiosum liquorem partitis vicibus absumendum, ut Galli docent, Anglive Auctores: qua Methodo curationes cæteroqui difficiles non sine sua, ut pluries fassus est, admiratione ad bonum exitum postea perduxit. Ab hac deinde Praxi ad Theoreticas considerationes conversus, Lucubrationes quasdam in tutamen hujusce Febrifugi, *Hectoreo* plane robore conflatas, tum Latino idiomate, tum Hetrusco conscripsit, easque proprio velato nomine intra annum 1708. Diario litterario, quod tunc sub titulo *Musei Minervæ*, vulgo *Galleria di Minerva*, Venetiis cudebatur, voluit insertas, meisque etiam experimentis, & curationibus (meo licet, ut par erat, sicuti & proprio suppresso nomine) corroboratas. Cum tamen nuperrime præclarum aliquem Casum hic inserendum ab eo expetierim, intentum assequi a modesto Amico nullatenus licuit. Atque ita illius modestia, ni semetipsam laude promerita, meum saltem Tractatum ulteriori auctoritate fraudavit.

Liceat nihilominus vim quodammodo aliquam officiose, prout amicum decet, eidem inferre, & ex iis ipsis Lucubrationibus, quas vere se scripsisse mihi olim fassus est, prostantque sub nomine *Hectoris ex Valle* in antedicti *Diarii Tomo sexto*; quidpiam saltem excerpere, quo mea nedum confirmentur asserta, sed & quædam dissipetur caligo, quam iisdem undequaque veris posset quadantenus offundere involuntarius nescio quis error, sive (ut ipse domesticæ suæ Academiæ morem servans loqui consuevit) *Hallucinatio* quædam, quæ forte eidem de minutulis circumstantiis minus solicito irrepsit, retractis videlicet eo loci ad inferiora tempora meæ Praxeos initiis: quæ sane chronographica variatio communem quodammodo repræsentans eandam praxim meam, plane tunc Mutinæ singularem, & cæteris omnibus incompertam, cum praxi conterraneorum Medicorum illam aperte potius tunc improbantium, non parum mihi faceſſit negotii, de factorum, dictorumque meorum veritate servanda omnique delenda contrariæ suspicionis umbra prout hominem probum, honestumque decet, solicito, ne forte turpem notam Nebulonis, aut Impostoris, quasi pro meis aliena venditans, subire periclites.

Etsi vero leviora hæc persequi speciem quandam garrulitatis præseferat nemini pro-

profuturæ; malo tamen, fando quæ vera sunt, delicatulus nimium apud Catones videri, quam silendo mendax apud Momos, & Zoilos. Meæ potius me pœnitet inconsiderantiæ, qua mihimetipsi necessitatem quandam regerendæ hujusmodi Cantilenæ, nil tale prænoscens, imposui tunc enim primam inventionem curandi per Chinam Chinam Febres Periodicas perniciosas *in Urbe mea*, mihi uni, ut ferebat veritas rei, utque notorium erat apud nos omnes, libere, & candide ascivi, atque ut quid vere meum (quicquid illud erat) in publicam utilitatem proferre; & dono libenter dare ingenua facilitate cordis pluries asserui, in prima scilicet editione hujusce *Therapeutices*, tum præfando ad Lectorem, tum in ipso Tractatus limine, tum denique magis expresse *Cap.* IV. *Lib.* III. Sed quænam quæso gloriola foret isthæc, ut eam reluctante veritate, vana quapiam impotentia animi tunc affectasse credi possim, postquam ibidem apertis literis fassus sum, Methodum meam, quantumvis in Praxi utilissimam, & in successibus sæpe admirabilem, ortum tamen suum traxisse ab experimento fortuito, nulla doctrina, nullaque sublimi perspicacia mentis, sed paucula tantum industria mea comparato, cui etiam experimento similia habuisse subdidi ante me *in Urbe sua* (me quidem patenter inscio) *Richardus Morton?* Quia vero fuisse me hujusce rei Auctorem primum *in Urbe mea*, effatum est, quod veritati ad amussim consonat, quædam modo me cogit necessitas, ut dubitationes omnes removeam, quas circa hoc scriptis olim suis præter intentionem Amicus cæteroqui favere intendens, nonnullis forsan, ut subaudio, haud satis gnaris potuit incutere, priusquam curationum historias ab aliis Amicis, qui meam tunc Methodum illico sunt amplexi, communicatas subnectam.

In præcitato igitur *Diario* anno 1708. Venetiis impresso series quædam visitur quindecim *Epistolarum* de Chinæ Chinæ viribus, datarum partim sub anno 1696. partim sub anno 1697. Italico idiomate ab eo conscriptarum (*Latinam Dissertationem Academicam* ejusdem Auctoris, & de eadem materia datam *Mutinæ* anno 1699. ibique pariter insertam pag. 119. hic prætergredior) quarum titulus est -- *Abbagliamenti Medicinali d' Ettore dalla Valle sopra gli effetti della China China* &c. -- In earum itaque prima data sub die 21. Novembris 1696. *pag.* 237. ejusdem Diarii hæc leguntur -- *Quest' anno dall' uso della China China qui si sono veduti effetti maravigliosi. Due tra gli altri, ch' avevano Febbri acute ridotti all estremo con polso smarrito, e freddo esterno universale, che ha durato de' giorni intieri, per mezzo di questo rimedio copiosamente bevuto in vino, si sono tolti quasi di braccio alla Morte. Gli afflitti poi dalla quartana hanno in sì breve tempo ricuperato l' appetito, il sonno, e le forze, che s' io non fossi testimonio di vista, nol crederei. Nella China China pare ritrovato il riparo non solamente alle Febri croniche, ma quasi alla Morte, e dalla felicità de' successi ha preso tanto di credito appresso li Medici, e Cittadini, che nelle Febbri maligne, vicino all' estrema Unzione, di quella si vagliono, come unica, ed ultima speranza de' disperati* &c. In margine autem ipsius Narrationis ex se indeterminatæ sequentes sunt annotationes peculiares e regione impressæ -- *Sig. Conte Nogaroli* -- *Sig. Antonio Mariæ Zani* -- *Signor Conte di Marsciano* -- *Padre Lettore de' Cappucini &c.*

Atque ut a Narratione exordiar, ex ea confirmatur aperte quod nuper retuli, scilicet Medicos hujus Urbis, etsi tum conscios de experimentis meis, & de noviter per illa detectis Chinæ Chinæ viribus, nondum tamen conscios satis fuisse Methodi meæ, nec Febrium specialium, in quibus ea locum haberet: immo neque evasisse conscios tempore, quo impressa fuit Epistola isthæc, sub anno quidem 1696. data, sed anno tantum 1708. in lucem, edita, nulla ulteriore addita limitatione, quæ cæteroqui probabiliter fuisset addita; si tunc saltem satis nota extitisset nostratibus Medicis praxis mea. Nec enim in maligis promiscue Febribus, neque in Ægrotis omnibus desperatis; ac morti proximis, ut indicare videtur ipsa narratio, sed solum in iis, quibus ex Pernicioſa quapiam Periodica Febre id contigisset, mihi mos erat China China uti peculiariter administrata: quod satis palam facit Tractatus meus universus, cujus proinde scopus fuit, quemadmodum in prima illius editione pluries sum protestatus, ad tollendas hujusmodi hallucinationes etiam tum (utinam non etiamnum) vigentes circa factum, ejusque modum, Pernicioſas, seu malignas Febres, in quibus China China vere prodest, in suas

spe

ſpecies dividere, & ab iis, in quibus non prodeſt, diſcriminare, methodumque ſimul tradere Febrifugum hocce ſpecialiter in iiſdem adminiſtrandi.

Per eamdem inſuper Narrationem videtur liquere, Medicos Urbis noſtræ operum Chinæ (illam me præſcribente) tunc Spectatores, uſque tamen activitatis illius ſemper uniformis in praxi, fuiſſe jejunos, tempori ſcilicet, aut peculiari Conſtitutioni identidem adſcribentes, quod conſtanti illius virtuti, & peculiaris adminiſtrationis modo, præ cæteris vero noviter detecto lumini tum in conjectanda ulteriore Chinæ Chinæ energia, tum in dijudicandis Febrium omnium eadem curabilium ſpeciebus, debuiſſet adſcribi. Id omne deduci poſſe videtur ex verbis illis -- *Queſt' anno dall' uſo della China China qui ſi ſono veduti effetti maravigliosi*; operatio ſiquidem Chinæ Chinæ non eſt alligata talibus, vel talibus temporibus, ſed talibus, ac talibus Febribus, & tali, ac tali modo illam in iiſdem exhibendi. Quod ſi frequentius una Conſtitutione ſuccedunt admirabiles illius effectus, quam alia, id accidit præciſe, quia una Conſtitutione magis quam alia regnant febres quædam Periodicæ malignæ, atque præcipites, una China China certo domabiles, eæque ſimul incidunt in manus Medicorum tum earum naturam, tum Febrifugi rectam adminiſtrationem callentium. Cæterum effectus mirabiles, qui tunc fuere Mutinæ obſervati, obſervati quoque fuiſſent antea, ſi antea fuiſſet Mutinæ compertum, quod ejuſmodi febres poſſent China China curari, ſimulque comperta fuiſſet Methodus illam peculiariter pro earumdem curatione uſurpandi, ut millies obſervati deinceps ſunt iidem effectus, poſtquam hæc omnia favente Deo ipſe detexi, & pro bono publico promulgavi. Tantum autem abeſt, quod quicquam ex his fuerit Medentibus noſtris compertum, quin potius ipſa vulgarium Intermittentium, puta Quartanarum ec. completa, felixque curatio per Chinam Chinam ordinaria eorum temporum methodo oblatam obtenta, pluribus tunc eſſet admirationi magis quam uſui; quod de ſe ipſo ſincere fatetur Relator ingenuus, cæteroqui in Arte medica verſatiſſimus, & Peruviano Cortice utens, verbis hiſce ob candorem ſuum Cedro digniſſimis -- *Gli affiitti poi dalla Quartana hanno in sì breve tempo ricuperato l' appetito, il ſonno, e le forze, che s' io non foſſi teſtimonio di viſta, nol crederei.*

Tandem ex ejuſdem narrationis textibus ſimul collatis eruitur, quod anno 1696. noſtrates Medici nondum aliud perceperant (atque hoc tantum percepiſſe eſt pauculum quidem) niſi quod curationes a me peractæ anno præcedente, quæque in dies peragebantur, & quarum rumor ob inſuetam novitatem in Arte per Urbem univerſam circumferebatur, fiebant a me ſola China China doſi majore ac eſſet in uſu ægris pluribus prope morituris exhibita, nec quicquam amplius, quia nil amplius meæ Schedulæ in Pharmacopoliis cuique proſtantes demonſtrabant; ego vero nedum id Medicis amicis, forſan & non penitus amicis, pro bono publico ſponte, ac ſincere aperiebam; ſed & regulas, & modum rationalem felicis oblationis illius, dummodo Febrium natura ex ſe ferret uſum remedii, in quibuſdam tantum, utut lethalibus, admirandi, in quibuſdam aliis, utut mitioribus, inutilis, & in aliis quibuſdam incerti. Sed quia hæc omnia ſcitu neceſſaria in Conſultationibus, & familiaribus colloquiis a me tam caute, tam urbane, tam comiter declarari nequibant, quin tandem deberent expreſſe doceri; parum diſpoſitos idcirco reperi ad ea attente, ac benigne excipienda promiſſæ barbæ Auditores; adeoque mirum non eſt, quod perperam putarint nonnulli voci publicæ magis auſcultantes, quam meæ, poſſe ſervari per Chinam Chinam tumultuaria, ac ſine lege in vino copioſe epotam omnes fere quibuſvis acutis, maligniſve febribus detentos, etſi deploratos, ac morti proximos, idque forſan æque perperam in praxi tentaſſe, quemadmodum videtur innuere citata narratio verbis illis, non aliud, quam copiam Febrifugi pro medela univerſali indicantibus -- *per mezzo di queſto Rimedio copioſamente bevuto in vino* -- & paulo poſt -- *nella China China pare ritrovato il riparo non ſolamente alle febbri Croniche, ma quaſi alla Morte; e dalla felicità de' ſucceſſi ha preſo tanto di credito appreſſo li Medici, e Cittadini, che nelle Febbri maligne vicino all' eſtrema unzione, di quella ſi vagliono, come unica, ed ultima ſperanza de' diſperati* -- Ex oppoſito neque mirum eſt, quod nonnulli alii cohærenter ad priorum fallacem conjecturam putantes, me vere indiſcriminatim tunc omnibus

nibus Ægrotis ex quacunque acuta, vel maligna febre ad extrema redactis Chinam Chinam offerre consueviſſe, & quidem perpetuo in vino (cum tamen modo in vino, modo in Aquis ſtillatitiis, modo in forma ſolida conſueverim pro re nata præſcribere) mirum inquam non eſt, quod de praxi mea tunc obmurmurarint, illamque modis variis traducendo tentarint evertere, eo ipſo forſan tempore, quo clam, ſed inconcinne imitantes, optato identidem fraudabantur eventu. Mirum potius eſſet, ne dicam ridiculum, ſi nec hodie eandem ſatis callentes, quia forte non ſatis callentes naturam febrium, poſtquam non poterunt evertere, nec bene aſſequi, crederentur tamen illius Inventores in hac Urbe primi; taleſve credi affectarent, aut paterentur. Et hæc quo ad ſenſa narrationis non aliud, ſi rite perpendantur, quam dictorum, factorumque meorum confirmationem continentia, nec niſi votis ad favorem propenſis ab Amico, qui primæ Pernicioſarum curationi anno 1695. mihi peractæ ſtupens interfuit, exarata.

Ex notis vero prædictæ narrationi appoſitis confirmatur pariter exitus felix modo memoratus curationis per Chinam Chinam a me primo abſolutæ in generoſo quondam Viro *D. Comite Bailardino Nogarola*, ex triplici Quartana pernicioſa ad extrema redacto: cujus tamen Febris ſymptomata (parcat quæſo Relator certe non ſatis memor) nequaquam fuere *perfrigeratio univerſalis*, *nec pulſus abolitio*: ut in precitata narratione videtur innui, ſed *profundiſſimus lethargus*, *ſingultuſque violentiſſimus cum motibus per Corpus univerſum tremulis*, *& convulſivis*, quemadmodum ex deſcriptione mea habetur *Lib. III. Cap. VI.* Non tamen negaverim accidentia perfrigerationis univerſalis, & abolitionis pulſûs anno vere 1696. (qui fuit annus ſubſquens curationi *D. Co. Nogarolæ*) potuiſſe forſan contingere *Secundo* ex Ægrotis ibidem relatis, ut eo anno contigit aliis pluribus a me deſcriptis, quos inter *D. Marchio Gallianus de Coccapanis*, & *D. Joſeph illius Frater* immo & *ego ipſe*, ut in hiſtoriis prima, & ſecunda Capitis ſecundi, atque prima Capitis primi hujuſce Libri per extenſum narravi.

Diſcrepantia potior, & gravioris momenti, ut obiter nuperrime tetigi, verſatur circa tempus prædicti experimenti mei in præcitato *Comite Nogarola* primum habiti: eventus, ſiquidem ille contigit, non anno 1696. ut contingere alii cum eo acervatim in notis prædictis enunciati, ſed anno 1695. Menſe Septembri quemadmodum a me relatum fuit in prima editione hujuſce Tractatus *Lib. III. Cap. VI.* excerptumque fideliter ex Scheda originali hiſtoriæ per *D. Co. Aloyſium* ſanati Equitis filium ſubſcripta: cujus præciſi temporis plures extant circumſtantiæ plane innegabiles, ſcriptæque memoriæ tam in Urbe, quam in Aula facillime petendæ ex iis omnibus, quæ idem *D. Co. Bailardinus* ante, & poſt ægritudinem ſuam palam, publiceque peregit; præterquam quod contemporanea fuit curatio viri Patricii *D. Geminiani Levizzani* deſcripta jam *Lib. I. Cap. X. Hiſt.* XVI. nec non alia longe memorabilior immediate ſubſequuta in *D. Marco Martini*, & relata hnjus *Lib. Cap. II. Hiſt.* IV. eas namque omnes æqualiter ſucceſſiſſe conſtat anno 1695. a quo tempore praxis hæc mea exordium ſumpſit, & ante quod tempus nemo certe *in hac Urbe* pernicioſarum periodicarum curationem per Chinæ Chinæ adminiſtrationem noverat; nec quemquam adeo perfricatæ frontis reperiri poſſe crediderim, qui audeat oppoſitum effutire. Aliud eſt enim, quod quiſpiam forte apud nos, vel etiam alibi curaverit media China China aliquam ex hujuſmodi Febribus ante ſeram promulgationem Tractatus mei, nonniſi anno 1712. in lucem editi, ſcilicet poſt exercitam a me publice per annos 17. praxim in eodem Tractatu tardius expoſitam, adeoque aliud eſt, quod curaverit, me centies ac centies viam præmonſtrante; aliud eſt, quod id egerit ante me, nempe ante annum 1695. tunc enim revera vix apud perpaucos e noſtris in uſu erat, ut ad Lectorem præfatus ſum olim, Chinam Chinam exhibere, & quidem more vetuſto, ac in diuturnis tantum intermittentibus omni acutie, atque pernicie carentibus; nec enim aliter antea facitabam & ipſe.

Quoad alios caſus in eodem margine annotatos nil habeo quod addam; cum enim anno vere 1696. idem evenerint, ſemper magis aſſertionum mearum veritatem roborant. Revera caſus *D. Antonii Maria Zanni* a me ipſo relatus eſt *Cap. I. hiſt.* viii. *hujuſce Libri*: mihi namque eam curationem aſcivi, quia, ut ibidem retuli, eam *D. Cervio* illum curanti

ipſe

ipſe ſuggeſſi eodem tempore, quo egomet per idem remedium a Pernicioſa Diaphoretica ſupra enunciata evaſeram, ipſo *D. Cervio*, & *D. D. Davinio & Ramazzino*, mihi faventibus, meoque quod in propria cauſſa molitus eram tentamini, facile annuentibus.

Hiſtoria pariter Febris *D. Comitis Ludovici de Marſciano*, quæ paulopoſt meam convaleſcentiam contigit *D. Davinio* curante, D. vero *Ramazzino & me* ſuperaccitis, ea in quam ipſa vere contigit anno 1696. & a me deſcripta fuit *Lib. I. Cap. X. hiſt. xiii.* Eam vero Febrim inter benignas intermittentes, cujuſmodi re apſe fuit illa, ſimpliciter retuli, vulgari quippe uſu Corticis facile ſanatam, nec enim in ea quicquam notatu dignum, obſervare datum fuit, niſi facilem evaneſcentiam Tumoris in liene, qui depulſa per Corticem Febre ſtatim obliteratus remanſit.

De P. Lectore ex Cappucinorum familia per uſum Corticis anno itidem, ut dicitur, 1696. (forſan nonnihil ſerius) ſanato nullam habeo notitiam certam: ſiquidem eum ipſe neqnaquam curavi; ſi tamen is forte fuit quidam *P. Auguſtinus e Corrigio* in Cœnobio Mutinenſi Lector, & mihi cæteroqui notus, eum curavit *D. Davinius* per Chinam Chinam more vulgari exhibitam; a febre Tertiana (ni fallor) duplici, lenta ſolum, atque diuturna, ſi vero fuit ille quiſpiam alius, febriſque ipſa e genere Pernicioſarum, & per Chinam Chinam a quocunque curata, cum id anno pariter 1696. aſſeratur *Mutinæ* contigiſſe, me non potuit non habere prævium quicunque curationem illam peregiſſe dicatur.

Ex his patet, Curationes in prædicto *Diario* adumbratas, quatenus Periodicas Pernicioſas reſpiciunt (de vulgaribus enim nulla mihi ſolicitudo) ad meam methodum ab origine debere referri, quemadmodum ad eandem ſuas, longe licet ante primam editionem mei Tractatus exactas, ingenue referunt Profeſſores immediate infra ſubdendi: quorum tandem Hiſtorias mihi communicatas meis hactenus exaratis annecto.

HISTORIÆ COMMUNICATÆ ab Excellentiſſimo *D. Franciſco Clerico* in Lyceo, & Urbe Mutinenſi Pub. Med. & Chirurg. Prof.

UT primum mihi occurrit Synopſis Tua de Methodo exhibendi Corticem Peruvianum in Febribus quibuſdam Perniciosis, incidit in animum, Vir ſumme Colende, nonnullas hujuſce generis Febrium Hiſtorias tuis adjungere, cum earum China China expugnandarum Methodum didicerim a Te jam antea me in Praxim Medicam humaniter inſtruente; & præcipue eo tempore, quo D. Comiti Baiiardino de Nogarola *triplici Quartana Continua laboranti adſtiti, qui tunc ob morbi ferociam ab exteris etiam Medicis pro deplorato habitus, ſolo Peruviano Cortice Tua hac Methodo a Te ſolo feliciter adminiſtrato anno 1695. citra expectationem convaluit. Tanti Remedii, illudque propinandi, Methodi nunquam oblitus, quoties tulit occaſio, haſce Febres veluti jugulando, quamplurimos ab Orci faucibus eripui, præcipue anno elapſo, quo tempore, graſſantibus hujuſmodi Febribus, Medicus Xenodochii Militum ſæpeſæpius feliciter tanti Febrifugi vim expertus ſum.*

1. *Vir quinquagenarius, duplici Tertiana Continua tenebatur invadente cum frigore, & declinante cum ſudore; Hunc torquebat magnus æſtus, & ſumma jactatio, in Febris vigore ſitis inextinguibilis, dolor Capitis & Cardialgia, quæ per dejectiones biliosas qualibet vice ſolvebatur. Exhibitis omnibus iis auxiliis, quæ in Tertianarum curatione Ars Medica præſtare valet, & parum proficientibus; Febres iiſdem ſemper ſymptomatibus ſtipatæ vigeſimam uſque quartam diem attigerunt, qua peracta, conſueta Febre correptus eſt, ſed intenſiori, & longiori ſrigore, & cum fuit circa ſtatum, in tam profundam lethargum incidit, ut adhibitis validioribus cruciatibus, cum ſudore copioſiſſimo prerfuſum, ac ſtertentem, nullo modo expergiſcere licuerit. Tota nocte hoc pacto ſe habuit, matutinis vero horis parumper remiſſa eſt cum ſymptomatibus Febris; hinc metu ne altera adveniente acceſſione e medio tolleretur,* drach. vj. *Corticis Peruviani in vino generoſo præſcripſi, quo aſſumpto altera die vix febricitavit, & ſic tertia, & quarta ſequenti, intra quam omnino evanuit Febris; Hoc tamen non obſtante per alios octo dies ejuſdem Corticis* drach. j. *quolibet mane aſſumebat. Circa ſextam ab infebricitatione diem apparuit ad aurem ſiniſtram Parotis, & poſt octavam altera ad dexteram, quibus retroceſſis, denuo irregulares Febriculæ Patientem infeſtarunt, quæ tamen Corticis ejuſdem uſu*

evanuerunt, & Æger priſtinæ ſanitati reſtitutus eſt.

II. Miles Tertiana ſimplici cum frigore, vomitu, & diarrhœa correptus eſt: quarta die; quæ vacua eſſe debuerat, recurrit Febris, & quinta ſævis adeo ſtipata ſymptomatibus acceſſit, ut ſingultus, pulſus parvus, & frequens, algor in univerſa cute, intus ſummus æſtus, ſudor frigidus, & dilutus uno ictu apparuerint, unde nova recurrente acceſſione Ægrum certo certius moriturum putavi. Cognita ergo Pernicioſa Febris conditione, Corticis Peruviani unc. ſs. Ægro propinavi, & per tres ſubſequentes dies drach. j., quibus completis, ceſſantibus ſupradictis ſymptomatibus, a morbo omnino evaſit, & quarta poſt Chinam Chinam aſſumptam die per Xenodochium deambulantem inveni. Cum vero alvus eſſet adſtricta, me inſcio, unam ex Pillulis quam Ægrotantibus ad ſolvendum ventrem, prout neceſſitas poſtulabat, exhibere conſueveram, ab adſtante deſumpſit, & altera die ab aſſumpta Pillula iterum acceſſit Febris cum tanta ſymptomatum vehementia, ut certe moriturus videretur, dum ſine pulſu, frigidum, ſudore diaphoretico madefactum, cum reſpiratione frequenti, & abſque loquela inſpexerim. Iterum Corticis Peruviani unc. ſs. exhibui, & per quatuor ſequentes dies ſcrup. ij. deinde loco alterantis ſcrup. j. per octo alios dies, & Æger ab aſſumpto Febrifugo paulatim perfecte ſanitati donatus eſt.

III. Gibbus quidam, unus ex Aſſiſtentibus Xenodochii Militum, dum Febres hujus naturæ graſſabantur, Tertiana ſimplici corripiebatur: quinta die de ſtomachi dolore conquerebatur; declinante vero Febre cum ſudore bene ſe habebat. Sexta die, quæ intermiſſionis futura erat, denuo invaſit Febris cum alvi fluxu, & intenſiori ventriculi morſu; hac vero declinante omnia ceſſabant. Septima morbi die tanto impetu recurrit Febris, ut acerrimo dolore ad Ventriculum, & Inteſtina excitato, ſanguinem per ſuperiora, & inferiora ejiciens, frigido, viſcidoque ſudore perfunderetur, & inde vox clangoſa, pulſuſque fere nullus perciperentur. In tam præcipiti Caſu ſtatim Cortitis unc. ſs. exhibui, quam rejecit; iterum eandem doſim, ſed partitis vicibus propinavi, & poſt hanc vomitus ſedari omnino, ſanguis per inferiora imminui, & aliquantulum reſici pulſus videbatur. In noctis progreſſu cætera ſymptomata paulatim remiſſa ſunt, licet ferme cadaver eſſet Æger. His ſtantibus, per ſubſequentes dies ad ſcrup. j. Corticis præſcripſi, & quarta die Febris evanuit; hinc per alios octo dies ad ſcrup. j. propinavi, & interim præter quoque mei expectationem integre convaluit.

IV. Aurifex Febre Tertiana duplici continua corripiebatur, quæ uſque ad octavam diem regulariter proceſſit; in invaſione enim frigus aderat, magnus æſtus, & ſitis in ſtatu, & ſudor in declinatione, licet nunquam ad infebricitationem deveniret. Perpetuam tantum, & tantum contumacem vigiliam, ac corporis agitationem obſervavi, unde bis repetita ſanguinis miſſione, & exhibitis iis remediis, quæ Ars ſuggerit, nunquam meæ occurrit menti, fore ut ille nova adveniente Febre de repente periclitaretur. Sed veſpere Ægrotantis cubiculum ingrediens, eum inviſi decubitu ſupinum, convulſum, brachiis contractis, & oculis apertis attonitum. Vocatus non reſpondebat, pulſus erat parvus, & frequens, reſpiratio brevis, & difficilis, & omnia mortem minantia. Dum cucurbitulis, vel frictionibus ſub plantis pedum, vel exhibitione ſpiritus Salis ammoniaci cruciabatur, cervicem attollens, & brachia quaſſando, in clamores tantum erumpebat. Statim unc. ſs. Corticis præſcripſi, quem ſummo cum labore (expers enim erat mentis, & convulſus ore) propinavi. Totam noctem in tam deplorabili ſtatu tranſegit; mane declinante Febre ſupradicta ſymptomata parumper declinarunt, Ægerque mentis compos Adſtantes cœpit cognoſcere: unde denuo pro tribus vicibus drachmam Corticis præſcripſi, dein ſucceſſive drachmam ſemis per aliquot dies, & tunc temporis ceſſante Febre una cum omnibus ſymptomatibus, a morbo lento pede ſe reſtituens, optime convaluit.

V. Miles poſt triduum ab invaſione Febris deferebatur ad Xenodochium, quem dum inviſi, ante veſperas obiturum certe credebam. Interrogatus ægre reſpondit: quartam eſſe ſui morbi diem, & Febrem primam, & ſecundam acceſſiſſe cum frigore pariterque cum ſudore evanuiſſe; tertia vero die denuo correptum ſe a Febre cum frigore tamen minori, pauco calore ad exteriora, ſed maximo ad interiora, & poſt octo, aut decem horas ab acceſſione apparuiſſe ſudorem copioſius emanantem. De quarta vero Febre, qua tunc laborabat, ſe nihil ſcire aje-

ajebat, niſi quod peſſime habebat. Tunc ego pulſum tangens, quomodo haberet neſcivi, cum ne primam quidem pulſationem enumerare potuerim: carpum enim tractans glaciem tangere mihi ſum viſus. Talis erat Ægrotantis ſtatus; jacebat nempe ille ſine pulſu, ſudore frigidiſſimo, & copioſo per totum corpus perfuſus, & tanta ſingultus frequentia irritatus, ut vix verba facere poſſet. Cardialgia, & Ventris torminibus cruciabatur, dejectiones nigricantes, ac ſanguine immixtas reddebat, eaque die pluſquam quinquaginta ſedes habuerat. Totum corpus puſtulis lividis, & nigricantibus coopertum, facies cadaveroſa, lingua arida, ſitis inextinguibilis, urinæ nullæ, ſumma jactatio: uno verbo, tanta erat ſymptomatum congeries, & ferocia, ut abſque dubio brevi moriturus cunctis videretur Ægrotus. Interim quid agendum dubitavi, cum deeſſe tempus exhibendi Remedii metuerem, eo raptum ad mortem properante: nihilominus de Corticis innocentia certus, ſtatim ejus drach. vj. *in Vino generoſo infuſas propinavi, & iterum veſpere* drach. j. *Mane de eventu curioſus ad Xenodochium me contuli, & Ægrotantem aliquantulum calefactum, cum aliquo, licet exiguo, pulſu inveni, & ſudorem, ſingultum, dejectiones ſanguineas, & omnia ſupradicta ſymptomata remiſiſſe comperii: unde continuato Febrifugi uſu* ad drach. j. *ſingulis ſubſequentibus diebus, intra paucos dies omnino a Febre evaſit. Sexta die ad anum tumor apparuit, qui ſuppuratus, & expurgatus cicatricem admiſit, & Patiens priſtinæ ſanitati reſtitutus eſt, nullamque paſſus eſt Recidivam.*

Quamplurimas alias harum Febrium Hiſtorias Tibi communicandas haberem, Vir Egregie, quas lubens omitto, ne pagina ſuccreſcens locum Obſervationibus tuis eripiat, quæ miram hujus Remedii methodice, ut Tibi mos eſt, atque efficaciter adminiſtrati, vim abſque aliorum calculis ſatis ſuperque evincent.

HISTORIÆ COMMUNICATÆ ab Excellentiſs. *Ferrante Ferrario* Mutinenſ. Profeſs. Eruditiſs. & in Exedra publica meas vices ſupplente.

POSTULAS a me, Clariſſime, ac Humaniſſime Vir, Caſus aliquos, quos China China utenti obſervaſſe mihi contigerit in Praxi, & jam libentiſſime obedio. Vetum tui quoque ſunt, quos nunc ſcribo; Horum enim alios Te conſulente, alios, Te Methodum tuam mihi jam antea communicante, curavi. Debet Tibi Urbs noſtra felix hoc de Peruviano Cortice periculum, cum pro Febribus Perniciosis expugnandis mirum hunc certumque Remedii modum apud nos tentaverit nemo. Debeo Ego Tibi quidquid debent cæteri; Cum tamen id, quod publici juris jam fecerat Curationum tuarum felicitas, intimius mihi amor, & ingenuitas tua aperuerit, in communi beneficio fortiori præ cæteris vinculo obſtrictus ſum Tibi. En ergo Caſus aliquos ex iis, quos in uſu Corticis, pro Febribus quibuſdam Perniciosis curandis, mihi datum eſt obſervare.

I. Anna Campagnoni *mulier valetudinaria, & doloribus uterinis ſæpeſæpius obnoxia Menſe Julii Anno* 1706. *Febre corripiebatur cum rigore, & vomitu. Vocatus poſtera die, ut curarem, bene habentem inveni, nempe omnino ſine Febre, cum pulſu valido, hilarem, & nil de incæpto morbo ſolicitam. Tota eadem die, quæ morbi erat ſecunda, ita ſe habuit; unde ex iis, quæ evenerant, facile fuit de Tertiana Intermittente judicium ferre. Poſtero mane circa meridiem Febris iterum invaſit cum aliquo ventriculi morſu, & vomitu bilioſo, licet perpauco, durante tamen per plures horas irrito vomendi conatu. Pulſus in longum tempus parvus attamen circa veſperam omnino elevatus, Febre per ſudorem univerſalem optime remittente. Præſcripſi pro venturo mane leviſſimum medicamentum ſolvens, paratum nempe* ex olei amygd. dulc. rec. expreſſi unc. iij., Mannæ elec. unc. ij. & decoc. cordial. fol. q. ſ. *ex quo aliqua ſequta eſt alvi dejectio, & melior Ægra referente, ſtomachi ſtatus. Tota eadem dies ſine Febre acta eſt. Mane tribus ante meridiem horis invaſit iterum, cum levi quidem rigore, & vomitu fere nullo, ſed maxima cum agitatione, & per horas plurimas minutiſſimo pulſu. Creſcente veſpere, & magis increſcente nocte pulſus ſolutus eſt, & cætera remiſſa ſunt ſymptomata. Cardiaca pro tunc præſcribebantur Remedia, & mane dum omnia forent placida, miſſus eſt ſanguis ex pede, Ægra nil morbum ſuum timente, ne tamen de eodem ſatis incerto. Ejuſdem diei veſpere febricitanti aliquantulum, jactabunda fuit, & tota nocte inſomnis. Mane dum inviſebam, cum pulſu ſatis celeri inveniebam, cum magna fa-*

ciei mutatione, & virium detrimento. Suſpicatus tunc Perniciem Febris, timui mecum ipſe feram, quæ deinde inſurrexit, tragœdiam; cumque circa meridiem redirem, tactu valde frigidam, cum pulſu minutiſſimo, & vix perceptibili, cum anxietate magna, & frequentibus deliquiis, facile tamen per Aquam Cardiacam, quam præſcripſeram, repreſſis, inveni. Duabus elapſis horis redii iterum, & univerſo corpore algidam, diaphoretico ſudore perfuſam, ſine pulſu omnino, anhelam, & facie cadaveroſa, lugentibus Marito, & filiabus, morituram comperii. Territus omnino, de miniſtrandis Sacramentis tantummodo ſolicitus fui, propinaturus poſt hæc, licet citra ſpem, febrifugum. His adminiſtratis, illico hauriendam exhibui Chinæ Chinæ lemunciam *ex Vino, deinde facta alterius* lemunciæ *infuſione, ejus poſt horas quatuor dimidiam portionem, & poſt alias quatuor alteram dimidiam propinavi. Vixit præter ſpem omnium, & meam quoque uſque ad horam noctis ſextam morienti ſimilis. Ex eo tempore melius habere cœpit inſurgente pulſu, & viribus reſtauratis. Mane viſa eſt reviviſcere, & increſcente die magis convaluit; idcirco, repetito poſtmodum per plures dies febrifugo, omnino curata eſt. Alteram intra Menſem Recidivam duplicis Tertianæ paſſa eſt, qua brevi per communem Methodum liberata eſt, & vixit perfectiſſime ſana.*

II. D. Catharina Zanni *annorum LXV. Menſe Auguſti anno* 1706. *Febre correpta eſt. Invaſerat hæc cum frigore, & vomitu, cumque per diem protraheretur, credita fuit a Domeſticis Febris quædam, ut ajebant, Catarrhalis, qua affici alias conſueverat. Cum tamen tertia die repeteret, vocatus valida Febre laborantem inveni. Mane altero cum non adhuc omnino remitteretur, præmiſſo Clyſtere, ſanguis ex brachio detractus eſt. Recruduit eadem die poſt meridiem Febris, cumque poſtera dies majoris futura eſſe afflictionis videretur, cum de tertio in tertium fortiores, & magis præcoces fierent acceſſus, nil aliud præter cibum, & mature quidem, oblatum eſt. Rediit paulo poſt Febris cum frigore, deinde cum mordaci ad tactum calore, & aliqua interdum bilis per ſuperiora excretione. Cardiaca tunc Remedia, & pulveres teſtacei præſcribebantur, & pro venturo mane potus ex* oleo amygdalarum dulcium *paratus. Exinde Febris per ſubingreſſum Continua fiebat, ſervata tamen aliqua declinatione, ſed amiſſa penitus apyrexia. His ita ſe habentibus optimum duxi,* ſero vaccino depurato *Stomachum, & Inteſtina diluere, ideoque* ad libras duas *mane propinabatur: ſed Febre majorem in dies vim ſumente miſſus eſt denuo ſanguis ex pede, & hoc factum eſt octava morbi die. Proceſſit ea fortior ſemper, ſervato tamen periodico, licet obſcuriori quodam augmenti circuitu. Undecima morbi die cum Febris conſuetos motus tentaret, oris contorſione aliqua laborantem, & verba non bene ferentem obſervavi. Terruit me novitas rei, ſed appropriatis Remediis evanuit hæc prorſus. Decimatertia morbi die, dum ante Auroram augeretur Febris, eadem oris obliquitate, & loquendi impedimento, cum gravi inſuper ſopore tenebatur, unde creſcente jam die hirudines Hæmorrhoidibus apponendas curavi, ſed ſpem omnem de reſtituenda ſanitate amiſi. Hac nova ſanguinis miſſione, vel potius conſueta Febris, licet tunc pauca, ſubſequente declinatione, melius haberi viſa eſt, & tentatis jam antea Bezoharticis, & aliis Diaphoreticis validioribus ſudor aliquis decimaquarta morbi die moveri obſervatus eſt. At decimaquinta die cum Febris augeretur, Apoplexia correpta eſt Ægra, quæ in Paralyſim lateris totius dexteri degeneravit. Tenebatur ſopore gravi; vocata tamen reſpondebat, quin declinante die mente melius conſtare cœpit. Ut hæc vidi, ratus fieri omnia ratione, & motu Febris, de hac ſupprimenda, ſi per tempus licuiſſet, conſilium cœpi; quapropter, licet jam certe apoplecticam in futuris Paroxyſmis morituram putarem, non omiſſis cæteris Remediis, Chinam Chinam exhibui* ad drachmas duas, *deinde ſingulo mane* ad drachmam unam *per ſex dies. Teſtor Deum! cœpit ſedari Febris, ac ſenſim reſtitui Partis amiſſæ motus, ac ſenſus, ſecuta poſtmodum ſudorum, ac urinarum copioſa, ac critica evacuatione. Inſtiti ego tunc in uſu Remedii, vi cujus propter ſpem omnium a mortis imminenti periculo erepta eſt, & exinde poſt dies quadraginta motui adeo reſtituta, ut ſine baculo greſſum domi movere potuerit.*

III. D. Joannes Buzzalini *Menſe Julio Anno* 1707. *Febre correptus eſt cum pauco frigoris ſenſu, ſed magno capitis dolore. Remiſit ea fere omnino in noctis progreſſu, poſtera vero die iterum invaſit; hinc vo-*

catus,

catus, ut curarem, duplicem Tertianam facile judicavi. Cum peteret Æger, ut si mitti sanguis deberet, potius cucurbitulis scarificatis, quam vena secta prius educeretur, genio indulsi, & quantum fuit opus, detractus est. Eadem die invasit iterum Febris cum modico pariter frigoris sensu, sed anticipato per horas aliquot accessu, aucta intensione, atque etiam in diem crastinam extensione. Cum aliqua bilis excretio per vomitum fieret, largum seri vaccini depurati potum præscripsi, ex quo sequuta est magna ejusdem bilis quasi sinceræ per inferiora expulsio. Interim Febris magis intensa, & anticipatis in dies accessibus fiebat per subingressum Continua. Missus est iterum sanguis ex brachio, non omissis interim Cardiacis temperatis, decoctionibus refrigerantibus, Gelatina ex Cornu Cervi de more parata, & seri vaccini minus largis potionibus. Cum hæc fierent, augebatur morbus, & levi aliquo per noctem adjuncto subdelirio, nec non observatis adhuc plenitudinis in sanguine signis, quippe quod Adolescens erat Æger, & ex antecessis meri potionibus, malaque victus ratione plenus satis, nulla coctionis intuens signa, sanguinem iterum ex pede detraxi. Die morbi undecima sudor aliquis, licet tenuis, apparuit; quapropter auxilio per Diaphoretica dato, duodecima, ac tertiadecima die universalis factus est, atque modice copiosus, auctis etiam interim, & melioribus, quoad omnia, factis urinis. His omnibus plurimum remittebat Febris. Quartadecima die minus sudavit Æger, sed copiosius minxit, pulsu interim magis elevato, atque æquali reddito. Dum hæc erant, nocte decimamquintam diem præcedente sudor omnino, ac urinæ evanuerunt, & de repente facta est ad cerebrum metastasis, ex qua delirium, ac artuum terribilis citra expectationem sequuta est convulsio, ac pessima pulsus concentratio. Terruerunt hæc me valde: cumque in auxilium vocarerim, nova celebrata est phlebotomia, & post appositas cucurbitulas repetitas affixa Vesicantia. Pulsus interim profundior, convulsio major, artus frigidiores, & facies cadaverosa fiebat, ex quibus moriturus jam certe videbatur. Tota eadem die, atque etiam nocte ita se habuit. Mane, dum mature inviserem, pulsum aliquantisper elevatiorem, sed tamen convulsum inveni, & Ægrum, licet non omnino, mente tamen adeo constantem, ut Viaticum sumere potuerit. Non amissa est tunc occasio, & aliquo symptomatum decremento, nec non Febre ab sui initio periodica simul collatis, statim propinata est, Te consulente, Chinæ Chinæ portio in forma boli, quam, cum iterum supervenire incœpisset delirium, satis difficulter assumpsit deglutiendi nescius, sed tamen assumpsit. Tota eadem die pessime habuit, convulsione fortiore facta, & pulsu fere penitus amisso. Iterum sub vespere, licet extreme delirans, deceptus est Æger, cum biberet, nova Chinæ Chinæ in potu oblatione. Mane metius aliquantulum habebat in omnibus, quapropter alteram Febrifugi portionem suscepit, & parum eadem die deliravit, pulsusque aliquantisper invaluit. Sequentibus diebus drachmam unam Chinæ Chinæ ter, aut quater suscepit, & circa vigesimamquintam morbi diem optima sudorum, ac urinarum subsequente Crisi, Febris sensim evanuit, ac brevi perfectissime præter expectationem omnium sanatus est.

IV. D. Joseph Goldonus *Mense Septembris Anni* 1707. Febre correptus est cum rigore, & vomitu. Remisit hæc omnino in noctis progressu, sed cum tertia die iterum invaderet, vocabar, ut opem ferrem. Cum de simplici Tertiana certior fierem, in id mentem intendi, ut perpenderem, utrum aliquem Perniciosæ characterem reperirem, eum talis constitutio jam antea mihi innotuisset. Nil tunc invenire potui, quod suspicionem aliquam posset inferre; nec enim frigoris extensionem, quam par erat, longiorem, nec vomitum nimium, aut pravæ qualitatis, nec diuturniorem durationem observaveram. Postera die præmisso Clystere celebrata est phlebotomia ex brachio satis abunde; præcesserat enim in Ægro ex more copiosior meri potio. Adfuit tertia accessio valida nimis, sed tamen nullo feralis novi alicujus symptomatis juncta comitatu. Mane sequenti vacuus omnino a Febre fuit Æger, & copiosa seri vaccini hausta quantitate plurimum, & cum optima tolerantia dejecit. Nocte nihil obdormivit, & circa subsequentis diei meridiem en repente frequens vomendi impulsus cum pauco partium extremarum frigore. Successere mox inquietudo maxima, stomachi angor, deliquia, dein vera Cardialgia. Pulsu penitus caruit, frigidi facti sunt artus, & brevi frigidissimus sudor abunde per totum corpus effusus est. Territi sunt jure merito Domestici ejus, quippe quod eodem

penitus modo, ut mihi referebant, Frater alter paucos ante annos occubuerat. Aderam ego tunc, & dum miniſtrabantur Sacra, infuſionem ex Chinæ Chinæ drachmis ſex *e vino paravi, cujus portionem ſtatim, alteram vero quatuor horarum interpoſita mora, & alteram aliarum quinque in noctis progreſſu propinavi. Algidus ſine pulſu, ac moriturus uſque mane ſemper fuit. Creſcente die percipi cœpit pulſus, & aliquantulum incaleſcere; quapropter continuato Remedii uſu melius in dies habuit, & veluti renaſci, ut ipſemet ajebat, cum omnium admiratione viſus eſt.*

V. D. Joſeph Moncini, *cum Menſe Auguſti Anni* 1708. *Febre corriperetur cum frigore, dolore ſtomachi intenſo, & vomendi irritamento, opem meam implorabat. Tertia die invaſit iterum Febris iiſdem propemodum, ſed fortioribus ſtipata ſymptomatis. Præ cæteris mordax urgebat ſtomachi dolor, & frequens vomendi, irritus tamen ſemper conatus, ex quo maxima primum totius corporis agitatio; inde repetiti animi defectus ſubſequebantur. Pulſus durus erat, & inæqualis, hinc* Cardiacis ex mixtura Sylviana *pro tunc præſcriptis in veſperam judicium de Febre trahebam. Cum iterum inviſerem, aliquo perfuſum ſudore inveni, ſed querulum, & licet plurimum remitteretur Febris, adhuc magis laborantem. Cum temperamenti gracilis omnino foret, & ante annos aliquot quaſi in tabem pulmonum proclivis, ſtatui præmiſſo Clyſtere mittendum eſſe die craſtina parca doſi ſanguinem ex brachio, quod factum eſt me præſente, & Ægro penitus a Febre immuni. Inclinante die cum iterum inviſerem, inveni irrequietum ſatis, & ſtare loco neſcientem, cum ſiti, & pulſu frequentiori. Hæc omnia ſuſpecta mihi erant valde; hinc cum in craſtinum exeundum mihi foret ab Urbe, & alte hæreret animo ſuſpicio de hac Febre, D. Franciſco Mariæ Monici Chirurgo Fratri Ægrotantis ſcriptum reliqui, quod ſi Febris diris iiſdem ſymptomatibus incrudeſceret, Chinam Chinam* ad ſemunciæ pondus *in vino more ſolito, ut ipſe in aliis caſibus a me factum viderat, exhiberet; nam de Fratris vita in quarta periodo dubitabam. Invaſit Febris, quæ fuit tertia, efferis adeo juncta accidentibus, ut moriturus jam certe crederetur. Præ cæteris immanis aderat Cardialgia, hinc labiorum tremor, & convulſio, inde frequentior animi deliquia, pulſus minutiſſimus, concentratus, & per intervalla affatim latens, atque demum funeſta corporis perfrigeratio. Territus jure merito his omnibus Frater, monito, quod præſcripſeram, bene utens, ſtatim Chinæ Chinæ* drachmas tres *e vino exhibuit; cumque ſub veſperam rediverem, iis omnibus, quæ mox narrabantur, ſymptomatibus adeo male mulctatum inveni, ut bene arreptum conſilium meum judicaverim, quinimmo in noctis progreſſu* drachmam alteram *ſumendam decrevi. Remiſerunt mediam circa noctem ſymptomata; mane præſcripſi* drachmas *iterum* duas *Corticis interpoſitis moris ſumendas; non enim fidere tunc poteram Febri, quam intus foveri adhuc ſentiebam. Nocte tota irrequietus fuit, & ſequenti die, qua acceſſio quarta futura erat, non adfuit quidem hæc, ſed motus tot, tamque inæquales in Ægri pulſu, & ſtatu obſervati ſunt, ut multoties de ejus adventu dubitaverimus. Diem tamen totam hoc modo evaſimus, & continuato Remedii uſu, Deo dante, morti ereptus eſt, & maximo quidem cum labore, necnon intercurrentibus poſtmodum pluribus Recidivis ſanitati tandem reſtitutus eſt.*

VI. D. Geminianus Miliani *Sacerdos, cum ruri degeret, prima Octobris die anno* 1708. *Febre correptus eſt cum pauco frigore, ſed ingenti vomitu, nec non totius corporis circa articulos dolore. Cum parum diebus anteactis dejeciſſet, ratus totam in alvi defectu Febris cauſſam delituiſſe, Medicamentum purgans, quin & Catharticum ſuo marte aſſumpſit, ex quo maxima ſequuta eſt purgatio, & exinde major Febris intenſio. Quarta morbi die eum a me pro ægrotante Filio conſilium peteret Pater, inſtiti, ut ſtatim adduceretur in Urbem, quod factum fuit quinta morbi die duabus ante meridiem horis, Monitus de Ægrotantis adventu illico ipſius domum adivi, & ut primum pedem intra cubiculum movi, horrui luridam ejus faciem, oculos micantes, acutas nares, incertam, tremulamque vocem, ſtomachi anguſtiam, paucam, ac turbidam urinam, & quod præ cæteris peſſimum, pulſum minutiſſimum, atque convulſum. Territus tali rerum funeſtarum ſyndrome, ſtatim de Sacramento Confeſſionis ſolicitus fui, quippe qui imminens delirium (nec enim magna res erat dignoſcere) prævideram. Interea cum ſtomachi affectio prope Cardialgiam urgeret, ratus particulas adhuc epoti Cathar-*

thartici Ventriculum, & Inteſtina irritare, Olei amygdalarum dulc. rec. expreſſi uncias quinque præſcripſi, non omiſſis interim, quæ in tam præcipiti caſu opportuna videbantur, Cardiacis pretioſioribus. Tota die ita ſe habuit, & ſub veſperam, cum levis ſequeretur dejectio, melius aliquantulum haberi viſus eſt de ſtomacho, peſſimo tamen durante pulſu, & aliquo ſubſequente delirio: Urgebam interim, ut pro ſequenti mane ſocius mihi jungeretur Medicus, ut me hæſitantem circa ſanguinis miſſionem confirmaret, quæ utut neceſſaria, tamen a pulſu peſſimo in dubium vocari videbatur. Mane in conſilium vocatus es Tu, Domine mi, qui, penſitatis omnibus, calculum tuum meo addidiſti de ſanguine mittendo, parce quidem, & ex manu ſiniſtra. Tota eadem die, quæ morbi erat ſexta, ita ſe habuit, ſed circa veſperam peſſime habentem invenimus; algidus enim erat, & ſubdelirans, & vix poterat ob motus manuum convulſivos percipi pulſus. Crevit mox adeo delirium, ut in lecto ſedens exercitio Literariæ Paleſtræ, cui olim incubuerat, vacaret cum admiratione ſimul, & commiſeratione adſtantium. Tunc ego (licet parum profutura opinarer) Veſſicantia apponi, & repetitas affigi Cucurbitulas curavi, quod magna difficultate factum ob Ægrotantis contranitentis conatum. Totam noctem ſic tranſegit, ſed quamvis mentis expers foret, quotieſcumque labiis apponeretur, aquam copioſe ingurgitabat. Mane inveni non adeo delirum, ſed potius attonitum, adhuc tamen copioſo ſudore frigido perfuſum, pulſu omnino deſtitutum, & more ſolito convulſum. Bibebat quidquid offerebatur; quapropter perſpecto aliquo ſymptomatum decremento, de China China propinanda mecum ipſe reputans, ſtatim me contuli ad Te, ut de eadem conſilium ferres. Ut me vidiſti petebas, utrum deceſſiſſet Ægrotus noſter; ſed cum reſponderem vivere adhuc, & cogitatum meum de Cortice prolaturus forem præveniſti ipſe me ſubridens, & inquiens: Lubet etiamnum tibi offerre Corticem? Non abnuo; at ignoro, quis in hoc Caſu ſperari poſſit eventus. Quod obſervandum eſt, ut nedum Plebis, ſed & Medicorum quorundam evitemus dicteria; ſub forma Cardiaci Remedii propinandus eſt, ne ulla, utut ridicula, in nos deferatur culpa de hominis morte jam perituri. His dictis, quamvis ab Urbe diſceſſurus fores, mecum te contuliſti ad Ægrum, & ſtatim Chinæ Chinæ drachmas tres ſub forma Cardiaci Remedii, nempe mixtura facta ex Confec. hyacinth. & Syr. de cortic. Cortici, propinavimus. Mixturam totam aſſumpſit Æger, & cum hoc vidiſſem, alteram non abſimilem paravi, ſed cum propinare poſt meridiem tentarem, jam adeo urgebat delirium, ut totam deglutiendi compos haud fuerit. Ea tamen, quam ſumpſerat, contentus eram, quippe quidem ſuffectura (ſi per tempus licuiſſet) pro imminuenda ſaltem, ſi non ſupprimenda futura acceſſione. Tota eadem nocte deliravit frigidus, & ſine pulſu ſemper fuit, ſed mane ſub aurora quievit, & cum inviſerem, inveni aliquantiſper calefactum, mente ſaniorem, licet attonitum, & aliqua pulſus revivi-ſcentia præditum. Inexpectatum admiratus donum, ſtatim de Sacramento Euchariſtiæ ſolicitus fui, deinde infuſionem ex Chinæ Chinæ uncia una paravi in Vino, & copioſam portionem hauriendam tradidi. Hac ſervata per aliquot dies methodo cœpit paulatim inſurgere pulſus, & cætera evaneſcere ſymptomata; hinc copioſiſſimis effluentibus Urinis præter omnium expectationem, ac noſtram quoque, revixit, & poſt breves aliquas Recidivas optimæ, Deo dante, ſaluti reſtitutus vivit. Tunc temporis Mater ejusdem jam ſeptuagenaria Febre tertiana ſimplici, mox in duplicem, inde in continuam citiſſime mutata torquebatur cum maxima virium jactura, ſtomachi angore, ac dolore intenſo, deliquiis, & pulſu adeo exili, ut vix perciperetur; demum jam fere ad extremum redacta ejuſdem Remedii uſu per plures dies ad drach. j. exhibiti a Febre tam dira, cæteriſque ſymptomatibus paulatim liberata eſt, morti una cum filio, cujus funeri eodem tempore jungenda videbatur, feliciſſime erepta.

VII. Mirandum præ cæteris omnibus ratione ætatis, & felicitate ſucceſſus Caſum, quem tandem obſervare datum fuit, lubet ſubnectere. D. Dominicus Ferrari, toti Urbi ob ætatem ad nonageſimumquartum annum ſtrenue productam notiſſimus, die decima Aprilis anni 1710. incidit in Febrem cum copioſa, & frequenti diarrhœa. Accitus ſtatim adeo male mulctatum inveni, ut brevi moriturum judicarim; Febre enim intenſa, & frequentiſſimis dejectionibus modo biliioſis, modo nigricantibus laborabat. Secunda morbi die Febris, & diarrhœa adeo fortiores fiebant

& eæ,

& eæ, quæ in homine tam ſene eſſe poterant, tam fractæ vires, ut ne verbum facere quidem poſſet; qua propter Sacris Myſteriis rite firmato, nil aliud tunc Arte Medica præſtitum, quam Enematum breviorum ex lacte chalybeato, & Cardiacorum pretioſorum, aliorumque Medicamentorum tam interne, quam externe ad roborandum ventriculum ſedula adminiſtratio. Nil hæc prodeſſe videbantur, niſi quod qui tertia, aut quarta die mori credebatur, ad ſextam uſque morbi diem præter omnium expectationem devectus eſt, qua die cum mane inviſerem, inveni minus oppreſſum, quippe a media tunc noctis parte a diarrhœa vexatum. Hora ejuſdem diei vigeſima rediit hæc copioſiſſima, ac frequentiſſima, quin aliquo frigoris ſenſu in extremis corporis partibus affici obſervatus eſt. Deſtitit aliquantulum in noctis progreſſu diarrhœa, & mane vivebat adhuc, licet vere miſerrimus. Poſt hujus diei meridiem, quæ morbi erat ſeptima, en iterum immanis dejectio, en totius corporis univerſa perfrigeratio, & aliquis in pectore catarrhi ſonus. Spem omnem tunc amiſi; nihilominus motum ultimum diarrhœæ, atque etiam Febris aliquo modo periodicum mecum ipſe conſiderans, Chinæ Chinæ uſus in animo venit, opinatus fore ut, ſi non Febri, ſaltem roborando ventriculo conferre poſſet: cum non deſint Auctores, qui ob id eam commendent, & Praxis hoc ipſum confirmet. Hoc clam agere decrevi, & (annuente Te quoque, cui forte per viam occurrens quid facturus eram communicavi) ſtatim tincturam ex Chinæ Chinæ ſemuncia, & drachma una Salis abſynthi *cum Vino per ignem paravi, quam addito* Syrupo de corticibus Citri *dulcoravi; hinc* ſcrupulum unum *ejuſdem Corticis in forma boli, & tincturæ* uncias quatuor *Ægroto ſub veſperam propinavi. Hora noctis ſexta* altera unciarum trium ejuſdem tincturæ portio *exhibita eſt, & exinde ſubſtitit diarrhœa, cumque mane inviſerem, vivum inveni, ſed adhuc peſſime habentem. Eadem die parum dejecit. ſed valde febricitavit, Sub veſperam aucta eſt iterum diarrhœa, & Febris, ſed utraque minor, propinatus eſt* ſcrupulus alter *Corticis, & eadem tinctura* ad uncias tres. *Sequenti nocte parum dejecit, & altera die melius habuit: ſub veſperam Corticis* ſcrupulum & tincturæ parum *aſſumpſit; noctem bene tranſegit, mane mutatus omnino eſt, adeo ut mirarentur mecum Domeſtici actionem Remedii; ſed Remedium ignorabant omnes. Vegetus, alacris, & more ſuo lepidus factus eſt, & quod mirum, ſublata omnino diarrhœa, & imminuta ad ſtuporem Febris. Deſtiti ego tunc ab uſu Remedii, cum omnia bene cedere proſpicerem; ſed quatuor intra dies iterum invaſit maxima Febris cum diarrhœa, & copioſo ad pectus catarrho. Deſperavi tunc vere omnino, & pœnituit a Remedio deſtitiſſe: novum tamen animum induens* drachmam ſemis *Corticis* cum unciis quatuor, *quæ ſupererant,* anteactæ tincturæ *propinavi. Evaſit ab hac quoque Febre, hinc per alios ſubſequentes duos dies* drachmam ſemis *Corticis aſſumpſit, deinde de tertia in tertiam diem* alteram ſemidrachmam *per duas vices deglutivit, ex quibus a Febre liberatus eſt. Poſt tres alios dies iterum* drachmam ſemis *Febrifugi ſumpſit, & ſane aſſerere poſſum, Ægrum diebus a China China vacuis pejus ſemper habuiſſe, quam dum Cortex propinabatur; tunc enim temporis alacrior erat, vegetiorque; quin pulcherrima res erat cernere Senem nonageſimo ſecundo anno confectum, vitam hoc uno Remedio protrahentem. Per quatuor alios dies a China China abſtinui, ratus ſuffecturam, quam interpoſitis moris exhibueram. Sed ſexta Maji die, quæ morbi erat vigeſimaſexta, en iterum Febre correptus eſt cum frigore, & diarrhœa, quarum tamen utraque modum non exceſſit: tunc tamen* drachmam ſemis *Corticis ſub veſpere, & alteram* ſemidrachmam *media nocte ſumendas præſcripſi. Evanuit Febris hæc ſequenti mane, & exinde bene adeo in dies habuit, ut jam a morbo reſtitutus non ſolum e lecto propriis viribus valuerit ſurgere, ac vegetus per Urbem incedere, ſed & Rus pergens, delicatioribus quibuſdam ſuis plantulis ſedulus Cultor cum omnium admiratione incumbere.* Idem *poſt biennium Tertiana duplici, ſub obſcuris motibus invadente, iterum correptus, ſanguinis miſſionem e brachio ad uncias ſex bene tulit, inde eodem Corticis* ad ſcrupul. j. *per plures dies exhibito rurſus curatus eſt; & prout ætas tam diuturna ferre potuit, ſatis incolumis redditus, certiorem me ſemper de vi mira Remedii faciens, cujus non exiguum quidem donum Homini tam ſeni fuiſſet vel unius tantum diei inducias impetraſſe.*

Poſſem Ægros alios quamplurimos ſubnecte-

nectere ſimili methodo curatos, ut D. Annam Monaci *prædicti D. Joſephi Matrem a Tertiana Pernicioſa cum Cardialgia, & ſudore diaphoretico,* D. Monicam *ejus Nurum gravidam ſeptimeſtrem, & abortum ob horrendos vomitus, & deliquia cæteroqui paſſuram, a Tertiana ſimplici, mox duplici, inde continua liberatas. Sic Puella quædam de Malavoſis* Angela *nomine a duplici Tertiana, in cujus acceſſione ſingula immanes patiebatur Epilepticos inſultus, tinctura Corticis curata eſt. Sic* Marius Benaſſi *a ſimplici Tertiana, cujus in ſecundo, & tertio acceſſu dejectio decoloris ſanguinis, fluxus Hepatici adinſtar, & diaphoretici ſudores mortem inferebant, evaſit. Sic.* D Herculi Rebucci *prope Mirandulam degenti Tertiana duplex uſque ad acceſſum decimumſeptimum protracta, & eo uſque redacta, ut is in acceſſionibus gravi ſopore in lethargum proxime tranſituro opprimeretur, ſumma cum Uxoris, filiorumque jam fere omiſſum lugentium lætitia, feliciter ſuppreſſa eſt. Sic* Angela Toni *a Tertiana in quarto acceſſu diarrhœam biliosam, mox diaphoreticum ſudorem inducente,* Angela Colli *octogenaria a Diaphoretica,* Urſula Chiapponi, Anna Bacciolani *gravida ſeptimeſtris a Cardialgica liberatæ ſunt. Quin poſtrema hæc Mulier iterum paucis diebus a partu prioris naturæ Febribus tentata, quæ lochiorum inſuper ſuppreſſionem induxerant, repetito Corticis uſu ſtatim fluentibus iterum puerperiis, optime convaluit. Sic denique* D. Mario Zuccati, *Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Præſulis noſtri Co: Maſdoni Domeſtico, Tertiana primum intermittente, mox ſubcontinua detento, quæ pulſus carentiam, ſudorem diaphoreticum, graviſſimum ſoporem, ideoque imminens, certumque mortis periculum induxerat, hoc uno Remedio properanter, & valida doſi exhibito, indeque continuato, ſalus reſtituta eſt. Sed ne nimius ſim, hos, & alios caſus quamplurimos omitto. Tibi vero Vir humaniſſime, & Orbi toti juramento teſtor, hæc a me, parum quidem culte, ſed minutim, ac fideliter depoſita; Puderet quippe Conſcientiam meam, & Fidem publicam Peruviano Cortici partibus nimis ſtudens devovere.*

PEculiarem ſane ſibi vindicat animadverſionem unaquæque ex ſuperioribus Hiſtoriis, quas nobis uterque Profeſſor hic inſerendas tradidit; præterquam enim quod in illis omnes fere obſervantur Febrium Pernicioſarum a nobis deſcriptarum characteres, ac differentiæ, eximia inſuper elucet Corticis Peruviani virtus in iiſdem curandis, etſi illæ extremam jam ferme perniciem intulerint. Licet autem ſingulæ ſingulari quoque ſint conſideratione dignæ: attamen, quæ in iiſdem occurrunt ſpeciatim magis notanda, lubet Lectori obiter innuere.

Ex ſecunda itaque Hiſtoria, communicatam a *D. Clerico*, patet quam periculoſum ſit, Homini ex Febribus per Chinam Chinam curato Catharticum exhibere. An utile ſit exhibere adhuc Febricitanti, vel per aliam Methodum a Febre liberato, judicet quiſque. Quarta Hiſtoria graphice pingens Febricitantem Catalepticum convulſum, ac ſine loquela ululantem, & nihilominus Cortice ſanatum, non exigui ponderis eſt, cum hujuſmodi accidentia & raro apparere ſoleant in Febribus, & fere ſemper, cum apparuerint, ſoleant interimere. Tertia pariter, & quinta, excretiones immanes atro ſanguineas, & nigricantes Febribus aſſociatas exponunt cum ſymptomatis vere funeſtiſſimis, quæ vix unquam a morte queunt ſejungi, ni ſejungantur ope Corticis.

Inter Hiſtorias autem *D. Ferrarii* inſignis admodum videtur ſecunda, quæ Apoplecticum inſultum qualibet Acceſſione periodice recurrentem, & in Paraplegiam tandem commutatum, deſcribit. Sanatio per Chinam Chinam obtenta ſatis oſtendit, Remedium iſtud fluida humani corporis nequaquam figere, neque ſuppreſſionem Febrium illius aſſumptioni ſubſequentem, inducere Apoplexias, aut alia ejuſmodi mala, quæ immerito reformidant inexperti. Idem quoque teſtantur Lethargus, & aliæ ſoporoſæ affectiones, quæ in iiſdem Hiſtoriis curatæ viſuntur, curatis per Corticem Febribus. Neque minus evincunt oppoſitum, nullam ſcilicet ineſſe Chinæ Chinæ humores fundendi vim, aliæ, quæ ibidem proſtrant, Curationes Febrium ab immodica humorum fuſione, aut colliquatione pendentium. Tertia Hiſtoria eſt illa eadem, quam ipſe retuli nuper *Cap. II. n. x.* Uniformitas narrationis uniformitatem veritatis luculenter indicat. Sexta pariter, quam ipſe innui per tranſennam ſupra *Cap. II.* inſignis eſt, quia non modo Subcontinuæ Febris acutiem, ac malignitatem adeptæ, ſed veræ Continuæ

nuæ Proportionatæ Malignæ curationem eximiam, ope Corticis absolutam, ponit ad oculos. Distinctam autem præ omnibus considerationem meretur Historia septima, quæ Senem nonagesimo secundo circiter ætatis anno Subcontinua Febre longiore, simul & diarrhœa correptum, ac subinde sanatum, robustæque valetudini restitutum, quin & post biennium iterum pari ratione curatum exhibet ope Corticis pluries oblati. Historiam quoque similem habet *Badus* de Sene nonagesimumsecundum ætatis annum agente, Tertiana notha detento, per Chinam Chinam curato, & post biennium adhuc vivente. Corruit hinc vana eorum suspicio, qui pro reducenda in actum Chinæ Chinæ virtute, virium, & floridæ ætatis robur requiri, autumant. Sane China China longe melius ac Cardiaca quævis sic appellata, Febricitantibus quibusvis, utut debilibus, robur addit, cum Febres submoveat naturale robur exhaurientes; quod illa vere nequeunt præstare. Cessat pariter ex aliis Casibus acervatim ab eodem *D. Ferrario* recensitis occasio dubitandi, num Fœminis *Utero gerentibus*, aut *Puerperis*, possit utiliter exhiberi Cortex, cum utriusque felicis Curationis ibidem prostet exemplum duplex non aspernabile.

APPENDIX.

PEtierat a me Bibliopola, arrepta occasione hujusce novæ Editionis, ut cum non paucis auxerim suadente ipso Tractatum meum additamentis, novas itidem non gravaret addere insignium curationum historias, quarum, certe non exigua mihi suppeteret, si eas liberet persequi, copia. Sed ut fatear, morem ille gerere in hoc supervacaneum censui; tum quia satis jam fidei, ni fallor, assequuta sunt apud Rempublicam Medicam effata mea, quibus communis astipulatur hodie Medicorum praxis: tum quia plurialitas casuum inter se valde conformium, quos possem inferere, nonnisi eamdem quodammodo crambem eodem fere semper modo recoctam jugiter exhiberet; tum denique quia præter recensitas a me in hoc ipso Tractntu historias vere memorabiles, plures alias ejusdem ordinis olim edidi in *Responsionibus meis Iatro-apologeticis ad Clarissimum Ramazzinum*, ubi rem omnem confeciſſe mihi sum visus, praximque meam satis illustrasse, & a quibusvis oppositionibus integre vindicasse. Ne tamen repetitis petitionibus ejusdem Bibliopolæ plene refractarius viderer, quod ipse facere detrectavi, fieri saltem a Amico favere assueto, scilicet ab eodem *D. Ferrario* libenter curavi: quod ille quidem peregit suo more nimis humaniter, hæc ad me novissime scribens.

HISTORIÆ NOVITER Communicatæ ab Excellentiss. *D. Ferrante Ferrario* Mutinen. Prof. Eruditiss., & in Exedra publica meas vices supplente.

JURE quidem merito demandas aliis, Vir Præclarissime, ulteriorem evulgationum Successuum semper felicium, quos hucusque peperit, & in dies pariet in Periodicarum Febrium Pernicioſarum curatione celebris Methodus, Praxisque tua, qua certe nil utilius inventum hactenus, aut excogitatum in Medicina universa. Quid enim allaborandum Tibi, ut tua ulterius comprobes dogmata, cum tota jam huic operi allaboret, ac plaudat Respublica Medica? Nonne Urbs nostra, quæ Te hac in re legislatorem nedum primum, sed unicum late fatetur, quotidianas curationes hujusce ordinis a nostratis Medicis feliciter gestas Tibi uni, vel tunc cum agis alibi, receptas referre? Utere igitur citra ullam solicitudinem per totum hoc fervidum, ut assoles, anni tempus, Febrium licet Periodicarum supra morem ferax, utere, inquam liberaliter, quo melius valetudinem tuam firmes, atque unde etiam prodesse non cessas, honestissimo Ruris otio, cum abunde jam dederis unde Febres æstivas fere omnes etiam graviores, & periculo plenas certo sanemus. Manu tua medemur omnes a Te uno in hoc manuducti. Utinam vero Methodum tuam omnes exacte teneamus in China China rite, opportune, ac, ubi tantum convenit, & prout convenit, administranda, Febresque (quod præcipuum est) dignoscamus a Febribus, tempus a tempore, & modum a modo, quæ omnia utut dilucide a Te tradita fuerint, ac explanata, a cunctis nihilominus haud æque clare sunt forsan percepta, unde identidem abusus emergit, nonnumquam vero & neglectus. Veniam tamen det minus expertis, siqui sint in nimietate peccantes, humanitas tua; viam namque nimis lubricam sternunt ad errorem hinc metus exitii, illinc fallacitas curationis; idque tan-

tandem firmum, ratumque habeas, quod noſtrum nemo leges æquiſſimas a Te conſtitutas, ut par eſt, impleturus, quantumvis acutus & ſagax, in ipſo tamen opere, ubi præſertim ſit nonnihil anceps uſus Remedii, ſollertiam, aut perſpicaciam tuam umquam æquabit. An eas ego ſaltem, qui Praxim medicam, & profecto jam diuturnam inceſſanter exerceo in hac Urbe, ſatis impleverim, ubi Peruvianum Corticem contigit viriliter adhibere in his, quas recens ad Te mitto, novarum Curationum hiſtoriis, Tu Judex es: an impleverim ubi ab eodem contigit abſtinere, memetipſum mihi conſtituo Judicem, quippe ſatis conſcius quanta ſit mihi religio, ne hoc inſigni, atque inſonti Febrifugo damnoſe abutar: illud namque fere numquam exhibere conſuevi, & conſuesco, niſi in Febribus vere Perniciosis a Te deſcriptis, nec niſi præ urgentia ſymptomatum, in aliis Periodicis protracta etiam, quo diutius licet, illius oblatione, minime vero in Depurativis, neque in primis ſtatim Febrium cum aliquo etiam impetu erumpentium inſultibus, ſed ad normam cautionum a Te prudenter præſcriptarum, citra circumſtantias prædictas ab exhibitione ejuſdem Corticis feriari ut plurimum ſoleo, quem (*ut tuis utar ipſius verbis*) in uſu longe digniores ampla manu profuſurus reſervo.

I. Dominus Franciſcus Belleardi *Nobilis Mutinenſis annum nunc agens ſeptuageſimum quartum, adhuc, Deo favente, ſatis vegetus, licet Podraga quandoque corripiatur, duobus ab hinc annis Tertiana Febre ſimplici tenebatur, quæ cum invaderet, ſoporem non levem inducebat: ideoque aliqua, prout ætas ferre poterat, adminiſtrabantur remedia. Quartus accedens Paroxyſmus in ſoporem veluti lethargicum impulerat Ægrotantem. Pulſus per horas plurimas fere nullus, membra tenui ſudore frigido madefacta: facies terrea, ſupinum corpus. Quid in homine jam ſene tunc niſi mors proxime metuenda? Circa tamen noctis horam tertiam aliquantulum expergefactus, dum appoſitam labiis aquam biberet, ebibit Chinæ Chinæ* drachmas duas, *quas prompte paraveram; per noctis decurſum* alias duas, *mane vero circa meridiem* alias duas, *cum tunc temporis melius longe haberet. Sudavit per totam diem, febriſque abiit, nec rediit amplius ut antea, ſævitiem ſuam poſt aliquot hebdomadas in breves podagricos inſultus tantummodo exonerans.*

II. Domina Catharina Ceretti *Genitrix* Domini in Medicina Doctoris Petri Ceretti, *Adoleſcentis non exiguæ expectationis, Praximque medicam etiamnum mecum exercentis, Tertiana Febre ſimplici quatuor ab hinc annis correpta eſt. In primæ, & alterius Febris paroxiſmo, nec non earumdem progreſſu, de dolore Stomachi conquerebatur, intenſo, pro quo congrua præſcribebantur remedia. Acceſſit tertia Febris, & Cardialgiam paſſa eſt Ægrotans non levem cum magna virium jactura, & deliquiis quamplurimis, ita ut ob Matris periculum deſperaret Filius. Cum vero non admodum deficeret tunc temporis pulſus, Domeſticorum, Nati, & Ægrotantis ſolicitudinem abduxi, Febris ferociam me domiturum pollicitus. Eam vero non omnino ſupprimere, ſed quodammodo cohibere ſtatutum eſt, idcirco* duas *tantum* Chinæ Chinæ drachmas *præſcripſimus. Rediit poſtera die Febris, minoribus tamen comitata ſymptomatibus, ideoque totam proſequi tali pacto curationem decretum eſt, ut quotieſcumque vires exereret Hoſtis, oblato Remedio frangeretur. Ita actum eſt. Res pro votis ſucceſſit. Propinabatur juxta exigentiam China China, & hac methodo inceſſit quidem, ſed pro lubitu, Febris, & feliciter curata eſt optima, & benemerita Mulier, quæ etiamnum, Deo dante, vivit incolumis.*

III. Franciſcus Bonettini *annum nunc agens octavum ſupra octuageſimum, & bis jam antea Apoplexiam, quæ in Paraplegiam degeneraverat, paſſus, Tertiana Febre ſimplici tribus ab hinc annis corripiebatur. In unoquoque Febrium acceſſu magno ſopore tenebatur; aſt, dum quartus accederet, ita Capite opprimebatur, ut per diem integrum Apoplexia vere detentus videretur, & animam certo certius proxime efflaturus putaretur. Pulſus per horas quamplurimas parvus, & tardus, dein celerior & febrilis factus eſt. Veſpere aliquantulum expergefactus eſt, ita ut, cum extreme ſitiret, Chinæ Chinæ portiunculam ebibere ſenſim potuerit, & paucis ab illinc horis portionem prima majorem. Poſtera die, dum melius haberet, & omnia a Febre oriri mala dignoſceretur, doſim pro more integram Remedii ſuperhauſit, ita ut adveniente die qua recurrere Febris debuerat, parva omnino ſupervenerit, & brevi ſubinde fuerit ſanatus. Hoc eodem Anno 1729. Quartana ſimplici correptus, & non multum diſſimili Capitis ſymptomate,*

quo

quo supracitato anno tenebatur, gravatus, China China evasit, vivitque decrepitus, ambulatque per Urbem. An audiendi sint qui Chinam Chinam numquam esse Senibus propinandam, & ab eadem metuendam esse Apoplexiam autumant, huic me verissimæ Historiæ, uti & non paucis aliis hujusce generis practicis observationibus committo.

IV. Dominum Bartholomæum Cotti, *Virum probitate, morumque integritate præclarum*, & Sereniſſimi Franciſci Mutinæ Principis *Cubicularium emeritum*, *Febris Tertiana simplex invaserat, cujus exordia, nedum progressum, sudores effusi cum magna virium, & animi jactura excipiebant. A quarto superveniente Paroxysmo pessime mulctatus est, nihilominus Cardiacis remediis suffultus evasit, ita ut postero mane morbi impetu declinasse videretur. Ast quinta adfuit Febris, quæ sudorem frigidum a meridie per totam usque noctem comitem habuit; ideoque, cum diutius fidere audacia foret nimia, habita non tantum morbi, sed Hominis cæteroqui non juvenis ratione, propinata est, & repetita consueto more China China. Domita est Febris, & superveniente hæmorrhoidum familiari stillicidio convaluit. Post mensem erraticas nonnullas Febres iterum passus est, quæ mox evanuerunt, & vivit ex tunc alacer, atque præprospere. Eodem modo a non dissimili Febre post aliquod tempus* Domina ejus Uxor, *nomine* Margarita, *correpta curata est, quæ fere nullam exinde passa est, Recidivam, & vivit floridissima.*

V. Illustrissimi D. Michaelis Torretti Sereniſs. Ducis Mutinæ Consultoris, *non impari modo curationem aggressus sum, dum duobus ab hinc annis Febre, quæ Tertianæ continuæ speciem præseferebat, cum intensissimo capitis dolore laboraret. Eo proterva ejus Febris die septimo devenerat, ut, tunc cum aliquantulum declinare nocturnis horis debuisset, gravior mane succesſerit, & tantum Capiti gravamen, & dolorem intulerit ut, motus fere convulsivos excitaverit, funestumque ipsi Capiti majorem decubitum proxime comminaretur. Ut deterior, quæ pro more dierum expectari debebat futura nocte, Febris aliquantisper cohiberetur, de propinanda China China animus mox suppeditavit; ast cum de splendida; & nedum* Sereniſs. Duci, *sed toti Urbi percara Persona ageretur, ne mihi nimium fisus viderer, Te Excellentissime* Torti, *Ruri degentem consulere volui, ideoque Nuncio misso, & habito voto, exhibitum est horis aliquot ante meridiem* ad drachmas tres, *& post meridiem usque ad vesperam* ad alias tres *partitis vicibus Remedium. Protracta est usque mane Febris exacerbatio, quæ nullatenus adfuit, sed minoribus stipata symptomatibus: dolor namque Capitis, & cætera omnia admodum fuerunt mitiora. De actione Corticis, de quo dubitabantur, certior tunc factus, ejus usus prosequutus sum, ad exigentiam tantummodo propinando. Mirum dictu, & magis mirum visu. Ingravescebat quandoque Febris; exhibebatur portio aliqua Febrifugi, & cedebat ita, ut similis Equo indomito videretur, cui cohibendo lupatum fortius perstringeretur. Cursum integrum hoc pacto peregit morbus, sed tandem urinæ, & sudoris superveniente constante Crisi sanatus est. Vir egregius, qui integra satis, prout indefessum muneris sui exercitium ferre potest valetudine pro bono publico perfruitur.*

VI. Illustriſs. Domina D. Laura de Fossano *Nobilis Matrona Mediolanensis, dum Sanctam Lauretanam Domum pergens Mutinam pertransiret, quadam de repente Capitis stupiditate correpta est, a qua ita male habuit, ut in apoplexiam incidisse credita fuerit. Vocatus fuerat* Dominus Leonellus *Medicus Mutinensis, a quo plura administrata fuerunt remedia, ut morbus tolleretur. De facto convaluit aliquantulum: ast altera superveniente die, cum iterum laboraret, ut antea, adjungebatur* D. Caroccius *Medicus pariter*, & Lithotomus *Mutinensis, qui dum febricitantem inveniret, putavit totam a sola Febre, quæ alios fortassis habuisset accessus, ortum duxisse tragœdiam: Nihilominus cum res esset in ancipiti, Cardiacis, & Cephalicis pro tunc allaboratum est Remediis; & subsequenti mane, dum adhuc stupore Capitis aliquo gravaretur, celebrata est iterum sanguinis missio. Tota die melius habuit; altera vero superveniente en iterum sub meridiem apoplectica, & vere moritura visa est, sed clariori, atque fortiori invasione Febrem accessisse compertum est. Fortiora in usum revocata sunt remedia, ut Capite levaretur, & de China China propinanda mens fuit, quin a supradicto* D. Caroccio *eo modo, quo poterat*, ad drachmas duas *fuit exhibita. Superaccitus tunc temporis fui Ego quo-*

que', & cum nullus dubitationi locus esset quin omnia a Febre evenirent mala, majori propinandam esse Chinam Chinam dosi arbitratus sum, quod in noctis progressu actum est. Mane melius habuit, ut ita Testamentum condere, & Sacramentis muniri potuerit. Exinde, licet Ægrotans, uti nil transactarum rerum conscia, renueret, adstantium tamen, necnon nostris precibus commota, portionem alteram Febrifugi assumpsit, & sub vespere potavit alteram. Cessit omnino ea, quæ insurgere die postera debuerat, Febris, & post paucos dies Mediolanum Cortice munita reversa est, quamvis invita, dum Sanctum Iter perficere anhelaret.

VII. Uxor Leandri Cavallieri, Ruralis Procuratoris *Illustrissimi Domini Marchionis Levizzani Equitis Mutinensis*, nomine Liberata, *Mense Julio hujus anni* 1729. *Tertiana Febre simplici corripiebatur, quæ non extra Benignioris leges ad sextum usque terminum progrediebatur. Cum vero invaderet iste, magna Stomachi angustia, deinde Diarrhœa, nec non subalgido sudore tenebatur. Cum pro more Benignæ Tertianæ fuisset antea curata, & usque tunc fauste omnia contigissent, commutationem Febris obstupui; ratus tamen id fortuito, aut propter erratum aliquod evenisse, non ultra fui solicitus. Ast altero superveniente Paroxysmo eo impetu Febris, & citata symptomata devenere, ut Ægrotans vita valde fuerit periclitata. Putavi supprimendam illico Febrem, cujus pertinaciam magna, & repetita Chinæ Chinæ dosis tandem edomuit felicissimo cum Ægrotantis successu, quæ post mensem irregularium Febricularum accessus aliquot passa, sanitati demum restituta est.*

VIII. Admodum Reverendus F. D. Petrus Magelli *Ecclesiæ Sancti Joannis Baptistæ Mutinæ* Parochus Titularis, *nec non* Sacræ Hierosolymitanæ Religionis Capellanus, *Febre Tertiana duplici continua decumbebat. Huic gravia symptomata, Capitis nempe gravedo, Stomachi, & Intestinorum irritamenta, sudores effusi, atque intempestivi, pulsus debiles, & magna virium jactura jungebantur. Nihilominus cuncta hæc in morbi decursu remittebantur ita, ut circa diem decimamquartam a Febre evasurus, aut saltem bene habiturus videretur. Ast postquam omnia ex Chirurgia, & Pharmacia convenientia remedia fuere administrata, comite, quin potius duce Exccellentissimo, & ter semper a me ob sapientiam, & ætatem colendo* D. Doctore Davini, *Febris repente ita increvit, ut tunc temporis, quo declinare debuisset, sub vesperam supradictæ diei quartædecimæ in Lethargum fere impulerit Ægrotantem, qui & fæces, & urinas inscius per totam fere noctem ejecit, & sudore frigido cum pulsu exilissimo fuit perfusus. Mane cum aliquantulum mentis fieret compos, oblata est valida dosi, & subinde per plures dies repetita China China, quæ morbum non modo edomuit statim, sed futuras Febres inhibuit, & vita periclitantem meritissimum Virum cæteroqui senem extremo forsitan imminenti Fato abduxit, qui tandem, dum Ruri degeret, pauca febricula, paucaque Diarrhœa correptus, febrile censum persolvens optima nunc perfruitur sanitate.*

IX. Dominicus Carolus Zironi Nobilis Mutinensis, *robustusque, & egregius Adolescens, dum hoc eodem anno* 1729. *Ruris amœnitate venando præcipue perfruebatur, Febre correptus est, & illico, ut manu medica commodius juvaretur, ad Urbem transferri se jussit, ubi a* D. Doctore Monturio *primi ordinis Medico dignissimo opem postulavit. Febris in Tertianam per subingressum fere continuam abierat, & non parvis jungebatur symptomatibus, dolori nempe Capitis intenso, nec non Ventriculi, & Intestinorum conatibus. Cum in tertia accessione male multaretur, & vomendi, atque dejiciendi necessitate quam plurima non modo urgeretur, sed pulsu languido, & virium jactura deficere videretur, vocatus fui Ego quoque, ut gravissimæ præstantissimi Juvenis indigentiæ digitum apponerem. Pessime habentem vere inveni, sive pulsus exilitas, vultus languor, viriumque prostratio spectaretur. Cum plura antea in usum revocata fuissent præsidia, Cardiacis pro tunc Remediis pugnatum est. Postero mane, dum adhuc pessima Ægrotantis esset sors, & de eventu anceps nimis fierem, meam supradicto* D. Monturio *opinionem aperui de propinanda porportione aliqua Chinæ Chinæ, qua non omnino supprimi posset Febris, sed saltem in futuro Paroxysmo timendum non foret exitium, & de ejusdem Febris natura redderemur certiores. Annuit ille, &* tres Febrifugi drachmæ *fuerunt exhibitæ. Mirum dictu quos conatus, quam luctam exercuerit die postera Febris,*

quæ

quæ se ferocem præ foribus ostendit, & caput non parum efferens, modo vomendi, modo dejiciendi conamina cum magna Ægrotantis agitatione infinxit. Cum ab ungue, ut dici solet, Leonem apte tunc dignosceremus, fortiori, & continuata Remedii dosi fractæ illi sunt vires, & a periculo deinde eductus est egregius Adolescens; qui sensim convaluit, & Rus iterum post mensem peregit, ubi, etiam dum pro præservatione Chinam Chinam quandoque resumeret, Febribus irregularibus captus est denuo, a quibus tandem liber pristinæ valetudini restitutus est.

X. Petrus Antonius Crispi, *Valetudinario Collegii Nobilium Mutinæ Famulus* assignatus, Febre Tertiana simplici laboraverat, a qua post paucos accessus jam evaserat. Post mensem, & post aliqua in victu errata iterum Tertiana Febre simplici correptus est, cujus prior, & altera accessio graviores Stomachi comites habuit affectiones. Dum tertius invaderet febrilis Paroxysmus animo delinquebat, & vomitu magno torquebatur, cui subinde accessit Diarrhœa non modo, sed identidem sanguinis sincera quasi dejectio. Vocatus illico adfui, & vere morituram Hominem deprehendi; magna quippe virium erat jactura, pulsus exilitas, & totius corporis perfrigeratio. De propinanda statim China China consilium in arena captum est, cum omnia hæc a sola Febre oriri mala clarissime dignoscerem. Herebam tamen an ab imminenti naufragio foret evasurus, nullatenus non omittendum esse Remedium satius putavi, exhibitum itaque fuit statim, & per noctem dosi valida repetitum. Ab hoc sedata non modo fuerunt supradicta omnia mala, sed ita jugulata est Febris, ut fuerit ex tunc perfecte sanatus, & suo nunc ministerio nervose incumbat nulla exinde Morbi Recidiva, aut tnfimi Ventris molestia vexatus.

XI. *Admodum* Reverendus D. Nicolaus Mundatori Sacerdos, *Filius* D. Catharinæ Mundatori, *quam in Historiis tuis Historia decimatertia retulisti, Vir dignissimus, & Consortialium Ecclesiæ Cathedralis Mutinæ* Massarius *meritissimus, ætatis ultra sexagesimum annum, & mole corporis athletica præditus, Tertiana Febre simplici Mense Augusto hujusmet anni supradicti correptus est; cujus primum, & alterum quoque Paroxysmum alacriter, & aliqua in victu errata committens transegit. Adfuit tertia Febris, quam pariter parum ipse pertimuit, sed cum ab amantissimo Nepote suo male habere dignosceretur, dum siti magna, & linguæ ariditate extrema, nec non sopore deinde gravi teneretur, nec bene mente constare videretur, vocatus sum sub vesperam, & aliqua prescripta sunt remedia. Sequenti mane facta est per cucurbiculas larga sanguinis eductio; optavit enim Æger hoc modo potius, quam per venam sectam institui. Parum adhuc morbi sui timidus, & e lecto surgens diem totam hilaris peregit; ast de quarta futura Febre solicitum reddidi, cum nec exacta pulsus quiete perfrueretur, & maxima linguæ ariditate torqueretur, nec ultra Capitis firmitate valeret. Noctem supervenientem insomnem omnino traduxit, & hora diei tertiadecima cœpit magis Capite gravari, pulsus sensim imminui, dein sopore graviori detineri. Eo res devenit, ut circa meridiem sopitus profunde; & sine pulsu perfusus fuerit frigidissimo sudore. Vocatus non respondebat, & frequenti anhelitu tamquam proximo moriturus supinus decumbebat. Ad horam usque noctis primam ita se gessit, qua excussus aliquantisper expergiscebatur, & appositam aquam exarso ore hauriebat. Offerri tunc incœpta est China China, cujus* drachmas duas *ebibit in vino. In noctis decursu aliquantulum calefactus est, & menti restitutus. Sub Aurora iterum* drachmas duas *Febrifugi, & ante vesperam alias* duas *assumpsit. Remisit fere omnino Febris, & mutata sunt omnia; hinc putavi rem in tuto positam, & si non integre jugulatum, saltem ita edomitum morbum, ut talem neutiquam pariturus esset imposterum tragœdiam. Ast sequenti mane circa meridiem en nova, & inexcogitata adfuit Febris accessio, quæ Ægrotantem pari modo, ut antea, dejecit. Inefficaciam Corticis, quippe non pauca ejus dosi usus fueram, vel nimiam meam confidentiam tunc obstupui, & e medio tollendum meritissimum Virum magno mei mœrore arbitratus sum. Cum vero fortissimus ille esset, & temperamento, ut innui, athleticus, ferociam Febris sustinuit, & circa secundam noctis horam potuit iterum Chinæ Chinæ, quam alio Seplasiario petitam, & mihi magis expertam conferri jussi,* unciæ dimidium *ebibere, & sequenti mane alterum* dimidium, *ex quo (vel quia antecedenter adhibitus Cortex*

tex non omnino perfectus, aut quia, habita ratione moli corporis athleticæ, largior dosis foret adhibenda) non modo a descripta Febre liber evasit Æger, sed debitum usum, ut par erat, prosequendo, a nulla alia usque modo vexatus est, nullamque passus usque adhuc Recidivam, Ruris tranquillissimo perfruens otio floridæ sui Corporis sorti restitutus est.

XII. Monialis *quædam in nobili* S. Marci Mutinæ *Cœnobio nomine* Soror Anna Maria Lazzarini *annum agens sexagesimumquintum, tumorem Uteri veluti scyrrosum pluribus ab hinc annis, citra tamen magnam molestiam ferens, circa finem Augusti hujus supradicti anni Febre tenebatur, cujus varios accessus muneribus suis operam navans sustinuerat. Cum vero de die in diem magis gravaretur, tandem opem medicam imploravit. Continua Febre laborare deprehensa est, cujus tamen (ipsa referente) plures cum frigore passa erat accessiones. Habita maturiori indagine, cum de quarta in quartam diem fortior invaderet Febris, Quartanam designare haud fuit difficile, quam insuper infimi Ventris dolores, & frequentes secessus, Stomachique angores comitabantur. Convenientia administrabantur remedia, & die magis opportuna celebrata est Phlebotomia, cum ad tollendam plenitudinem huic infra annum sæpius etiam Ægra fuisset assueta. Febris interea ita invaluit, ut de quarta in quartam diem symptomata acriter augerentur, donec tandem, cum septimus invaderet Paroxysmus Diarrhœa biliosa, & vomendi conatibus cum magno Ventris dolore, & lipothymia, pulsu languido, atque sudore subalgido torquebatur, & de ejus vita actum subinde videbatur. Periclitanti hoc modo benemerenti Moniali æquum duxi Chinam Chinam congrua dosi exhibere, & repetere, ne supervenientibus novis Febribus occumberet. Ab oblatione Remedii mire sanata fuit a Febre, nec ulla alia illi subsequuta est, nec facta usque adhuc Tumoris immutatio, aut augmentum, sed pristina sua, quæ numquam vere tranquilla fuit antea, salutis sorte perfungitur.*

Et en, quos religiose quidem descriptos, referre placuit Casus, quibus alios addere possem quamplures interrupta, cui per annos multos incumbo, Praxi observatos, & infallibili hoc in usus mirabiles tantum, quibus perficiendis unice est idoneum, a me semper servato Remedio sanatos.

His ergo historiis omnibus sufficienter, ut reor, illustrata est praxis Methodi nostræ pro curatione Febrium Pernicioſarum tum Intermittentium, tum Subcontinuarum, mediante usu Peruviani Corticis. Quia vero hæ postremæ modo citius, modo tardius, seu modo in ipso exortu, modo in progressu tantum ad Acutiem, & Malignitatem vergunt, neque tamen utriusque circumstantiæ eadem videtur esse ratio; ideo statuta in præcedentibus Corticis oblatione, ubi Febris Intermittens, sive Subintrans in *lentiore* progressu suo essentialem continuitatem affectet, considerandum supereſt, an idem agendum sit, ubi pariter idem contingat in ipso *principio*; quod jam sequenti Capite peculiariter disquiretur, cum arduum sit hoc, magnique ponderis, ac utilitatis Problema, cujus sicuti frequens occasio occurrit in Praxi, ita exactum necesse est, ut præeat, accurataque indagine instituatur scrutinium.

CAPUT V.

Utrum, quando Pernicioſæ secundi Ordinis, sive octavæ Speciei, nempe Subcontinuæ malignantes, continuitatem essentialem, & acutam affectant citissime, hoc est in ipso statim principio, expediat illico, aut liceat, Corticem *administrare, Febrisque cursum intercipere. Id etsi probabiliter sæpe liceat, non tamen indiscriminatim videtur semper licere.*

FAustitas Casuum recensitorum aliorumque plurium, quos lubens subticeo, & ob usum Corticis Peruviani tempestive exhibiti, & nonnullorum infelicitas ob ejusdem remedii vel omissam, vel debiliorem, vel nimis seram administrationem, præbet occasionem non levem arduo Problemati: an scilicet in ipso statim principio nonnullarum Febrium Pernicioſarum, in quibus non aliud, quam hoc, suppetit opportunum tempus pro utili Corticis oblatione, liceat, nulla mora interposita ipsum Corticem minisſtrare, & nascentem Anguem in ipso exortu confringere, priusquam Hominem interimat: quod equidem modo quæritur ordine habito ad id, quod quærebatur pariter in principio vulgarium Intermittentium, ut vidimus *Lib. I. Cap. VIII.* Hoc autem Quæsitum, quod in septem speciebus Pernicioſarum primi

ordinis, nempe *Comitatarum*, quæ naturæ perpetuo *Corruptivæ* ſunt, locum non habet, cum apparente clare peculiari ſymptomate pernicioſa, certum exitium inferente, quocumque morbi tempore illud appareat, ſtatim deveniendum ſit ad Corticem modo una, modo altera methodo jam deſcripta offerendum, locum habet quam maxime in ſolis Pernicioſis *Solitariis* (quarum tamen in praxi valde frequens eſt numerus) in ſolis, inquam, Pernicioſis Solitariis, nempe octavæ Speciei, ſeu ſecundi Ordinis, quas *Subcontinuas* appellavimus, tunc cum non pedetentim, ut ſæpius aſſolent, ſed illico, ac celerrime ab ipſo primordio ad Continuas acutas, & malignas properant cum magno Vitæ diſcrimine, quod impediri utplurimum poteſt uſu ejuſdem Corticis, ſi ſtatim exhibeatur, ſecus vero, ſi protrahatur illius oblatio, & Febris interim æqualem, eſſentialemve continuitatem acquirat. Cum ergo alias dixerimus, Corticem offerendum eſſe in hiſce Febribus in principio continuitatis earumdem, locuti tunc fuimus de continuitate, in progreſſu tantum illarum incipere ſolita. Modo autem quæritur, quid agendum, ſi principium continuitatis cum ipſo ferme coincidat Morbi principio.

Ut melius intelligatur a Junioribus ſtatus Quæſtionis, quam analytice lubet pertractare, ponamus exemplum. Sit Febris Tertiana duplex, quæ prima die invadat matutino tempore cum frigore modico, & nauſea quadam, cæteriſque conſuetis ſymptomatis. Subſequatur calor ad tactum valde mordax, ſitis, & linguæ ariditas non facile humectabilis. Protrahatur diutius Acceſſio; & cum pauco, nec univerſali ſudore remittatur quidem notabiliter, ſed non ſolvatur perfecte. Sequenti die poſt meridiem nondum ſoluta prima Acceſſione fiat nova exacerbatio cum frigore leviſſimo, breviſſimo, vixque perceptibili, cui ſuccedat paulopoſt calor, & reliqua febrilia ſymptomata, intenſionem plus quam modicam præferentia. Nocte ſequente male habeat Ægrotans, & tantummodo antelucanis horis ſomnum capiat, vi cujus madorem quidem univerſalem, ſed ſudorem quoque particularem circa frontem patiatur, & ad apyrexiam tandem deveniat, ſed vix talem. Superveniat interim ſudore nondum completo frigus breviſſimum cum brevi pariter pulſus contractione, quæ acceſſionem inferat tertia die cæteris graviorem, longiorem, iiſdem ſymptomatis, ſed fortioribus, aliiſque etiam, ſi lubeat, comitatam. Perſeveret hæc ſatis intenſa uſque in ſequens mane, quartæ videlicet diei. Aliqua poſtmodum ſe prodente illius remiſſione, eodem mane, præmiſſo clyſtere, Vena ſecetur, ni prius ſecunda die id factum fuerit: immo ſi factum fuerit, ſed iterum indicetur, quarta hac, ut dictum eſt, die repetatur ante exacerbationem tali die acceſſioni veteri ſuperventuram, ipſa veteri nequaquam ſoluta. Succedat Exacerbatio de more, & inde nova remiſſio, ad aliquam quoque intermiſſionem vergens, ſed obſcurius adhuc, ac vice antecedenter correſpondente. Tempore hujuſce remiſſionis quæritur: an Cortex poſſit exhiberi aliquo pacto, non quidem ad inhibendum inſtantem Paroxyſmum quintæ diei (quod neque poſſet obtineri tam cito) ſed ad eum infringendum nonnihil, ſi poſſibile ſit; adeout continuato modica viciſſim, & viciſſim puſilla doſi remedio, ſperabile ſit, quod Febris coerceatur tali fræno, ut nec libere debachetur, augeaturve, quantum cæteroqui ferret illius apparatus, nec repente prorſus ſupprimatur, ſed intra quatuor tantum, vel quinque dies ſiſtatur penitus, & aboleatur non ſine ſuſpicione recidivæ, vel diuturnæ convaleſcentiæ, loco longioris, ac judicatu difficilis ægritudinis, vel mortis ipſius; quorum alterutrum jam videtur minari violenta, ultroque celeriter pergens Febris incipientis natura, non amplius Cortice domabilis, ſi ad eſſentialem, quæ prope imminet, continuitatem pertingat.

Ob hanc equidem rationem, & ob hoc grave periculum nullus videtur locus propoſito Problemati; rem enim, quo citius fieri poteſt, eſſe ponendam in tuto, nemo non dicet: immo ex noſtris principiis *Cap. VIII. Lib. I.* jam conſtitutis non aliud poſſe dici videtur. Cum enim ibi ſtatutum fuerit, Febres Intermittentes etiam benigniores, eo ipſo quod naturam *Corruptivam* fuerint adeptæ (quod præcipue ex ſymptomatis gravioribus deducebatur (eſſe quovis earum tempore curandas per uſum Chinæ Chinæ ulteriorem illarum progreſſum inhibentis, idem multo magis dicendum videtur in iſtis Pernicioſis longe periculoſioribus, quip-

quippe greſſu celerrimo ad acutam continuitatem, ac malignitatem tendentibus, & conſequenter naturam *Corruptivam*, ut videtur patere, ſtatim acquirentibus. Sed hoc idem principium, cui etiamnum inſiſtendum eſt, ſi attente perpendatur, videtur aliquo modo obſtare, & impedimento eſſe, quominus in opinionem de offerendo in hiſce circumſtantiis celeriter Cortice, præcipiti ſtatim voto deſcendamus.

Enimvero juxta id, quod obiter tetigimus *Cap. II. Lib. III.* cum in hujuſmodi Febribus præter Fermentum febrile ſanguinem inquinans, & efferveſcere faciens videatur ſuapte natura, & ex principiis intrinſecis peccare ipſemet ſanguis; qui propterea nec fermentum affuſum ſubigit prompte, nec prompte ſecernit, multoque minus defæcat ſe ipſum media ebullitione, ſed potius nativas, & collectitias ſuas impuritates ipſi fermento influenti mutuo quodam fœdere conjungit: idcirco etiamſi per celerem oblationem Corticis obtineatur abſorptio ſpecifica, ſeu individualis Fermenti febrilis, non propterea obtinebitur correctio maſſæ ſanguineæ, in hoc caſu ab origine ſimul peccantis, & peculiari depuratione certo indigentis; ad differentiam Febrium non modo Intermittentium, ſed & Subcontinuarum *benignarum*, ſeu talium per ſubintrantes tantum Acceſſus, ac proinde *Subintrantium* appellatarum, in quarum poſtremis ſanguis pariter non plus, vel paulo plus peccat ac in benignis Intermittentibus, ut *Libro V.* videbimus.

Neque ſatis nervoſe videtur ex hoc poſſe deduci, quod ſaltem de duobus principiis febrilibns, quorum unum advenit, & alterum ineſt ipſi cruori, de duobus, inquam, corrigatur unum, videlicet ab extrinſeco adveniens, & ſic, quod cauſa morbifica ſaltem pro medietate dometur; nam hæc ipſa ſubactio Fermenti febrilis, quæ tollit quidem a ſanguine efferveſcentiam, quin & efferveſcendi occaſionem, ſed non tollit impuritates, quibus rationabiliter in hoc caſu ſcatere creditur, ob hoc ipſum, quod efferveſcentiam inhibet, tollit de medio inſtrumentum fortius depurationis ejuſdem ſanguinis, quod eſt ipſa efferveſcentia. Quamobrem, licet dempto uno principio de duobus activiore videatur, & ſit correcta, ſive abſorpta pro dimidio Cauſa morbifica, quæ tamen remanet, illius portio contumacior poteſt evadere, & apta forſan tractu temporis, torpidior licet, ad plura ſuſcitanda mala; quod ſecus fortaſſe fieret, ſi relicto alio principio agente per efferveſcentiam febrilem abſumeretur. Sed per circulum jam revertimur, unde diſceſſimus. Vel enim iſta efferveſcentia evaſura eſt depurativa ſanguinis, vel corruptiva. Si primum, non eſt opus Cortice; contra, ſi ſecundum. Carruptivam quidem videtur oſtendere gradus celerrimus ad Continuitatem, & Acutiem: attamen res aliter poteſt ſe habere ac videatur; & tunc minus congruenter forſan uſurparetur Cortex, cum in hoc caſu vere agnoſcatur neceſſitas depurationis in ſanguine, quæ non agnoſcitur immediate in benignis Intermittentibus, ut vidimus *Cap. VIII. Libri I.* nec in ſimpliciter Subintrantibus, ut modo dicebamus. Quamobrem hic creſcit cautela de non impedienda fermentatione, vel ebullitione cruoris depurativa, quotieſcumque talis ea ſit, vel vere ſit futura, licet ab exordio corruptiva videri potuerit.

Jamque ad apicem difficultatis devenimus, & conſiſtit in hoc, quod non æque facile in principio dignoſcere poſſumus, ut in progreſſu, an Fermentatio, vel efferveſcentia febrilis Depurativa ſit, an Corruptiva; ſæpe etenim, quæ Depurativa eſſe videtur, aut eſſet futura, tractu temporis præter expectationem noſtram fit Corruptiva, & e converſo. Et niſi ab ipſo exordio in hiſce Febribus celerrimi motus dignoſcat Medicus, an ad depurationem tendant, an ad corruptionem, & niſi Corticem, ubi corruptiva ſit Febris, ſtatim exhibeat, actum eſt quantum ſit pro uſurpando utiliter Cortice; quoniam abolita paulopoſt omni periodo, ac permutata in Continuam eſſentialiter Febre, irrita eſt, & fruſtranea oblatio Febrifugi, & quod pejus eſt, etiam non raro cujuſvis alterius remedii. Atque hic duplex eſt ſcopulus, in quorum alterum facile eſt Impingere, nempe vel omittendo oblationem Corticis, dum tempus opportunum eſt, poteſtque inhiberi in ipſo principio, aut etiam in augmento ſuo progreſſus morbi, qui ex tali omiſſione (in hoc caſu graviſſima) ad mortem fortaſſe poſtmodum terminabitur, vel exhibendo ipſum Corticem in principio, aut augmento morbi, qui cæteroqui ſalubriter, & fortaſſe tutius terminaretur.

Si res iſta ſpectetur a priori, ſeu ante factum, contra uſum Corticis facit: *primo*, quod etiamſi Febris hujuſmodi ab exordio Corruptiva videatur, tamen aliquando talis non eſt in progreſſu, ſed poſt primum impetum, quo violenter erumpit, nonnumquam ſenſim miteſcit, & majorem, veramque intermiſſionem acquirit vel ſponte, vel ordinariis prudenter curata remediis. Contra eſt *ſecundo*, quod, etſi Corruptiva non modo videatur, ſed talis revera ſit Febris, hominemque tandem deducat ad periculum etiam extremum, ut Malignarum, Acutarumque ab exordio mos eſt, nihilominus exitium verum adeo certum, & præceps non eſt, ut in Pernicioſis *Comitatis*, ſeptem videlicet reliquarum ſpecierum; adeoque in iſtis Febribus *Solitariis*, ac *Subcontinuis* emper uſque ad extremum vitæ ſperabilis eſt aliquo modo ſalus vel a Natura, vel Arte ſine uſu Corticis, in extremis hiſce circumſtantiis nequaquam proficiente, ut in aliis memoratis ſpeciebus. Et hæc pro oſtendenda carentia neceſſitatis abſolutæ offerendi Corticem. Sed & pro innuenda illius inefficacia, incertitudine, atque inſimul noxa (habito ſcilicet ad præcocem oblationem, non ad ipſam innocui cæteroqui medicaminis ſubſtantiam reſpectu) contra inſuper eſt *tertio*, quod, ſi in hiſce caſibus valetudine quoquo modo recepta finiendis offeratur Cortex in principio, & morbi curſus vix cœptus ſiſtatur, id fit minus laudabiliter, minuſque congruenter, quam ſi expleto naturali curſu ſubſiſtat. Etenim vel Febris, quæ Corruptiva videbatur, nec tamen erat, prohibetur quominus integram cruoris deſpumationem, atque defecationem abſolvat, difficulter, vel ſaltem cum aliqua incertitudine a Natura poſtmodum abſque febrili efferveſcentia ſperabilem: vel, ſi Corruptiva quidem erat Febris in prima eruptione, ſed non talis permanſura, ut ſupponimus, impeditur pariter ea naturalis inteſtina ſecretio, ebullitioni tandem paulatim ſucceſſura, quæ dicitur *Coctio*, quæque utut difficulter fiat, fit tamen, quomocunque ſuperſtes ſit Æger; eſto etiam quod nonnunquam ex hujuſmodi difficilibus, atque identidem imperfectis judicationibus, a Natura, vel Arte ſine Corticis uſu peractis, adeo male plectantur homines, tenuſque viſcerum, & craſis humorum adeo labefactetur, ut pejor ſic ſanato ſuperſit diſpoſitio, vitæ brevitatem, incommodumve notabile, aut habituale inducens, quam ſi in principio fuerit quomodolibet Febris illa ſuppreſſa. Contra denique eſt *quarto*, quod licet ſemper, ubi adeſt aliqua Intermiſſio, Febris quælibet quocunque tempore, certo ſaltem, ſi non plane tuto ſiſti conſueſcat, non tamen certo ſemper impeditur pertinax, & repetitus illius recurſus, ſi in impetu ſuæ eruptionis ſuppreſſa fuerit; immo nec ſemper æque certo ac in aliis caſibus ea ſiſtitur in hoc, ubi nempe *ſtatim* cœperit aliquam continuitatem acquirere ab eſſentiali parum diſtantem, licet utplurimum, ac fere ſemper ſiſtatur: ut propterea ex dictis hucuſque (quæ incunctanter propono, & admitto, ut rationabilia, & vera) nec ſemper tuta, nec ſemper utilis, nec perpetuo certa de conſueto effectu eſſe videatur oblatio Corticis circa initia Subcontinuæ Pernicioſæ, ut in caſu propoſito. Qua olim de cauſa egomet poſt curatam in memetipſo ope illius Tertianam Pernicioſam, ut *Hiſt. I. Cap. II. hujuſce Lib.* tradidi, neque Recidivam præcavere per continuationem Remedii, neque eam typo Tertianæ duplicis denuo invadentem curare volui, me ſcilicet inſigni ſanguinis depuratione indigentem reputans; nec ideo ſatis apte curatum credens, ſi Febris rurſus me graviter impetens ſtatim fuiſſet ſuppreſſa; quidquid ſit, an de me ipſo recte tunc judicaverim. Atque hæc eſt facies rei ſpectatæ a priori, & ante factum.

Sed ſi res eadem ſpectetur a poſteriori (& hoc eſt, quod animum meum torquet, ac pluries torſit) ſi, inquam ſpectetur res ex alia facie, cum videlicet Æger, qui ab initio paſſus eſt Febrem per aliquod breve ſpatium temporis Intermittentem omnino, vel ſaltem quaſi intermittentem, adeoque tunc temporis Cortice ferme citra dubium ſanabilem, tractu dierum aliquot occumbit, de quo certo quodammodo dici poteſt poſt obitum --- *Hic Homo poſt quatuordecim morbi dies defunctus, ſi ante dies decem Cortice fuiſſet uſus, vere tunc viveret*, - fateor quod talem intra memetipſum experior ſolicitudinem de non oblato ſtatim Febrifugo, ut me non ſolum pœniteat non obtuliſſe, ſed & pigeat vel ob vana erga alios Medicos officia, vel ob metum calumniæ, ſi recidiſſet, vel ſerius etiam occubuiſſet, omiſiſſe, utut etiam propter recenſitas ante rationes ſimul abſtinuerim. Nec mi-

minus ferme contriſtor, dum recordor, quot mihi quondam periere ex Perniciosis Intermittentibus *Comitatis* Ægrotantes, priusquam nossem Methodum meam, licet nulla tunc fuerit in me, vel esse potuerit omissionis culpa, quam cæteroqui dubio procul modo subirem, si methodum ipsam in rationabilibus circumstantiis omitterem satis conscius de efficacia, & innocentia illius. In casibus enim Perniciosarum Comitatarum offerens Corticem haud vereor dicere cum *Mortono* -- *Id facio conscientiæ causa, utut ex præconcepta opinione reclament Amici, Medici, vel ipsi Ægrotantes* -- Et hæc est ratio ingenua, propter quam mordicus eo casu quandoque sustineo in Consultationibus, offerendum esse Corticem non propter gloriolam præminentiæ in consulendo, vel in sanando, in casu, inquam, certi, & præcipitis exitii, ex Comitatis Intermittentibus resultantis, non in casu ancipiti Subcontinuæ solitariæ incipientis, in qua vel ipse sæpius hæreo, & sæpius abstineo. Cæterum, ubi agitur de Remedio Febrim alioqui plane lethalem certo tollente, Vitamque hominis statim perituri statim servante, hic est, ubi nequeo connivere, ne desim, ut modo ajebam, conscientiæ propriæ, mea maxime fretus experientia, in pluribus sæpenumero opponentibus desiderata, & per nugatoria tantum sophismata reluctantibus. Quamobrem ab una Perniciosæ Febris differentia ad aliam facto per rationem transitu, in Subcontinuis quoque Solitariis malignantibus curandis, ne frustra post factum doleam, operando, ut ante factum, dum tempus est, serio pensitem intra memetipsum inquiens -- *Hic Homo, qui fortassis post aliquot dies perituru est ex hac Febre, quam cæteroquì statim cohibere possum, debetne modo poni in tuto cum levi aliqua scrupulositate superstite, an incerto Fato relinqui?*

At hic iterum fit reditus ad primum Problema, explicatum tantummodo hucusque, nec tamen adhuc solutum, quin etiamnum sub clarioribus terminis repetendum: An scilicet pensitatis hinc inde, & admissis omnibus, quæ supra retulimus, adhuc nihilominus expediat in principio, aut etiam in augmento Febris descriptæ hominem probabiliter (non tamen æque certo, ac in aliis Perniciosarum speciebus) intra paucos dies periturum, certo servare cum suspicione intempestivæ suppressionis morbi, recidivæ frequentioris, vel diuturnioris male firmæ habitudinis, forsitan contrahendæ ob impeditam depurationem fluidorum, media febrili effervescentia cæteroqui probabiliter subsequuturam, si absque usu Corticis idem homo minus celeriter, & per viam Crisεos, aut etiam Coctionis, ut ajunt, convalesceret; An illum periculosæ incertitudini sub spe firmioris valetudinis obnoxium relinquere, & consueta tantum methodo eidem mederi sine adjumento Corticis, nonnisi circa morbi initia hic profuturi.

Ad hosce terminos redacta Quæstio, claritatem quamdam videtur jam præseferre pro solutione sui ipsius, saltem aliqua, si non integra, & omnimoda. Quoniam tamen agitur hic de re graviſſima, & in praxi frequenter obvia, donari velim negotio tanti ponderis disquisitionem ulteriorem, & prolixius adhuc examen, etsi jam -- *bis terque recoctum*. Haud equidem fuisset difficile paucioribus rem totam complecti, minusve cunctanter, aut minus cælpitanter de eadem decernere; sed brevitas, hoc saltem loco, in minorem Tyronum utilitatem cessisset, minus vero cunctabunda dicendi forma, in arrogantiam quamdam, qua veluti ex *Tripode* certa nimis dedissem responsa in re, circa quam in praxi vere non semel hæreo. Quia vero plurimum conferre potest ad solutionem Problematis, vel ad partem illius alterutram seligendam, ingenua prius, & severiore nonnihil indagine quærere, quid vere agat China China in Febres, cum illas sistit; & specialiter perpendere, quodnam intercedat discrimen inter curationem ipsarum Febrium vulgaribus tantum remediis, vel etiam sponte Naturæ absolutam, & inter eam, quam Corticis oblatione consequimur: ideireo in hanc consideratione parumper immorari nunc libet, priusquam ulterius procedamus in materia, quæ modo controversiam patitur, ut scilicet, si quicquam decernimus, quid vere decernamus, appareat, pateatque quid sperandum sit, quidve metuendum ex cita suppressione Febrium exitus cæteroqui ancipitis, ab administrato circa initia Cortice coercitarum.

Ante omnia tamquam Theorema non alienum prorsus a veritate illud præmitti, & admitti quodammodo posse videtur, quod olim prodidit *Thomas Campanella*, Febrem scilicet suapte natura sim-

ſimpliciter morbum non eſſe, ſed potius Remedium contra morbum, cum reapſe, ſi modum ſervet, evadat tandem remedium Cauſæ, immo quodammodo & remedium ſui ipſius. Atque id ſaltem ut verum poteſt admitti, ubi Febris depurativa fuerit, ut pluries diximus; ubi vero fuerit corruptiva, licet hoc nomine veluti per accidens morbi naturam induat; attamen, cum ex inſtituto ipſius Naturæ excitari videatur ad hoc, ut cauſam morbificam maturet, ac concoquat (ut verbis Antiquorum utar) hoc alio nomine, ſpectata, ut ſic dicam, intentione Naturæ, non immerito etiam Remedium poteſt audire, quemadmodum eam ab *Hoffmanno* vocari *Ignem Naturæ purgatorem*, diximus alias. Effervescentia enim febrilis, quæ ab heterogeneis particulis, ſalibuſve diſſymbolis ſive originariis, ſive adventitiis, intra humani Corporis fluida ad turgentiam congeſtis, vel aſſidue, vel per intervalla excitatur, eo tendit, ut hujuſmodi particularum ſubactionem, aut ſecretionem moliatur, atque hac via ipſorum fluidorum depurationem, & nativæ illorum Craſis reſtitutionem producat. Per accidens autem videtur contingere, quod vel immodica ſit, & immanis ſuccorum effervescentium, ob Cauſæ ſcilicet vehementiam, vel copiam, excandeſcentia, vel quod eadem effervescentia ſit debilior, quam par ſit, pro obtinendo fine depurationis, adeoque in neutro caſu (ob rationes quidem oppoſitas) obtineri queat tentata cæteroqui fluidorum deſecatio. Per accidens pariter eſt, quod ex improportione particularum agentium, & patientium, moventium, & commotarum, vel nimia fiat fluidorum fixatio, unde ſtagnationes, & inflammationes, vel quod peccantium particularum congeries, atque ſaburra tanta ſit, ac talis, ut mole, vel activitate partes utiliores ſuperet, adeoque nativam fluidorum texturam plane diſſolvat, pervertat, corrumpat, vel ipſa continentia Vaſa per vim aperiat, aut etiam diſrumpat, atque omnibus hiſce modis inferat mortem. Cum vero hoc, quod per accidens fieri dicimus, non raro fiat, ſitque accidens, cum contingit, inter contingentia maximum: ideo cum Febrem acutæ naturæ participem præ manibus habemus, eam veluti morbum, & quidem naturæ ancipitis, conſiderare conſuevimus, & ut talem curandam ſuſcipere.

Duplici autem via, ut alibi jam vidimus, cum ad ſalutem terminatur, ſolvi ſolet eadem Febris (ſive per curationem Artis, ut vocant, Methodicam, ſive ſponte Naturæ ſolvatur) videlicet vel per *Criſim*, vel per ſolam, ut ajunt, *Coctionem*, ſive *Pepaſmum*: atque utroque modo vel perfecte, ac omnino, itaut non recurrat morbus; vel imperfecte, & cum ſuſpicione aliqua Recidivæ, quæ proinde morbo tam per Criſim, quam per ſolam Coctionem ſoluto, & tam in ſpontanea, quam in artificiali curatione, non raro ſuccedit juxta plura Hippocratis effata, qualia ſunt -- *Quæ relinquuntur in morbis poſt judicationem, recidivas facere conſueverunt -- his, qui non ob juſtam Cauſam levius ſe habent, fidere non oportet -- Qui morbi diebus paribus judicantur, male judicantur, ac lubenter repetunt &c.* -- propter quas obſervationes practicas optamus quandoque, ut Febris, quantum par eſt, protrahatur, neque ſua ſponte tam cito ſubſiſtat: ſecus ex ipſa ſpontanea, ſed præcoci ſuppreſſione, Recidivam metuimus, atque ominamur.

Cum ergo Methodi vulgaris ope exercetur curatio, Medicus nil aliud agit, quam removere impedimenta, quæ ſanationem vel per Criſim, vel per Coctionem poſſent remorari, eaque pro viribus conatur adminiſtrare, quæ eandem Coctionem, aut Criſim adjuvare poſſe creduntur; adeoque non aliud efficit, quam effervescentiam fluidorum, & præſertim ſanguinis, moderari, ſcilicet vel promovere tantillum, ſi opus videatur, vel, quod frequentius eſt, ſufflaminare, ut ſic redacta, quantum licet, ad opportunam mediocritatem ebullitione, poſſit deinde a Natura ſponte fieri, quod faciendum eſt pro requiſita eorundem humorum deſpumatione. Atqui hac in re Medicus, ut Inſpector morbi, & ut Naturæ Miniſter, adjutorque ſe gerit, eidem Naturæ deſerviendo, & laborantem adjuvando, ut morbum vincat: eo pacto, quo Chirurgus cavi Vulneris, aut Ulceris repletionem promovet, non quidem carnem ipſam, quæ ope Naturæ ſuccreſcit, regenerando, ſed removendo impedimenta, ulcus ſcilicet abſtergendo, faſciiſque, ac ſpleniis conſolidationem adjuvando, a ſola Natura ſic adjuta vere abſolvendam.

Cum vero Chinæ Chinæ uſu curatio Febrium perficitur, ipſa directe extinguitur febrilis effervescentia: illiuſque inhibetur progreſſus, & noxa quævis inde emerſu-

ra.

ra. Atque ita Medicus se gerit ut Dominus, & Arbiter morbi, & ut Instaurator Naturæ, morbum scilicet Remedio illum subigente repellens, ac vincens, Naturamque ipsam vel labentem, vel lapsam, non ad se erigendum blandimentis invitans, aut irritamentis stimulans, sed totis viribus suis sustentans, ac erigens: eo pacto, quo Chirurgus, dum membri alicujus luxati repositionem, vel fracti ossis coaptationem absolvit, morbum ipsum directe tollit; Naturamque propriis viribus impotentem se restaurare manibus ipsis suis sublevat, & in pristinum restituit. Equus indomitus, & effrænis (ut rem eandem pluribus explanem exemplis) Equus, inquam, indomitus, quandoque est Febris. Ab eo Vita hominis trahitur, velut Currus, quo Fata sinunt. Medicus moderator est, Aurigæ instar, lora tenens. Si vulgari utatur hic methodo in curatione Febris, id aget tantum, vel studebit agere, ut medium furens Equus teneat iter, ne in foveas hinc inde paratas obliquus feratur, Currumque, vel Hominem perdat; non vero impediet, quin cursum suum Equus expleat, usquequo illi suppetunt vires, & furor, non sine gravi metu, quod dum

Fertur equis Auriga, nec audit currus habenas,

offendat ille tandem ad obicem aliquam, ad quem allisa male consistens facile frangatur machina. Quod si China China utatur Medicus, id aget, ac si retracto magistra manu convenienter fræno, Equum vi sistat, aut retrogradum faciat, & hoc pacto totius incerti cursus declinet pericula.

Hæc quidem, quæ tantam præseferunt speciem, vera sunt pro statu præsenti. Inquirendum supereſt, an eandem retineant speciem pro statu futuro, cui quoque necesse est, ut prospiciat providus, & prudens Medicus. Ut hoc felicius assequamur, non abs re erit aliam instituere comparationem, qua examinemus, quodnam adhuc intercedat discrimen, generaliter loquendo, inter curationem Febrium tum absque usu Corticis, tum medio Cortice peractam, & curationem aliorum morborum nequaquam Febrilium, ac præsertim Chronicorum; hinc enim non parum luminis forsan emerget ad id, quod quæritur, clarius explanandum. Et ut a curatione Febrium sine usu Corticis, ideſt vel a Natura tantum, vel ab Arte remediis, ut ajunt, methodicis instituta exordiamur, ea inter hujusmodi curationem, & curationem aliorum morborum, præsertim diuturniorum, est discrepantia, ut Febres sic curatæ, vel etiam sponte solutæ per se ipsas, & ex se ipsis, videlicet per ipsam efferveſcentiam suam continuatam, vel repetitam, & rite, atque cum moderamine semper protractam, solvantur, ut ignis accensus extinguitur tandem per ipsam pabuli sui consumptionem; atque hac via sunt remedium, ut diximus, non tantum suæ Causæ, suique Fermenti, verum & quodammodo sui ipsius: quandoquidem ipsum febrire, utut utile nonnunquam futurum sit, incommodum tamen, ac proinde quoquo modo morbosum semper est. Morbi vero Chronici, saltem quamplurimi, qui citra ullam efferveſcentiam, aut ebullitionem & fiunt, & sanantur, sæpissime saltem, ne dicam, semper, curantur per depressionem aut absorptionem ipsius Causæ morbificæ, seu principii cujusdam salini peccantis, per hujusmodi absorptionem inconspicui redditis, nec amplius lædentis: qua ratione per usum Saliæ parilæ *v.g.* alteriusve similis alterantis, corrigi quotidie dicitur humorum dyscrasia multiplex in morbis quamplurimis diuturnioribus.

Hac posita diversitate, videtur id subsequi, quod Curatio Febris, quæ per defervescentiam ipsam febrilem rite, feliciterque perductam, atque *integre*, ac perfecte solutam, seu *judicatam*, absolvitur, ita defæcat eo casu succos efferveſcentes, & ita segregat per despumationem quamdam fermentum peccans, ut difficillima sit amplius ejusdem reviviscentia, aut cum succis jam depuratis nova commixtio, præsertim cum non minima illius portio tempore defervescentiæ secerni non solum, sed & excerni consuescat. Ex opposito curatio morborum Chronicorum nequaquam febrilium, quæ per absorptionem solam principii peccantis peragitur, ita principium illud deprimit, illaqueat, ac abscondit, ut rationabilis superſit suspicio, quod tractu aliquo temporis possit illud, levi quapiam data occasione, rursus sui juris fieri, exaltari, conspicuum reddi, & in libertatem rursus aliquam vindicari, nisi provida Natura illud, priusquam denuo exaltetur, excernat. Et ob hanc rationem morbi hujusmodi Chronici, nonnunquam etiam Herculei, longe felicius curantur per supervenientem Febrem validam, quæ com-

pleto curſu *perfecte* poſtmodum *judicetur*, quam per quamlibet Curationem artificialem, per abſorbentia, & ſpecifica; ut & per evacuantia quævis (quæ vi *excretoria* tantum, ſed non *ſecretoria* pollent) abſolutam; ſecus vero contingit, ſi Febris morbo Chronico ſuperveniens judicetur *imperfecte*, ut ſæpe aſſolet; tunc enim ex imperfecta Febris judicatione, & ex morbo adhuc ſuperſtite, geminatur incommodum. Atque hæc eſt differentia, quæ intercedit inter Curationem Febrium, ut ajunt, Methodicam, aut etiam ſpontaneam, & inter aliorum plurium morborum minime febrilium curationem.

Hæc autem ipſa curatio, quæ competit morbis, ab humorum effervescentia minime genitis (ut aliam partem aſſumptæ comparationis proſequamur) ea, inquam, ipſa eſt, quæ Febribus adhibetur, quando curantur ope Corticis; eo enim, & fermentum febrile abſorbetur, & occaſio effervescendi non minus, quam effervescentia ipſa demitur ab humoribus. Quamobrem Medicus Cortice utens, ubi vere Febrem, ſeu effervescentiam ipſam curare expediat, illique validum ſufflamen imponere (cujus rei opportunitas modo controverſa eſt) vere dici poteſt mederi Febri, illiuſque Cauſæ: utens vero vulgari methodo, dici poteſt potius eidem Febri blandiri, litare, & ſacra facere, tantum ne noceat, ut blandiri mos eſt Equo furenti, ne potiatur fræno, cum nequit eodem cohiberi; ni fortaſſis illam violentioribus remediis irritando ad nocendum laceſſat, ut acriori regimine furentem Equum exaſperando, petulantior ille redditur, aut magis refractarius.

Hujuſmodi ergo curatio, quæ per Corticem peragitur, & fit per abſorptionem principii peccantis, hoc pacto depreſſi, & inconſpicui redditi, vere fit per *Coctionem* ſui generis *peculiarem*, ut tetigimus *Lib. I.* non eam ſcilicet, quæ Naturæ patienti competit, ſed quæ competit Arti agenti, qualis eſt, quæ pari ratione fit in Morbis febrili effervescentia carentibus. Hæc tamen curatio per abſorptionem facta, ſeu per *artificialem Coctionem*, præſertim in morbi principio, obnoxia pariter eſt nonnunquam, & aliqua ſaltem ex parte, novæ reviviſcentiæ principii abſorpti, ni tractu temporis illud a Natura ſubigatur perfecte, aut e corpore eliminetur, vel niſi ab Arte ipſa peſſundetur penitus per diuturnam, & per intervalla repetitam oblationem remedii. Quæ conditiones cum ſint incertæ, ipſe alias Corticis uſum in Intermittentium *Benignarum* principio proſcripſi *Lib. I. Cap. VIII.* niſi illæ fuerint manifeſte *Corruptivæ*; niſi enim tales ſint, nulla eſt neceſſitas ſtatim confugiendi ad Corticem neque ex parte morbi ſuapte natura ſalutaris, neque ex parte Remedii, etiamſi adminiſtretur ſerius, ſemper nihilominus etiam tunc profuturi. In curatione itaque Febrium facta per ſolam abſorptionem, aut depreſſionem Febrilis fermenti, & præcipue in illarum principio, locum pariter videntur habere poſſe ſuſpiciones *Hippocratis* ſuprarecenſitæ de facili Febrium imperfecte judicatarum recurſu, quemadmodum locum habet eadem ſuſpicio Recidivarum, & æque militat in curatione non abſimili, ad alios Morbos non febriles communiter adhibita, ut non raro eventus patefacit, utque notavimus jam *Lib. I.* & paulo ſupra confirmavimus.

Cum tamen hæc eadem ſuſpicio minime remoretur Medicos a curationibus tot morborum per remedia ſales humorum peccantes abſorbentia, vel, ſi magis placeat, diſgregantia, aut quovis alio modo corrigentia, quotidie exercitis; quinimmo cum ſuſpicionem hujuſmodi infringat ſpes, quod Natura reſumptis viribus depreſſum jam, devinctum, & detentum compedibus hoſtem per conſueta excretionum loca vel ſenſibiliter excernat: eadem idcirco ſpes in concurſu ejuſdem ſuſpicionis videtur eo magis fidentes poſſenos reddere in hujuſmodi quoque curatione Febribus adhibenda, quo majus eſt in hoc morbo, quam in illis periculum, & quo major eſt in hoc remedio, quam in illis certitudo effectus. Et ſicuti in curationibus, quæ ad Chirurgiam pertinent, quaſque ſupra tetigimus per modum exempli, ut in coaptatione partium Oſſis fracti, vel in occludendis ſtatim omni arte periculoſis, amplis, & penetrantibus Abdominis vulneribus, obvii tantummodo Morbi citam ſublationem, ſubitamque, quantum licet, Naturæ, & membrorum redintegrationem quærimus, difficillimam deinceps, viiſque naturalibus ſæpe carentem, ſaniei, puris, vel cruoris excretionem uni Naturæ induſtrioſæ abſque magna ſolicitudine relinquentes: ita, ſuppreſſa ſtatim, ut ſic dicam, per Chinam Chinam Febre periculum minitante, non videtur attendenda plurimum

ſoli-

ſolicitudo de ſenſibili aut inſenſibili expulſione pauculæ materiæ abſorptæ, a Natura jam victrice facile inſtituenda per tot naturales, & amplas, quæ hinc illinc proſtant, patentque vias.

Denique quoniam curatio Febrium, quæ fit ab Arte ope vulgaris methodi, ut & ea, quæ ſponte fit a Natura (& hæc quidem non eſt exigui ponderis conſideratio) illarum judicationem ſortitur modo bonam, atque perfectam, nempe ad ſalutem: modo imperfectam, nempe ad alios morbos, aut Recidivas: modo malam, nempe ad mortem: curatio vero, quæ fit per Corticem, ſemper ſortitur judicationem ſaltem imperfectam, & non raro etiam perfectam, ac optimam; hinc eſt, quod ad excludendum uſum Corticis in principio Febrium exitus cæteroqui ancipitis, opus eſſet, ut Medicus haberet certitudinem de futura Recidiva, & quidem graviore ex uſu Corticis, & judicatione perfecta, & ſalutari, abſtinendo a Cortice, vulgaremque tantum methodum uſurpando. At revera vulgaris Methodus non vere ſibi, ſed ipſi innititur, ut vidimus, efferveſcentiæ febrili, quæ aut Crifeos, aut *naturalis Coctionis* inſtrumentum eſt. Hæc autem ipſa efferveſcentia, cum ſimul ſit inſtrumentum modo depurationis fluidorum, modo depravationis, & corruptionis eorum, non tantum pugnat adverſus Cauſam morbificam, verum etiam (vel tunc cum proficit) adverſus Ægrum, quem mille cruciatibus torquet: cum Cortex ex oppoſito contra ſolam nervoſe pugnet ſine ullo tamen tumultu Cauſam Febris.

Non tamen ideo inficias ibo, quin iterum fateor, & quod fatetur *Mortonus* ipſe, meliorem eſſe curationem, quæ fit per deflagrationem febrilis efferveſcentiæ, quando *perfecte* ſuccedit, ac ſit ea, quæ fit medio Cortice per inhibitionem progreſſus ipſius efferveſcentiæ febrilis: prior ſiquidem, ignis adinſtar, eſt Remedium ſui quaſi per abſumptionem, & conſumptionem Cauſæ: Cortex vero per ſolam illius abſorptionem, vi cujus ita compeſcit fluidorum turbas, ut aliquis forte tumultus queat iterum ſuſcitari. Etſi enim hoc remedio non ſola (quod perperam quiſpiam credat) tollitur efferveſcentia, ſed ipſa ſimul, ut diximus, occaſio efferveſcendi: attamen occaſio iſthæc non æque tollitur uſu Corticis abſorbentis, ac tollatur ope incendii febrilis, fermentum ipſum, quod efferveſcendi occaſio eſt, veluti comburentis, quando *integre*, atque *perfecte* hujuſmodi opus abſolvit. Proinde (ut redeamus ad nos) pars alterutra noſtri Problematis in Praxi non eſt caſu, ſed ſumma cum animadverſione, & prævia conſideratione eligenda. Cum enim, ſi ſubſequutura eſſet mors, idque nobis certo ab exordio morbi innoteſceret, procul dubio offerendus eſſet Cortex: & ſi ſubſequutura eſſet ſalus per criſim perfectam, aut per perfectam coctionem, idque nobis ſimiliter conſtaret, ſatius eſſet, meo judicio, circa initia hujuſmodi Febris abſtinere a Cortice; ideo utroque hoc ſcopo nobis propoſito æquum eſt, cum ſe ſe offert agendi occaſio, examinare diligenter conditionem rei, ut tutiorem inſimul, & prudentiorem partem eligamus in caſu utrinque nonnihil, cum diſparitate tamen, ancipiti.

Dubium interim non eſt, quod ſi in æqua lance ponatur utraque Problematis pars, non præponderet ea, quæ ſuadet oblationem Corticis, cum longe majus ſit, quod imminet ex illius omiſſione, quam ex oblatione periculum, poſſitque inſuper iſtud facilius, & probabilius evitari, Natura videlicet ipſa, etiam præciſa efferveſcentia febrili, per mitiorem fermentationem morboſas particulas in ſanguine reſtitantes ſecernente, & tractu temporis per loca idonea expellente ſecundum eam ſaltem portionem, quam non valet plane ſubigere. Sane ſi imminentes datum eſſet prævidere, ac præcavere hujuſmodi Febres, ſive illæ *Corruptivæ* futuræ eſſent, ſive etiam *Depurativæ*, quod nobis prorſus occultum, adeoque ſi foret in poteſtate noſtra

---- *venienti occurrere morbo*,

procul dubio omnibus, quibus poſſemus, remediis præcautionem febrilis efferveſcentiæ tentaremus, etiamſi impedita hujuſmodi efferveſcentia, quotieſcumque ea depurativa futura eſſet, ipſa pariter præpediretur cruoris depuratio. Quia enim tunc eſſet incerta futura hæc depuratio, certus vero morbus, & conſequenter incerta ſalus, eſſet autem ſperabile quoquo modo depurationis opus tum a remediis ipſis Febrem prævenientibus, ac impedientibus, tum ab aliis ſucceſſive adhibendis, tum a Diæta, tum ab ipſa Natura ſuarum ſecretionum, excretionumque nequaquam oblita: ideo cum ratione inſtitueretur Prophylaxis pro inhibenda imminente Febre, fortaſſis Hominem in-

terem-

teremptura, vel in morbos Chronicos, & insanabiles, vel in statum valetudinarium, Vitæque brevitatem deductura; & fortassis ex opposito etiam profutura. Quidni ergo, si Febrem imminentem licet (utinam æque fieri posset, ac liceret) impedire, ne adveniat, quidni, inquam, liceat impedire, ne progrediatur?

Quamvis autem hæc valde præponderent alteri Problematis parti, magisque adhuc præponderent, si celeritas, qua Febris ad Continuam properat, pendeat, ut nonnumquam potest pendere, non tam a prava præexistente sanguinis diathesi, quam ab influxu copioso, ac celeri ipsius Fermenti redundantis, & per copiosum proinde, ac celerem Corticis usum procul dubio reprimendi: non tamen ideo contemnendæ sunt suspiciones haud irrationabiles in contrarium, quod nempe aliquando saltem satius sit, propositas Febres sinere progredi, quam statim supprimere; & consequenter congruum erit videre, ubinam talis suspicio possit habere locum probabilem, vel saltem ubi non possit habere. Statutis etenim circumstantiis, in quibus animose possit, debeatve Cortex offerri in istarum Febrium principio, spreto scilicet in conspectu gravioris, evidentisque periculi metu malorum, quæ forsitan suboriri possunt, & forsitan non, facile erit prudenti Medico se ipsum hic & nunc determinare ad hanc, vel ad illam partem, prout magis, vel minus indicari videbit Febrium suppressionem, scilicet, prout magis, vel minus accedunt ad eas, de quibus ratione adjunctorum, & circumstantiarum, minime dubitandum est, quin sint statim sistendæ, tamquam vere Corruptivæ, ut infra.

Si ergo Febris orta Intermittens, statim vero *Subcontinua* reddita, & ad Continuam essentialiter citissime progrediens, qualem a principio descripsimus per modum exempli, si, inquam, ista, præter enunciata ibi, vel similia symptomata, habeat peculiariter ab exordio sui symptoma aliquod ex iis, quæ Febrem Intermittentem Pernicioſam reddunt, puta *Lethargum*, *Syncopem*, *Cardialgiam* &c. non quidem in eadem præcipiti intensione (tunc enim uti Comitata denominaretur ab illo symptomate Pernicioſa, non a Continuitate) sed neque in gradu plane vulgari, hoc est, cum distincto aliquantulum charactere non modici ponderis: eo casu Febris absolute pro *Corruptiva* habenda est, & ad exitium non multo post terminanda; siquidem præter imminentem Continuitatem, & Acutiem, habet insimul nescio quid præcipitis in adjuncto peculiare symptomate intenso, quod certam perniciem præmonstrat. Vix enim fieri potest, quod post principium hujusmodi grave, mors non subsequatur in statu, in quo cuncta fortiora futura sunt: adeoque in talibus circumstantiis minime hæsitandum est circa oblationem Corticis in ipso principio, priusquam essentialis Continuitas, brevi superveniens, occasionem tollat cito labilem. Porrigendus autem est Cortex Methodo placidiore, ne uno ictu suffocetur Febris; eo tamen vigore porrigatur, qui potis sit statim eandem Febrem valide plectere, & enervare, exhibendo *v. gr. drachmam unam mane, & sero per tres, aut quatuor dies*, vel *drach. j. ss. prima vice*, & semel tantum ea die; mox *drach. unam mane*, *& sero* secunda die, *semidrachmam* vero tantum bis in die per tres, stel quatuor sequentes dies. Uno verbo, ea proportione incedendum est, quam exigit motus Febris lentius, vel citatius ad continuam tendentis, cum sufficiat nobis eo passu, & eo motu progredi, qui apte sufficiat ad prohibendam Continuitatem essentialem. Hoc posito in tuto, quo blandius operandum in cohibenda Febre, eo melius. In istis casibus, ubi alicui in usu remedii non satis versato, & nescienti exacte metiri proportionem inter activitatem Febrifugi, & extenuationem Febris, obscuritatem aliquam, aut confusionem offundat antedicta, is poterit uti laudabiliter, & cum fructu *Mortoni* methodo æqualiter Chinam Chinam distribuentis, *drachmam unam* videlicet singulo quadrihorio usque ad extinctionem Febris, licet talis methodus facta collectione sit nonnihil superabundans in dosi, nimisque fortasse celeriter hoc loco Febrem suffocet. Nihilominus satius est sic agere cum aliquo excessu, quam nimis imbeciliter, cum deest notitia debitæ proportionis: ne scilicet si Æger, non subacta per Corticem nimis parce exhibitum Febre, naturali ferociæ morbi succumbat: dicatur culpa Corticis obiisse, & ipse demum Cortex *videatur occidisse*, *cum non servaverit*. Qui vero talem proportionem rite noscit, longe melius finem assequitur, immo eo præcise tempore, quo vult assequi, impendendo longe mi-

norem Corticis quantitatem, ſed doſim modo largiorem, modo parciorem alternando, ſuſpendendo, & crebrius, vel rarius repetendo pro morbi exigentia, & pro complemento propriæ intentionis. Illud tantummodo animadvertendum, quod ſi ſymptoma grave perniciem minitans eam minitetur, vel cito pariter immineat, & ſine intervallo temporis eſſentialis Continuitas, tunc ſtatuta jam ut neceſſaria oblatione Corticis, opus eſt uti ea ipſa methodo, quam deſcripſimus *Cap. III. Libri* antecedentis pro curandis Pernicioſis iſtis ad Continuas Acutas tendentibus in ſuo progreſſu. Quod enim dictum eſt fieri debere in progreſſu, faciendum ſimiliter eſt in principio, ſi eadem ſuadeat neceſſitas; adeoque & in hoc caſu *duæ*, vel *tres drachmæ* Corticis, ſi opus ſit, prima vice poterunt exhiberi. Sedata autem Febre, Recidiva erit præcavenda modis iiſdem, vel ſimilibus, qui eodem *Cap. III. citati Libri*, & alibi fuere propoſiti, quoſque hic repetere ſupervacaneum foret.

Inventa jam circumſtantia aliqua certa, in qua valde opportunum eſt, aut neceſſarium exhibere Corticem in deſcriptarum Febrium principio, cum proportione poſſumus ſine determinata tamen regula uti hoc exemplari pro dignoſcendis cæteris circumſtantiis, in quibus rationabiliter liceat idem aggredi. Quo magis ergo Febris Subcontinua in ſuo principio ad Continuam Acutam celeriter vergens juxta indicia ſuorum ſymptomatum accedet ad naturam pernicioſam, Intermittentibus veris, ſeu Comitatis familiarem, adeoque valde præcipitem, etſi peculiare aliquod ſymptoma pernicioſum non plane eluceſcat, eo magis fidenter tentare poterimus uſum Corticis. Quo vero minus accedet ad talem naturam, ſed potius nonnihil benignioris, lentioriſque progreſſus habebit ad Acutiem, & ad Continuitatem, etſi & a principio illuc tendat, eo cautius, & temperantius utendum erit ipſo Cortice, illum videlicet vel plane omittendo, vel ſaltem minus celeriter exhibendo, procraſtinando ſcilicet eadem ſegnitie, qua movetur Acutiem, & Continuitatem verſus ipſa Febris, cum advertentia tamen, ne occaſio interim præterlabatur. Atque in hiſce Febribus quandoque contingit uti cum maxima ſecuritate Febrifugo circa earum augmentum, aliquot paucis nempe tranſactis diebus, in quibus nonnulla facta eſt ignis febrilis diffiatio, acceditque illarum motus ad motum uſitatiorem reliquarum Subcontinuarum Malignantium, quarum exempla protulimus in Hiſtoriis, quaſque jam diximus Cortice curandas in ipſarum progreſſu, & tranſmutatione.

Tota difficultas reducitur ad primos dies, in quibus aliquando non prius Intermittens eſt Febris, ac in Continuam migret, qui caſus non infrequens eſt in praxi: immo ſæpiſſime plures Acutæ Febres ſic incipere conſueverunt (neque enim ſemper oriuntur Continuæ eſſentialiter, neque ſemper tales paulopoſt deprehenduntur) idque præſertim contingit iis tempeſtatibus, & Conſtitutionibus, quibus Intermittentes Febres ſolent vigere, puta Æſtate, Autumno, aut Vere, rarius vero Hyeme, quo tempore Febris Continua utplurimum vere Continua oritur, & ſibi ſemper, ſi non æqualis; ſaltem valde ſimilis: ſecus aliis temporibus, ut dicebam, quibus potius videtur, quod Febres ſuapte natura oriantur Intermittentes, nec niſi per accidens, etſi quamcito, in Continuas degenerent; de qua diverſorum generum continuitate fuſius verba facturi ſumus *Libro V.*, ubi *Subintrantium*, *Proportionatarum*, & ſimpliciter *Remittentium* Febrium variam indolem declarabimus.

Inhærendo itaque arcte Problemati reſtricto ad primum iſtud principium Febrium propoſitarum, & ſtatuto, quod Cortex ſtatim in illis propinandus ſit, ſi aliquod ſymptoma Pernicioſo analogum ſimul appareat, immo etiam quod idem faciendum ſit, proportione adhibita, in caſibus peculiari quidem, & valde gravi ſymptomate vacuis, ſed nihilominus ad naturam pernicioſam accedentibus, hoc eſt de futuro tandem exitio valde probabiliter ſuſpectis, non aliud mihi dicendum ſupereſt pro clariori, magiſve ſpecifica determinatione, niſi quod poſito hoc ſcopo, quilibet in illum collimare debet pro ratione ſui captus, ſui metus, ſuæ ſpei, & ſuæ credulitatis. Mihi ſane non alia menſura eſt, niſi metus meus modo major, modo minor, modo nullus, tam pro determinatione exhibendi, vel non exhibendi Corticem, quam pro electione modi, methodive illum modo citius, modo tardius, modo lentius, modo celerius, modo crebrius, modo rarius, modo parcius, modo plenius offerendi: quibus omnibus in caſibus pro re nata utor arbitrio

trio meo, finens, ut & alii utantur suo. Felix, quem nulla præoccupat intempestivæ animositatis, aut formidinis vehemens affectio, sed quæ sunt metuenda metuit, quæ spernenda spernit, & quæ speranda sperat, Ast & hic vere

---- *Pauci quos equus amavit*
Jupiter, ---- quos inter nec ego sane.

Ubi vero rationabilis metus prudentem, & expertum Professorem ab initio merito occupaverit; cumque sit res maximi momenti non servare periclitantem, cum possis; sed sinere in discrimine, ac tandem perire, quem certo sanare posses; hinc est, quod in valde ancipiti tutior pars eligenda videatur, & quocunque morbi tempore valde periclitetur hominis vita, ea sit omni, quo datum est, conatu statim ponenda in tuto, saltem pro imminente periculo, non neglecta prævisione futuri. Facit pro hac determinatione consideratio, quod in casibus istis res non se habet, ut in Intermittentibus vulgaribus, in quibus si congruum non censeatur Corticem offerre in principio, potest ille pro libito offerri in progressu; ast hic si non offeratur statim, occasio prætervolat jactura irreparabili: facitque magis paritas inde a fortiori deducta, nempe quod sicuti in principio Intermittentium benignarum, a quibus abest omne periculum, potest secundum plurimos impune offerri Cortex, ita & multo magis id fieri poterit in principio Subcontinuarum Pernicioſarum, cum quibus non leve conjungitur, & ex quibus semper majus impendet periculum. Facit pariter alia consideratio, quod sicuti in Pernicioſis Intermittentibus Comitatis, *ex. gr.* Tertianis, tuto semper, & non raro sine ulla recidiva, ut retulimus in Historiis, offertur, Cortex in fine tertiæ sæpesæpius Accessionis, hoc est die morbi quinta, ita videtur æque tuto, & simili cum forte offerri die quarta in istis: neque enim citius possumus noscere Circuitum febrilem, & intermediam apyrexiam, utut brevissimam, & fugacem, quæ oblationi Corticis fundamentum præbet. Discrepantia autem unius, aut alterius diei parum immutare videtur conditionem hujusce rei. Immutat tamen aliquo pacto, quia cum Subcontinuæ istæ Solitariæ sint de genere Febrium Acutarum simpliciter; Intermittentes vero Pernicioſæ, seu Comitatæ sint de genere Peracutarum, & nonnunquam etiam Acutissimarum, quinta *v. gr.* dies, quæ in Pernicioſa Solitaria habet rationem Principii, in Comitata potest habere rationem Status, quo tempore minor est difficultas in coercendo impetu Febris, præsertim exitium certum afferentis, quam in principio istius anceps insuper periculum tantummodo minitantis. Sed & hanc difficultatem nonnihil enervare videtur alia practica consideratio in contrarium, qua constat, quod æquali cum fructu, & securitate exhibetur Cortex, ut pariter vidimus, in his ipsis Subcontinuis Malignantibus, *tardiusculè* tantum Continuitatem suam acquirentibus, puta die octava, aut nona: ut proinde æque bene fieri posse censendum sit in *Principio* eadem cogente necessitate, quod non male actum reputatur, ac reperitur in *Statu*, immo & in *Augmento* ipso, quemadmodum etiam in Historiis *sequenti Capite* describendis patefiet.

Discrimen tamen aliquod (ut nihil subticeam) adhuc intercedit inter suppressionem Intermittentis Comitatæ, Subcontinuæque Solitariæ, sed *tardigradæ*, ex una parte, & inter suppressionem ejusdem Subcontinuæ, sed *velocioris*, ex alia. In Pernicioſis siquidem Intermittentibus Comitatis tota, vel fere tota malitia se tenet ex parte fermenti Cortice domabilis, pauca, vel nulla infectione superstite in sanguine. Item in ipsis Pernicioſis Subcontinuis, sed tendentibus *pedetentim*, ac lentiore progressu ad Continuas essentialiter, vitium videtur pariter se tenere, præcipue saltem, ex parte ejusdem fermenti, seu portionis illius restitantis, nec quolibet Accessu integræ subactæ, fere ut in Subcontinuis benignis, seu mere *Subintrantibus*, secundario vero tantum ex parte sanguinis: & propterea in ipsis quoque sic progredientibus locus congruens videtur inhibitioni progressus ulterioris absque ulla gravi suspicione, in iisdem autem ad Continuas *celeriter* tendentibus vitium magna ex parte etiam a cruore pendere, jam supra suspicati, ut proinde non pari forsan passu, aut certitudine processura sit contra istas actio Corticis. Potest tamen adhuc ex alia parte hic conjici, quod alias conjecimus, quodque etiamnum diligenter perpendendum videtur, nempe quod istæ quoque perpendere possunt principaliter ex Fermento ipso vel *copiosiore*, vel *crebrius influente*; & in hoc casu, de quo non pauca est probabilitas,

tas, ampla eſſet, ut patet, offerendi ſtatim, & copioſe Corticem occaſio, atque libertas.

Hæc tamen rurſus hæſitanter, & data opera tantum problematice prolata, melius examinent, experianturve prudenter cordatiores Viri; neque enim ſemper auſus ſum exercere, quod modo videor ſuadere, ſive id factum ſit ob diuturnam conſuetudinem in contrarium, ſive ob præjudicia quædam in mea forſitan mente adhuc latitantia. Quod autem a me actum eſt, aut obſervatum, tum paulo infra, tum ſequenti præſertim Capite fideliter deſcribam, ut cæteris, ſi qui ſint, minus expertis pro modulo valeat deſervire. Interim in hunc finem lubet præmittere practicam obſervationem *Mortoni*; ſiquidem ex ea, quænam ſit (ipſo referente) diverſitas inter oblatum & non oblatum quandoque Corticem in harum, aliarumque etiam graviorum Febrium *principio*, valde notabiliter videtur eluceſcere -- *Nuperrime*: inquit ille de Febribus Continuis in genere: *in familia Vicini mei Domini Man (ubi octo ad minimum ſimul decumbebant uno, eodemque modo primum correpti) ſex quos inviſi ante tertium diem morbi, ſcilicet priuſquam venenum* (ſubintellige febrile) *ex mora exaltaretur, mera Corticis exhibitione, cum, vel ſine Venæ ſectione, pro ratione ſymptomatum, ſpatio bidui, vel tridui integre reſtitui: Dominum vero ipſum, atque ejus Conjugem (qui opem medicam ad ſeptimum, vel octavum diem diſtulerunt) ex Orci faucibus non niſi ſpatio Lunæ integræ difficulter admodum, uſu frequentium Veſicatoriorum, Alexipharmacorum, cæterorumque ejuſmodi Antipeſtilentium remediorum liberare potui. Cortex hic nihil valebat. Delirabant enim, lipothymia, ſubſultibus tendinum, cæteriſque diris in genere nervoſo ſymptomatis afficiebantur Patientes, petechiis etiam, atque eruptione miliari quaquaverſum interſperſa notabantur.* Hæc *Mortonus*, cujus obſervatio experimentalis non parum afferre poteſt fiduciæ pro exhibendo in Subcontinuarum malignantium principiis Cortice vel utiliter, vel ſaltem innoxie. Ulteriorem adhuc fiduciam poteſt addere *Sydenhamii* auctoritas in Epiſtola ad *Bradyum*, ubi hæc habet, quæ Lector attente perpendat velim -- *At vero Tertianæ, Quotidianæque, etſi poſt unum, alterumve paroxyſmum omnino videantur intermittere, tamen non ita raro (quod & a me ante eſt notatum) poſtea ad Continuarum fere ſpeciem vergunt, & ad remiſſionem tantum, etiam diebus, quæ intermiſſionem pollicebantur, accedunt, præſertim ubi Æger lecto defixus, regimine juſto calidiori, aut medicamentis Febri per ſudores ejiciendæ dicatis, fuerit multatus. Hoc in caſu, a remiſſione quantumlibet exigua (id enim mihi unum ſupereſt) anſam arripiens, pulverem* (intellige Chinæ Chinæ) *quam proxime a paroxyſmo (quantum conjectura valeo) ingerendum propino.* Immo nedum in hoc, ſed & in Paragrapho immediate ſubſequenti magis aperte idem profitetur, inquiens: Febres quaſdam ex *Intermittentium* genere nonnunquam graſſari, *quæ poſt ſecundum, tertiumve paroxyſmum reponere ſe in claſſem Continuarum nituntur*: ſubditque, *nulla mihi eſt religio, Corticem vel in maxime Continuis hujus ſpeciei ſumendum proponere, qui ad apyrexiam certo ægrum perducet, modo aſſiduus Lectuli calor, & intempeſtivus Cardiacorum uſus Continuitatem Febri non conciliaverint: quo in caſu Peruvianum Corticem nihil quicquam profeciſſe plus ſemel obſervavi.* Ex quibus omnibus patet, Auctores iſtos minime vereri Corticem offerre in Subcontinuarum Pernicioſarum principio, videlicet *ante tertium morbi diem*, vel poſt *unum alterumve paroxyſmum*, vel paulopoſt.

Animadvertendum eſt autem, quod aliquando, licet rariſſime, Febres hujuſmodi tali vigore, impetu, & celeritate ad Continuas Continentes tendunt, ut nequeat ullo pacto impediri a Cortice etiam circa initia ptopinato illarum progreſſus: quo fit, ut illum inutiliter quandoque adminiſtrari contingat, quod & *Sydenhamius* adnotavit, procedunt videlicet hujuſmodi habitudine Febris non tantum *a regimine calidiori, & ab intempeſtivo Cardiacorum uſu, aut aſſiduo Lectuli calore*, ut inquit idem Auctor, verumetiam, & quidem principaliter (ubi præſertim Cauſæ iſtæ procatharticæ non adfuerint) a copioſis impuritatibus præexiſtentibus in ſanguine, & ab influxu parcioris fermenti commotis; atque iterum potius ab his, quam ab ipſo copioſo fermento, modicas, aut exiguas ſanguinis impuritates agitante. In hujuſmodi caſu facile eſt rem dignoſcere ſaltem a poſteriori. Cum enim effectus

boni

boni Corticis ſit citus, certus, ſtatimque ſenſibilis, eo ipſo, quod ſemel validiuſcule, ſeu bis, ac ter modice adminiſtratus nil proſit ſenſibiliter, certum eſt, Febrem, etſi obſcure periodum quandam ſervantem, a fermento Intermittentium proprio nequaquam pendere: & tunc vel ab uſu Corticis ceſſandum eſt, vel ſaltem non illi uni fidendum, ſed aliis remediis tractanda Febris, non quidem quia nocuus (quod ſciam, aut unquam noverim) poſſit eſſe Peruvianus Cortex, cum non proficit, poſito quod congruenter ſit adhibitus; ſed ſolum ne inutiliter adminiſtretur. Privilegium enim, quod competit ex jure præſcriptionis immemorabilis reliquis remediis, quod ſcilicet iis utamur credentes, quod inſenſibiliter tractu temporis proſint, contulerintque ſaluti intra 14. vel 20. dies acquiſitæ (intra quos ſanantur & ruſtici qualibet Medicina deſtituti) non competit Corticı; neque illud huic concedendum eſſe præſumpſerim, quippe Remedio poſt annos 60. apud nos adhuc recenti, ac impuberi, nec mucida, & ſeculari, ut res exigit, barba inſignito.

Difficultas, itaque, ſi qua eſt, non conſiſtit in hoc, quod exhibitus Cortex fortaſſe non proſit, ſeu Febrem non tollat in caſu noſtri Problematis; ſed conſiſtit in hoc, quod proſit nimis cito, Febremque ſubmoveat intempeſtive, cum fortaſſis expediret ſinere eam vel aliquantiſper, vel omnimode progredi. Et circa hoc tandem, non obſtantibus iis, quæ ſupra retuli pro illius uſu in Febrium deſignatarum principio, iiſque pariter, quæ ſequenti Capite ſum allaturus ex propria experientia, lubet nihilominus patefacere, quæ in contrarium mihi viſus ſum obſervaſſe, ſi non experientia mea (quam cum cautela proportionata arduo Vitæ humanæ negotio ſemper inſtituere, & exercere ſtudui, ut Virum probum, & honeſtum decet) ſaltem fortuito ex aliena experientia, animoſioribus, minuſve peritis ratiociniis, ſive mavis inconſideratis præjudiciis innixa. Non hæc loquor de Profeſſoribus veris, quos ſemper colam: loquor de Chirurgis quibuſdam (non omnibus) audacibus æque ac imperitis, & ſuperficiali quadam inconcinnæ Theorices tinctura infectis, quos ex Gallia huc advexerunt bellicæ Cohortes, ac Turmæ, tunc cum vaſti Torrentis ad inſtar Sereniſſimi hujuſce Dominii ditionem ferme univerſam, Urbeſque omnes, ac præcipue noſtram, quippe cæterarum Matricem, occupavere, donec Germanis, Noſtratibuſque ſimul armis, & Copiis depellerentur. Celticarum itaque Legionum Chirurgi non pauci (cæteris ſua ſit laus, ſitque major tot Viris Illuſtribus floridiſſimi illius Regni, Academiarumque, ac Univerſitatum illius) in principio quarunvis Febrium, quoquo modo periodo habentium, dilutam infuſionem aliquot unciarum Chinæ Chinæ ſuis Ægrotantibus ſine ulla ferme methodo propinabant: quo fiebat, ut perſæpe advocarer tractu temporis ad eos inviſendos; quoniam & inde plures, contumaceſque recidivas, & malum corporis habitum, & nonnunquam acutas Ægritudines contrahebant. Quæ mala cum pluribus accidiſſe obſervarim (licet plurimis etiam res ex voto ſucceſſerit, aliiſque eadem infortunia contigerint Cortice nequaquam curatis) aliena impenſa, alienoque periculo didici, aut mihi didiciſſe ſum viſus Corticem Peruvianum indiſcriminatim in omnium Febrium etiam periodicarum principiis fortaſſe non ſemper tuto exhiberi. Inter hos memorabilis mihi viſus eſt caſus *D. de Beauxendroits*, Honeſtiſſimi Viri, & Gallicæ Militiæ Præfecti, quamvis hic fortaſſe minus, quam alii alibi, errarit Chirurgus curans, ſive potius Pharmacopola; utroque enim ille munere fungebatur.

Laborabat Vir iſte Nobilis Tertiana duplici, ad Continuam Acutam celerrime properante, cum acerrimo inter cætera ſymptomata capitis dolore, levem quandam mentis alienationem ipſi dignoſcenti inferente. Illi ſtatim obtulit valde perperam Pharmacopola Tartarum Emeticum, deinde Chinam Chinam paravit, & ex Vino bibendam præcepit, vel ſaltem infuſionis illius (Chinæ Chinæ ſubſtantia quoad majorem partem infundo remanente) ad cyathos plures, ſtatim horis ſumendos. Aſſumit ille, & Febris incipit miteſcere; dolor tamen capitis acutus perſeverat. Accitus ego ſanguinis miſſionem præcipio, & de continuando uſu Chinæ Chinæ ambigo anceps. Expetit tamen Æger continuationem remedii, illique animum adjicit ignarus Pharmacopola. Sino ego utrunque (neque enim aliud agere in mea poteſtate erat) in manu conſilii ſui. Proſe-

quitur

quitur Æger uſum Corticis, & a Febre paulopoſt liber evadit. Sed licet infebricitans, non tamen bene ſe habet. Dormit parum, ſibique ipſi videtur noctu non plane mente conſtare, medio quaſi inter ſomnum, & vigiliam ſtatu ſe habens, accuſanſque dolorem capitis gravativum fere continuum. Suadeo illi novam ſanguinis miſſionem, frequentemque clyſmatum injectionem cum circumſpecto, & parco victus regimine. Cuncta renuit; operaturque, & vivit ſuo marte. Redeunt Febres, repetitque uſum Corticis, me nequaquam vocato: illiſque fugatis dum me per Urbem fortuito offendit, narrat quæ geſta ſunt; conqueriturque graviter de contumaci capitis dolore. Et quoniam intra Arcem cui præerat, proxime ſe recepturus erat ob imminentem Urbis expugnationem, noſtramque per conſequens liberationem, ſuaſi ſaltem ex officio meo, ut ſibi quammaxime caveret, & curam diligentem adhiberet. Sed paucis elapſis diebus, cum laborioſam, irregularemque noctu, & interdiu vitam traheret, imminente prandio repente Apoplecticus factus eſt, ſtatimque vita functus, me quidem illum vix vivum, ac jam expirantem (quod poſt unam, vel alteram horam contigit) reperiente. Certe mihi incongrua, & intempeſtiva viſa eſt Emetici, ac Febrifugi oblatio: nihilominus fortaſſe idem contigiſſet, ſi aliter fuiſſet curatus: præſtititque non parum funeſto eventui & prava diſpoſitio, & præpoſterum regimen victus. Sed & repentina rapidæ Febris ſuppreſſio aliquam hic ſibi vindicat ſuſpicionem.

Contra in Perniciosis Intermittentibus ſeptem priorum ſpecierum, videlicet pernicioſo ſymptomate *Comitatis*, cum repentinus inopinato contigebat morbi prolapſus in exitium, ſtupidi, attonitique curantes Chirurgi, & ipſi Medici, ne per ſomnium quidem cogitabant de porrigendo Cortice, cum tamen tunc temporis tempeſtivus fuiſſet illius uſus. Hujuſce generis infortunium obtigit infelici Principi, *D. Duci de Leſdiguieres*, ex Optimatibus Regni, & Nobiliſſimæ ſuæ Familiæ Unico, ac Ultimo. Cum laboraret Ille Tertiana duplici, ſibi comparata ob laborioſam Expeditionem Tyrolenſem: & cum poſt uſum immodicum, diuturniumque Syrupi de Papavere, lethargicum repente ſoporem in quodam paroxyſmo contraxiſſet, Medicus autem terrore perculſus ſtatim Tartarum Emeticum larga doſi exhibuiſſet; ſuperaccitus ego interrogavi num Febris periodum aliquam antea ſervaſſet, & num diebus anteactis aliqua in acceſſionis initio obſervata fuerint ſoporis indicia; ſed reſponſum retuli a Medico curante, ſymptoma illud eſſe plane novum, & quid diſtinctum a Febre, quæ nihilominus ſatis intenſa obſervabatur periodicæ adinſtar in ſuo vigore conſtitutæ; Æger vero quaſi Apoplecticus jacebat. Erumpente non multo poſt Emetici operatione, ab acrioribus etiam clyſteribus inferius proritata, & ſubſequente poſtmodum noctu acceſſionis remiſſione, mane ſtatim plura propoſui, Cortice nequaquam excepto, quippe qui conjectabam, Febrem obſcure admodum mihi deſcriptam eſſe vere periodicam. Sed nil ex iis, quæ proponebam, admittebatur. Dabantur mihi a Medico officioſa verba, prætereaque nihil. Venæ ſectio tantummodo communi ſuffragio ſancita jam fuerat, & celebrata non ſine aliquo etiam levamine. Tandem cum Laudanum opiatum mihi proponi non ſine horrore audiſſem, eo ſcilicet nomine, ut diaphoreſim promoveret ad ſolvendum penitus morbum, qui jam ſemiconfoſſus credebatur vi Emetici, palam edixi: ferjandum prorſus eſſe a Narcoticis, neque fidendum ei mentis alacritati, quam Generoſus Princeps adhuc conabatur oſtendere, cunctos benigne excipiens, meque ipſum non antea viſum prompte, ac humaniter alloquens; immo cum expreſſe prædixiſſem Aſſidentibus, poſſe ſubſequente forſitan die renovari, quod contigerat antecedente, tanquam funeſtus Haruſpex male audii a quodam de Familia, qui prognoſticum longe diverſum, ac longe felicius a curante Medico acceperat. Itaque neglectis omnibus monitis meis, altera die lethargo conſimili correptus infortunatus Princeps diem ſuum obiit, remediis omnibus, etiam aſperioribus, quotquot a Medico ſuo, & a Primario Chirurgo Sereniſſimi D. Ducis de Vandomo ſuperaccerſito (quibus invicem acriter altercantibus Ægrum reliqui) excogitari potuere, incaſſum adhibitis; cum tamen Cortex valide adminiſtratus Acceſſionem, atque Lethargum mortiferum probabiliter inhibere potuiſſet. Atque his ex Gallorum aliquot Caſtren-

ſtrenſium Chirurgorum abuſu (doctiſſimos cæteroqui, ac eximios tam Chirurgos, quam Medicos politiſſimæ Nationis illius iterum excipio) circa oblationem Chinæ Chinæ in omnium fere Febrium Periodicarum principio, & circa omiſſionem illius in Pernicioſarum curatione, incidenter exceptis, Caput hoc lubet claudere, reſervatis in ſubſequens Hiſtoriis ex noſtra Praxi, & obſervationis depromptis.

CAPUT VI.

Exempla nonnulla felicia citæ oblationis Chinæ Chinæ *in principio Periodicarum Pernicioſarum, greſſu celerrimo ad Continuas eſſentialiter, atque Malignas vergentium. Ea tamen nonniſi cautam circa hoc, circumſpectamque fiduciam prudenti Medico videntur præbere.*

NON OMNES equidem curationes, quas modo ſum relaturus, Febrium Subcontinuarum Malignantium abſolutæ ſunt oblatione Chinæ Chinæ in primo præciſe morbi principio, ſed tantum nonnullæ. Aliæ vero ſunt abſolutæ vel in augmento ipſius morbi, vel ſolum in principio, ſumpto ſecundum majorem ſuam latitudinem, & extenſionem. Nullæ autem in principio tam ſtricte ſumpto tentatæ ſunt, quin tertia ſaltem morbi dies vel præterierit, vel inclinarit; cum in prima morbi invaſione, immo nec altera die, poſſimus eſſe ſatis certi de Idea Febris, multoque minus de periodo: quod tamen omnino neceſſe eſt pro congrua exhibitione Corticis. Cum ergo primi principii, & primi progreſſus morbi parum diſpar ſit ratio, ubi præſertim principium ipſum latitudinem aliquam, nempe ad tres ſaltem dies, neceſſario admittit, hinc eſt, quod Hiſtoriis invicem haud exacte ſimilibus animadverſiones Capite antecedenti præmiſſas, in præſenti corroborare aggredimur, ab iis incipiendo; in quibus ab ipſo ſtatim initio oblatus eſt Cortex, & progrediendo ad eas, in quibus oblatus eſt in augmento, vel circiter. Hoc igitur ordine ſervato.

I. *D. Joſeph Caroccius*, e Nurſia, *Lithotomus* Urbis noſtræ peritiſſimus, anno 1707. corripiebatur Febre, cujus ortus, atque progreſſus fuit hujuſmodi. Prima die cum levi horrore Ægrum invaſit. Poſtridie mane vocatus *D. Candrinus* invenit illum Febre carentem: proinde non rediit amplius ea die ad ipſum inviſendum, Medico vix recedente, iterum acceſſit Febris, qua vix tantillum remiſſa, inſignis noctu facta eſt exacerbatio, tertiam diem præpropera anticipatione præveniens. Vehemens ultra modum fuit hæc tum ratione intenſionis, tum ratione ſymptomatum, inter quæ ſignate ſoporoſus affectus eminuit. Jacebat Æger ſomniculoſus perpetuo, ſtupidus, interrogantibuſque vix, atque confuſe reſpondens, vixque pariter mingendi memor. Urina illi pauca, ac impenſe rubra, vomituritio frequens, ſed fere inanis cum ſenſu gravativo in regione ventriculi, anxietas, & præcordiorum æſtus. Accito mane tertiæ diei celeriter Medico, eodemque mirante morbi faciem adeo diverſam redditam pendente curſu horarum 24. vix audet ille clyſterem præſcribere, meque interim in conſilium vocari inſtat enixe. Accedo & ego, hauſtumque *olei amygdalarum dulcium ſine igne recenter expreſſum*, ſtatim ut exhibeatur, ſuadeo, cujus blanda operatio per vomitum, perque ſeceſſum ſubſequuta, incidit, ut meditatus fueram, in horas cujuſpiam leviuſculæ remiſſionis. Veſpere accedens ſolus, cum ulteriorem adhuc venturo mane ſperarem Febris remiſſionem, non obſtante validam etiamnum eorundem ſymptomatum duratione, præcipio adſtantibus, indici curanti Medico ſtata hora ſequentis diei conventum noſtrum; mihi namque mentem eſſe mittendi ſanguinem, & ſubinde ſtatim Corticem exhibendi, haud obſcure iiſdem aperui. Contigit forte, ut viciniæ, & amicitiæ cauſa Ægrum inviſerit *Cl. D. Ramazzinus*, Mutinæ caſu moram trahens, qui penſitato illius ſtatu, & intellecta intentione mea, ſciſcitatus eſt primum, num ante pluries horas Ægrum inſpexerim; & cum reſponſum retulerit, me vix tunc diſceſſiſſe, ſubjunxit humaniter, ut illi mos eſt, ſe quidem plurimam exiſtimationem habere pro aſſerto meo, attamen non agnoſcere locum ullum, neque tunc, neque (& quidem multo minus) in craſtinum conſultationibus Medici, ulliſve remediis ſed rem Sacerdotibus potius, quam Clinicis eſſe committendam. Adeo gravis erat in ipſa incipiente remiſſione ſtatus Ægrotantis. Quarta nihilo-

minus, quæ ſubſequuta eſt, die, cum remiſſio eſſet mane, ut conjectaram, non parum conſpicua, ſtatim Venam ſecari juſſi, Medico ordinario facile annuente, & ſatis liberaliter ſanguinem detrahi. Erat hæc hora correſpondens horæ matutinæ ſecundæ diei, qua Medicus infebricitantem Ægrum deprehenderat. Cumque eadem periodi proportione paulo poſt expectanda eſſet acceſſio nova, & mox ipſa adhuc vigente nova ferox exacerbatio, tum continuitatem eſſentialem illatura, tum fortem ſoporoſum affectum gravem: propterea credens Ægrum his omnibus diu non ſuffecturum, habita ratione principii adeo vehementis, ad Corticem ſtatim confugiendum duxi, durante adhuc aliqua periodi ſpecie, priuſquam ea integre obliteraretur. Præſcripſi idcirco Corticem in forma boli *ad ſcrupulos tantum duos*, una hora, vel altera a miſſione ſanguinis expectans, an vere, qui credebatur imminere, appareret Acceſſus longe gravioris ſuperventuri prodromus. Et revera non multo poſt ille ſe prodidit; quare veſpere hora incipientis (qualiſcunque) remiſſionis, Corticem iterum præſcripſi, ſed *ad ſcrupulos quatuor*. Nocte valide exacerbata eſt Febris, cum minore tamen ſymptomatum, præſertim vero ſoporis apparatu: quamobrem Febrifugum quinta die *ad ſcrupulos duos* mane, & ſero repetendum duxi, & ſic deinceps, unde maxima morbi immutio ſexta die; ſeptima vero omnimoda Febris ſolutio.

Obtenta Febris expulſione, per duos vel tres dies feriatus ſum a Corticis oblatione, & clyſteribus frequentibus uſus ſum ad alvum ſubducendam, atque iterum per intervalla reſumpto uſu Corticis modo *ad drachmam*, *modo ad ſemidrachmam*, modo per longiora, modo per breviora intervalla, prout metus recidivæ, aut ejus indicia plus, vel minus mentem meam torquebant. Decumbentem neque ſanum, neque ægrotantem, ſed medio quodam valetudinario modo ſe habentem, perduxi ad diem vigeſimamprimam: qua die motu Naturæ ſpontaneo plura vomuit cum tolerantia, & notabili ſubinde levamine; unde critica morbi ſolutio ea reputata eſt. Sed neque id plane evenit. Melius quidem habuit, vireſque antea fractas reſumpſit; ſed nocturnas identidem, leveſque Febriculas nullum typum ſervantes pertulit, a quibus ſolo victus regimine, ſolaque patientia liber evaſit, intra quadrageſimam diem perfecte convaleſcens.

II. Eodem fere tempore *D. Antonius Pacchionus Sacerdos*, *& Phonaſcus* Eccleſiæ Cathedralis, Vicinuſque meus, correptus eſt Tertiana duplici, non admodum quidem intenſa, ſpectato calore ad tactum blando, & modica pulſus frequentia, ſed per paroxiſmos ſeſe mutuo excipientes ſtatim Continua. Pulſus illi parvus, atque depreſſus ab initio, linguaque admodum ſcabra, & arida ſine ulla appetentia potus, urina tenuis, mens hebes, tarda, & querelis vacua. Tertia die cum ſponte, nullo aſſidente, nullaque occaſione ſolus e lecto ſurrexiſſet, in terram procidit pronus, ubi quaſi obdormiens paulopoſt repertus eſt, dicens: ſe propinam erectionem exinde minime tentaſſe, etſi potens, quoniam grata illi ibidem obvenerat poſt caſum quies. Quarta pariter die, cum abſentibus itidem aſſidentibus ad alvum deponendam in remotiorem locum ſe contuliſſet ſolus, novum caſum paſſus eſt, nec niſi poſt dimidiam horam deprehenſus humi jacens longe a cubiculo, vere dormiens, ac ſtertens. Expergefactus narrat iter, & itineris occaſionem, immemor tamen, an alvum exoneraſſet, nec ne: etſi reduci potius, quam eunti caſum obtigiſſe, aſſeveraret. Ajebat interim, ſe licet rei non bene conſcium placide obdormiiſſe, quaſi ægre ferens ſe ab eo loco dimotum fuiſſe, rem tamen quodammodo ſtupens, ſed nihil curans. Repetitum iſtud haud leve phænomenon reliquis, adjunctum acutiei ſignis, inter quæ inſignis fuit mutatio, ac extenuatio celer faciei, me impulit (peracta jam ſanguinis miſſione, aliiſque paucis remediis, morbo incipienti poſſibilibus) impulit, inquam, confugere ad Corticem, quoniam aliquo adhuc horrore interpuncta obſervabatur periodus Febris. Metuens igitur ego, ne in ſtatu tantæ cruditatis, properantis acutiei, & latentis inſidiæ, funeſti aliquid, vel ſiniſtri ſaltem, cui non facile mox occurrere, cito ſuperveniret Ægrotanti, Corticem illico, quarta ipſa videlicet die, cœpi præſcribere *ad ſcrupulos quatuor* in forma boli. Quinta die *drachmam ſ. ſs.* aſſumpſit partitis vicibus: &

tantundem ſexta : ſeptima *drachmam tantum* , & obliterata eſt Febris . Subſtiti tunc ab uſu remedii , Ægerque bene habuit ad paucos dies , perſeverante tantummodo eadem , ipſi minime connaturali pulſus exilitate , atque concentratione , viriumque languore , cum appetentia tamen ciborum . Rediit poſt aliquot dies Febricula (feriante me ſemper ab uſu Corticis) quæ duplicis pariter Tertianæ Subcontinuæ typum habuit . Donec ea placide proceſſit remediis methodicis caute per aliquot dies ipſam tractavi ; ſed cum ſuperveniſſet mentis hebetudo , atque balbuties vera , cum impotentia , ſeu difficultate in exprimendis conceptibus ſuis , ſtatim iterum eadem , quin & validuſcula methodo Corticem præſcripſi , & Febris cum ſymptomate ſublata eſt . Diuturnam nonnihil convaleſcentiam nihilominus paſſus eſt ille ; nec niſi poſt aliquod ſpatium temporis nativam mentis alacritatem ſuſcepit , etſi quoad reliqua redactus in priſtinum . Eam tamen ipſam integre recuperavit non multo poſt , eaque , favente Deo , etiamnum (ſemper exinde ſanus) valde laudabiliter utitur in cunctis , & in ſuis præſertim Modulationibus .

III. Faber Murarius , nomine *Petrus Antonius Arlottus* , patiebatur Tertianam duplicem per ſubingreſſum paroxyſmorum continuam ; eamque intenſiſſimam . Huic nullum erat valde formidandum peculiare ſymptoma præter delirium aliquod , cum remittente tamen Febre evaneſcens . Tanta nihilominus erat Febris intenſio , ut de genere ardentium ea videretur , omniaque ſymptomata febrilia , ſitis videlicet , linguæ ſiccitas , jactatio , præcordiorum æſtus , urinarum paucitas , ac flammeus color , vigilia contumax , & ſimilia , talem ſpeciem præſeferebant , ut acutiem veram , & æqualem Febris continuitatem præ foribus eſſe , palam oſtenderent ; minor quippe quotidie fiebat admodum illius remiſſio , & obſcurior periodus , quæ tamen uſque perſeverabat . Inſtabat ille , tolli celeriter Febrem , cui ferendæ imparem ſe fatebatur . Et licet frequens ſit in ore Ægrotantium , præſertim eorum , qui validis Tertianis etiam ſalutaribus detinentur , hujuſmodi querela , hoc tamen caſu metuebam , & ipſe , cæteroqui non facile meticuloſus , quod metuebat & Æger ; vel ſaltem inevitabilem morbi diuturnitatem , ſi eum manſuefacere licuiſſet , ſuſpicabar . Quamobrem præmiſſis præmittendis juxta exigentiam intenſæ Febris , quinta morbi die cœpi ſimul præſcribere Corticem , ſed diminute , *ad drach. ſs.* videlicet mane , & ſero : idque cum per duos dies peregiſſem non ſine levamine , doſim adauxi *ad drach. j.* per alios duos dies ; ſed ſemel tantum in die : fuitque ſenſibilius inde juvamen ; adeoque intra nonam circiter , vel decimam Æger a Febre remanſit immunis , Repetito vero poſt aliquot dies ad præcautionem per modum leviuſculi alterantis remedio , perfecte convaluit , nullum exinde incommodum , nullamque penitus redivam paſſus .

IV. *Criſtophorus Landuccius* , Homo provectioris ætatis , duplici pariter Tertiana vexabatur per ſubingreſſum Continua . Violenta Febris intenſio , omniaque ſimul ſimptomata acutiem indicantia , qualia fuerunt ariditas , atque ſcabrities linguæ , ſubdelirium , anheloſa reſpiratio , urinarum tenuitas , ſtupida capitis affectio , manuum tremor , totiuſque nervoſi ſyſtematis oppreſſio imminens in ipſo morbi principio , me facile adduxerunt , ut metuerem Hominem ætate ſatis provectum , aliis morbis jam fractum , vertiginoſum a longo tempore , atque ſurdaſtrum , morbo increbeſcenti minime ſuffecturum , Quapropter præmiſſis præmittendis pariter , ad normam affectus , ſubjectique curandi , circa ipſa morbi initia , vel ſaltem circa primum illius augmentum Corticem exhibui validiuſcule , *ad drachmas* ſcilicet *duas* uno hauſtu , remediumque *ad drachmam unam* altero die bis obtuli , ac dein *ad ſemidrachmam* per aliquot ſubſequentes dies ; unde Febris quamcito deſiit , optima ſtatim , ac diutina ſubſequente valetudine . Poſt aliquod tamen tempus haud breve , cum Febrifugum ad prophylaxim præſcriptum aſſumere neglexiſſet , levioribus aliquot Febriculis fuit iterum correptus , a quibus cito , & facile (non bene ſum memor , an ſponte , an repetito Cortice (convaluit intantum , ut novam , juvenemque vetere prædefuncta , valuerit , auſuſve fuerit etſi ſenex ducere Uxorem .

V. *D. Joſeph Ludovicus Agnanus* , duplici Tertiana per paroxyſmos ſe mutuo excipientes continua laborans , etſi non leviter febricitaret , tamen nonniſi poſt aliquot dies , augmento ſcilicet morbi jam progrediente , cepit præbere ſegniora quo-

que

que acutiei advenientis indicia. Urgebat interim ille me, urbane quidem sed fere dixerim importune, ne sinerem progredi morbum, cum liceret illum per Corticem corripere, allegans & gracilem habitum suum, & *D. Carolum* Fratrem a me paulo ante Corticis ope sanatum, Febre tamen valde diutius protracta, eaque constanter intermittente; ut *Cap. x. Lib. i. Hist. xii.* narravi. Ad hæc sponsor fui, me attento animo cautelam omnem impleturum, ne mihi occasio excideret, nolle tamen interim inhibere progressum morbi nullum adhuc mihi timorem incutientis, mihi, inquam, obquandam illius in sudorem proclivitatem morbi lentam solutionem speranti. Cum nihilominus Æger mihi quotidie exprobraret moram, crescereteque non parum intensio Febris, atque symptomatum, simulque virium dejectio in subjecto valde gracili, morem gessi petitioni illius. Quod quidem nedum congruum fuit, sed & necessarium: quandoquidem cum mitius essem aggressus, ac diminute oblationem Corticis, Febris vero jugiter increbresceret, illique incipiret inter alia adjungi singultus (symptoma in Febribus mihi perpetuo metuendum) coactus fui celeriter, ac pleniore dosi illum præscribere. Intra tres, vel quatuor dies, ut mos est, Febris plane recessit. Plures tamen (quod prætereundum non est) recidivas subiit Æger, etsi leviores, non obstante continuato, ac opportune repetito usu Corticis: adeout tandem Febriculas nonnullas irregulares propriis interim, publicisque negotiis addictus per urbem circumtulerit, donec sponte potius, quam Artis ope, illæ evanuerint.

VI. *D. Nicolaus de Pincettis* tunc Mutinæ agens, postea *Saxolensis Militiæ Tribunus*, Tertiana duplici subcontinua plurimum intensa laborabat, illique medicinam faciebat *D. Candrinus*. Is in primo augmento morbi cum videret imminere uniformem continuitatem Febris, intendique symptomata acutiem jam jam demonstrantia (inter quæ non levis stomachi affectio, & angor) me quoque in consilium vocavit, ut Ægro impatienti, & irrequieto solamen daret. Decreverat ille jam meis alias circa hoc ratiociniis imbutus, Corticem tentare, illumque proinde jam pararat, meum tantummodo calculum expectans, ut exhiberet: in quam sententiam quo facilius me traheret, meas mihimetipsi obtrudebat, regerebatque rationes, Fateor, quod etsi clare noscerem imminere acutiem, & æqualem continuitatem Febris, Cortici imposterum minime forsan cessuræ, attamen quia eam superabilem a natura Ægroti robusta sperabam per viam ordinariæ coctionis, fateor, inquam, quod si solus curassem, fortassis abstinuissem a Cortice. Sed quoniam remedium paratum erat, incerta spes mea, Æger impatiens, & præceptis parum obtemperans, cumque præcipua alioqui remedia satis apposite præcessissent, præbui manus adjutrices usui remedii suapte natura innocui, neque tunc intempestivi. Sumpsit ergo Decumbens Corticem largiuscula dosi, ut citius desineret usus ingrati medicaminis, impatiente natura Ægri diuturnitatem remedii minime latura: & qua celeritate Corticem absorpsit, eadem Febrem depulit non amplius reversuram, utut paulopost, ac in ipsa convalescentia indulserit & Vino, & cuicumque appetitui adverso exigentiæ boni regiminis.

VII. Nobilis, & Splendidus Vir, privatarum discordiarum Sedator eximius, & Pacifer, *D. Comes Rupertus Fontana* corripiebatur Tertiana duplici subcontinua eodem tempore, quo corripiebatur alia consimili Clarissimus quondam, atque ut temperamento analogus, ita & ætate non longe major, *D. Nicolaus de Sanctis*, qua, ut alias retuli, confectus obiit. Erant utrique haud inæqualia symptomata, vel si qua intererat differentia, graviora erant ex parte Comitis, quam ex parte Ministri, adeout judicio omnium, qui utrumque Ægrotum officii, & amicitiæ gratia invisebant (erant autem permulti, & quidem Civitatis Proceres) longe majus impendere illi, quam huic videretur periculum: mihi vero minor erat formido de morbo D. Comitis Fontanæ, quoniam illum morbos etiam Herculeos ferre consuetum noveram. Patiebatur autem is frequentem lipothymiam cum stomachi angore, virium prostratione summa, summaque pulsus depressione, gemebundus ut plurimum languido questu, membris contractus, subfrigido sæpe sudore diffluens, & tempore majoris afflictionis actorum immemor; cum Minister e contrario priusquam in præceps rueret, satis alacriter se gereret, pulsumque consistentem: & spem critici

ſudoris exhiberet. Præceſſit nihilominus ruina Miniſtri, ut præceſſerat nonnihil invaſio morbi, majorque fuit mei ipſius, aliorumque Medicorum cunctatio circa oblationem Corticis ibi, quam hic, ubi medebar ſolus, & ubi jam ex alieno periculo oculatior fiebam, ne ultro fiderem incertæ ſpei. Quamobrem ſerio penſitatis omnibus, circa primum morbi vigorem Corticem propinandum cenſui, exhibuique larga doſi, quam cum poſt plures horas tentaſſem repetere, portionem illius Æger vomuit, retenta tamen tum priore doſi, tum modica portione ſecundæ. Ægre quoque, licet imminuta doſi cum deinceps offerretur, tulit remedium ingratum ſtomachus averſus. Utcumque tamen tulit intantum, ut valuerit Patiens intra duos, vel tres dies a Febre ſimul, & ab omni ſymptomate liberari, abſque ulla penitus recidiva.

VIII. *D. Comitiſſa Hippolyta de Savignanis Scapinella*, æſtate media anni 1706. conflictabatur Tertiana duplici ſubcontinua plurimum intenſa, agebatque inſimul quartum geſtationis menſem. Cum videret anxius, & prudens Conjunx, Febrem jamjam in Continuam, acutamque migrare, noſceretque quam grave malum ſit, *Utero gerentem morbo acuto corripi*, pluries inſtitit, ut Corticem Peruvianum (quem mihi familiarem in cafibus arduis ſciebat) vellem præſcribere, quin immo non ſemel mihi ſegnitiem meam in hoc caſu exprobravit, veritus, ne ſero nimis, ideoque in caſſum tentarem, quod tempeſtive neglexerim. Fidebam ego contra robuſto, & juvenili Ægre temperamento, & tolerantiæ cuidam ſymptomatum, cæteroqui valde gravium, quæ recenſere ſuperſedeo. Cum tamen ſudor quidam quaſi colliquativus ſine ullo levamine vires valde proſterneret, urina pauca eſſet, ac flammea, initis refrigerantibus, & copioſis quibuſcumque potionibus, perpetuæ urgerent vigiliæ, aſſidua jactatio corporis metum abortus incuteret; Febris vero jam proxime omne periodi indicium videretur amittere, Marituſque irrequietus opem Corticis imploraret, factus ſum petitioni indulgens, morbo jam ad ſtatum prope vergente. Exhibitus ergo eſt Cortex mane, & ſero *ad drachmam unam* per duos dies, poſtea per aliquot alios *ad drachmam ſemis* quotidie; & facile ſtatim, prout de more, liberata eſt Ægrotans a Febre, atque ab omni febrem comitante Symptomate, vitaque tum illius, tum fœtus (quarum utraque periclitabatur non parum) in tuto eſt poſita. Sed hic notandum occurrit quod inde ſucceſſit, quodque candide refero, velut partim militans pro remedio, partim adverſus uſum remedii in circumſtantiis deſcriptis.

Vere, ut modo ſum faſſus, morbus erat circa vigorem ſuum, ad quem properabat ſumma vi, ſummoque impetu: quamobrem mihi viſus ſum exhibendo Corticem (licet vere periculum non leve eſſet in morbo, & in mora remedii) mihi, inquam, viſus ſum incendium effræne domus cujuſpiam ſuffocare per ſectionem trabium, tectique proxime cremandi, non per effuſionem aquæ extinguentis: nihilominus ſi præſidium certum neglexiſſem, & Ægra obiiſſet, ſimulque fœtus, quæ infelix jactura! quæ Medici incuria! Vixit itaque; ſed pluries ac pluries recidit, Tertianis modo ſimplicibus, modo duplicibus correpta, & modo ſanata per uſum methodicum remediorum vulgarium, modo ſponte, modo per Corticem. Rus adiit, ibique pariter febriculas aliquot tulit. In urbem reverſa, & optime habens, partum edidit felicem; proceſſere egregie puerperia, Febremque ne Lacteam quidem ſenſit; immo ex occaſione obliteratus eſt tibiarum tumor œdematoſus, eidem cujuslibet geſtationis tempore familiaris, Completo puerperio Febribus iterum Tertianis intermittentibus, primo ſimplicibus, mox duplicibus tentatur, iiſque diuturnis, & ipſo Veris tempore inexpugnabilibus, a quibus tandem ſponte Naturæ potius, quam Artis ope (neque enim tunc Corticem mihi placuit adhibere, ſed Febris pertinaciam patientia vincere) perfecte convaluit; tantumque deinceps floridi coloris acquiſivit, ac roboris, ut numquam antea melius habere viſa fuerit, licet anno ſubſequente morbo acuto correpta (data tamen occaſione evidenti) diem ſuum obierit Fato ineluctabili, ut *Lib. V. Cap. IV.* in alium finem opportune adnotabimus.

Interim ex adverſo hoc inſuper notandum venit, quod quemadmodum illi, quam Cortex curavit, pertinaces obtigerunt recidivæ, ita ſimiles, immo etiam pertinaciores, iisdem ferme temporibus obtigerunt uni ex illius filiis ſimul cum matre decumbenti, ſed nullo unquam

Cor-

Corticis usu curato. Quæ collatio; qualibet contingente recidiva, semper fiebat a me, jugiter admirante in curatione tam dispari tantam paritatem, ac uniformitatem eventus.

IX. *Sacerdos* quidam, cujus nomen subticeo, ne Medico, qui curam illius gessit, & meliorem fortasse partem elegit, videar me cavilloſe quodammodo succensere, vel promeritæ laudis quidpiam detrahere; Sacerdos, inquam, iste me consulturus de suo, quod infra subdam, incommodo, prænotionis causa narravit mihi: se ante annum circiter a violenta Tertiana duplici correptum fuisse, in cujus accessu primo statim delirus cum stupiditate, ac mentis hebes factus est. Tertia die his, & aliis gravibus symptomatis territus Medicus, ac de ruina præcipiti, nec forsan immerito metuens, ea ipsa die tertia Chinam Chinam exhibuit, cujus usu ad aliquot dies protenso suppressa est febris omnino sine relapsu. Post dies L. circiter translata forsan ad principia nervorum, ad quæ pariter ab initio tendebat, febrili materia, stupore crurum, & gravi ad motum segnitie capitur, dein balbutie, seu interceptione quadam liberæ loquelæ. Jamque ferme annus integer exactus est, nec dum tamen, pluribus licet remediis a Medico suo ordinario præscriptis, libere incedit, aut loquitur: Quid frugis reportaturus sit ex præscriptis a me, in sacris latet.

Super hoc casu, si quid liceat conjectare, credi potest, quidpiam pejus eventurum fuisse, ni Cortex statim fuisset oblatus: fortassis enim quinta die lethargicus obiisset ægrotans. Quod si dies quinta potuisset tuto expectari, priusquam exhiberetur Cortex, forte vel morbus ab exordio violentus nonnihil de sua ferocia, ut nonnumquam assolet, remisisset, discretis magis paroxysmis redditis; vel si talis perseverasset, dummodo non intulisset mortem, majori certe cum securitate, & absque metu novi, gravisque morbi, febris per Chinam Chinam foret depulsa. Sed quis de his audeat ante factum quicquam certo vaticinari?

X. En statim eventus oppositus in hoc alio casu, quem in Perniciosis potius Intermittentibus, quam in Subcontinuis indicassem, ut ferebat ordinis ratio, si mihi citius innotuisset: Utcumque, neque in hoc loco inopportune memorabitur. Narravit mihi nuperrime non sine laudabili solicitudine junior, sed non exiguæ expectationis Medicus, se non multo ante habuisse præ manibus Tertianam febrim, cujus primus accessus cum frigore incipiens plurimam habuit cum intensione extensionem; quapropter cœpit animo remote volvere oblationem Peruviani Corticis, quotiescumque febris ad continuitatem properasset, ut facile eventurum suspicabatur, nil aliud cæteroqui metuens, quia non ullum aliud symptoma deprehendebat. Secunda accessio cum aliqua vomituritione, & modica dejectione materiæ excerni solitæ invadens, longe breviorem habuit extensionem, & minorem pariter intensionem cui perfecta de more succesſit apyrexia, ita ut Æger die vacua difficulter tulerit, se in lectulo detineri: atque hic rerum status omne delevit a mente Medici de China China propinanda consilium. Paroxysmus tertius sine ullo frigore Ægrum invasit, sed cum vomitibus aquosis, & dejectione unica materiæ nullius pravæ qualitatis, cui paulopost succesſit alia quædam meri, & atri sanguinis, qualem descripsimus *cap. I. Lib. III.* Quæ dejectio frequentior facta, & ad septem, vel octo vices repetita, sine ullo quidem dolore, sed semper cum exitu copioso nigricantis tum concerti, tum dissoluti sanguinis, quasi ex venæ cujuspiam varicosæ ruptura ille prodiret, in eo ipso paroxysmo Ægrum Sacris Ecclesiæ properanter munitum de medio sustulit. Hujusmodi certe pernicioso, ac lethali symptomate comitatas Intermittentes, nisi in eo, quo illud apparuit, accessu hominem interfecerint, Peruviano Cortice valide oblato brevi sanari & diximus, & exemplis confirmavimus in Historiis. Atque idipsum contigisset, ut reor, hoc casu, si dejectio secundæ accessionis, quæ modum naturæ servavit, quidpiam saltem hujusmodi tincturæ præsetulisset, ita ut Medicus de necessitate sistendi febrem per oblationem Corticis suspicari valuisset, vel etiam si hujusmodi oblationem necessariam tantummodo reputasset (ut ferme reputavit prima accessione) titulo impediendæ continuitatis, de qua tamen metum rationabiliter submovit secunda ipsa mitior accessio. Sed & hic divinationibus magis opus esset, quam conjecturis.

Hinc patet, quam lubricæ sint, ac fal-

fallaces conjecturæ noſtræ, etiam cum maximam videntur præſeferre ſpeciem probabilitatis; quod maxime verum eluceſcit in prænarratis, ubi una obſervatio aliam quandoque videtur infirmare. Propterea cum mihi ſatis adhuc exploratum non ſit, neque niſi diutina, prudenti, & cauta experientia ſit explorabile, quinam conſtanter ſit profectus, & conſequenter quidnam rationabiliter ſperandum, quidve metuendum ex propera Corticis oblatione in Febribus, de cita, & celeri continuitate, acutie, atque malignitate acquirenda ſuſpectis, ideo ab ulteriore, aut firmiore voto lubens abſtineo, donec longior dies, aut crebrior occaſio, & eventus, experientiæ nondum integræ ſolidiora fundamenta, majuſve complementum adjiciat. Non enim æque experiri licuit, aut licet circa Febrium ſubitam ſuppreſſionem utut benigno id fiat, innocuoque intrinſece medicamento, ubi morbus eſt naturæ adhuc ancipitis, nec in certam perniciem plane propenſus, præcipue circa prima illius initia indeterminata etiamnum, & inſtabilia, ut licuit, licet, ſemperque licebit, ubi vel morbus nonnihil protenſus pravam inclinationem ſuam, ſi quam habet, clarius patefacit, vel pernicioſo, ferali, funeſtoque ſtipatus ſymptomate, certum, ac inevitabile portendit exitium. Ibi namque prorſus incunctanter exhibendus eſt Cortex Methodo noſtra, ſuis locis deſcripta, eamque poſtquam publici juris eſt facta, ſalva conſcientia negligi, aut omitti non poſſe, æque certo credideriim, ac credam ſine nota impietatis omitti non poſſe oblationem funis, aut baculi, qui præſto ſit, Homini ſubmerſo in gurgite, & ob defectum manus auxiliatricis pereunti.

Qua animi conſtantia hoc aſſero, & aſſerui toto *Lib. III.*, qui propoſitum fere totius Operis ſolus continet, non ſum auſus aſſerere Capite præcedenti in caſibus & circumſtantiis ibidem recenſitis, utut Hiſtoriæ felices ſuperius allatæ aliæque conſimiles, quas poſſem afferre, id ipſum haud inefficaciter ſuadeant. Mihi ſat ſit, obſervationes meas, praximque meam circa hoc circumſpectam in medium adduxiſſe, ut inde docti, prudentes, & experti Viri, quodque magis refert, a præjudiciis immunes, eamdem praxim non ſine exemplo valeant in uſum revocare, eamque vel ampliare, ſi nimis cautam, reſtrictamque reperiant, vel moderari, ſi audaculam. Vix tamen poſſibile reputo, eam ullo temeritatis ſtigmate poſſe notari, ſi cautionibus luculenter expreſſis, a Viro temperanter fidenti in actum deducatur. Sufficiat ergo non puſillis quidem, neque audacioribus, ſed moderatis tantum, & cordatioribus lumen aliquod, utut incertum, ac dubium, per animadverſiones, & conjecturas meas prætuliſſe: ex iis etenim vel titubanter prolatis, nec uſpiam firmatis facile cuilibet ſollerti ingenio pro re nata conſtare poterit, quid ipſa mea identidem ſuadeat, quidve diſſuadeat hæſitantia, vel ſubticentia. Atque ita longe melius, ac ſi quicquam temere pronunciaſſem, quodnam ſit cauti ſimul, ac providi Medici *munus*, *& officium*, tacitus innuam, & quempiam forte præcipitanter nimis de hac materia ſcripturum,

----- *nil ſcribens ipſe, docebo*
Quid deceat, quid non,

ratus interim, me, cum non ultra valeam, alieno commodo ſatis præſiturum, ſi

----- *fungar vice cotis, acutum*
Reddere quæ ferrum valet, exors
ipſa ſecandi.

THE-

THERAPEUTICES SPECIALIS

LIBER QUINTUS.

Febrium omnium Continuarum, necnon aliorum quorundam Morborum, præsertim recurrentium, examen continens, docensque in quibusnam earum, eorumve possit esse proficuus Cortex: Item quænam illius utilitas ad Prægnantium, ac Puerperarum Febres, & quæ vis ejusdem in Clysteribus, ac Epicarpiis adhibiti.

CAPUT PRIMUM.

Generalis præmittitur Febrium divisio, materiæ, de qua agitur, congruenter aptabilis.

EXPLEVI hactenus quod spoponderam, loquutus non modo, quod præcipuum erat, de opportuna, & minus trita oblatione Peruviani Corticis in Febribus Intermittentibus Pernicioſis, verum etiam de vulgari illius usu in aliis omnibus earundem Intermittentium non malignantium speciebus. Quia vero magni hujusce Remedii activitas hæc quoque pomœria transcendit, sed forte nonnihil ancipiti, itaut illis vis nulla adversus ullam Continuarum speciem ab aliquibus concedatur, quod falsum vidimus saltem in Pernicioſis continuitatem aliquam recenter adeptis, ab aliis vero, quod æque falsum diximus, vix maxima illi tribuatur adversus omnes ipsarum Continuarum species, immo adversus alios Morbos per intervalla potissimum recurrentes, idcirco ne quid nostro huic qualicunque Tractatui desit in hac materia, lubuit veluti Corollarii loco quintum hunc Librum instituere, ubi omni, qua licuerit, claritate, ac certitudine patefiet, in quibusnam aliis præter jam dictas Febrium speciebus, & Morbis China China vere conveniat, & in quibus vere non.

Exordium itaque ducendo a Febribus, quibus universali consensu magis congruit remedium istud, quam aliis quibuscunque Morbis, necesse erit aliquam earum divisionem præmittere, & explicare, ut de quibus vere loquamur, dum usum Corticis in illis vel approbamus, vel reprobamus, sine ulla æquivocatione innotescat. Hæc ergo, quæ sequitur, nobis erit divisio, si non omnibus numeris absoluta (quandoquidem id omnino perficere ad ritus scholasticos inutile simul, & contentiosum foret) saltem sufficienter commoda in eum præcipue finem, in quem illam construimus; eritque magna quidem ex parte ab Antiquioribus deprompta, sed insimul ad Neotericorum leges, quantum sat est, dispositа, retento tamen adhuc in generalioribus præsertim membris veterum terminorum, quippe notiorum, sono: esto falsis utplurimum suppositionibus, quas minime admittimus, innixa primum fuerit eorum usurpatio.

Dividebant igitur Antiqui, saltem quamplurimi, nosque pariter impræsentiarum cum illis sub præmissa nuperrime protestatione, Febres omnes in Simplices, Putridas, & Pestilentes, seu Malignas; neque enim Pestilentes a Malignis differre dicuntur, ut notum est, nisi penes majorem in illis, quam in istis malignitatis gradum. Nos autem tertium hoc membrum generale Pestilentium, seu Malignarum omittimus modo; tum quia illud non alias *Febres* sub se continet, nisi antedictas, *Putridas* scilicet, ac, si velis, etiam *Simplices*, & solas, & omnes, vel saltem plurimas; tum quia cum tota diversitas earundem Malignarum ab iisdem non Malignis in nulla alia re sita vulgo statueretur antiquitus, nisi in venenata quadam qualitate, putredini, ut ajebant, in Putridis superaddita, ipsisque secundum aliquos Simplicibus, ac minime

putridi aſſociabili, non eſt, cur ſub duplici claſſe eandem penitus rem iterum producamus; tum denique quia malignitas iſta (in quocunque illa conſiſtat) ſi ſit adjuncta Febribus, quæ per Corticem curari queant, quando ſunt in ſtatu benigno, non officit, quominus eædem in ſtatu quoque maligno per illum curentur; ſecus ſi malignitas conjugatur cum Febribus in ſtatu etiam non maligno Corticem reſpuentibus. Propterea de iſta malignitate Febribus accidentali ſufficiat in diviſione noſtra aliquam tantum mentionem facere, ubi ea Febribus Cortici obtemperantibus fuerit aſſociata, ut quæ nonnullas accidentales, perniciales tamen, ut alibi vidimus, ipſarum Febrium differentias conſtituit. *Simplicem* ergo Febrim vocabimus cum Veteribus *Ephemeram*, ſeu Diariam, cujuſcunque ſit generis, *Synochum* imputrem dictam, & *Hecticam* quam poſtremam dividimus in *Primariam*, quæ a principio invadit, & *Secundariam*, quæ, vel particularibus affectionibus, puta Phthyſi, aut conſimili viſcerum corruptioni, vel aliis nonnunquam Febribus, præſertim Ardentibus, ſolet ſuccedere, quatenus illæ, de genere licet Acutarum ab ortu, in Hecticam tamen veram, ſed Secundariam tractu temporis migrant.

Putridas autem, ſive Humorales Febres (quorum terminorum nota eſt ſignificatio, quantum exigit generica deſignatio reliquarum Febrium) dividebant Veteres in Continuas, & Intermittentes, rurſuſque Continuas in Continentes, ſeu Synochos, & in Proportionatas, ſeu Periodicas. Nos vero majoris claritatis gratia pro fine noſtro, & abſque læſione ſubſtantæ rei prima quidem duo recipimus membra generalia, ſeu duo latiora Febrium genera, *Continuarum* videlicet, & *Intermittentium*; ſed Proportionatarum genus ſubalternum non a Continuis ſolis derivamus, verum partim a Continuo, partim ab Intermittente ſummo genere, non ordine quidem plane metaphyſico, ſed ordine phyſico, ac practico: abſque ulla etiam Scholarum injuria. Haud equidem immediate ex Continua, & Intermittente Continuam Proportionatam deducimus, ſed mediate, & per gradus phyſicos ſuæ compoſitionis, ſuique exortus, videlicet ex *Continua Remittente*, & ex *Intermittente* Communicante, ſeu potius *Subintrante*: adeoque *Continuas*, ut infra explicabimus, non dividimus immediate in Continentes, & Proportionatas, ut mos eſt, ſed in *Continentes*, & quoquo modo *Remittentes*, ſicut dividemus *Intermittentes* in *Diſcretas*, & *Subintrantes*, licet Subintrans ſtricte loquendo vix amplius dici queat Intermittens: deinde ex *Continuis* quomodolibet *Remittentibus*, & ſuo loco deſcribendis, ſimul ac ex *Intermittentibus Subintrantibus*, Continuas *Proportionatas*, ſeu Periodicas componi dicimus. Cum enim Febris *Continua Proportionata*, ſeu *Periodica*, ſit revera mediæ inter Continuam, & Intermittentem naturæ, habeatque communem cum Febre Continua ut ſic rationem Continuæ, & cum Intermittente rationem Periodicæ, non eſt extra rem illam ponere velut tertium quid ex Intermittentis, & Continuæ concurſu, ſeu mavis ex Fermentorum earundem mixtura reſultans, & de utriuſque natura participans. Ita ex duobus Animalibus diverſæ ſpeciei unum tertium progignitur; & ita in eodem Stipite, uno Ramo Aurantia, altero Citrea Poma ferente, unus & idem medius Ramus exurgens veluti Hermaphreditus inter illos (norunt hæc quotquot elegans inſitionis artificium, & amœna monſtra callent, Hortorum luxui inde Progenita) Poma edit ex Citreo, & Aurantio mixta,

Miraturque novas frondes, & non ſua Poma.

Haud aliter in Febrium geneſi Febris Continua Proportionata ex Continua ſimul, & ex Intermittente quaſi conflata viſitur in praxi, qualis proſtat in Ideali noſtra Febrium *Arbore Cap. V. hujuſce Libri*: adeoque cohærenter ad praxim, & ad intentum noſtrum, quod clarius deinceps eluceſcet, & in cujus gratiam hæc dicta ſunt, Febres *Putridas* appellatas immediate quidem dividimus in *Continuas*, & *Intermittentes*, ſed utraſque æqualiter ad *Continuam Proportionatam* gignendam, ut infra, diſponimus.

Primo itaque loco Febris *Intermittens* vel Diſcreta eſt ſecundum paroxyſmos, plane disjuncta, adeoque Legitima, vel eſt Subintrans, & conſequenter Notha. *Subintrans* (ut de hac prius loquar) dicitur, quando priuſquam deficiat unus paroxyſmus ſuapte natura finiendus, ſubintrat alter; & ſi valde propinqua ſit, vel immediate ante abſoluta prioris ſolutio, cum alter ſuccedit, hujuſmodi Febris dicitur tantum Communicans, vel Coal-

ter-

terna, & adhuc naturam veræ Intermittentis retinet, aut plurimum redolet : ſi vero paroxyſmus prior, tunc cum alter ſubingreditur, non ſit admodum propinquus ſolutioni ſuæ, tunc hujuſmodi Febris dicitur Subintrans; jamque incipit a natura veræ Intermittentis nonnihil deſciſcere, & lenta quadam metamorphoſi in *Continuam Proportionatam* tranſmutari : idque eo magis ſuccedit, quo major eſt paroxyſmorum ſeſe mutuo excipientium commixtio, concurrente inſimul intima diſpoſitione cruoris ad æſtuandum aſſidue, ut fuſius dicemus *Cap. III. Diſcreta* ex adverſo vocabitur quæcumque acceſſiones ſuas plane diſtinctas habebit, quemadmodum veram, & Legitimam Intermittentem decet. Hæc autem vel irregularis eſt, nullum ſcilicet typum, nullum certum Circuitum, nullamque determinatam periodum ſervans, & *Erratica* dicitur; vel has omnes conditiones, atque periodos certas ſtato ordine ſervat, & dicitur *Periodica*. Periodicæ tres ſunt potiores, & omnibus acceptæ ſpecies, quarum quæ quarto quoque die invadit, *Quartana*; quæ tertio quoque die, *Tertiana*, & quæ quotidie, *Quotidiana* vocatur. Rurſus notæ ſunt, abſque eo quod crambem hanc recoquamus, illarum ſubdiviſiones in Legitimas, & Spurias, ſicut in *Simplices*, *Duplices*, *vel Triplites*, *&c.* Item earum complicationes, aut commixtiones cum aliis tam ejuſdem quam diverſi generis, unde *Complicatæ* dictæ, quas inter celebris eſt Semitertiana, aut *Hemitritæus* : pariterque tritæ ſunt degenerationes, ſeu tranſmutationes earum quandoque omnium in *Subintrantes*, mox in Continuas tum *Acutas*, tum *Lentas*, veræ nonnunquam Cacheticæ, nonnunquam Maraſmodis, quin & Hecticæ ipſius æmulas &c.

Sed & his vulgatioribus, ac majori ex parte Benignis, addamus hic loci cum *Mercato* Pernicioſas, ſeu Malignas Intermittentes; immo non quidem addamus, cum hæ non aliæ ſint, quam prædictæ, ſed in gratiam Corticis Peruviani ſpecialiter, & mirifice in illas agentis, conſideremus eaſdem ſub qualitate, more, aut charactere Malignarum; quod omnibus quidem Intermittentibus poteſt competere ſive ab intrinſeco, ſive ratione alicujus adjuncti funeſti ſymptomatis, morbum graviſſimum ſimulantis modo ſub una differentia, modo ſub alia, ut vidimus ſuo loco, ſed præcipue Tertianis, quibus quælibet ſpecies malignitatis facile accedit. Cæterum Quartanæ quoque lethargus non raro, quibuslibet autem aliis ſaltem Continuitas eſſentialis, & inde Malignitas poteſt, ac ſolet nonnunquam accedere, eaque tam de genere Colliquativo, quam de Coagulativo; ut proinde quod de Tertiana, quippe potiore, dicitur, data proportione intelligendum ſit de quacunque Intermittente. Præmiſſis itaque antedictis illarum diviſionibus, ſubdividimus Tertianam tam ſimplicem, quam duplicem ratione moris in *Benignam*, & *Malignam*. De Benigna jam ſatis. *Malignam* diſtinguimus in *Solitariam*, & *Comitatam*, videlicet in eam, quæ ex prava natura ſua ad Acutam, & Malignam, & Pernicialem vergit, & in eam, quæ talis repente fit ob adjunctum ferale aliquod, & peculiare ſymptoma, morbo ipſo, quem mentitur, & Febre, quam comitatur, deterius. Cum autem hujuſmodi Malignum ſymptoma in Comitatis ab humorum colliquatione, vel concretione neceſſario dependeat, propterea Febris eodem *Comitata* in *Colliquativam* dividitur, & *Coagulativam*. Colliquativæ ſoboles ſunt *Cholerica*, *Subcruenta*, *Cardiaca*, & *Diaphoretica*. Coagulativæ vero, *Syncopalis*, *Algida*, *atque Lethargica*, de quibus omnibus jam ſuo loco. Malignæ autem Tertianæ *Solitariæ* (idem dic de Quartana &c.) unam tantummodo ſpeciem ponimus, quaſi, ut *Mortonus* inquit, Proteiformem, quam *Subcontinuam* dicimus, neque illam ad ullum determinamus Colliquationis aut Concretionis genus, cum ad utrunque ſit identidem, & alternatim diſpoſita. Et hæc eſt, ut & alibi noſtra Intermittentium diviſio.

Diviſio autem *Continuarum* nobis erit in *Continentes* appellatas, & *Remittentes*. Continuæ *Continentes* ſunt (loquor cum communiori) illæ, quæ nulla viciſſitudine exacerbationum, aut remiſſionum notatæ, a principio ad finem una veluti acceſſione protenduntur, ſive id fiat per æqualem ſemper, ſive ſemper creſcentem, ſive denique per ſemper decreſcentem continuitatem, & dicuntur Synochi putridæ. Continuæ vero *Remittentes* (quas nomine Continuarum ſimpliciter placeret appellare, niſi nomen iſtud Continuis Proportionatis longa tituli poſſeſſione communiter tributum foret) ex adverſo ſunt, quæ non una continuitate vel ſemper æquali, vel ſemper creſcente, vel ſemper decreſcente

ſunt

ſunt præditæ, ſed tali, quæ licet jugiter perſeveret, aliquas tamen patitur identidem obſcuras, nec certo plane ordine recurrentes exacerbationes, ſeu motiunculas, aliquaſque pariter ſuſcipit remiſſiones, ſed eas quoque nec admodum conſpicuas, nec certo prorſus ordine redeuntes: adeoque a Continuis Continentibus *Remittentes* iſtæ diſtinguuntur ſecundum nos præciſe per hoc, quod non adeo fixam, ut illæ, habeant continuitatem ſuam, ſed plane inæqualem, & quidem vel inordinate talem, vel ad ſummum ordine quodam pendente potius a rerum externarum, ſeu non naturalium uſu, quam ab intrinſeca radice; non vero diſtinguuntur per hoc, quod habeant continuitatem ſuapte natura ordinate inæqualem, & certo quodam typo diſtinctam, ut habent Continuæ Proportionatæ. Iſtæ ſiquidem, nempe *Continuæ Proportionatæ*, *ſeu Proportionales*, quæ ſecundum nos ex Subintrantibus, & Remittentibus ſupra explicatis aſſurgunt, magiſque ad Intermittentes in exortu ſuo, magis vero ad Continuas, & Acutas in progreſſu ſpectare videntur, ſunt illæ, quæ licet nunquam omnimode ſolvantur, certas tamen, & periodicas habent incrementi, & decrementi viciſſitudines, & juxta diverſitatem periodorum, Febrium Intermittentium adinſtar (ex quarum fermento ſaltem partialiter pendent) *Quotidianæ*, *Tertianæ*, *aut Quartanæ Continuæ*, *ſive ſimplices*, *ſive Duplices &c.* aut ſolo etiam retento generis nomine, *Continuæ* ſimpliciter, licet forſan minus appoſite, nuncupantur, ut paulo ante diximus; de quarum indole æquivoca fuſius acturi ſumus *Cap. III. hujuſce Libri*. Harum ſubdiviſiones, ſeu differentiæ accidentales plurimæ recenſentur, quarum aliquæ Tertianam, aliquæ Quotidianam Continuam reſpiciunt. Quæ ad *Tertianam Continuam* pertinent, ſunt præ cæteris *Cauſon*, *ſeu Febris Ardens*, *Aſſodes*, *Helodes*, *Syncopalis minuta &c.* Quæ vero reſpiciunt *Quotidianam Continuam*, ſunt *Hepialæ*, *Syncopalis humoroſa &c.*

Continentium autem ab antiquis aliæ dicebantur *Eſſentiales*, *ſive Primariæ*, aliæ *Accidentales*, *ſive Secundariæ*, aut communiter *Symptomaticæ*. Hæc tamen diviſio (ut fatear) omnibus indiſcriminatim Continuis aptari ſolita, præcedebat potius, quam ſubſequebatur diviſionem Continentium, Proportionatarum, nec male: quandoquidem Continuæ Proportionatæ, non ſecus ac Continentes, ſunt Eſſentiales. Sed nobis pro dilucida noſtræ intentionis explicatione commodius eſt eſſentialium, & Symptomaticarum diviſionem a Continente derivare, tanquam a potiori, non excludendo præciſione noſtra rationem Febris Eſſentialis ab ipſa Proportionata. Interim hoc pacto Symptomaticas ad Continentium genus, ad quod ſaltem plerunque ſpectant, revocaſſe non piget. *Eſſentiales* erant Antiquis, ſuntque & nobis illæ, quæ ex ingenito univerſali ac proprio fluidorum vitio nulla concurrente peculiari determinatæ partis affectione excitantur. Symptomaticæ autem ex adverſo appellabantur illæ, quæ non ex primario fluidorum vitio, ſed ex peculiari nonnullarum corporis partium affectione puta Inflammatione, Eryſipelate &c. ortum ſuum trahere videbantur. Sed cum pluribus placuerit, *Platero* duce, illas potius ut Eſſentiales reſpicere, & adjunctum Eryſipelas, Inflammationem &c. conſiderare velut quidpiam ab iiſdem Febribus, tanquam a primo fonte promanans; eas idcirco non *Symptomaticas*, ſed potius *Comitatas*, hoc eſt, peculiari morbo, aut incommodo in aliqua corporis parte ab iiſdem excitato, ſtipatas lubuit nominare: quæ opinio plurimis etiamnum Neotericis arridet. Nos cunctis morem gerendo, quoniam id rei noſtræ non officit, ut litem componamus unicuique aliquid detrahentes, & aliquid ſuperaddentes, retenta diviſione noſtra Febrium, ut ajunt Putridarum in Intermittentes, & Continuas, Continuarum in Remittentes (quibus Proportionatas ſubnectimus) & in Continentes, nec non admiſſa hac poſtrema, ſcilicet Continentium in *Eſſentiales*, ſeu Primarias, ut ſupra, & in Accidentales ſeu Secundarias, aut communiter *Symptomaticas*, eaſdem rurſus Continentes Eſſentiales, majoris claritatis gratia, ſubdividimus in *Solitarias*, & *Comitatas*.

Primaria, ſeu *Eſſentialis Continens Solitaria* eſt Synochus jam ſupra expoſita, ex ſola fluidorum dyſcraſia nullo inſigni concurrente, vel concomitante ſolidarum partium vitio, genita; & in tres ſpecies dividi ſolet, quarum quæ pari ſemper paſſu, & intenſione procedit, dicitur *Acmaſtica*; quæ paulatim ſemper creſcit, *Epacmaſtica*; & quæ paulatim ſemper decreſcit, *Paracmaſtica* -- *Comitata* vero eſt, quæ cum aliquo morbo particulari a ſe genito, vel ſaltem cum gravi quopiam

Sym-

Symptomate morbum verum ſimulante, aut etiam æquante, copulatur, eſtque illis ortu prior, aut ſaltem ſimultanea, ut iis originem dediſſe credi poſſit. Cumque id potiſſimum accidat media Colliquatione, vel Concretione fluidorum, idcirco in *Colliquativam* dividitur, & *Coagulativam*. Colliquativæ Febris ſoboles erunt *v. gr. Diabetica*, quæ ſcilicet immodicum nrinæ profluvium, *Diaphoretica*, quæ nimium, ſudorem, *Dejectoria*, quæ frequentes alvi dejectiones inducit, & aliæ hujuſmodi, quæ humores noſtri corporis nimium fundendo, ac diſſolvendo, enormes evacuationes, partiumque, quibus mediis illæ exercentur, moleſtas, atque morboſas affectiones ſibi aſciſcunt comites. Coagulatoriæ vero Febris (quæ varias vel in una, vel in pluribus corporis partibus, aut viſceribus, fluidorum ſtagnationes, aut concretiones inducens, alios morbos vel affectiones ſaltem graves pro morbis habitas gignit) Coagulativæ, inquam, Febris erunt ſoboles, *Morbilloſa*, *Varioloſa*, *Scarlatina*, *Cattarrhalis*, & aliæ pariter hujuſmodi, immo & *Inflammatoria* quævis, aut *Eryſipilatoſa*, ut *Pleuritica*, *Arthritica*, *Anginoſa* &c. dummodo Inflammatio a Febre, non Febris ab Inflamatione ortum duxerit.

Symptomatica autem Febris nobis erit, quæ vero alicui morbo particulari, cui juncta eſt, ſed ortu poſterior, non dedit originem, verum illam ab eodem recepit; cujus ſententiæ fuit & olim *Galenus*, ſubſcribens Prædeceſſoribus ſuis -- *A Febribus* (inquit ille) *male habere, & vexari Antiqui dicebant eos, qui ſine certa inflammatione, aut abſceſſu, aut dolore, aut eryſipelate, aut, ut generatim, & univerſim dicam, abſque aliquo membro eximie præ aliis affecto egrotabant. Quod ſi vel propter lateris, aut pulmonis, aut alterius cujusdam partis inflammationem febricitabant, non jam febricitantes ipſos appellabant, neque Febribus vexari dicebant, ſed Pleuriticos, aut Peripneumonicos, aut Hepaticos, aut ſimilibus aliis nominibus nuncupabant.*

Symptomaticam ergo, reſpectu habito ad partes, ex quarum affectione illa ſuboritur, dividemus in *Officialem*, & *Privatam*. Officialis dicetur ea, quæ pendet ab actione vitiata partis alicujus, cujus officium ſit publicum, hoc eſt inſtitutum in gratiam totius corporis, vel in gratiam ſpeciei; quæ vero pendet a vitio partis, cujus actio privata ſit, & ſibi ſoli deſerviens, vocabitur Privata. *Officialis* erit idcirco Febris *Lactea* Puerperarum, & *Alba*, ſeu Pallida Virginum Chloroſi laborantium. *Privata* autem Symptomatica dividetur in *Fixam* & *Vagam*. *Fixa*, quæ alicui parti determinatæ laboranti, velut radici ſuæ, primitus adhæret, cum a pluribus, diverſiſque omnium plane corporis partium morbis pendere poſſit, ſubdividetur ſaltem in ſpecies aliquot frequentiores, & magis obvias, quales ſunt *Inflammatoria* (quo ſub nomine *Eryſipelatoſam* quoque comprehendo) *Puſtuloſa*, ſeu Tuberculoſa, *Ulceroſa*, & *Lenta*, ea ſcilicet, quæ ex latente, contumaci Viſcerum, imi præſertim Ventris obſtructione, tanquam a cauſa procedit, ipſa labefacta eorundem viſcerum glanduloſorum intimiore ſubſtantia. Quæ enim citra Viſcerum labe ex diuturna tantum Febrium Intermittentium duratione, & ſucceſſiva earum in Continuas tranſmutatione progignitur, adeoque obſtructiones ipſas, eaſque etiam vulgares, etſi durabiliores, producit, vel productas, & antea genitas auget, eſto etiam, quod vel maciem, vel Cachexiæ initium valeat inducere, ad *Lentas* tantummodo eſſentiales ex *Intermittentium* non ad *Symptomaticas* ex *Continuarum* ſtirpe debet referri. Ad *Inflammatoriam*, ſeu Phlegmonodem *Symptomaticam* ſpectabit Febris, quæ ab aliqua procedat Febrem ipſam præcedente partis alicujus Inflammatione; ſi enim Febris Inflammationem præceſſerit, vel ſi utraque ſimul etiam fuerit excitata, Febris potius Comitata vocabitur, quam Symptomatica, ut ſupra diximus; & hac de cauſa juxta regulam modo traditam, una, eademque ſpecifice, non individualiter, Febris, *v. g.* Podagrica, Pleuritica &c. modo Symptomatica, modo Comitata dici poterit. In ſuppoſitione igitur, quod Febrem vere præceſſerit *v. gr.* punctorius dolor lateris, Tuſſis, & difficultas ſpirandi, Febris hujuſmodi *Pleuritica* reducetur ad Symptomaticam Privatam Fixam, & quidem Inflammatoriam; ita & *Anginoſa*, *Arthritica*, & alia quævis, quæ ex qualibet prius inflammata corporis parte proceſſerit, quarum ſeges copioſa exiſtit, ac propemodum innumera. In eadem ſuppoſitione, quod Febri det anſam comes affectio, non Febris affectioni comiti, ad *Puſtuloſam*, ſeu Tuberculoſam pertinebit Febris *Herpetica*, quæ ex Herpete,

pete, & *Scabiosa*, quæ ex Scabie; ad *Ulcerosam* vero *Dysenterica*, quæ ex Dysenteria, & *Tabida*, quæ ex Phthysi, vel alio quocunque ulcere sive interno, sive etiam externo, cavo, & sordido, originem ducat: sicuti ad *Lentam* Symptomaticam spectabit Febris *Marasmodes*, quæ cum summa corporis extenuatione, ac consumptione, & *Cachetica*, quæ cum universali, ac insigni illius tumefactione, mortiferoque pallore conjungitur. Et hæc de Symptomatica Fixa. *Vaga* ex adverso Symptomatica nobis nuncupabitur, quæ nulli peculiariter parti de more addicta est, immo nec ulli præcise Febrium generi, sed a nonnullarum partium actionem tam privatam, quam officialem edentium, morbo præexistente procedit, & per varias, quas facile suscipit, identidem vagatur Febrium species. Hujus ordinis erunt Febris *Verminosa*, *Venerea*, seu Gallica, & *Scorbutica*, quæ omnes ex certis quidem, sed variis partibus graviter affectis possunt pendere, & per diversa Febrium, etiam non Continentium confinia vagari. Ad hæc, si possibilis sit generaliter mutua commixtio Febrium Putridarum Continuarum, puta Symptomaticæ cum Essentiali, vel Continentis cum Proportionata &c. hinc emergent quoque *Continuæ Complicatæ*, complicationi Intermittentium cum Intermittentibus, vel cum Continuis, proportione respondentes.

Hoc denique coronidis loco circa Symptomaticas animadvertendum, quod pro intentione nostra non modo consideramus ut tales Febres illas, quæ a morbo partis alicujus originem traxere, verum & eas (cujuscunque fuerint speciei, vel generis) quæ licet ortum ab iisdem non traxerint a primordio; talem nihilominus in progressu cum aliqua ex ipsis affectionibus connexionem acquisierunt, & tale fœdus iniere cum illis, ut Febris eadem, quæ primo fortasse hujusmodi affectionem genuit, ab eadem postmodum circulari quadam, veluti reciproca causalitate, alimentum, fomitem, atque diuturnitatem suam mutuetur: quo casu Febris de *Comitata* in *Symptomaticam* transit. Atque istæ metamorphoses passim obviæ, etsi scholasticæ nugæ videantur, sedulo animadvertendæ sunt in praxi, easque hic lubuit obiter indicare, quandoquidem sic una, & eadem Febris pro varia sui habitudine modo curationi per Corticem instituendæ opportuna est, & modo non.

CAPUT II.

Peruvianus Cortex *inutiliter exhibetur in Febribus Continuis Continentibus, seu non Remittentibus, tam simplicibus (ut vocant) quam Putridis atque his quidem, tum Symptomaticis, tum Essentialibus, tum Solitariis, tum Comitatis, sive Malignæ fuerint, sive Acutæ simpliciter.* Mortoni *Praxis in hoc castigatior detegitur, ac vulgo sit credita; non tamen plane recipitur.*

JUXTA allatam nuperrime divisionem, & terminorum acceptionem, quæ nisi ordinate præmissa fuisset, ac per extensum explicata, ab aliquibus uno, ab aliis alio modo potuisset intelligi, jam seorsim examinare fas est singulas obiter Febrium Continuarum species, ut quibus sanandis China China competat, & quibus non competat, clare determinemus.

Generice interim præmittendum est tanquam Theorema inconcussum in Praxi, quod energia Peruviani Corticis unice se se exerit adversus fermentum illud, quod per intervalla sanguini affunditur, ut diximus *Lib. I.* illumque in febrilem efferveſcentiam concitat; minime vero adversus fermentum, quod in ipso jugiter sanguine radices habet. Hinc sequitur quod post Febres vere Intermittentes nullæ aliæ in linea Continuarum occurrant Cortice curandæ, nisi illæ, quæ accidentalem, ut sic loquar, continuitatem adeptæ, suam tamen primævam originem vel potiorem saltem suæ originis partem agnoscunt a fermento extraneo in eundem sanguinem influente, ut ipsarum Intermittentium mos est.

Hoc jacto fundamento, cui constans, quantum novi, astipulatur experientia, facile erit deducere, quod nullis Febribus Simplicibus dictis, videlicet nec *Ephemeris*, neque *Synochis imputribus* (quibus ob citam, & facilem solutionem superfluus esset, etiamsi prodesset) multoque minus *Hecticis* veris, tam *Primariis*, quam *Secundariis*, cujuscunque sit indolis fermentum pertinax, quod illas fovet, Peruviani Corticis aptetur actio.

Quoad *Continuas Putridas* dictas, sive

ve Humorales, ſi *Continentes* illæ fuerint, more ſcilicet a nobis expoſito, hoc eſt nullis Exacerbationum, aut Remiſſionum viciſſitudinibus interpunctæ, fuerintque pariter *Eſſentiales*, atque Primariæ, tam *Solitariæ*, quam *Comitatæ*, & tam de genere *Colliquativo*, quam de *Coagulativo*, ſingulæque tam *Malignæ*, quam ſimpliciter *Acutæ*, extra dubium videtur, illarum quibuſvis ſtabile intra cruorem, diverſumque valde ab Intermittentium fermento fermentum habentibus, Corticem Peruvianum opitulari non poſſe.

Quia tamen nec obeſſe ex ſui natura crediderim, aut unquam credidi, neque aliorum favore Corticis opinantium, illudque remedium in quibuſvis etiam Continuis Febribus approbantium, auctoritatem temere ſeponendam duxi in juventute præſertim mea; ideo tunc meæ minime fidens Minervæ nondum ſatis expertæ, de Cortice in *Continuis Primariis*, *& Continentibus* exhibendo periculum aliquod innoxium, aliorum fretus auctoritate, ut dictum eſt, faciendum cenſui. Sed ut ingenue confitear, præſcripto aliquoties non paucis Ægrotantibus, parca quidem, ſed congrua, & partita doſi, ſub ſpecie boli cardiaci remedio, vel nullum inde levamen, ſicut nec damnum ullum emergere agnovi, vel illud beneficium tantummodo, quod aliis remediis vulgaribus adſcribendum facile creditur, tunc cum morbus, exacto jam Acutorum curriculo, finem ſuum ſive bonum, ſive malum aſſequitur; neque enim promptiorem antedicto, ſicuti nec feliciorem terminum in iiſdem Febribus uſu Corticis obtentum potui dignoſcere, non modo cum ipſe præſcripſi, ſed & cum a *Fraſſone* Præceptore meo (poſtquam ſcilicet Remedii vires in *Caſu xvi. Cap. X. Lib. I.* deſcripto fuit expertus) præſcriptum vidi. Penes me autem, cui operatio Corticis ſemper prompta, & celer apparuit, etiam cum diminute præſcriptus eſt, apparuit, inquam, ſemper talis, habita ſaltem proportione ad doſim præſcriptam in aliis caſibus: idcirco quotieſcunque morbus Cortice curatus ſuum de more ſtadium abſolvit, ut contigit tunc, profecto illius curationem Cortici non magis tribuam, quam cæteris remediis, aut ipſi Naturæ. Et ideo in hujuſmodi Febribus quavis incrementi, ac decrementi alternatione carentibus, inutilem ſaltem, atque fruſtraneam crediderim, ingenue loquendo, oblationem ejuſdem Corticis; niſi adhibita induſtria aliqua, mihi hucuſque ignota, ſenſibiliores effectus datum ſit intueri: licet non deſint, qui nedum ſperent ſe aſſequturos, ſed & cenſeant jam aſſequtos modum, quo aliis adminiculantibus auxiliis, commixtiſque medicamentis, puta, Opio, flore Salis ammoniaci, Viperarum ſale &c. Corticem ipſum, qui baſis reliquorum eſt, ad *Febrifugi univerſalis* faſtigium elevent. Neque hoc (ut nihil ſubticeam) plane intentatum ipſe reliqui; ſed nec rem acu tetigiſſe mihi ſum viſus, neque tuta tantummodo, minimeque ſuſpecta admittenti, ulla amplius mihi ſupereſt ultro experiundi cupiditas.

Cæterum ſi quis ſit locus Cortici in Febribus Continentibus, is erit ad ſummum, atque etiam rariuſcule, non in Continentibus Originariis, ſed in iis, quæ ab Intermittentibus, vel Subintrantibus ortæ, prius in proportionatas, mox & in Continentes degenerant. Iſtæ enim ſicuti in puncto ſuæ metamorphoſeos ſolent ſæpiuſcule curari Cortice, ita fortaſſe nonnumquam eodem curari poterunt, etiam poſtquam fuerint in eaſdem Continentes ſaltem de recenti, penitus tranſmutatæ, vigente ſcilicet adhuc in illis aliqua primævæ originis conditione etiamnum corrigenda per Corticem, qui inſuper obſtare poterit occultis ſuppetiis a primo fonte extraneo fortaſſe latenter, & indeſinenter ſanguini accedentibus. De his tantummodo Febribus recenter Continentibus factis fortaſſe locutus eſt *Sydenham*, dum eas poſt amiſſam intermiſſionem vocat nomine *maxime Continuarum hujus ſpeciei*, in quibus cum fructu aſſerit Corticem exhiberi, *dummodo intempeſtivus Cardiacorum uſus ulteriorem Continuitatem Febri non conciliaverit: quo in caſu, Peruvianum* (inquit ille) *Corticem nihil quicquam profeciſſe, plus ſemel obſervavi*, quemadmodum alias retulimus.

Quoad Febres vero *Symptomaticas*, tam *Privatas*, quam *Officiales*, tam *Fixas*, quam *Vagas*, tam *Lentas*, quam *Acutas*, *Inflammatorias*, *Ulceroſas &c.* a quibuſvis organicis partium vitiis pendentes, nemo, quod ſciam, tam animoſus fuit hucuſque, ut in illis proficuum eſſe Corticem, abſolute pronunciarit, ſalvis infra ſubdendis; nam præterquamquod Febres hujuſmodi Symptomaticæ conſueſcunt de more, ac ut plurimum potius ad Continen-

nentium genus Cortici inacceſſum referri, quam ad aliud, utpote a ſtabili vitio affectæ partis progenitæ, habent hoc inſuper, ut nonniſi ſublato eodem vitio poſſint auferri; quod opus pariter ſolet excedere vires ejuſdem Corticis. Id quod intelligendum eſt, tam ſi vitium organicum, puta Ulcus, Tumor &c. ſit in aliqua parte nobili, & interna, quam ſi ſit in ignobili, aut externa, dummodo Febris a tali affectione ortum, aut fomitem ſuum agnoſcat, ſecus ſi agnoſcat a fermento conſueto, habeatque per accidens comitem aliam, ſive præcedentem, ſive ſimultaneam recenſitorum generum affectionem.

Ne vero quod experientia propria compertum habui circa hæc omnia ſilentio præteream, præſertim in confirmationem, quod tenuiſſima ſit, vel nulla vis Corticis adverſus Febres *Symptomaticas*, nedum *Continentes*, verum & *Remittentes*, atque *Periodicas*, fateor, me pluribus Tabidis nondum conſumptis, & præter quotidianas Febris putridæ dictæ periodos valde conſpicuas, vix tantillum Febris habitualis appellatæ tempore remiſſionis habentibus, Corticem obtuliſſe, tum ut eorum petitionibus indulgerem, tum etiam ut ipſas nimium increbreſcentes periodos inhiberem. At licet ex uſu remedii aliquod ſenſibile levamen ad aliquot dies fere ſemper obſervarim, cum manifeſta etiam quandoque (non tamen ſemper) Exacerbationum conſuetarum interceptione; attamen morbus paulopoſt vires reſumens curſum ſuum jugiter proſequebatur uſque ad interitum Ægrotantis; quod infortunium (præter alios caſus, quos ſubticeo, ne longior ſim) eximiis Matronis, *D. D. Marchioniſſæ Fortunatæ Gherardinæ* tabidæ, gravidæ, & ope forſan Corticis ad feliciſſimum partum perductæ; ac dein Vita functæ, demumque *Marchioniſſæ Lucretiæ Molſæ* pariter tabidæ contigiſſe memini. Nec aliter ſe quoque obſervaſſe refert in ſimilibus caſibus Cl. *Nigriſolus*. Contra, novi Militum in Xenodochio ictu ſcloppeti vulneratum, & ob diuturnitatem, profunditatem, ac ſordem vulneris copioſo pure ſcatentis, Febricula irregulari correptum, cui tandem ſuperveniens Tertiana ceſſit actioni Corticis, ſupertiſlite adhuc ad longum tempus vulneris ulcere, nullam cum extincta Tertiana, ut patefecit eventus, cauſæ, vel fomitis cognationem habente. Sicuti enim cum Febris fermentum ſuum præciſe recipit a parte inſigniter læſa, qui Symptomaticarum mos eſt, fermentum illuc eſt indolis diverſæ a ſolito Intermittentium fermento, habetque Focum Cortici forſitan inacceſſum, unde inutiliter his etiam cauſis miniſtratur remedium: ita quando verum Intermittentium fermentum præciſe luxuriat, etſi aliqua vigeat alicubi ſejunctum labes, eventus nihilominus actioni Corticis proportionatus, intacta provincia extra ditionem poſita, ab illius oblatione poterit expectari.

Sic, ſi Febri alicui Corticem admittenti, ut ſunt Intermittentes omnes, & Continuæ nonnullæ, adjungatur per accidens Verminoſa affectio, hæc non impediet, quominus Febris curetur eodem Cortice, neque enim ea Symptomatica erit, cum non a Lumbricis, ſed a conſueto pendeat talium Febrium fermento, verum potius cenſenda erit Comitata illiuſmodi affectione. Quod ſi vere a Lumbricis pendeat, ſitque vere *Vaga Symptomatica Verminoſa*, ſimulque ex ordine earum, quæ Cortici conſueſcunt obtemperare, adhuc tamen Cortice tractari poterit, tum quia in ea recognoſci poteſt fermentum ipſius ordinarium; tum quia etiam ipſi Cauſæ ſuppoſitæ, Lubricis nempe, idem Cortex convenire cenſetur (quacunque id ratione fiat) ut ſuo loco videbimus. Et ſane non ſemel Febres periodicas, in quibus Vermes ſi non integram cauſæ, ſaltem cum cauſæ rationem habere viſi ſunt, Cortice ſanatas vidimus, ut patet etiam ex una, aut altera ex noſtris Hiſtoriis. Poſito autem, quod Cortex ex vi peculiaris virtutis, qua pollere dicitur ad curandas Verminoſas affectiones, curare quoque per conſequens poſſit Symptomaticam aliquam non modo ex Intermittentium ſtirpe, verum & Vagam Verminoſam inde genitam ex Continentium genere, attamen cum id non efficiat eo caſu (dato quod poſſit efficere) ex vi febrifugæ virtutis, ſed ex vi alterius, qua Vermes dicitur reſpicere, ideo hic a nobis id minime attenditur, ſicuti nec attendetur in noſtro Febrium Stemmate infra ponendo, ubi Cortex nonniſi ut Febrifugus conſideratur; utque talis nulli Continenti, præſertim Symptomaticæ, prodeſſe poteſt ex natura ſua ſed tantum fortaſſe per accidens, quatenus Cauſæ Febrem hujuſmodi producenti per accidens opponatur.

Hac occaſione quæri poſſet, quid ſit agendum, ſi Symptomatica aliqua Vaga,

vel

vel Fixa ſit de genere non Continuarum, ſed Intermittentium, nempe, an ea ratione ſuæ naturæ Corticem admittat, an ratione cauſæ illum reſpuat. Sed breviter dico, me Symptomaticas Febres præſertim Fixas, collocaſſe ſub genere Continentium, quia revera Continentes utplurimum ſunt, aut Remittentes ſimpliciter, vel ad ſummum Proportionatæ: Intermittentes enim eſſe poſſe Symptomaticas, communiter negatur in Scholis, niſi Symptomaticæ vocentur omnes Intermittentes, eo quia ex obſtructione alicujus Ductus, aut Glandulæ oriri dicantur. Verum uſus invaluit, ut pro Symptomaticis habeantur illæ tantummodo Febres, quæ non a levi obſtructione facile ſuperabili, quæ per ſe morbus non eſt, ſed a vitio aliquo, & fixo, & gravi ſolent procedere; cujuſmodi vitium non videtur Febrem Intermittentem gignere poſſe. Quotieſcumque vero eam progigneret, cum illud non ſit Cortice ſuperabile, ut ſuperabilis fortaſſis eſt obſtructio alicujus ductus Lymphatici, vel Chyliferi, Febrem Intermittentem (hac data hypotheſi) producens, ideo etiam in Intermittente vere Symptomatica, & a gravi labe particulari progenita, ſi ſit poſſibilis, Corticem minime prodeſſe crediderim. Duæ ſiquidem alias expreſſæ conditiones ſimul requiruntur ad felicem uſum Corticis, nempe primo, ut Febris Continens non ſit; ſecundo, ut ab aliquo gravi, & peculiari partis cujuſpiam vitio non pendeat.

Quod ſi quæratur, quid ſaltem ſit agendum, ſi morbus aliquis Febrem Continuam gignere ſolitus, vel cum eadem aſſociari, ut inflammatio aliqua, aſſocietur Febri Intermittenti, vel ab eadem dependeat, dico, hujuſmodi caſum rarum, alioſque forſan poſſibiles, ſed non conſuetos, non cadere ſub regulis generalibus; indicationes tamen in ipſa facti inſpectione ſumendas eſſe a potiori. Quamobrem in data poſitione, ſi Febris ſit Symptomatica, & pendens a morbo, *v. gr.* ab Inflammatione, indicationes erunt ſumendæ ab ipſo morbo per Corticem minime curabili. Si vero ſit Comitata non quidem ſymptomate ſimplici, utut gravi (tunc enim abſolute curandam eſſe Cortice, vidimus jam *Lib. III.*) ſed vero morbo, cum illa in tali caſu huic originem dederit, indicationes ſumi poterunt ab ipſa Febre, quæ idcirco ut Intermittens etiam curari poterit Cortice, ſi urgeat aliqua neceſſitas, ſecus ſi non urgeat; hac enim non urgente, ſatius eſt forſitan pugnare remediis, utranque affectionem æque reſpicientibus, quam Cortice Febrem ſolam reſpiciente, cujus extinctioni fortaſſe non ſubſequetur extinctio morbi, licet a Febre geniti, cum poſſit ille ſuas jam jeciſſe radices, iiſque ſeipſum alere, quin & Febrem ſibi propriam, Continuam nempe paulatim accerſere.

In hanc rem ſit brevis iſta caſus infrequentioris Hiſtoria, videlicet de non mentita Pleuritide, copulata cum Febre Tertiana duplici, ne Subintrante quidem, ſed vere ſtatis horis Intermittente. Eximius, aliaſque memoratus Vir *D. Comes Rupertus Fontana* anno 1708. cœpit decumbere cum quadam Rheumatis ſpecie in pectore, & faucibus, quam affectionem nomine Gravedinis appellabat, accedente inſimul motu quopiam febrili, qui veſpertinis horis cum horrore, & frigore, moleſtaque inter reſpirandum ſenſatione invadebat, & mane ſudore modico ſuperveniente ſolvebatur. Poſt tres, vel quatuor dies cœpit fieri aperte difficilis reſpiratio, ſimulque dolor lateris punctorius apparuit ſatis acerbus hora præſertim ingruentis paroxyſmi; tandemque Pleuritis, ſaltem Spuria dicta, ſe prodidit deficiente tantummodo conſueta cæteroqui Febris Continuitate: ſiquidem ſervabat hæc exactiſſime typum Tertianæ duplicis, cujus minor acceſſio ſuperveniebat quidem majori nondum ſolutæ, ſed inter ipſam mitiorem, & ſubſequentem fortiorem manifeſta intercedebat aliquot horarum apyrexia. Quia vero toto paroxyſmorum admodum intenſorum tempore valde graviter torquebatur Ægrotans, itaut præ nimio dolore lateris, difficili reſpiratione, & tuſſi moleſta, fere deliquium animi patieretur, implorabat auxilium Corticis, cujus ope a Tertiana duplici Subcontinua, & ad Acutam properante alias convaluerat. Aſt ego renui, non ſatis credulus remedium hujuſmodi in Febre, licet Intermittente, cui conjuncta erat pectoris inflammatio, & cui forſan (ut tunc ſuſpicabar) inflamatio ipſa primis diebus latens originem dederat, poſſe ſufficere ad integram curationem, præſertim cum ſputum ſubcruentum copioſum, & ad coctionem tendens, ſatis procederet. Igitur Ægrum tractavi ut Pleuriticum, non præciſe ut Febricitantem tertianarium, & curatio ſucceſſit ex voto: ſiquidem circa undeci-

decimam morbi diem ſudoribus in fine acceſſionum abunde fluentibus, ſputoque inſigniter ſubcruento, & ſubflavo, copioſe pariter per tuſſim excreto, tum Febris, tum dolor punctorius evanuere; illa quidem prius, iſte poſterius. Etenim extinctæ Febri aliqua inter reſpirandum, & ſcreandum triſtis ſenſatio parte affecta ſuperſtes remanſit, quæ poſt aliquot dies ope ſputi ſemper cruenti, ſemperque copioſi tandem diſparuit. In hoc caſu ordinatus morbi progreſſus me non coegit ad uſum Corticis, quæ tamen Ægro poſcente, quotieſcunque minus congrue proceſſit morbus, fortaſſis obtuliſſem, licet animo non plane fidenti. Non eſt tamen ideo, quod improbem conjecturam oppoſitam, quin potius illam admitto, nempe quod ſi Corticem obtuliſſem, non modo ſtatim ceſſiſſet Febris, ſed & illo tempore ſublata, ipſa forſan facilius evanuiſſet inflammatio, uti ab eadem Febre non minus probabiliter pendens, atque progenita.

Cæterum quæ data occaſione hic lubuit apponere de uſu ancipiti Corticis in Febribus Intermittentibus Symptomaticis, ſi quæ ſint, vel morbo Comitatis, nil detrahunt, quin potius robur adjiciunt iis, quæ de minima, vel nulla illius activitate adverſus Febres Continentes omnes, tam Comitatas, quam Solitarias, tam Symptomaticas, quam Eſſentiales, locutus ſum, & adhuc expertus loquor cujus etiam ſententiæ ſunt omnes præcipui Scriptores (ſi attente aſſerta eorum perpendamus) cum moderamine, ac delectu Cortice utentes.

Quod ſi *Mortonus*, in adminiſtrando Cortice plurimum verſatus, ubi de illo agit, & de virtute illius Febrifuga, inquit, quod -- *Febres Continentes Inflammatoriæ, æque ac Intermittentes hac antidoto penitus abſque aliqua recidivatione quotidie evincuntur, ac extinguuntur* (quem Textum de aliqua animoſitate ſatis modeſte notaſſe viſus eſt *Cl. Nigriſolus*) animadvertendum eſt, ut ſequenti Capite fuſius dicetur, *Mortonum* per Febres *Continentes* revera intelligere non Continuas omni alternatione carentes, ut nos cum communiori intelligimus, ſed Continuas *Proportionatas*, ſeu manifeſte, ac periodice ſeſe remittentes, ac exacerbantes, quas omnes indiſcriminatim, quomodocunque remiſerint, ac alternatim recruduerint, Cortice ſemper (utinam vere ſemper) ſanabiles eſſe contendit. Hanc limitationem innuit ille in ipſa Præfatione ſuæ *Pyretologiæ* ad Lectorem, ubi idem ac ſupra repetendo, clarius tamen ſe explicat, inquiens -- *Febres Continuas Synoches dictas, & quaſcumque alias ſive Inflammatorias, ſive Colliquativas, quouſque typum ſuum ſervent* (& hic notanda ſatis explicita conditio typi) *reapſe a polycreſto hoc remedio rite exhibito æque certo, ac cito ac Intermittentes ipſas fugari.*

Hinc eſt, quod ex profeſſo conſiderans Inflammatorias ipſas, *Pleuriticam* nempe, *Scarlatinam*, *Morbilloſam*, *Variolosam*, *&c.* quas omnes Cortice quandoque curandas vult, tunc tantum eodem vere curabiles cenſet (quidquid ſit de hujus aſſerti nimium forſan late patentis ſoliditate) cum Continentes, eo quo intelligit modo, fortuito evaſerint, & quandiu permanſerint tales: hoc eſt manifeſtis Exacerbationibus, ac Remiſſionibus præditæ; ſecus cum fuerint veræ Synochi hiſce viciſſitudinibus caſſæ, aut ſi in quopiam ſui curſus ſtadio conſtiterint, in quo nondum ulla fuerit, ſerius tantum, & in alio ſtadio obſervanda ratio periodi. Cum enim hæc non adfuerit, Febriſque Inflammatoria veræ, ac ſecundum ipſum ſemper malignæ Synochi naturam, & motum jugiter æqualem pro ſe tulerit, tunc Corticem nullo pacto poſſe prodeſſe, conſtanter, apertiſque literis aſſeverat -- *Febris Synochus* (inquit ille de Febribus Continuis in genere) *unam tantum generalem indicationem ſuppeditat &c.* ſubditque -- *A Cortice Peruviano nihil opis omnino jam expectandum eſt, donec ſpiritus antidoti vires regere poſſint, & a veneno ſopiti* (quælibet namque Febris, ut alias adnotavimus, ſecundum hunc Auctorem a veneno plus minus activo ortum ducit) *Cardiacis, Alexipharmacis &c. exſuſcitentur, & muniis ſuis iterum fugantur. Quo facto, Febris genium ſuum non mutare, & in Synechem Benignam tranſire non poteſt, ejuſque mutationis ſpecimen exhibere in Exacerbationibus, & Remiſſionibus periodicis, ſingulis, vel alternis diebus recurrentibus, & pro ratione victoriæ parte, plus minus manifeſtis.* Et paulo ſupra -- *A gradu veneni* (dixerat) *intenſiſſimo ſuboritur Febris Synochus, ubi utut mitia ſub initium cuncta appareant ſymptomata, quia ſpiritus primo ictu mortificati luctæ inſtituendæ impares reddunturi; Febris tamen plus minus maligna*

eſt;

eſt : ſpiritibus enim mortificatis , Antidotus febrifuga (intellige ſemper Corticem) *nullius eſt uſus , donec Arte vel Natura venenum quadantenus ſubigatur , & Febris typum Benignæ , ſeu Synechis induere incipiat*. Quod idem etiam repetit , atque confirmat ubi de apparatu Variolarum -- *Siquidem* (ait) *Cortex Peruvianus , ubi venenum ſpirituum vires vel æquat , vel ſuperet* (*quod in quaque Febre maligna , ac Synocho accidit*) *nihil omnino valet , ut in Exercitatione præcedenti obſervavimus*.

De Inflammatoriis autem Febribus agens , *Pleuritica* nempe , *Scarlatina* , *Morbilloſa* , *Varioloſa* &c. eas , ut ajebam , non in primo ſui curſus ſtadio , nèque unquam dum eundem ſemper tenorem ſervant , ut Synochorum mos eſt , nempe ubi -- *Venenum* (ut inquit) *morbificum in ſtatu ſpirituum depreſſo , ut in Cæteris Malignis Febribus , vires Corticis Peruviani , aut alterius cujuſcumque Antidoti ſpecifica ſpernit* , ſed in progreſſu earundem , fidenter curat eodem Peruviano Cortice , ſub hac tamen ſemper conditione , ac circumſtantia , ut videre eſt ubique apud ipſum , quod Febris jam in Remittentem regulariter , & Recrudeſcentem degenerarit , & non aliter -- *Sin ob reliquias* (ſubdit ille de Methodo medendi morbillis) *veneni hactenus non ſubactas Criſis fuerit magis imperfecta , ut in Morbillis malignis , & Epidemiis , indeque Febris Synoches cum Exacerbationibus , & Remiſſionibus quotidianis conjuncta ſuperſtes fuerit , eam incunctanter Cortice Peruviano profligare oportet* . Nec aliter ſentit ubicunque Febrem Inflammatoriam , aut etiam non Inflammatoriam , ſed ſimpliciter Continentem (intelligendam tamen ſuo more , ut ſupra) Cortice Peruviano curandam proponit.

Verum ſi liceat ſuper hac re pro modulo meæ ingenuitatis aperte loqui, quando Febris Synochus , ſive Solitaria illa fuerit , ſive Comitata , Inflammatoria &c. ad eum ſtatum devenit (devenit autem rariuſcule , cum potius per decrementum inſenſile ſolvi conſueſcat) ut in periodice Remittentem degeneret , tunc ſane ex ſe ipſa facile , ac omnimode ſolvitur abſque adjumento Corticis , quem propterea in tali caſu minime præſcriberem , niſi diuturnitas Febris, fermentum ordinarium atque ſejunctum Intermittentium accuſans , illiuſque pertinaciam extincta etiam Inflammatione ſuperſtitem oſtendens , plane me cogeret , utut idem *Mortonus* alacrem nobis addat animum univerſali aſſertione quod -- *Quandiu Febris ſpeciem Continentis* (intellige ſemper Proportionatæ) *induerit , ſpirituum robur ſupereſt , quod ſufficiat ad vires Antidoti in actum deducendas , cujus exhibitio ad Veneni* (intellige ſemper Fermenti febrilis) *reliquias frangendas apprime neceſſaria eſt , Corticis ſcilicet Peruviani , cujus vires in hac æque certo , & cito efficaces , ac Intermittente curanda , multo uſu , & communi Medicorum conſenſu comprobantur* . Sed de hoc quoque , quod aliqua diſtinctione , ac limitatione videtur indigere , in ſequentibus ex profeſſo.

Interim obiter indicare liceat , quod ſicuti non facile admittimus id, quod ille agens de Febribus Continuis in genere univerſaliter adſtruit , nempe -- *Febrem quamcumque Synochum nunquam poſſe ſanari , donec typum ſuum mutet ac fiat Synoches* , ſive ut vult , Continua Periodica , quaſi poſſibilis non ſit ſanatio ullius *Synochi* in Proportionatam non permutatæ , ita nonniſi difficulter poſſumus univerſaliter admittere alterum , quod inquit ipſe , nempe , quod quotieſcumque eadem Synochus in periodice Remittentem , & Recrudeſcentem migrat (migrat enim nonnunquam) *vires Corticis in ea æque cito , ac certo efficaces ſint , ac in Intermittente* . Atque id difficilius adhuc admittimus , ſi Febres hujuſmodi a principio jam Continentes , ſeu Synochi , mox in Continuas Proportionatas converſæ , non Solitariæ fuerint , ſed vel Variolis , vel Pleuritide , vel alia inflammatione Comitatæ . Ita nobiſcum ſentiunt aperte *Syndenhamius* , *Nigriſolus* , & alii -- *In Continuis Epidemicis* (inquit *Syndenhamius*) *debellandis non alios effectus ex ejus* (videlicet Corticis) *uſu expectare liceo , quam eos , quos hodie in Pleuritide , Peripneumonia , Angina , ac id genus Febribus Inflammatoriis videmus , quibus non tantum non prodeſt , ſed & plane obeſt* . *Nigriſolus* vero in Schol. ad *Blegnium* diverſimode ſentientem -- *Ab ejus* , nempe Chinæ Chinæ , *uſu* (inquit) *in internis inflammationibus abſtinere melius ſemper ſum arbitratus , nunquam in internis inflammationibus illam propinare auſus fui ; quin parum felici exitu ſemper ab aliis exhibitam vidi* . Hæc Viri iſti experti , licet non deſint , qui eam in quibuſvis indiſcri-

minatim Continuis, Ardentibus, & Malignis Febribus etiam incipientibus, quin & ſignate in Pleuritide, ratione ipſius quoque inflamationis, uſurpandam contendant, ſed inexperti. Pro officioſa tamen *Mortoni* excuſatione, fas eſt ſuſpicari, eidem forſitan crebriuſcule contigiſſe in regione ſua, quod non ſemel mihi anno præſertim 1708. contigit in mea, nempe, quod Febres Inflammatoriæ periodicam ſimul, & talem præ ſe tulerint remiſſionem, ut Intetmittentes ipſas æmulari, ne dicam æquare viderentur, ut in caſu *Co. Fontanæ* paulo ante deſcripto. In quibus ſane circumſtantiis cum Febris pro Eſſentiali, atque Primaria ſeſe prodiderit, nec non de natura earum quæ ſaltem cum Solitariæ ſunt, Cortice ſæpius conſueſcunt curari, credere non renuo, quin Viro illi animoſiori felix ſæpiuſcule potuerit eventus favere. Facile autem eſt Homini ex propria induſtria ſemel, atque iterum remedio quopiam feliciter utenti, & eventus minus fauſtos, ſi qui fuetint, in alias poſtmodum cauſas refundenti, a particulari, infrequentius licet repetito bono ſucceſſu, in univerſalem credulitatem, & aſſertionem labi. Quamobrem id ſaltem dari debere *Mortono* crediderim, forſan & incunctanter concedi, quod ſi quando contingat (quid enim vetat poſſe contingere in quibusdam aliis Conſtitutionibus, quod contigit mihi non ſemel anno 1708.) Febrem Pleuritide comitatam vere Primariam, & eſſentialem eſſe, quemadmodum a pluribus Scriptoribus habetur perpetuo talis, itaut Febris Pleuritidi, non Pleuritis Febri originem dederit, ſimulque contingat eam febrim eſſe Periodicam, Subintrantium more crediderim, inquam', poſſe concedi, quod tunc non abs re ſit, immo ſit rationabile China China ut in ipſo maxime Morbi principio: neque hæc plane inexpertus loquor; ſecus vero ſi Pleuritis ſit eſſentialis, & comitata hujuſmodi febri, non Febris, comitata Pleuritide: quod attente Juniores animadvertant velim, & forte cum Junioribus etiam Seniores. In propatulo itaque poſita quantum interim ſat eſt, *Mortoni* mente, clarius adhuc a nobis develanda uti Auctoris in uſu Chinæ Chinæ nimium prodigi a plurimis habiti, ſatis conſtat, totam illius liberalitatem in adminiſtrando Cortice pro curatione Febrium Continuarum extendi ſimpliciter ad Continuas Remittentes, ac Proportionales, tam Comitatas quidem, quam Solitarias, & tam ab ortu, quam ex tranſmutatione tales, minime vero ad Synochos, ſeu Continentes veras, niſi quatenus iſtæ, mutata in progreſſu natura, & facie, in proportionatas, ſeu ſaltem Remittentes migraverint.

Supereſt ergo, ut de iſtis Proportionatis, ac Remittentibus (quæ tamen poſtremæ ſecundum nos conſiderantur quantum in ſe ipſis, ut diverſæ ab iisdem Proportionalibus) peculiariter agamus, perpendendo, an vere in illis omnibus proficuus ſit Cortex, ut *Mortonus* videtur aſſerere, dato quod alicubi per accidens illum non prodeſſe ratione ſymptomatum aſſeveret. Sed cum negotium iſtud nec ſit facilis, nec contemnendæ indaginis in praxi, immo ſit res ſummi ponderis, & ſæpe obvia (cum valde raro occurrat Continua Febris, Putrida dicta, quæ aliqua non polleat ſive manifeſta, ſive obſcura, ſive ordinata, ſive inordinata Exacerbationum, & Remiſſionum viciſſitudine) illius ideæ examen plura exigens, & plura comprehendens, in ſequens Caput reſervabimus, varia circa hoc diſtinctione proceſſuri. Interea ſat fuerit, eas Continuarum ſpecies recenſuiſſe, ac ſepoſuiſſe, in quibus minime proficuum Corticem experti credimus. Poſito namque ex una parte, quod ille in Continuis Continentibus Primariis, ac Eſſentialibus tum Solitariis, tum Comitatis, tum Malignis, tum ſimpliciter Acutis, ſicut & in Symptomaticis dictis nequaquam profit, & poſito ex alia parte, quod in Intermittentibus omnibus tum Benignis, tum etiam Malignis miranda præſtet, etiamſi iſtæ aliquam continuitatem redolere incipiant; haud difficile erit dignoſcere, quid ſtatuendum ſit reliquis Febribus inter duo hæc extrema conſtitutis: quippe quo magis ad Intermittentium naturam accedent, eo facilius Cortice curabiles erunt cenſendæ, dummodo a nullo gravi ſolidarum partium vitio procedant (quæ, ut diximus, eſt altera conditio neceſſario requiſita pro utili actione Corticis) quo vero magis accedent ad naturam Continuarum Continentium, ſeu Synochorum, eo difficilius, cui ſane ratiocinio ipſa adamuſſim, quantum novi, reſpondet experientia. Jam vero hanc ipſam majorem, & minorem approximationem ad alterutrum ex iſtis extremis, in reliquiis, quæ ſuperſunt examinandæ. Febrium ſpeciebus

bus (ne ſcilicet nos fallat hæc remota nimis, & indeterminata inſpectio) quamproxime dimetiamur.

CAPUT III.

Explicatur adhuc Mortonus : *mox ſtatuitur*, Chinam Chinam *utilem eſſe in Febribus Continuis per ſubingreſſum Paroxyſmorum*, Subintrantibus *appellatis ; non ita in ſimpliciter Remittentibus, quarum peculiaris natura deſcribitur. In Remittentibus autem periodice, ſive Proportionatis, quæ generali* Continuarum *nomine ſolent donari, diſtinguitur. Diſſenſus & hic aliquis a Praxi* Mortoni.

CONVENIT ergo nobiſcum, ut vidimus, vel ipſe *Mortonus*, Corticem ſcilicet nullis Continuis Febribus, quæ alterna careant remiſſione, ac exacerbatione, proficuum experientia dignoſci. Diſcrepantia noſtra hucuſque ſita eſt in hoc, quod cum ambo has Febres quacunque remiſſione carentes *Synochos* appellemus, ut appellant Scholæ, Ille has ipſas *Synochos*, non *Continentes* poſtea vocat, ut eas vocant Scholæ, ſed *ſimpliciter Continuas*, dum nos cum iiſdem Scholis non continuas tantum vocamus, ſed & *Continentes*. Ex adverſo dum Febres manifeſto, ac periodice *Remittentes* nuncupat ille *Continentes*, ſeu *Synoches*, nos pariter cum Scholis eas non *Continentes* dicimus, ſed vel *Continuas ſimpliciter*, vel *Continuas Proportionatas*. Sed & alia inſuper inter nos eſt diſcrepantia, ſcilicet quod Ille omnibus Febribus Continuis periodum ſervantibus, ſeu quomodolibet etiam Remittentibus (quas parum refert ſi *Continentes* appellare velit, vel aliter) aſſerit Corticem vere prodeſſe : nos vero id quandoque, & quibuſdam facile concedimus, quandoque autem, & in quibuſdam aliis, nequaquam. Prima diſcrepantia conſiſtit in vocibus, quibus explicatis tollitur æquivocatio. Altera conſiſtit in re eſſentiali, qua explicata, creſcet dubio procul diſſenſus noſter, ut in ſequentibus.

Sed ad tollendam prius aliam æquivocationem, quæ mea fortaſſe culpa poſſet obrepere, ob aliquam novitatem a me invectam ſub nomenclatura *Remittentis* Febris, advertendum eſt, ut innuebam *Cap.* I. hujuſce Libri, me per Febrem ſimpliciter Remittentem intelligere ſpeciem Febris ex ordine Continuarum a Proportionata valde diverſam, ſicuti per Subintrantem intelligo ſpeciem Febris ex ordine Intermittentium valde diverſam pariter ab eadem Proportionata, adeoque ſecundum me omnis quidem Proportionata poteſt dici etiam Remittens, atque quoquo modo Subintrans; quatenus & Remiſſionem neceſſario ſubit, & Exacerbationum minime ſolubilium mutuam ſupervenientiam admittit, ſed nec omnis Remittens, nec omnis Subintrans poteſt dici Proportionata juxta acceptionem meam mox clarius explicandam pro conſtituenda idea quadam iſtarum Febrium, ſi non abſolute vera quoad Theoriam (neque enim id ſuſtinere auſim, neque ob id cum quoquam dimicare) ſaltem utili, & congrua quoad Praxim, quantum ſit pro Cortice rite adminiſtrando, & pro indigitanda vera in iiſdem Proportionatis illum offerendi opportunitate.

Quamobrem Febrium iſtarum naturam, & incerta per conſequens Ægrotantium

Fata, ſi liceat mihi,
Fingere arbitrio meo,

graphicam illarum deſcriptionem pro modulo mei captus proſequar fidenter ut infra, præmiſſa interim proteſtatione, me a multiplici earum ſubdiviſione ad rem noſtram inutili, uti hactenus abſtinui, ita & nunc conſulto abſtinere : eſto quod illæ non minus, quam Intermittentes, & Continentes, modo Solitariæ ſint, modo Comitatæ, & tam Colliquativæ, quam Coagulativæ ; immo forſan Symptomaticarum ſortem ſubire poſſint. Malignarum vero characterem præ cæteris tam facile ſuſpiciunt, ut nil facilius ; adeoque plurimas ſaltem, ſi non omnes, Pernicioſarum Intermittentium differentias (præter conſuetas Intermittentium vulgarium, quas cum communi indicavimus in diviſione, & infra apponemus in Febrium Schemate) haud difficulter ſortiuntur ; immo veram, & genuinam *Subcontinuæ* in Malignis Intermittentibus deſcriptæ naturam referunt. Illud enim rationi valde conſentaneum videtur, nempe, Malignas Febres maxima ex parte a fermento Intermittentium cum fermento Continuarum commixto, & valde inæqualiter influente, progigni (quod & agnoviſſe viſi ſunt Veteres in deſcriptione Hemitritæi ſæpius maligni, atque lethalis) unde crebræ reduplicationes, horrores, ſenſus caloris, & frigoris in

eadem parte, aliæque consimiles sensationes, quæ non minus sunt indices exoticæ malignitatis, quam occultæ miscellæ fermenti Febres Intermittentes producentis cum insito Continuarum fermento. Cum itaque consonet probabilitati, ut dicebam, hæc conjectura, Febres nempe *Malignas*, quod adnotat & *Restauraudus*, *ab iisdem caussis*, *ac Intermittentes*, magna saltem ex parte, *ortum ducere*, nulla Febris aptior erit malignitati suscipiendi, quam Febris quælibet Proportionata Continua, præsertim Tertiana, ut quæ ab utroque enunciato fermento, simul sub varia proportione commixto, originem trahit. Hinc fortasse memorabile illud, & tritum *Hippocratis* -- *Febres quæcunque non Intermittentes tertia die fortiores fiunt*, *judicium habent difficile* : nempe enim ullibi major est judicii difficultas (etiam judicii medici) quam ubi stat in ancipiti, vel in propinquo character malignitatis, ut in Febribus hujuscemodi, præsertim Tertianis. Verum istas proportionatarum diversas habitudines hic examinare non vacat, utpote rem nostram minime alterantes; sive enim malignæ illæ sint, sive non, parum refert, quantum sit pro suscipienda actione Corticis, dummodo cæteroqui sit locus oblationi opportunæ illius : hoc vero non a præsentia, aut absentia malignitatis, sed a natura fermenti prædominantis, Febremque Proportionatam principaliter producentis, omnino dependet. Hanc unam idcirco inter alias habitudinem lubet perpendere, quæ hujusmodi Febres actioni Corticis suscipiendæ magis, vel minus dispositas, potest ostendere.

Contrahendo itaque huc, quæ alibi sparsim diximus, & posito quod alias firmavimus valde probabiliter, nempe fermentum omnium Febrium suapte natura Continuarum intra massam sanguineam oriri, delitescere, ac exaltari; fermentum vero Intermittentium extra sanguinem gigni, ac commorari ad tempus, & ad tempus in eundem sanguinem periodice influere, sequitur per consequens, quod Febris *Continua Periodica*, seu *Proportionata*, quæ de continua simpliciter ratione continuitatis, & de Intermittente ratione periodi participat, ex utroque fermento particulariter constituatur. Verum & hic aliqua opus est explicatione, priusquam ulterius procedamus, ne cum hac quasi Hermaphrodita Proportionata *Subintrantem* simpliciter, vel simpliciter *Remittentem* confundamus, sed singulas seorsim minutiori indagine prosequamur, ut cuilibet Quæsito in titulo proposito seorsim pariter, & particulatim satisfiat : quod quidem ut facilius Tyrones valeant percipere, non erit abs re aureum hic *Sylvii* dogma præmittere, quo expresse monemur, *Aliud esse continue febricitare*, *aliud Febre continua laborare*; Adeoque posse quempiam febrire quidem assidue, sed tamen per Febres intermittentes sibi invicem supervenientes, quas ideo *Subintrantes* libet appellare.

Per *Subintrantem* igitur Febrem (quæ stricte loquendo Intermittens amplius non est, quatenus Æger ea detentus nunquam febrire desinit, cum unus Paroxysmus subintret, priusquam prior plane solvatur) per *Subintrantem*, inquam, intelligo Febrem ex natura sua Intermittentem, & per accidens tantum Continuam; quatenus per accidens est, quod novus Paroxysmus accedat ante perfectam solutionem antecedentis, qui cæteroqui suapte natura perfecte solveretur, si novus serius accederet. Id, quod manifeste cernitur in Tertianis duplicibus, sæpissime Subintrantibus, in quibus cum secunda accessio priori cito supervenit, de more inter ipsam secundam, & tertiam (quæ non tam cito solet succrescere) aliqua intercedit major remissio apyrexiæ proxima : signum evidens dispositionis naturalis ejusdem Febris, etsi Subintrantis, ad omnimodam solutionem. Et hæc Febris pro Intermittente habenda est, & ut talis curanda Cortice temporibus opportunis, perinde ac si foret pura Intermittens, ut ostendit experientia : nequaquam vero habenda est pro Proportionali, nisi tractu temporis unus Paroxysmus ita urgeat alterum, ut restitante in quolibet accessu notabili portione Fermenti febrilis minime subacti intra massam sanguineam, stabile quoddam exinde gignatur intra ipsum sanguinem febrile fermentum, ex supradictis portionibus fermenti extranei, & ex impuritatibus in ipso cruore præexistentibus coagmentatum, quod constituat inibi saltem per accidens radicem Febris Continuæ; cui sane si novus rursus accedat, ut assolet, fermenti extranei influxus, Febris quæ a principio fuit mere Subintrans, per accidens saltem, intestina metamorphosi in Proportionatam

mi-

migrabit. Dupliciter igitur considerari potest Febris Subintrans, scilicet vel quando talis est, quia unus Paroxysmus supervenit alteri prope solutionem existenti; & in tali casu Febris hujusmodi ex quasi pura Communicans, quæ quandiu sic perseverat, veræ Intermittenti æquiparanda est in omnibus, & præsertim in usu Corticis: vel quando talis est, quia unus Paroxysmus corripit alterum a sua adhuc solutione distantem; & in hoc casu Febris Subintrans ad Continuam Proportionatam vergit, ac in eam facile transmutatur. Sed per hoc non fit, quin sit adhuc mera Subintrans, & quin, usquequo talis est, obediat Cortici, cui etiam ut plurimum cedere consuevit, statim ac in Proportionatam cessit, si ille tempestive fuerit exhibitus, priusquam scilicet Febris nova metamorphosi de Proportionata in simpliciter Remittentem transierit.

Per *Remittentem* autem simpliciter (quæ stricte loquendo Continens vere non est, cum aliquibus polleat interdum incrementi, & decrementi notis) ex adverso intelligo Febrem suapte natura Continentem, remittentem tantum per accidens, seu, ut ita dicam, Continentem *Spuriam*. Memet explico. Raro visitur in praxi Febris Continua, quæ vel in eodem semper tenore perseveret, vel semper decrescat, qualis est Synochus Acmastica, Epacmastica, & Paracmastica, sæpissime vero observantur Febres, quæ licet ab intensione sua non multum unquam recedant, aliquibus tamen horis, ut plurimum incertis, & modo diurnis, modo nocturnis, modo matutinis, modo pomeridianis, aut vespertinis, alicujus incalescentiæ, ut & alicujus nonnunquam refrigerii notas obscure præseferunt; id quod potius dignoscitur postquam contigit, & *in facto esse* (sit venia rancidis veterum Scholarum terminis, rem tamen satis exprimentibus) quam dum efficitur, seu *in fieri*. Hoc autem non procedit ex influxu fermenti Intermittentium proprii, sed potius vel ex inæqualitate fermenti Continuarum insiti, cujus materia summe inæqualis esse potest, & inæqualem propterea fermentationem, aut efferveſcentiam inducere, vel influxu novi Chyli, novi scilicet cibi, ac novi potus, per alternata stomachi fermenta, & per vitiosos succos præterlabentis, at Cruori ab intrinseco conspurcato, atque efferveſcenti, veluti novus hospes, se se immiscentis, novasque proinde, sed obscuriores turbas excitantis, ut in ipsa Hectica simplici fieri observamus tribus, vel quatuor horis a pastu, itemque in Febribus Inflammatoriis Pleuriticorum, aliorumque, Cortice de more, ut dicemus, non curabilibus. Vix enim possibile est, quod quidquid sive alimentale, sive medicamentosum, sive comestibile, sive sorbile, sive potulentum ingeritur ab Ægro Febrem Continuam patiente, aliquam in adventu suo, vel in sua digestione, aut subactione alterationem in efferveſcentibus jam fluidis non producat, concurrente insimul varia rerum non naturalium, ut vocant, habitudine; sicut vix possibile est, ut rebus iisdem postmodum subactis aliqua in iisdem fluidis non succedat tranquillitas. Quod si in Synochis veris, atque legitimis id non contingit saltem sensibiliter, utut in illis adsit eadem novi cibi, novique potus assumptio, æqualiterque concurrat varia rerum omnium non naturalium dispositio, ac usus; hoc fit, quia in illis tanta est, tamque valida sanguinis efferveſcentia, ut quidquid de novo accedit, sit parum sensibile, paucamque, aut nullam sensibilem mutationem inducat, cum potius a præexistente tumultu absorbeatur, ac secum rapiatur confusum, & inconspicuum. Sic aqua turbidi fluminis inconspicua est in Mari æstuante: non ita in eodem minus procelloso. Status autem sanguinis in Continua Remittente longe minus æstuosus est, quam in Synocho; æstum tamen suum qualemcumque habet ab intrinseco, & quod novi habet ab extrinseco, siquid habet, recipit a rebus externis, non a fermento Intermittentium: adeoque Febris Remittens, qualis a nobis intelligitur, de genere Continuarum est in radice, & a fermento illarum viribus Corticis inexpugnabili originem suam agnoscit; unde & ipsa virtuti ejusdem Corticis refractaria censenda est, ut usus me docuit.

Jamque videor mihi, circumscribendo confinia Subintrantium, & Remittentium, naturam *Proportionatarum* adumbrasse. Istæ namque & fixam quandam Continuitatem habent quam non habent regulariter meræ *Subintrantes*, & claram quandam periodi rationem obtinent, quam non obtinent simpliciter *Remittentes*. Proportionatæ siquidem habent hoc perpetuum, ut cum continuitate non levi distincta plus quidem, ac minus habeant periodi indi-

cia, eaque ordine certo, ſive quotidie, ſive alternis diebus, ſive per majora intervalla, & ſive cum anticipatione, ſive cum poſtpoſitione ut plurimum regulari recurrentia, ut Periodicarum Intermittentium mos eſt. Immo cum ſæpiſſime referant typum Tertianæ duplicis, manifeſtus in illis eſt ejuſdem character ob alternam ſimilitudinem exacerbationum, quæ fiunt diebus imparibus, & diſſimilitudinem ab iis, quæ diebus paribus accidunt, quatenus videlicet una die major, altera minor, una citior, altera tardior eſt Exacerbatio, & ſic alternatim; ut proinde dubitandum minime videatur, quin ad Proportionatam gignendam (& hæc tandem eſt ſumma rei) concurrat tum prava ſanguinis diſpoſitio ad æſtuandum aſſidue ex principio, ſeu fermento intrinſeco, ut de Continuis dictum eſt, tum novus adventus alterius fermenti recenter, ac periodice aliunde influentis, ut de Intermittentibus.

Quia vero ex una parte uni fermento extinguendo, aut corrigendo par eſt Peruvianus Cortex, alteri vero non: & ex alia parte inæqualis eſſe poteſt in Proportionata hujuſmodi fermentorum concurſus, ſive commixtio, adeout modo fortius ſit fermentum continuitatem producens, modo fermentum producens periodum, unumque eorum in ea Febre teneat locum principii eſſentialis, alterum accidentalis: idcirco eam Proportionatam Cortice curabilem dico, cui eſt eſſentialis periodus, & accidentalis continuitas, non ſic eam, cui eſſentialis eſt continuitas, & accidentalis periodus, ſeu (ne videar diſtinctionibus metaphyſicis rem practicam implicare, ac involvere) eam magis, quæ naturam *Subintrantis* redolet, quam quæ redolet naturam ſimpliciter *Remittentis*, ſeu denique illam, quæ phænomenis omnibus inter ſe collatis, talis apparet intellectui practice judicanti, ut ſi eidem demi poſſet mali portio, quam infert noviter recurrens exacerbatio, ipſa probabiliter portio præexiſtens, ac exacerbationem patiens, ſponte evaneſceret; ſecus ſi appareat talis, ut etiamſi dematur eidem quidquid mali noviter accedit ex ipſa exacerbatione, adhuc tamen remanſura videatur ſuperſtes, fixa, & pertinax ea mali portio, quæ durabilem, & ſtabilem Febris continuitatem valeat conſervare. Hanc diſtinctionem a poſteriori me docuit uſus ipſe Chinæ Chinæ, & varius pro varia iſtius Febris ratione inde obſervatus effectus. Id quidem dignoſcere a priori non ita facile; ſed neque tam difficile, quin credam, eum, qui omnibus rite penſitatis practica quadam ſecuritate ipſum non novit, ſaltem ut plurimum nomen boni, ac experti Medici nequaquam mereri.

Approximatio igitur major, vel minor ad alterutrum ex recenſitis ſpeciebus, Subintrantis nempe, vel Remittentis tantummodo Febris, haud difficulter a perito Medico dignoſcetur in praxi, licet nulla menſura certa hujuſce rei poſſit conſtitui, ſed pendeat quam maxime a judicio, & peritia ipſius Artificis. Si qua tamen ſaltem generalis poteſt indicari Tyronibus, ea eſt hujuſmodi, nempe quod, quo clarior eſt, manifeſtior, & in ſuo typo magis regularis periodus, eo certior eſt effectus, ac uſus Corticis, quia tunc Febris præfert magis naturam Intermittentis Subintrantis, quam Continuæ Remittentis: adeoque ſi exacerbationes ſibi invicem reſpondeant typo periodicarum Intermittentium vero, & proprio, ipſaque exacerbatio non per meram incaleſcentiam ſe prodat, ſomnolentiam, capitis dolorem; aut gravitatem vel per quandam pulſus elevationem, atque turgentiam ſenſim obrepentem, & potius *in facto eſſe*, quam *in fieri* conſpicuam, ſed per motum aliquem adſtantibus ipſis ſenſibilem, ac obſervabilem, nempe vel per frigus aliquod, utut breve, ac leve, extremorum, aut naſi, vel per horrorem, aut horripilationem, aliquam, per unguium livorem, per oſcitationem, aut pandiculationem, per internam quandam ſenſationem, auræ alicujus æmulam, uno verbo; per motionem aliquam motibus Intermittentium analogam, quæ introductionem fermenti per lacteas accuſet (quod & confirmare poteſt aliqua ſimul incidens vomituritio, vel nauſea) in tali caſu Cortex fidenter, cæteris illum coindicantibus, poterit exhiberi; ſecus, vel nonniſi cunctanter, ſi notæ febriles ſint potius in linea caloris, quam frigoris, ut ſupra, & eo minus ſi obſcuriores illæ ſint, aut irregulariter valde contingant fere in morem Simplicis Remittentis. Et hæc pro diagnoſi deſumenda ab ipſa Exacerbationum invaſione.

Sed & alia ſigna nobis præbet ipſa Remiſſio, ſiquidem remiſſio Proportionatæ ad Subintrantem accedentis typum periodorum ſæpe exprimit clarius, ac ipſa

ſa invaſio. Poſito enim, quod Febris habeat proportionem Tertianæ duplicis, etiamſi una die *v. gr.* poſt potiorem exacerbationem remiſſio ſit obſcurior propter celerem ſupervenientiam minoris exacerbationis; attamen altera die poſt iſtam, nempe minorem, clarior apparere ſolet remiſſio ante ſupervenientiam tertiæ fortioris; & hac proportione procedunt reliquæ. Quare iſta viciſſitudo alterna remiſſionis majoris, atque minoris, eſt index Circuitus Subintrantium proprii; & ideo in hujuſmodi remiſſione ſenſibiliore conſpicua eſt pulſus tranquillitas non modo reſpective ad ſtatum ipſius exacerbationis; verum etiam reſpective ad tempus ipſum exacerbationem poſtremam antecedens, calor ad tactum blandus eſt, aut parum mordax, apparetque aliqua, utut imperfecta ſudoris, aut urinæ copioſioris excretio. Remiſſio autem Proportionatæ accedentis ad ſimplicem Remittentem non habet eam, quam diximus, correlativam inæqualitatem, ſed æque obſcura eſt una, ac altera die, pulſus non minus tumultuat poſt, ac ante ipſam, quæcumque illa ſit, exacerbationem; unde parvi momenti eſt talis remiſſio, quæ vix appareret, habito etiam ad ſtatum exacerbationis reſpectu: calor ſiquidem adhuc ſenſibiliter tactum ferit, nec ulla conſpicua viſitur urinæ immutatio, ullumve laudabilis diaphoreſis rudimentum.

Dixi, Corticem in poſtremis hiſce circumſtantiis nonniſi cunctanter exhibendum videri; experientia enim oſtendit, id ſæpiuſcule contingere, ſi ille tunc offeratur, quod paulo ante innuebam, nempe quod, etiamſi per illius oblationem tollatur motus periodi, non tamen tollitur continuitas, quæ illi viget ſuperſtes; ex quo patet, illiuſmodi Febre vere eſſentialem eſſe continuitatem, accidentalem vero periodum; illi namque, etiamſi non aſſociaretur periodus illa qualiſcumque, adhuc tamen tenaciter adhæret ipſa continuitas. Quod ſi offeratur Cortex in circumſtantiis primo loco recenſitis, non modo tollitur per eum periodus, verum & paulopoſt aboletur conſequutione quadam ipſa continuitas in hujuſmodi Febre imbecilliter vigens, vel in eam ſuapte natura periodicam, quaſi per accidens introducta.

Inſuper non parum confert ad diagnoſim Proportionatæ Corticem reſpuentis, vel admittentis, varium tempus exortus illius, variaque ipſius quocumque tempore naſcentis origo. Quoad primum diſtinguere oportet inter Continuas Proportionatas, quæ Æſtate, mediiſque temporibus, & eas, quæ Hyeme ſolent generari. Quæ enim hyberno tempore regnant (regnant autem frequentius, quam tempore fervidiori Febres Continuæ Proportionatæ) de more graviores ſunt, faciliuſque de ſimpliciter Remittentium natura prædominante participant, quam quæ regnant Æſtate, Vere, aut etiam Autumno, quibus temporibus ex Intermittentium Subintrantium radice ſolent aſſurgere; immo auſim dicere, Febres omnes Continuas Proportionatas Hyeme ortas, non alias eſſe, quam eas, quæ Æſtate ſunt Intermittentes aut tantummodo Subintrantes. Omnis enim earum diverſitas videtur conſiſtere in hoc, quod Hyeme ſanguis in ſua compage ſtrictior, & ob impeditam tranſpirationem aptior ab intrinſeco ad fermenteſcendum febriliter, eo ipſo, quod inficitur fermento extraneo Febrium Intermittentium auctore (quod fermentum tunc temporis inertius eſt, minuſque activum) ab eodem non aliud ferme recipit, niſi primam occaſionem efferveſcendi, periodice repetitam; ſed a ſe ipſo, ſuoque ex penu, nempe ab ipſa intima diſpoſitione ſua abunde habet, unde ſuſceptam efferveſcentiam conſervet jugiter, ac ultra protrahat, fermento videlicet inſito ſupra fermentum extraneum præpollente, illudque ſecum rapiente, & in propriam naturam tranſmutante. Oppoſitum plane ſolet ſuccedere, ſaltem utplurimum, Æſtivo tempore, tunc enim laxior reddita ſanguinis compages, liberaque gaudens tranſpiratione, & depuratione univerſali, minus diſpoſita eſt, quantum ex principiis intrinſecis, ad febriendum tenaciter, & aſſidue; adeoque etiamſi aliqua in eodem degat impuritas, quæ Febrem ſit potis inducere, ea tamen levior eſt, aut citius, faciliuſve diſſipabilis ac Hyeme. Quamobrem etſi accedat illi de novo Fermentum febrile extraneum, quod tunc temporis activius eſt, fortius, atque vehementius; non propterea tranſit iſtud in naturam fermenti præexiſtentis, ſed illud ſuperat, ac ſecum rapit, & diſpoſitionem ſanguinis intrinſecam qualemcumque ad febriendum aſſidue, convertit in diſpoſitionem ad febriendum periodice, ſeu ad defæcandum periodica efferveſcentia ab inteſtinis inquinamentis ſe ipſum. Et

propterea, universaliter loquendo, tempestatibus fervidioribus Continuæ Proportionatæ felicius curantur Cortice, quam rigidioribus, ut Hyeme, propter majorem earum approximationem ad Subintrantes illis tempestatibus, & ad meras Remittentes his aliis. Et hæc quoad varium tempus originis ipsarum Proportionatarum.

Quo vero ad variam ipsam illarum originem distinguere pariter oportet inter Continuam Proportionatam, quæ talis orta est, vel orta est simpliciter Remittens, & eam, quæ orta est Intermittens. In primis casibus maxima est conjectura, quod Febris pendeat a fermento Febrem essentialiter Continuam producente: in secundo casu altera opposita emergit conjectura, quod Febris orta Intermittens suum adhuc nativum characterem in radice servet, etiamsi fiat Continua, adeoque Cortici etiamnum possit se ipsam submittere, ut adnotat *Sydenham*, dum inquit (siquidem fas sit textum alias relatum hic opportune repetere) -- *Cum autem Febres quædam apud nos grassentur, quæ etsi post secundum, tertiumve paroxysmum reponere se in classem Continuarum nitantur, tamen ad Intermittentes debeant referri* (en hic quid sit in praxi Continuitas accidentalis) *nulla mihi religio est, Corticem in Continuis hujusmodi sumendum proponere, qui dicto more* (videlicet *ad scrup. ij.* quarta quaque hora) *iteratus, ad apyrexiam certo Ægrum perduces*. In his itaque casibus, & circumstantiis, etiamsi periodus valde obscura sit, & confusa, nihilominus sæpe exhibetur Cortex cum certitudine eventus majore, ac exhibeatur in casu, ubi Febris fuit ab ortu Continua, etiamsi postmodum manifestiores nonnihil habeat periodos. Si tamen eas acquirat manifestissimas, tunc in Subintrantis naturam migrat, & fidenter Cortice tractanda est: sicuti contra, quamvis inceperit Intermittens, eo ipso, quod omnem jam periodi motum amiserit, atque in Continentis omnino, nedum Remittentis naturam transierit, inutilis solet esse Cortex; quoniam tunc fermento extraneo in sanguinem influenti prævalet jam fermentum in ipso sanguine præexistens, & data occasione suscitatum, demumque ex portionibus simul restitantibus extranei non subacti valide coagmentatum, ac ibidem permanenter vigens.

Et hæc est ratio, propter quam agentes de Subcontinua Maligna (quæ cum Proportionata primo coincidit, mox etiam cum Continente, ut in Arbore infra posita) fuimus adeo soliciti, quærentes anxie, utrum in illius præcipiti tendentia ad Febrem essentialiter Continuam liceret in ipso principio Corticem exhibere, ne scilicet præterlaberetur occasio præceps, & sæpius irrevocabilis. Attente siquidem considerandum est punctum istius metamorphoseos, citra quod utilis, & ultra quod inutilis esse consuevit oblatio Corticis - *Cum enim* (inquit egregie Experientissimus *Mortonus* de Febribus Continuis in genere) *eadem ipsa Febris brevi temporis spatio genium suum sæpius mutare soleat, Medici interest varias metamorphoses, quas eadem Febris subit, animadvertere, ut inde tamquam Cynosura ductus, non temerario, & more Empiricorum Febres omnigenas, vel eamdem ipsam in diversis suis stadiis heu quantum! mutatam, una methodo absque discrimine tractet*.

Punctum autem istud, seu linea hæc dirimens in Proportionata unum fermentum ab alio, & unam Febris naturam ab alia, exprimitur in citato Stipite nostro ea paritate, qua furculus medius insertus in Arbore Physica, duorum generum poma ferente, mixti cujusdam generis edit poma, modo de uno, modo de altero magis vel minus participantia, prout magis vel minus ipse participat de succo nutritio unius, aut alterius lateralis rami, in ipsum medium influente.

Verum non est, cur similitudinem a Vegetabilibus emendicemus, cum in promptu sit doctrina Veterum in subjecta materia. Sit pro omnibus *Daniel Sennertus*, ut qui omnium Prædecessorum vota collegit. Hic verba faciens de Febribus Nothis, eas licet a duobus humoribus mixtis, productas velit, non tamen Compositas vocat; sed Simplices, sive incompositas, quippe ab intima duorum in unum coalescentium mixtione indivisibiliter procedentes. Sunt hæc illius verba -- *Febres Nothæ non sunt compositæ: nam licet Notha Febris ex duobus humoribus eodem loco, & tempore putrescentibus* (hanc quæso putredinem lubeat begninius interpretari) *oriri possit, ita tamen illi duo humores sunt mixti, ut unum mixtum constituant, & una forma contineantur: unde etiam cum mixtus ille, & ex duobus aggregatus humor putrescit, simplex Febris est, mixtam tamen,*

ac

ac mediam naturam quasi referens. Quidni ergo Notham vocemus nos Febrem Proportionatam, ex Continua, & Intermittente, sive ex utriusque succo radicali simul commixto progenitam? Quæ ergo unum tantum succum infringit China China, Febrem tantum ab eo principaliter succo prodeuntem, utut de utroque participantem, valet deprimere, non vero prodeuntem principaliter ab altero succo, quantumvis similem.

Quod si quis quærat, quibus regulis sit procedendum circa Corticis administrationem in iis Proportionatis, quæ Solitariæ non sunt, sed vel Symptomaticæ, vel Comitatæ, respondeo: rationem Febris Symptomaticæ sicuti facilius forsan potest competere Proportionatis, quam Intermittentibus (siquidem istæ queant esse Symptomaticæ) ita ex adverso reddere illas curatu difficiliores, quam istas, etsi Proportionatæ quoque sint naturæ cæteroqui Cortice medicabilis. Idque ob duplicem rationem, nempe & ob vitium, a quo pendent, tali remedio, ut reor, insuperabile, & propter adjunctam periodo Continuitatem, quæ grave quidpiam ulterius est, ab eodem remedio superandum. Si vero quæsitum restringatur ad Proportionatas Comitatas, responsio est, quod si Febris hujusmodi sit Comitata mero symptomate, utut gravi, & novum morbum simulante, hoc non obstat, quominus curetur Cortice, dummodo in illa prævaleat natura fermenti Subintrantium proprii, concurranturque conditiones pro recto usu Corticis requisitæ, ut supra est explicatum. Sed si sit Comitata morbo vero, ipsa autem ex se videatur Corticem admittere, adhuc nonnisi cum summa incertitudine optati successus ille poterit exhiberi tum ratione continuitatis supra periodum adjunctæ, tum maxime ratione morbi connexi, *v. gr. Inflammationis, Erysipelatis &c.* qui morbus, licet ab ipsa Febre in facta suppositione progenitus, suas tamen, ut alibi dictum, potest jeciſſe in affecta parte radices, quibus se solo valeat subsistere, immo Febrem inde Symptomaticam gignere, sola interim periodo inutiliter sublata, siquidem ullo pacto in hujusmodi circumstantiis possit hæc submoveri.

Quod si morbus Febri associatus plane organicus fuerit cum læsione insigni, satis notum est, hunc reddere Cortici refractarias vel ipsas Intermittentes, nedum Continuas Proportionatas, quarum nonnullæ etiam Solitariæ huic remedio nonnunquam non cedunt, ut diximus, si nempe de natura simpliciter Remittentium a prædominio participent, multoque minus cedunt, si vere sint Remittentes simpliciter, aut si in ipsas jam prorsus degeneraverint.

Et hic assentiri plane non possumus *Cl. Mortono* Remittentes *omnes*, sive omnes non Synochos (data etiam eidem illarum distinctione in Legitimas, & Spurias) assignanti pro objecto actionis Corticis. Nos enim, licet æque ac *Mortonus*, ne dicam amplius, admittamus ut Cortice curabiles non modo eas Remittentes *Proportionatas*, quas ipse vocat *Legitimas*, seu *Simplices*, quæque vere sunt de natura Subintrantium, verum etiam multoties eas, quas vocat *Spurias*, seu *Mixtas*, quæque Malignarum, seu Pernicioſarum characterem proxime induunt, quatenus Intermittentium ad instar *Comitatæ* sunt uno, vel multiplici verendo symptomate dummodo tamen in illis prævaleat fermentum Subintrantium, seu (quod idem est) Intermittentium, eo, quo explicuimus, modo: nihilominus, hac conditione deficiente, ab objecto activitatis ejusdem Corticis excipimus non modo *Remittentes* simpliciter a nobis dictas, verum etiam plurimas ex *Proportionatis* descriptis, ut supra, sive Malignæ illæ fuerint, sive non, eas videlicet, quarum fomes magis sit intra sanguinem, quam extra illum.

Certe, si attendantur probe scripta *Mortoni*, quæ candide prostrant in illius historiis, facile constabit, quod ubi Cortex aliquando munus suum non exegit (ut alicubi ingenue fatetur) in Febribus scilicet, quas ipse *Mixtas* appellat, quæque cum nostris vel simpliciter Remittentibus, vel Proportionatis quidem, sed de simplici Remittente maxime participantibus, plane coincidunt, Febris revera talis erat, qualis a nobis essentiali, licet quoquo modo Remittente, quam de Intermittente Subintrante participans. Atque hinc mirum non est, si eo casu cogitur concedere, *se haud raro sortem cæterorum Medicorum participasse, & restitutionem elasticitatis spirituum* in quibusdam Remittentibus Febribus, facile in Synochos degenerantibus, Cortice quamvis adhibito, *sæpe incerto, sæpe inclassum tentasse*.

Ex

Ex alia parte, ubi in iisdem Febribus *Mixtis*, seu *Spuriis*, ut vocat (vocat autem *Mixtas* in sensu valde diverso a sensu nostro) ubi, inquam, in iisdem Febribus eventum felicem sortitus est, & Cortici, nec forsan immerito, gloriam tribuit, non raro tardiusculus, ut pariter fatetur pluribus in locis, & nonnihil difficilis fuit effectus, protracta videlicet ad consuetum tempus morbi judicatione. At bona venia tanti Viri tarda operatio Corticis copiose administrati mihi, ut alibi fassus sum, redditur suspecta non quidem de noxa, sed tantum de incertitudine, an illi adscribenda vere sit gloria, nec ne. Sed interim praxis illius felix id attulit certi, ut Cortice tuto possimus uti etiam in casibus ambiguis de effectu remedii, idque simul attulit utilitatis, ut major fiducia posthac liceat Peruvianum Corticem effœtis Confectionibus Cardiacis identidem substituere, ne dicam ob metum sugillationis anteponere. Anteponendum autem procul dubio foret, si quæ Auctor iste se observasse refert in Febribus de Proportionatis in Synochos malignas degenerantibus, velimus attendere, a quibus scilicet plures ex iis evasisse inquit, licet exacto tantum consueto morbi stadio, quibus Cortex ab initio fuerat oblatus, quam quibus oblatus non fuerat -- *Palam autem affirmo* (inquit ille) *me multo plures hujusmodi ægrotantes, Deliriis Subsultibus Tendinum, cæterisque id genus Symptomatis Malignis obsessos ab Orci faucibus Arte liberasse, ubi Antidoti usus curationem auspicabatur, quam cum ab initio alia quacunque Methodo uterer: modo cum accersitus primo essem, umbra aliqua Remissionum, & Exacerbationum supereresset. Fundamentum curationis in Cortice semper jacio. Postea pro modulo ingenii, juxta normam Artis, quod a Symptomatis indicatur, efficio, atque haud raro cum optato successu curationem ad umbilicum duco.* Hæc Auctor ille, qui licet utilitatem remedii fortasse per hæc (me quoque judice) haud satis probet, illius tamen innocentiam in his quoque casibus videtur saltem sufficienter testari. Cætera, si qua sunt in ejus praxi, quæ aliqua castigatione indigere videantur, ea potius illius hypothesi, quam ipsi Praxi satis methodicæ adscribenda sunt, & condonanda. Sed & eadem quoque hypothesis, seu Febrium Ætiologia, etsi nobis nec arriserit in anteactis, neque arrideat modo, suis tamen non caret fundamentis, quoad plura solidis, plausibilibus, nec universim contemnendis, ut videre est apud eundem *Mortonum* in *Apparatu Curationis Morborum universalium*, ubi nonnullas etiam ex iis, quas in Scholiis ad ipsum *Lib. II.* protulimus, sibimetipsi opponit, & solvere satagit objectiones.

Ex qualicunque autem nostro in praxi dissensu contra facilis resultat conciliatio quædam tot contrariarum assertionum, quæ apud Scriptores minus exactos in hac materia passim occurrunt. Ajunt siquidem nonnulli, Corticem curare, præter Intermittentes, Febres quoque Continuas, atque Malignas, & aliqui non. Utrique recte, utrique minus recte; utraque etenim propositio de aliquibus Continuis, atque etiam Malignis vera est, de aliquibus falsa: quandoquidem juxta distinctionem nostram curat Continuas, necnon Malignas aliquas, & aliquas non curat; non vero curat omnes, aut curat nullas.

CAPUT IV.

Allata nuperrime distinctio de Cortice *in quibusdam Proportionatis utili, & in quibusdam inutili, illustratur quoad hanc postremam partem (de prima enim jam satis alias) nonnullis exemplis.*

EXEMPLA curationum Febrium Continuarum Proportionatarum, quas Cortex ad bonam frugem reduxit, plura retulimus, ubi *Subcontinuarum* etiam Malignantium, quæ non aliæ sunt ab his, *Historias* descripsimus, quibus illustrata jam sufficienter est ea pars nostræ distinctionis, quæ stat pro Corticis oblatione; quandoquidem in illis casibus Febrium continuitas erat per accidens introducta, & superaddita præexistenti periodo. Modo casus aliquot lubet describere, ubi in Proportionatis continuitatem essentialem cum accidentali tantum periodo sortitis, Corticis inefficaciam datum fuit experiri.

I. Corripiebatur in medio cursu prosperæ valetudinis *D. Comitissa Hyppolita de Savignanis Scapinella* Febre Tertiana duplici Continua, quæ inter Proportionatas est omnium frequentissima, Caussæ procatharticæ Febris hujusmodi plu-

plurimæ fuerunt tum in ratione victus, tum in violenta corporis exercitatione. Illius Exacerbationes, licet regulares, parum tamen conſpicuæ erant in invaſione, quæ ſine ullo ſenſu frigoris, immo potius cum levi aliqua incaleſcentia paulatim obrepente fiebat, tantumque ſenſibilis circa ſtatum erat ipſa exacerbatio; quemadmodum tranſacto vigore notabilis erat ejuſdem remiſſio. Uti plethorica tractata eſt ab initio, ſemperque methodice in morbi progreſſu hujuſmodi Ægrotans, quo toto tempore, ſpei ancipitis, atque metus identidem ſigna prodebat. In decurſu morbi inſtitit amantiſſimus Conjux exhiberi Corticem, memor, quod eadem ex Tertiana duplici Subintrante, immo Subcontinua acutiem veram acquirente, ope ejuſdem Corticis, ipſoque tunc etiam ſuadente, ante biennium evaſerat, ſorte, qua diximus. Non ego aſſenſum præbui, reſpondens: Febrem hanc dubio procul excedere vires Corticis, neque me velle ſubire cenſuram vulgi, ſi citra ſucceſſum, etiamſi citra noxam, illum exhiberem. Acquievit ille dictis meis, maxime cum ſpoponderim, me non prætermiſſurum occaſionem, ſi quando eadem apparuiſſet. Vix tranſacta decimaquarta morbi die, reddito nonnihil manifeſtiore Exacerbationum motu, ſed & inſimul gravioribus factis ſymptomatis, & ceſſante, quod antea apparuerat, ſudoris univerſalis rudimento, Capiteque demum ſatis gravato, cœpi timere, ne muneri meo deeſſem, ſi Corticem omitterem jam mihi propoſitum a Conjuge, & a clariore aliquantulum Febris periodo indicatum, in circumſtantiis creſcentis periculi, & Naturæ feriantis ab omni motu critico. Sed ne ſubirem calumniam in caſu carentiæ fauſti ſucceſſus, quoniam Febris ab ortu viſa erat eſſentialiter Continua, Chinam Chinam præſcripſi ſub forma boli cardiaci, mane, & fero ſumendam. Duravit uſus illius ad aliquot dies; ſed æque perſeveravit Febris de more increbreſcens. Cognito invalido Cortice, uſu illius abſtinui, curationem aliis remediis pro varia morbi indicatione proſequutus: ſed fruſtra: mille namque ſupervenientibus diris ſymptomatis, videlicet ſuppreſſione urinæ, nonniſi aſſidua ope catheteris per plures dies extractæ, & gangrænis hinc inde ſubortis, aliiſque ſuperadditis cruciatibus, die tandem morbi xxvij. obiit.

II. *D. Lucretia de Sigoniis Agnana*, poſt contractum ex numeroſis geſtationibus, & ex frequentibus abortionibus, ſucceſſiviſque hæmorrhagiis, habitum corporis ſubtumidum, & decolorem, præter morem ſuæ floridæ conſtitutionis, immo poſt ſuperatam non multo ante acutam ægritudinem, a qua vix cœperat mediocriter reſurgere, recidit iterum in Febrem Tertianam Continuam duplicem, exacerbationes inæquales, & plane inordinatas habentem, ac inconſpicue cum quodam tantummodo ſenſu caloris, & vomituritione irregulari recurrentes, exiguamque ſimul, ac pariter irregularem remiſſionem ſortitas; adeout potius mera Remittens, quam vera Proportionata dici poſſet hujuſmodi Febris. Omni, qua datum fuit, arte, cautela, & induſtria curata fuit. Seriem remediorum hic proſequi, & indicationes eorum, foret inutile. Sat ſit pro re noſtra referre, quod poſt varias ambages, & plura exantlata Vitæ pericula, a die morbi undecimo uſque ad decimumſeptimum Febris tandem, Continua licet, cœpit ad notabilem remiſſionem redigi, & typo Tertianæ duplicis, uno die gravioris, altero levioris, perſpicue diſtingui: quodque magis eſt notatu dignum, Exacerbatio ipſa, præſertim validior, aliquo frigore ſignabatur in morem Acceſſionis Intermittentis. Per tres Circuitus completos, nempe per dies quinque hunc motum obſervavi, nec tamen Corticem præſcripſi: immo Conjugi, qui alias eodem remedio convaluerat, illum proponenti primis diebus obſtiti, ſperans vigeſimaprima die, ſi non ſolutionem morbi, ſaltem permutationem in melius. Sed res aliter ceſſit; tertia ſiquidem fortior Exacerbatio, utut ſuo frigore, levi quidem, ac horrore inſignita, ferocem ſe prodidit in ſtatu, & Ægrotantem male vexavit. Quamobrem tranſacto jam tertio ſeptenario, & rebus, meliore licet facie quoad ſpeciem, in pejus tamen ruentibus quoad rem ipſam, Conjugi filiis onuſto morem gerendum duxi, prompta Corticis præſcriptione. Peractum eſt id partitis vicibus, & doſi modica, ſed quæ Febrem debuerat ſiſtere: attamen jugiter perſeveravit, iiſdem pertinaciter recurrentibus, obſcuriore licet motu, Exacerbationibus; quare cum inanem experirer Corticis operam, poſtquam in ejus uſu ſufficienter perſtiti, ab eodem feriatus ſum, ad conſueta iterum remedia revertens. Cum vero nulla proficerent,

rent, vocatus est in consilium *D.* quoque *Davinius*, Ægra tamen ad extremum prope redacta. Invisо gravissimo Ægræ statu, & intellecta morbi serie, ultimisque periodi Febrilis motibus, neque conscius de China China oblata (oblitus siquidem fueram in tumultuaria, & inutili Consultatione, de hoc remedio inter tot alia distinctam mentionem facere) ad me conversus, dum egrediebamur domo Ægrotantis, quam solo fere prognostico dereliquimus, dixit: parum abfuisse, quin proposuerit usum Chinæ Chinæ, atque tantummodo abstinuisse, eo quia a me in illius oblationem proclivi, nullam de ea mentionem factam fuisse observaret ne per modum quidem dubitationis, cum tamen cæteroqui remedium tentari posse videretur, nisi Ægra jam foret suo Fato propinqua. Narravi propterea, quæ immemor subticueram, quæque incassum tentaveram, refundens omnem culpam in ipsam naturam Febris ab ortu Continuæ. Suspicatus tamen sum insuper de aliquo Uteri vitio organico, sive alterius Visceris infimi Ventris, puta, Pancreatis, aut aliarum Glandularum Mesenterii; sed hujusce suspicionis nonnisi remota indicia, nulla vero proxima, aut immediata mihi præluxerant. Vixit illa per duos adhuc, vel tres dies, irritisque omnibus, quæ administrare licuit, remediis, die morbi xxxiij. desiit vivere.

III. Clarius adhuc inefficaciam Corticis in Febribus Continuis ab ortu, & per accidens periodicis, patefaciet sequens casus, cujus compendiaria quidem, sed per singulos dies disposita series hic exhibetur. Egregius, Claruſque Adolescens *D. Antonius de Roncaleis* æstate anni 1709. correptus est Febre, quæ cum nullo rigore, aut frigore illum invasit. Habita est pro Ephemera, ut quæ post 24. horas plurimum remisit; sed paulopost, secunda nempe die, circa vesperas iterum recruduit pariter sine frigore, sed cum vomitu, & stomachi angore, Tertianæ incipientis ad instar, & per dies pares sese moventis. Protrahitur Febris per totam tertiam diem æqualiter intensa, & sine ulla exacerbatione. Exhibetur ea die *Ol. Amigd. dulc. ad unc. iv.* subsequiturque modica dejectio biliosa, nec amplius redit vomitus, vel angor stomachi. Quarta die mane adhuc intensa est Febris contra expectationem; quare sanguinis missio, quæ cæteroqui statuta erat, ob id suspenditur, ejusque loco offertur cibus ob metum exacerbationis, citioris futuræ creditæ, respectu habito ad secundam diem. Et revera circa meridiem quartæ diei valide exacerbata est Febris, ut suspicatus fueram: quod Ægrotanti ansam dedit, ut a me avide statim Corticem expeteret, quem sciebat plurimis graviter febricitantibus opem tulisse; sed cum respondissem, Remedium illud non satis aptari huic Febri, acquievit ille quidem, sed animo turbatus est, illique propterea spopondi, me oblaturum Corticem tempore opportuno, quotiescunque Febris remedium admitteret. Quinta interim die mane missus est sanguis, remissa aliquantulum Febre. Vespere subsequuta est Exacerbatio, obscura quidem dum fieret, sed paulopost manifesta. Fuit hæc omnium levissima præter expectationem. Sexta die mane admodum remissa est Febris, Ægerque visus est ab apyrexia non admodum distans. Successit ante meridiem Exacerbatio cum levi, brevique extremorum perfrigeratione. Tunc credidi, Febrem disponi ad acquirendam naturam, & motum Cortici obsequentem, si opus fuisset offerre; de quo tamen ut certior fierem, & remissionem illius Exacerbationis, & motum alterius correspondentem solicitus expectabam. Modice intensa ea fuit: cum tamen esset in statu, circa vesperas Æger animo deliquit citra causam manifestam, Febrisque ultro protracta est. Septima die, perseverante Febre, nec alvo satis fluente, præscribitur clyster ex Lacte, & Saccharo, quem diutius retinet, ægre fert, ac tandem reddit, summe biliosa, ac spumosa dejiciens, & animo rursus delinquens, dum sedens alvum exonerat. Post meridiem durante adhuc ultima exacerbatione frigidiuscule sudat cum pulsu minuto, & celeri. Propterea rebus in præceps ruentibus, & respectu habito ad prægressas Febris periodos qualescunque, confestim exhibetur Cortex *ad drach. ij. ss.* Octava die mane exhibetur iterum *ad drach. j. ss.* utraque tamen vice sine fructu: sequitur siquidem pari passu Febris, ac sudatiuncula subfrigida. Vespere videtur pulsus tantillum resurgere, sed parum: quamobrem circa finem octavæ iterum præscribitur Cortex *ad drach. ij.* Nona vero, ne quicquam intentatum relinquerem pro salute Adolescentis plurimis nominibus mihi carissi-

riſſimi, eundem Corticem (quoniam aliunde non erat ſperabile auxilium) per clyſterem adminiſtrari juſſi *ad drach. v.* ſed per incaſſum; in fine ſiquidem ejuſdem nonæ diei frigide ſudans, e vivorum ſtatione ſublatus eſt.

IV. Denique decumbebat Mutinæ ex non levibus animi pathematis *D. Ludovicus Maggius* Canonicus Carpenſis ſexagenarius, gracilis, & delicatulus. Febris, qua detinebatur, Tertianæ duplicis Continuæ regularem typum ſervabat. Et cum in ea æque eluceſceret ratio continuitatis, ac ratio periodi, utra pars prævaleret, haud potui dignoſcere: cum tamen admodum ſenſibilis eſſet ſtatis horis quotidie remiſſio, Subintrantem potius, quam mere Remittentem, Proportionatam hanc ſuſpicabar, Progrediente nonnihil morbo, cœpere admodum obſcuræ fieri exacerbationes, & remiſſiones, quæ prius ſatis patenter ſeſe prodebant. Metuens ego proinde, habito reſpectu ad virium imbecillitatem, & tenuitatem pulſus, ne Æger conſuetis licet ab initio jam ſatis methodice tractatus remediis, impar progreſſu temporis evaderet ferendo morbos in dies creſcenti, decrevi Corticem illi præſcribere mane, & ſero *ad drach. ſs.* ex cujus remedii uſu ad paucos dies continuato omnis plane ſublata eſt exacerbatio Febris; reſtitante tamen jugiter tenui illo, ſed tenaci, ejusdem filo, quod pariter ante uſum Corticis, tempore quoque majoris remiſſionis ſuperſtes eſſe conſueverat. Vere tam exiguum erat illud, ut vix nomen Febris mereretur: quare Æger ipſe ſanum ſe reputans inſtabat, ut eum dimitterem ad patrios Lares. Illi tamen annuere non potui, quia nondum extinctum noſcebam incendium, cujus fomes alter adhuc vigebat. Uno verbo: poſtquam per aliquot dies ſatis vegetus viſus fuit, paulatim illi cœpere atteri vires, cœpit vox clangoſa fieri, oculi rubore, ac lippitudine quadam perfundi, ſomnus diuturnus, & intempeſtivus, placidus licet, ac levis caput obruere, & ipſe tandem vix febricitans, nec ſe febricitare noſcens, aut credens, inſenſibiliter deficere. Quod demum plane contigit circa vigeſimamquartam, ni fallor, morbi diem, qua placide, & ſine ullo doloris, aut moleſtiæ ſenſu perpetuo quievit, me in poſterum relinquens ancipitem de uſu, & virtute Corticis in hujuſmodi Febribus Periodicis, quæ ſimul ſtabilem quandam, fixamque, utut levem, continuitatem ſunt ab exordio ſortitæ. Opinor equidem, ut ingenue loquar, quod ille valde citius obiiſſet, ni ſumpſiſſet Corticem; Febris namque, penſitatis penſitandis, ſatis ſe prodebat pro Corruptiva cruoris, & Individui; ſed æque cenſeo, quod dum abſorpto fermento extraneo, quotidie influente, ſublata eſt efferveſcentia periodica, ita & ſublata ſit occaſio, etſi periculo plena, ipſi cruori, forſitan (ſi per moderatam efferveſcentiam licuiſſet) ſe defæcandi in progreſſu (quod tamen præ imbecillitate Ægri minime videbatur ſperandum) ab impuritatibus in eodem ſtabili contubernio præexiſtentibus, a quibus poſtmodum per ſepultam quandam, & incoſpicuam ebullitionem citra ullam deſpumationem efferveſcentibus, ultima tandem, æque ac ſi Cortex fuiſſet omiſſus, Ægrotanti illata eſt clades.

Ex his caſibus ſelectioribus, & ex aliis nonnullis, quos poſſem adducere, immo & ex quibusdam allatis inter infauſtos, *Lib. III. Cap. V.* recenſitos, ſatis conſtat, quam incertus ſit, & ſæpe quam inutilis uſus Peruviani Corticis in illis Continuis Proportionatis, quibus plus ineſt de natura Febris Continuæ ſimpliciter Remittentis, & per accidens periodicæ, quam de natura Subintrantis, ac Periodicæ, ac per accidens tantum continuæ; Febris enim quo magis recedit ab Intermittente, & accedit ad Continuam; eo magis ſe ſubtrahit actioni Corticis, atque adhuc eo magis, quo magis continuitas illius accedit ad æqualitatem intenſionis, atque tenoris.

Eam ideo mihimetipſi metam poſui, quam in ſuperioribus per extenſum explicui circa uſum illius in Febribus Proportionatis, mea qualicunque fretus experientia, cui aliquam, craſſiuſculam licet, conatus ſum adaptare rationem. Cæterum, ſi cui lubeat ulterius experiri, experiatur; puto quidem ſine noxa, ſed & puto ſine fructu ſaltem ſenſibili: quamvis me non lateat, nonnullos Febribus Proportionatis de natura Remittentium potius, quam Subintrantium, laborantes, & Cortice tractatos feliciter convaluiſſe, ſed exacto tantum Acutorum curſu; cujus rei præter Auctorum teſtimonia, plura ipſe poſſem adducere exempla. At China China, ut pluris ſum faſſus, propter excellentiam ſuam habet hoc præjudicium in exiſtimatione mea, ut,

ut, cum ſoleat, ubi convenit, non modo ſemper prodeſſe, ſed & cito, & manifeſte, eo ipſo, quod cito, & manifeſte, non profuit, minime credatur a me ullo pacto profuiſſe; ad differentiam aliorum plurium remediorum, quæ cum nec cito, nec manifeſte (utinam aliquo ſaltem modo) prodeſſe ſoleant, etiam tunc creduntur profuiſſe, cum non profecerunt, dummodo res, etſi forſan aliunde, bene ceſſerit. Quos tamen protuli infauſtos eventus, non protuli quaſi cladem illorum Cortex intulerit, & quaſi alii felices non proſtent, ad ſalutem, ſed non citam, ut dixi, pendente uſu Corticis, perducti: verum lethales conſulto ſelegi, ut oſtenderem, illum aliquando certo in deſcriptis circunſtantiis ſatis non profuiſſe, quod æque certo oſtendi non poſſet in caſibus exitum felicem ſortitis, dum talis exitus oblationi Corticis (etſi tardiuſcule tantum, non vero celeriter, ut Intermittentibus aſſolet) ſucceſſiſſet. De reliquo ſicuti poteſt Medicum decipere Febris Proportionata a prædominio Remittens ſimpliciter ſub ſpecie Febris a prædominio Subintrantis, & videri Cortice ſanabilis, licet revera non ſit: ut in relatis poſtremo caſibus, ita poteſt decipere Proportionata, Subintrans a prædominio, ſub ſpecie Febris a prædominio ſimpliciter Remittentis, ac videri ex iis, quæ ſunt Cortice inexpugnabiles, & tamen revera eodem Cortice nonnunquam curari; quod non ſemel mihimetipſi contigit hac in re quandoque minus plana ceſpitanti. Ideo ubi prædominium Continuitatis ſit minus perſpicuum, ſitque ex una parte locus rationabili dubietati, an Febris Proportionata ſit Cortici ceſſura, nec ne, & ex alia parte ſit rationabilis ſuſpicio de aliorum remediorum invaliditate, minime improbare poſſum animoſitatem Medici, qui ſpretis Detractorum calumniis innoxium medicamentum, etſi tunc ob vigoris circumſtantias incerti tentari velit.

Caveat tamen in hoc, ne ſibi aduletur, tribuatque remedio pluſquam par ſit, ſi res ex voto ſucceſſerit; ſed videat, num illi, an aliis remediis, vel Naturæ adſcribenda ſit ſanitas; facillimum quippe hic eſt incidere in Paralogiſmum appellatum, *Ex non cauſa ut cauſa*. Sicuti enim non valet hæc illatio - *Æger tandem mortuus eſt ſumpto Cortice; ergo propter Corticem* ita neque valet hæc alia -- *Sanatus tandem eſt ſumpto Cortice; ergo propter Corticem* -- ad ſummum enim inferri poteſt -- *Ergo Cortex non obfuit Curationi*. Sanitas autem, quando a Cortice vere procedit, facile dignoſcibilis eſt ex inſolita, qua acquiritur celeritare; non ſic in aliis caſibus. Si quid ergo certi quis diutius obſervet in hac materia, quod ipſe non ſatis obſervarim, facto prius, ut decet, ſerio, ac diligenti examine, in publicam demum utilitatem fideliter referat. Id forſan quondam nobis ſperandum erat a Doctiſſimo *Lancifio*, ut juvat conjectare ex paragrapho Epiſtolæ Illius ad me conſcriptæ, quem retuli jam *Lib. II. Cap. VIII. in Schol. ad Mortonum* pag. 188. quandoquidem certior factus, Virum hunc Ampliſſimum e vivis deceſſiſſe non ſine gravi jactura antequam ſuas edidiſſet, quas ibidem recenſuit, circa hanc materiam Obſervationes, ut illas edidiſſe, ex eadem Epiſtola falſo fueram ſuſpicatus.

Hallucinationi meæ haud multum abſimilis ea fuit, quæ nuperrime, ut ſubaudio, occupavit nonnullos, quibus viſæ nunquam fuere *Conſtitttiones Epidemicæ Mutinenſes*, olim a *Cl. Ramazzino* conſcriptæ, exordio ducto ab anno 1690. ad uſque annum integrum 1694. quæ ſane hallucinatio, quoſcunque corripiat earundem Diſſertationum ignaros, mihi dubio procul apud hos notam hominis toto hoc Tractatu parum veridici ſtatim inuret. Putarunt ergo hi, falſo licet, eundem *D. Ramazzinum* tunc apud nos Medicinam facientem, in eiſdem Conſtitutionibus ſuis argumentum meum (quod ego Medicis Noſtratibus ante annum 1695. nedum intactum, ſed & ignotum aſſerui) aliquo ſaltem modo tractaſſe; idque illis viſum eſt poſſe deduci ex iis, quæ Vir iſte Cl. prodidit in Eruditiſſima Diſſertatione ſua recens edita *De Contagioſa Epidemia, quæ in Boves irrepſit*, ubi de China China verba faciens, meorumque interim aſſertorum veritatem propria auctoritate confirmans, hæc habet. *Equidem hoc præſidii genus in febribus periodicis miranda præſtat, ac præſertim in tertianis intermittentibus malignis, quæ in ipſo impetu acceſſionis ægros interdum necant, quarum febrium in Conſtitutionibus meis epidemicis Mutinenſibus mentionem habui; hoc enim ſebrifugum fermentum illud malignum ſive penitus reſtinguit, ſive ita enervat, ut periculum illud tollatur, ne æger in ipſo febris acceſſu intereat.*

Textus autem hujuſmodi ſenſus nec

eſt,

eſt, nec eſſe poteſt, quantumvis eſſe credatur, aut videatur, Auctorem hunc promulgaſſe in Conſtitutionibus ſuis Epidemicis, aut eo tempore noviſſe, *Corticem Peruvianum mirandam præſtare in Tertianis malignis Intermittentibus, quæ in ipſo impetu acceſſionis ægros interdum necant*, quales reapſe ſunt, quas deſcripſit olim *Mercatus*, mox *Mortonus*, & ego tandem. Ibi enim de iſtiuſmodi Febribus vere nec egit ille, nec mentionem fecit, cum vix obiter innuerit, in Tertianis Febribus *diuturnis*, & *contumaciſſimis* a ſe deſcriptis, quæ *ut plurimum* (ſunt ejus verba) *citra malignantis ſuſpicionem* populariter graſſabantur, *malignum quid nihilominus aliquando etiam adfuiſſe*, vel eas, *cum protractiores erant, in malignas nonnunquam degeneraſſe*; ſubdens inſuper, quod *præ multitudine hominum decumbentium pauci extincti fuere; ac potius ex diuturnitate morbi, & frequentibus recidivis, quam ex Febris vehementia ſuccubuere*. Sed quotieſcunque etiam ex vi paucorum verborum, quæ ſupra recenſui, mentionem aliquam de Pernicioſis noſtris ipſum implicite habuiſſe quiſpiam contendat, quod parum refert; tantum tamen adeſt, ut Corticem Peruvianum in iis Febribus, immo in ullis primæ *Conſtitutionis*, ſeu *Diſſertationis anni* 1690. (quæ potior eſt in hac materia) commendarit, ut contra aſſeruerit, eundem Corticem in illis omnibus *inſalubrem* plane, *doloſum*, ac *noxium* extitiſſe, quemadmodum late videre eſt *num. xv.* & *num. xlvij.* ejuſdem Conſtitutionis. Et propterea illud remedium in *Quartanis* duntaxat, ac *Diuturnis* Febribus, & quidem *in Calidis tantum, ac ſiccis conſtitutionibus* cum *temporum*, tum *humorum*, minime vero *in frigidis, & humidis*, generaliter uſurpari poſſe, ac revera anno 1691. ad eaſdem *Quartanas*, & *diuturnas* Febres fuiſſe feliciter uſurpatum, prodidit in ſola *Conſtitutione* ejuſdem anni 1691. *n. xxxiv. circa finem*, & *num. xxxv.* quemadmodum parum utiliter, ut cum detrimento adhibitum fuiſſe in *Lentis* Febribus, Peculiari male judicatæ ſuccedentibus retulit *in Conſtitutionibus* annorum 1692. 93. & 94. *num. xxxij.* & *num. lvj.* Quæ cum clariſſima ſint, & proſtent cuique, non eſt, quod quiſquam niſi cohærenter ad ea textum allatum veluti interpretari, quaſi nempe dicat Auctor ingenuus in confirmationem aſſertorum meorum, ut conjeci, utque fas eſt credere de Amico imminentis editionis Tractatus mei optime conſcio) quaſi, inquam, dicat. Sibi *modo* notum eſſe, Corticem Peruvianum miranda præſtare in Febribus Periodicis, & præſertim in Tertianis Intermittentibus malignis, quæ in ipſo impetu acceſſionis Ægros interdum necant: cujus generis, aut naturæ Febrium, aliquo modo participes dici poſſe, putat nonnullas earum, quas deſcripſit in prima ex Conſtitutionibus ſuis, licet tunc ad illas eundem Corticem parum ſalubrem crediderit, talemque ſe reperiſſe ea ſaltem conſtitutione, perſuaſum habuerit.

Atque his quidem ita ſe habentibus (ut ad rem noſtram reditus fiat) ne quæſo dedignetur perpendere quiſquis plurima, a nobis circa praxim hujuſce remedii haud ſatis forſan in anteactis dilucidata in clariorem lucem, ut optandum eſt, aggrediatur evehere, ne, inquam, dedignetur perpendere qua diligentia, qua cautela, & examine, item quam longa; & accurata experientia ſibi ſit opus, priuſquam quidquam certi valeat decernere. Quamvis enim ſupra laudatus Vir poſt repetitam, & firmam, ut illi tunc viſum, plurium annorum obſervationem, & experientiam uſque ad totum nempe annum 1694. tam trepidanter, tam reſtricte, immo non raro tam ſiniſtre fuerit opinatus de Cortice in Conſtitutionibus ſuis (licet, ut verum fatear, etiam ſic ſentiens eminuerit velut inſignior Corticis fautor inter omnes, quotquot tunc aderant, & in hanc uſque diem perſiſtere in hac Urbe, Medicos) quamvis, inquam, tam ſcrupuloſe tunc fuerit opinatus de Cortice; facta nihilominus progreſſu temporis animadverſione magis exacta, admodum diverſimode ſenſit. Etenim, perſpectis paulopoſt, ac præſertim anno 1696. illius viribus, cum ſcilicet ego ipſe cæteroqui proxime periturus remedium ſimul, ac ſanitatem uno hauſtu potavi, eodem *D. Rammazzino* ſpectante, atque calculum ſuum apponere non renuente, cognitaque pariter in aliis caſibus haud minoris momenti tanti medicaminis efficacia, ut proſtat in *Hiſtoriis meis pag.* 314. *& ſeq. pag.* 141. *& pag.* 423. his, inquam, omnibus ob eo ſatis perſpectis, aliiſque deinde, ut reor, ex propria praxi depromptis, longe majora, & longe magis favorabilia ſcripſit Ille de hoc celeberrimo Febrifugo. Sic in *Orationibus*, ſeu Proluſionibus ſuis in Patavino

vino Athenæo ſubinde habitis,& typis editis, ac ſignate in *Prima*, *Tertia*, & *Septima*, ut & in nuperrima Diſſertatione *De Contagioſa Boum Epidemia*, tam late, tamque magnifice loquutus eſt de virtute illius, velut cujuſdam *remedii plane divini*, *quod quolibet*, ut inquit, *anni tempore*, *in quacunque regione*, *ætate*, *ſexu*, *temperamento*, *ad Febres periodicas exterminandas miranda præſtet*, ut, poſthabita in concurſu recentioris, certioriſque palam repertæ (neque enim aliud poteſt inferri) priore experientia, minime veritus ſit, ſuam quadantenus mutare ſententiam *more ſcilicet Magnorum Virorum*, ut de Hippocrate ajebat *Celſus*, *& fiduciam magnarum rerum habentium*. Utinam vero ipſum aliquando imitentur ii, qui non ſatis adhuc experti, in veritatis tamen injuriam, & in damnum publicæ utilitatis expreſſe ſunt obloquuti de Cortice, ut & ii, qui favore illius nimium præoccupati nimia pariter, ac ſæpius inania præcoci calamo ſcripſere hactenus, vel poſthac ſcripturi ſunt de eodem. Sed tam laudabilis animi candor raro viſitur, ut qui datus eſt tantum *Magnis ingeniis*, *multaque nihilominus habituris*; *nam levia ingenia*, *quia nihil habent*, *nihil ſibi detrahunt*: quamvis id revera Viros omnes cultos deceret, ac bene moratos, *in eo præſertim miniſterio* (omnia ſunt verba ejuſdem *Celſi*) *quod utilitatis cauſa poſteris traditur*, *ne qui decipiantur eadem ratione*, *qua quis ante deceptus eſt*.

CAPUT V.

Proficuus aſſeritur Peruvianus Cortex, primo *ad Febres Complicatas vulgatiores*, *puta*; Hemitritæos, *&c.* ſecundo *ad Lentas*, *præſertim Puerorum*, Hecticas *abuſive dictas*. *Confirmatur exemplis poſtrema hæc aſſertio*. *Demum ad Febres ſingulas indigitandas*, *quibus utilis eſt* China China, *& quibus non*, *univerſalis earum Categoria*, *& varia inſimul metamorphoſis*, Corticem *modo admittens*, *& modo reſpuens*, *iconice exprimitur*, *ac explicatur*.

OMNES dari, vel eſſe poſſibiles, quas tradiderunt Antiqui, Febrium Complicationes, haud facile admiſerim; dari plurimas, haud facile negaverim. Juxta illos complicari poſſunt Febres Putridæ dictæ cum non Putridis, ut quando Febris periodica Hecticæ copulatur in Tabidis; quod paſſim videmus. Item commiſceri poſſunt Putridæ cum Putridis, & hoc pluribus modis, nempe vel per Complicationem continuarum cum Continuis (atque hæc, quam *Fernelius* vocat potius Confuſionem Febrium, quam veram Complicationem, reapſe mihi videtur confuſio non modo Febrium, ſed & quodammodo intellectuum) vel Complicationem Intermittentium cum Intermittentibus, tum ejuſdem, quod facile, tum diverſæ ſpeciei, quod non ita facile, vel denique per implicationem Intermittentium cum Continuis: & hic quoque aliqua fortaſſe contingit hallucinatio. Inordinatæ ſiquidem Febrium præſertim Intermittentium, mox & Proportionatarum reduplicationes ſæpe Medicis imponunt ſpecie Hemitritæi, ſeu Semitertianæ, aliive conſimilis Monſtri, ne dicam cum nonnullis, Chymeræ. Ex oppoſito ea, quæ nonnumquam viſitur in typis inordinatis Febrium nunquam deſinentium ordinata viciſſitudo, itaut ſtato ordine, quandoque bis in die, quandoque una die bis, & altera ſemel, adeoque ter inter duos dies, Febris recrudeſcat, itemque non multo poſt unam invaſionem nova reduplicatio ſuccedat, iſta, inquam, viciſſitudo, & alia quævis conſimilis in praxi non ſemel obvia tollere videtur perpetuæ, qualem nonnulli reputant, impoſturæ ſuſpicionem. Datis itaque ad abundantiam, quidquid ſit de veritate rei, ut poſſibilibas combinationibus Veterum ante memoratis, vel ſaltem earum plurimis, facile eſt ex dictis colligere, quid de ſingulis ſentiendum ſit quoad uſum Corticis in iiſdem.

Si enim commiſceantur Putridæ cum Hecticis, diximus jam, experientia duce, illa per Corticem non ſubmoveri, vel ſi leniantur, aut quoquo modo ſiſti videantur, hoc non impedire, quominus Ægrotans tabe conſumptus ſuo tempore ad interitum ruat.

Si poſſibile ſit complicari Putridas Continuas cum iiſdem pariter putridis Continuis, certum eſt, quod ſi ambæ, vel etiam alterutra ex illis (cujuſmodi duorum caſuum proſtrat icon in Arbore noſtra, data eorum poſſibilitate) ſi, inquam, ambe, vel alterutra ex illis ſit de Continentium ſtirpe, Cortex non proderit; ſi vero fingantur duæ Continuæ Proportionales, ſuſpicandum merito

to eſt, ne parum prodeſſe poſſit adverſus duos hoſtes remedium, quod uni ex illis ſæpe non ſufficit; vix enim perceptibile eſt in caſu poſito, quod in maſſa ſanguinea non ſit tale (ſive præexiſtens, ſive noviter cumulatum) taliterque radicatum fermentum, ut vires Corticis eludat, etiamſi aliqua extranei cujusdam accedat portio, cæteroqui eodem Cortice domabilis.

Quod ſi Complicatio ſit Febrium Intermittentium cum Intermittentibus, ſive illæ dicantur eſſe diverſæ, ſive ejusdem ſpeciei (in qua linea octo ſimul Tertianas in eodem Ægro dari poſſe *Caprilius* non dubitavit aſſerere) extra dubium eſt, illis quomodolibet commixtis, ac per varios ſubintrantium, ſeque mutuo, ac diverſimode excipientium paroxyſmorum, recurſus, Continuis per accidens factis, Peruvianum Corticem ſtrenue opitulari, ac ſi forent disjunctæ, atque diſcretæ: dummodo non eo uſque ſinantur progredi, ut jam continuitatem eſſentialem, ac fixam, & in maſſa ipſa ſanguinea ſtabiles radices agentem acquirant, aut acquiſierint.

Major difficultas verſatur circa complicationem Intermittentium cum Continuis, non Continentibus quidem, quæ, quoquo modo adſint, vim Corticis ſolent enervare, ſed Proportionatis: cujuſmodi eſſe dicuntur Semitertiana, aut Hemitritæus, cum ſcilicet Tertianæ Continuæ Quotidiana Intermittens, vel Tertianæ Intermittenti Quotidiana Continua copulatur. Circa hanc rem, quæ non æque explicatur ab omnibus (cum aliqui ex Continuis ſymptomaticis, & Inflammatoriis, ſimul ac ex Intermittentibus Hemitritæos componant, alii ex variis, & inæqualibus Intermittentium tantummodo commixtionibus) fateor, me quoque non parum hæſitare, & probabiliter credere, famoſam hanc febrem eſſe de Tertianarum Intermittentium, multiplicium tamen, puta duplicium, vel triplicium genere, quæ in hac Febris ſpecie ſuas adeo frequenter repetunt Acceſſiones, ut illam non modo crebris rigoribus, & horroribus ſuis reddant toto decurſu Horridam, ſive Horrificam, verum etiam tali inteſione aſſidue præditam, ut ſimul de genere Continuarum ab ortu eandem repræſentent. Et revera tam facile eſt, ut licet Continua ſuapte natura orta non ſit, talis tamen ob rationes recenſitas evadat, ſimulque Maligna, & ſæpiſſime lethalis noſtræ aliquando Subcontinuæ malignantis adinſtar, ut non prorſus immerito ex Continua, & Intermittente quodammodo conflata dicatur.

Si itaque Hemitritæus, aut Semitertiana vere procedat, ut ſuſpicor, ex Tertiana Intermittente multiplici (Veteribus ipſis, ſaltem aliquibus, non plane diſſentientibus) ſive ex crebro, & æqualiter inæquali fermenti Tertianam producenti influxu, patet, quod activitas Corticis valide, cito, ac frequenter oblati, par eſt morbo vincendo, dummodo id fiat, antequam Febris eſſentialem continuitatem acquirat, quod in enarratis circumſtantiis proxime imminet. Cæterum quæ primis diebus apparet in Complicatis hujuſmodi Febribus continuitas, ſæpe non eſt eſſentialis, qualis creditur; idque conſpicuæ pulſuum concentrationes identidem contingentes palam teſtantur. *Quamvis Febres quædam* (inquit ſatis appoſite hoc loco *Sennertus*) *continuæ videantur, ſi tamen ſæpius fiat pulſus contractio, illa novi paroxyſmi, novique materiæ motus indicium eſt*. Ob hoc igitur in Semitertiana, ſic dicta, Corticem opportuna tempore exhibendum cenſeo, & data occaſione nonnunquam fidenter exhibui: nec de felici ſucceſſu inexpertus loquor.

Si vero, juxta communiorem Antiquorum, Febrem iſtam ex Continua Proportionata, & ex Intermittente prognatam quis velit, cum in illa duplici titulo prævaleat natura Febris Intermittentis, aut Periodicæ, & minore parte concurrat in eam natura Continuæ (ipſa ſiquidem Proportionata Continua participat aliquo modo de ratione, ac fermento Febris Intermittentis; ut diximus) major eſt probabilitas, quod in ea debeat eſſe proficuus, quam inutilis Cortex, dummodo ille viriliter, ac tempeſtive offeratur: niſi videlicet jam Febris Intermittens, crebris, & ſubintrantibus reduplicationibus ſuis, ipſi Continuæ, ejuſve præexiſtenti fermento ſuppetias contubernales attulerit, ipſius præexiſtentis fermenti naturam adeptas; vel niſi id fuerit jam ſubortum, quod non raro aſſolet, & quod ad Semitertianæ generationem concurrere autumat idem *Sennertus*, fretus auctoritate *Spigelii*, & aliorum, videlicet, niſi aliqua lateat in imi Ventris viſceribus inflammatio, quæ Febri, cæteroqui Intermittenti, fixam con-

tinuitatem adjungat, Febrem siquidem Semitertianam censet ille (suntque ejus verba) *ex Febre Primaria, & Symptomatica componi, & primo quidem natura sua Intermittentem Febrem esse, cum postea continuus calor accedit ex inflammatione Ventriculi, Intestinorum, & vicinarum partium:* quo casu nisi Cortex propinetur, priusquam fiat inflammatio actum est; cum hujusmodi Febris & ex hoc capite, & ex more suo sit pravæ supra cæteras indolis, itaut non modo maligna, verum & epidemica, & contagiosa, & lethalis præ aliis merito reputetur, unde illud *Q. Sereni-*

Mortiferum magis est, quod Græcis
Hemitritæum
Vulgatur verbis ---

Exempla tamen curationum Hemitritæi, etsi adeo periculosi, usu Corticis absolutarum exhibet, ut alias diximus, *Badus*: item & *Restaurandus* Capite peculiari -- *De Cura Hemitritæi per Chinam Chinam*, ubi animadversione dignum est Scholium *Cl. Nigrisoli* circa Febres hujusmodi Complicatas; quæ omnia consulat Lectos, nosque a longiore circa hanc materiam eximat mora.

Quoad secundum in titulo propositum, nempe an China China conveniat Febribus *Lentis*, & Puerorum Hecticis, saltem abusive dictis, distinguere oportet Lentas, quæ de genere Symptomaticarum ac Continentium sunt, & quæ sunt de genere Intermittentium a radice, ac proinde Essentialium, quemadmodum utraque species distincta est in Arbore infra posita. In primo enim casu Corticem non congruere, seu saltem non sufficere, jam satis constat ex pluries dictis. In secundo vero casu nullus dubito, quin conferat; saltem utplurimum (quantum novi in praxi) immo quin absolute conveniat, usquequo in Lentis hujusmodi aliqua subcernitur originariæ periodi umbra, ut explicite monet *D'Acquin*, qui egregie præ cæteris sphæram activitatis remedii paucis distinxit, ac circumscripsit; quare etiamsi, rebus nimis ultro provectis, per accidens China fortasse non prosit, attamen fidenter dico, quod rationabiliter, & tuto exhibetur; quoniam convenit naturæ intimæ ipsius Febris. Quamobrem pro statuenda oblatione illius, sufficit dignoscere Lentam a fermento Intermittentium pendentem, & gravibus viscerum vitiis (inter quæ non connumero vulgares obstructiones) minime copulatam, sufficit, inquam, dignoscere illam a Lenta ex radice Continentium Symptomaticarum, & ex gravibus viscerum læsionibus pullulante. Hoc autem unicuique in arte versato non admodum difficulter videtur posse innotescere; quandoquidem ex ipsius Ægrotantis relatu potest quilibet doceri, num Lentam illam diuturna Intermittens præcesserit, & ex seipso cognoscere (posito, quod Hecticam veram a meris Lentis discernat) an aliqua in Lenta hujusmodi observari possit incrementi, & decrementi qualiscumque nota: illius quidem per unguium *v. gr.* livorem temporaneum, ne dicam perfrigerationem: istius vero per interpolatas v. g. nocturnasve sudatiunculas, vel per alia quælibet obscura saltem periodi indicia. In quibus circumstantiis, aliisque similibus, si Febris Intermittens sive duplex, sive triplex, sive alterius compositionis præcesserit, immo aliquando, præsertim in Pueris, etiamsi non præcesserit, sed præcesserit Febris Continua. dummodo tamen in Lenta succedente appareat levis aliqua imago periodi, Cortex exhibendus est cum spe boni exitus, si non certa, saltem probabili, & omnis suspicionis experte. Quod intelligendum est etiam, quamvis Febris diuturnitas Cachexiæ rudimenta simul induceret, habito tamen aliquo ad hujusmodi circumstantiam respectu, simulque habita consideratione, quod a Cachexia ipsa ortum, aut fomitem Febris non trahat: tunc enim referenda esset ad Lentam Symptomaticam vires Corticis eludentem. Hac conditione absente, & concurrentibus reliquis antedictis, Cortex in Lenta ipsa non sine spe propinandus.

Idem dicendum de Lentis illis, quæ Pueros peculiariter vel ex prægressis Intermittentibus, vel ex simplici etiam *Adephagia*, seu ingluvie obsidere solent, & *Hecticarum* nomine *abusive* audiunt, nam præterquamquod ab Hecticis veris videtur excipere *Hippocrates* ætatem infra completos pubertatis annos constitutam, experientia ipsa solet ostendere, Febres istas a cruditatibus genitas ad Cachexiam sæpius, quam ad maciem Hecticæ veræ sequacem deducere: etsi, eas cum macie quoque conjungi, nequaquam inficiet; quo casu si macies ad conspicuum gradum producta sit, Corticis effectus valde incertus redditur; non tamen ideo semper ejus usus omittendus. Quamobrem in istis

Pue-

Puerorum Lentis ſive ex præcedentibus Periodicis, ſive ex nimia voracitate, & ciborum ingurgitatione procedentibus, videtur peccare vel fermentum Intermittentium, vel materia aliqua ejusdem farinæ, vel ſaltem analoga, quæ ab uſu Peruviani Corticis poſt univerſalia congrua propinati correctionem non levem poteſt recipere, ut non ſemel uſus me docuit, utque melius patefacient nonnullæ ex ſequentibus Hiſtoriis, quibus alias etiam curationem Lentarum in diverſis ætatibus exhibentes placet immiſcere.

I. Anno 1696. memoratus alias *D. Comes Andreas de Sanctis* tunc impuber, ex frequenti, ac intempeſtivo uſu fructuum præſertim, & bellariorum, aliarumque rerum ſaccharo obductarum, incidit in Febrem Acutam Continentem (convaluerat autem non ita pridem ex diuturna Quartana ſponte ſoluta) & periculo plenam, cujus ſymptomata & graviſſima fuere, & inſolita adeout etiamnum ambigam, num ea Febris fuerit ſimul Variolosa, propter peregrinam quamdam eruptionem cutaneam innumerarum puſtularum, variolas quodammodo, ſed admodum imperfecte, ac abortivo fere dixerim modo æmulantium. Febre non integre judicata, ſupervenere inſignes Abſceſſus ad articulos, aliaſque corporis partes, ſanie, & pure ſumme fœtido abunde ſcatentes, qui Ægrum una cum *Lenta* quadam Febricula ad inſignem maciem deduxerunt, nec niſi poſt bimeſtre ſaltem ſpatium ſanati ſunt, & ad cicatricem perducti. Illis nihilominus plane conſolidatis eadem remanſit ſuperſtes Lenta Febricula, creſcente in dies totius corporis macie nihilque proficientibus iis, quæ pro Febre extinguenda, & pro reparanda nutritione ad longum tempus præſcribebantur remediis. Aſſidebat illi perpetuo *D. Candrinus*, medebaturque *D. Cervius*, cui & ipſe Socius de more adjungebar. Profeſſores iſti mihi non ſemel obtruſerunt per modum Quæſiti, num in hoc caſu locum aliquem poſſet habere Peruvianus Cortex, quem alias in Febribus Lentis, me præſcribente (& interim ſatis memori caſus ipſo repetebant) non parum profeciſſe obſervarent. Rejiciebam ego iisdem amice ſubridens propoſitionem, & ajebam: maximam eſſe inter caſus illos, & iſtum diſparitatem. Tandem cum quodam die ſtrictius interrogarer (progrediebatur enim in dies carnium conſumptio) cur hoc caſu abhorrerem a tentamine, quod cæteroqui innoxium fatebar, nec niſi de eadem inefficacia, quam in cæteris quoque remediis aperte experiebamur, ſuſpicabar incertus, reſpondi: me non ſuſpicari, ſed omnino credere inutilem Corticem, & ob id timere me cenſuram vulgi, aliorumque etiam Medicorum, propter radicem Febris a Continente primitus proficiſcentis, demumque de ſymptomatica fortaſſe participantis (metuebam ſiquidem de novo aliquo latente Abſceſſu interno) & nullam præſertim periodi ſpeciem præſeferentis, quantum colligere potui toto morbi tempore, bis licet in die Ægrum inviſens. Addebam corporis emaciationem jam ad maraſmi gradum perduci, nec eſſe forſitan ullo pacto poſſibilem amplius reparationem. Ad hæc reponebant ambo: non omnia, quæ afferebam, ſibi talia prorſus apparuiſſe; ajebant ſiquidem, & præcipue *D. Candrinus* inceſſanter Aſſidens: levem aliquam ſe nonnumquam deprehendiſſe Febris remiſſionem horis præſertim antelucanis: quo tempore; & ſomnus placidus, & levis quandoque ſudatiuncula ſuccedebat, quam & quædam præcedebat trium, vel quatuor horarum ſpatio, major incaleſcentia. Hac una motus duarum aſſertione, Corticem tentandum cenſui, qui *ad drach. ſs.* primo ſemel, mox & bis in die præſcriptus, intra 15. vel 20. dies, Febrem omnem penitus ſuſtulit, & ad menſem circiter continuatus, integram valetudinem, colorem optimum, robur priſtinum, perfectam renutritionem, quin & obeſitatem cum aliquo etiam exceſſu poſt modicum temporis admirabiliter invexit.

II. Nobiliſſima Virgo xv. agens ætatis annum, habitu corporis valde gracili, & fervido prædita temperamento, anno 1707. latrante Syrio, incidit in Febrem Tertianam duplicem, primo Intermittentem, mox Continuam per paroxyſmos ſeſe mutuo excipientes. Quantumvis omni cautela tractaretur, ne Febris plurimum valida continuitatem eſſentialem, atque acutiem periculoſam acquireret, non aliud tamen utilitatis ab adhibitis remediis licuit referre, niſi tolerabiliorem, ſed diuturniorem Febris intenſionem cum periodis obſcuriſſimis, & macie notabili. Ut rem paucis abſolvam, progrediente morbo cum copioſis, ſeroſiſque dejectionibus, cum profuſis ſudoribus tenuioribuſque

ſimul urinis, & jugiter perſeverante Febre jam familiari reddite, quæ aliquod tantummodo incrementum ſuſcipere dignoſcebatur ab incaleſcentia quadam horis pomeridianis adaucta, cui nocturnus ſudor cum vix perceptibili remiſſione reſpondebat, pariterque creſcente ad gradum inſignem totius corporis, præſertim vero brachriorum, & crurum extenuatione irritis omnibus, quæ tam pro retundendo febrili calore, quam pro reparanda, quæ abſumebatur in dies, humiditate, & pro nutritione inſtauranda, præſcripſeramus *D. Floranus* Medicus illius ordinarius, & Ego, conſilium cæpi de proponendo uſu Peruviani Corticis, priuſquam obſcura illa, qualiſcunque periodi umbra penitus obliteraretur, Febriſque in habitualem dictam migraret. Sub conditione alicujus quidem incertitudinis, ſed plurimæ inſimul ſpei, & omnimodæ ſemper ſecuritatis, remedium propoſui: nec ſine plurima ſuſpicione de carentia ſucceſſus fuit admiſſum, ob fixam videlicet, ac fere æqualem Febris perſeverantiam, & ob inſignem metuendam carnium conſumptionem cum calore adurente iisdem impreſſo, tactu judice. Propinatus itaque eſt Cortex per modum alterantis, ſcilicet *ad drach. ſs.* quotidie, nec niſi poſt aliquot dies ſenſibile levamen emerſit. Emerſit tamen evidenter; & continuato ad non breve ſpatium temporis remedio, Deo dante, convaluit Ægra, ſed tamen plurimum emaciata. Recidit illa quidem pluries, Febribus ſemper typum Tertianæ vel duplicis, vel ſimplicis primo referentibus, ſed mox in Lentam degenerantibus, quæ licet exigua, ac vix perceptibilis, ab una tamen ad aliam uſque Recidivam protendebatur. Modo curabatur illa eodem Cortice, quando gravior invaleſcebat Febris habitualis ſuſpicio, modo ſine eo, quando Febris motu clariore procedebat, & laudabili diaphoreſi judicabatur. Hyberni Solſtitii ſolvit illa vectigal per novam conſuetæ Febris invaſionem, idemque tributum poſtremo dedit Verno Æquinoctio ſequentis anni 1708. quo elapſo priſtinas plane vires, habitum corporis pleniorem ac antea, integramque prorſus reſumpſit valetudinem.

III. Vividus, promptuſque Ephebus Sereniſſimæ Ducisſæ Brunſvicenſis Dominæ meæ, *D. Comes Cæſar Furnius*, poſtquam paſſus eſſet Æſtate anni 1708. longam ægritudinem ex Tertiana duplici Subintrante, & participante de veræ Proportionatæ natura cum ſymptomatis valde gravibus, nec Periculo vere carentibus, immo poſt ſuperatas Recidivas multiplices, a quibus omnibus ſine ullo Corticis adjumento, ſed conſuetis tantum præſidiis cum delectu, & peculiari advertentia adhibitis, Deo favente, ſemper evaſerat, Autumnali tandem tempeſtate convaleſcentiam ſuam acturus in paterna domo, adiit Oppidum Finalis Mutinæ, ubi Genitor pro Sereniſſimo Duce Gubernatoris munus exercebat. Ibi vix elapſo Solſtitio Hyemali Febre iterum correptus eſt, quæ juxta relatum D. Medici curantis, duplici Tertianæ de genere Subintrantium, ut alias, typum præſeferebat, cum quotidiana videlicet, pomeridiana, & alternantim graviore exacerbatione ſine ullo frigoris ſenſu recurrente. Cum primum mihi nunciata fuit invaſio hæc novi morbi, ſeu mavis recidiva præteriti, & ſcirem Ægrum jam ſatis a me antea expurgatum, ac repetita (non ſemel ſuaſerat id gravis vertigo, & crebra ſimul, ſed invalida hæmorragia e naribus) phlebotomia curatum: cumque recenter intelligerem, iisdem de cauſſis rurſus celebratam fuiſſe ope hirudinum novam ſanguinis miſſionem, ſedulo monui, ut Cortex, a quo toto morbi decurſu abſtinueram, præſcriberetur, quotieſcumque periculum aliquod immineret, priuſquam gravius fieret. Patefacto voto meo, nil ultra quæſivi.

Tractu dierum aliquot (refero, quæ ex literis curantis Medici apud me ſervatis excerpto) intelligo, Febrem aliis a Cortice curatam remediis, plurimum quidem imminutam eſſe, ſed æqualiter continuam redditam cum rubore genarum præſertim a cibo, & conſpicua admodum macie univerſali, quod movit mentem ipſius Medici ad præſcribendum lac Vaccinum coctum animo ad alterius lactis oblationem aliquando tranſeundi benigniori tempeſtate. Poſt brevem hujuſmodi lactis uſum refert Medicus, Febrem Continuam increbuiſſe cum manifeſtiore ſemper incaleſcentia aliquot horis a cibo, tandemque inquit: ſe periodum obſervaſſe Quartanæ Continuæ cum levi quodam frigore recrudeſcentis, quæritque rurſus, quid modo ſentiam de China China non oblata. Inculco denuo illius oblationem, etiam validiuſculam, nulla mora interpoſita. Negligitur hæc: & reſponſum refero, quod jam Febris dubio procul non

poteſt

poteſt non haberi pro habituali, ideoque in animo eſſe præſcribendi juſculum ex decoctione Teſtudinis, Cancrorum, & Ranarum, dummodo ipſe conſentiam. Interim ſubdit idem Medicus curans: rem eſſe eo perductam (ſunt ipſiſſima illius verba) ut maxima ſit univerſalis emaciatio, virium proſtratio inſignis, notabilis ſurditas, facies ferme Hippocratica, vigiliæ aſſiduæ, dejectiones copioſæ, & ſumme fœtidæ, oculi caligantes, Febris Continua cum incremento a paſtu, genarum rubore, ſiti ardentiſſima, labiis aridis; & facium ardore cum moleſtiſſimo inſimul ptyaliſmo.

Eodem tempore ſcribit ad me alter Medicus ſuperaccitus, ſe plane invitum acceſſiſſe recenter ad curationem, ubi non Actoris, ſed Spectatoris tantum partes erat acturus, aitque: ſe prima viſitatione deſperatam agnoviſſe Ægri ſalutem propter Febrem Continuam cum pulſu ne minimam quidem reſiſtentiam habente, facie Cadaverica, totius corporis macie, ferinis unguibus, aſſiduiſque vigiliis, Diarrhœa, Hæmorrhagia &c. tandemque concludit, aliis ſignis (ut inquit) lethaliſſimis, adjungi ulcus in Larynge cum ſcreatu veri puris identidem ſubcruenti, neque levamen aliud adhuc dignoſci, niſi moderamen aliquod vigiliarum nonnihil breviorum, quas tamen penſat ſomnus turbatus, & ſubdelirio perſæpe intermixtus. Ambobus reſpondi: me hos reputare acutiei potius, quam morbi habitualis effectus, ac ſigna, maxime cum vix menſis eſſet elapſus ab ultima invaſione morbi: nihilominus quando jam Æger eſt proxime acturus animam, ſive id contingat ob unam, ſive ob aliam cauſſam, prudentis Medici eſſe abſtinere a remediis in eo ſtatu inutilibus. Hoc non obſtante, ſi quid illis videretur tentandum, & ſiquidem aliqua, utut levis, appareret, aut apparuiſſet umbra periodi (manebat quippe mente repoſita Idea primi morbi) loco Ranarum, atque Teſtudinum, quas poſtmodum pro reſtaurando Ægro ſuperſtite non improbaſſem, ſi fuiſſet opus, Chinam Chinam nondum oblatam, precabar, offerrent doſi validiuſcula, quam idcirco indicavi, viſuri forſan, quæ antea non credidiſſent.

Amplexati ſunt illi tandem conſilium meum, jubar aliquod remiſſionis, & exacerbationis alternæ in Febre recognoſcentes; ſed loco ſubſtantiæ Corticis congruum viſum eſt illis pro faciliori Ægri aſſumptione ſubſtituere Julapium ex China China, neſcio qua vi ſaturatum, ex cujus uſu per ſex dies adminiſtrati cum nullum levamen agnoſcerent, ut retulere (interim tamen non obiit Ægrotans prodeplorato jam habitus;) quinimmo cum major fieret, ut ajebant, proſtratio virium, Febriſque æque, & cum iisdem ſymptomatis procedere videretur, iterum Decoctionem non modo, ſed & inſuper Julapium ex iisdem Teſtudinibus, & Cancris, ſe libentius quam Chinam Chinam uſurpaturos fatebantur, ni ego renuerem. Quibus tandem fidenter reſponſum feci: impræſentiarum ſolo Cortice viriliter agendum eſſe: reliquis remediis in poſterum, ſi res exigeret, aut ſineret. Præſcripta itaque quotidie mane per tres dies *drachma una* Corticis in ſubſtantia, & *ſemidrachma* ejusdem per quatuor alios dies ſuperaddita Syrupo de eadem China China ad illum roborandum, iterumque ad alios tres dies exhibita quotidie *drachma una*, Febris cœpit paulatim remitti, ſed nondum quantum erat in votis curantium Medicorum qui pro reparanda Ægri macie remedia a Cancris, & Teſtudinibus petita jugiter proponebant, verbiſque officioſis tantum non implorabant, ut ego ab illis imploraveram promptiorem uſum Corticis. Quamobrem ut ipſis morem gererem (ſunt qnippe viri docti non modo, ſed & Amici) etiam præter credulitatem meam in illud remedium conſenſi, hac inita pactione, ut eidem quotidie mane præmitteretur ſaltem *ſcup. j.* vel *drach. ſs.* Corticis, quod libenter factum eſt ad longum tempus, ſicque communi concurſu, & voto perfecte ſanatus eſt Æger, priſtinoque robori, mox & optimæ habitudini reſtitutus circa Æquinoctium Vernum, ante cujus etiam adventum placuit iterum Ægrotantem novo uſu Corticis præmunire. An a Febre Lenta, & propemodum habituali ſanatus is fuerit, an ab Acuta, judicet Lector; a Cortice ſanatum ambigat nemo.

IV. Æſtate proxime elapſa *D. Ludovicus de Arboribus* ruri agens, quo me fortuito & ipſe contuleram, inſtitit, ut Filium ſuum natu majorem, infra pubertatem tamen conſtitutum, mihique ab ortu notum, & peſſime tunc habentem, vellem inviſere ad ſolamen Matris, non ad curationem Filii, quem pro Tabido re-

reputabat. Is alias pro Phthyſico prope habitus eſt ob diuturnam tuſſim cum ſputo ſemipurulento, difficultate ſpirandi, raucedine inſigni, & lenta Febricula: ſed ab his omnibus ſedula adhibita curatione præter mei ipſius, curantis licet, expectationem plane convaluit. Ante tres annos quoque Spinam ventoſam paſſus eſt in cubito, & in pede, quæ præter læſionem partium per triennium obſeſſarum, notabilem quoque totius corporis maciem invexit. Poſt hæc omnia circa prægreſſæ æſtatis initia correptus eſt Tertiana Febre Intermittente, quæ tractu temporis in Lentam migravit, exſiccatis eodem tempore ulceribus articulorum, perennes cæteroqui ichores fundere ſolitis. De curatione poſtremæ hujuſce Febris conſcius non ſum; ab alio enim Medico curatus fuit. Id unum ſcio, quod adhuc lente febricitans Rus adiit ſat male habens, & ab aeris mutatione opem quæritans, ſuaſu, ni fallor, ipſius curantis Medici. Ibi moram trahens aſſidue febricitavit cum veſpertinis obſcuriſſimis exacerbationibus, & nocturnis circa caput, collum, & thoracem ſudatiunculis. Interim ulteriorem, ſummamque maciem contraxit, & quod pejus, maximam ſimul ſpirandi difficultatem, tuſſim moleſtiſſimam, ſæpe ſiccam, ſæpe quoque ſputo viſcido, ac craſſo comitatam, cum raucedine aſſidua adeo gravi, ut audientibus moleſtiam inferret. In hoc ſtatu illum Ruri deprehendi, dum ante domum ipſius caſu tranſveherer: cumque eumdem Tabidum, ſaltem fieri cœptum & ipſe cenſerem, ut ab omnibus etiam non Medicis cenſebatur, Patri a me exquirenti, an China China illum, ſi non ſanare, ſaltem levare potis eſſet, negative reſpondi. Cum tamen interrogarer, num ea citra noxam ſaltem poſſet tentari, reſpondi, quod habito reſpectu ad primam Febris radicem, tentari poterat, ſed parca doſi, quoniam cæteroqui conjunctæ pectoris affectioni non erat congruens. Quod ſi a doſi parca levamen aliquod emerſiſſet, fidentius poſtea poterat pleniore doſi uſurpari. Præſcripſi itaque non in Schedula medica (pudebat enim) ſed lingua vernacula, mutato etiam charactere, *ſemunciam* Chinæ Chinæ in octo partes diviſam, & abii, iter meum proſequutus. Aſſumpta ab eo intra octo dies China China, nunciat mihi Pater, Filium levius ſe habere, ac mane præſertim videri a Febre immunem, vel ſaltem infebricitationi proximum. Tunc aliam *ſemunciam* in quatuor tantum partes diſtributam præſcribo, eaque pariter aſſumpta, narratur mihi, Ægrum bene ſe habere, non modo quoad Febrem, quæ jam evanuerat plane, verum etiam quoad reliqua omnia. Vix licet credulus, aliam tamen iterum *ſemunciam* præſcribo in octo partes diviſam; nec aliud amplius a quoquam audio. Sub finem Autumni offendens Patrem Ægrotantis in Urbe mihi obvium, interrogo illum de valetudine Filii. Optimam reſpondet obtinere, nec quicquam aliud pati, niſi incommoda a Spina ventoſa in articulis, uſque adhuc tamen etiam conſolidatis, relicta. Paulopoſt ipſe occurrit mihi per Urbem circumvagus Filius, quem vix dignoſco: adeo carnaſus, validus, vividoque colore præditus eſt. Qualem tunc vidi, talem etiamnum, Deo dante, haud infrequenter video, & (quod mirandum magis eſt) ab ipſis Spinæ ventoſæ reliquiis prorſus immunem.

V. Lectiſſima Virgo *D. Urſula Corſina*, gracillima, & univerſa thoracis, totiuſque corporis ſtructura omnino diſpoſita ad Tabem, trigeſimum circiter agens ætatis annum cujus Fratrem, unamque inſuper, & alteram Sororem ſine ullo prævio ſanguinis ſputo Phthyſis confecerat, corripiebatur lenta quadam Febricula cum tuſſi valde moleſta, & pauco nihilominus ſcreatu. Febricula hæc primis diebus me ancipitem reddidit de natura illius, ambigentem ſcilicet, an Chronica, & tabem forſitan illatura, an ſubdole Acuta, malique moris particeps eſſet; adeo difficilis, & obſcurus apparebat illius character. Tractu plurium dierum manifeſte ſe prodidit Febris vere pro Lenta, quam comitabatur tuſſis aſſidua, noctu præſertim excrucians, cum copioſo ſubinde ſcreatu materiæ lymphaticæ ſpumoſæ. Sæpius in die, horiſque incertis modo noctu, modo interdiu aſſeverabat Ægra ſibi exacerbari, & alias nonnihil remitti Febrem; ſed ſæpius nil tale pulſus, urina, vel carnium temperies aperiebat. Non negaverim tamen, me bis, aut ter, intra ſpatium 40. dierum circiter ſenſibilem aliquam deprehendiſſe remiſſionem, & exacerbationem. Reliquum temporis pari ſemper tenore ac paſſu Febris lenta commenſa eſt cum acri ad tactum calore

tuſſi

tussi importuna, copioso sputo, albicante, spumoso, & crudo, insignique insuper corporis macie.

Cum non proficerent remedia, quæ plurima fuere, notis indicationibus adimplendis destinata, motus ego a recenter, & crebrius apparente sensibiliore nonnihil incrementi, & decrementi Febris vicissitudine, Corticem Peruvianum tentare decrevi, parca quidem dosi, nempe *ad drach. ss.* sed ad plures & plures dies, Ab illius usu visæ sunt aboleri obscuræ illæ febriles exacerbationes; sed Lenta Febris, sibique deinde semper, aut fere semper æqualis, pertinaciter perstitit, quamobrem ab usu Corticis sine fructu, aut sensibili utilitate adhibiti, supersedere coactus fui.

Jam vero ad marasmum ferme deducebatur Ægrotans. Cum autem illi post tot alia incassum usurpata decoctionem radicis Chinæ præscribere aggrederer; nescio quo æstro percitus, radici Chinæ *Kinkinam* etiam adjunxi. Atque ita *ex drach. iij. rad. Chinæ, & drach. ij.* Corticis Peruviani in duabus aquæ libris infusis, atque ad medietatem decoctis, duos Syrupos confeci, pauco Syrupo de cortice Citri edulcatos, quorum unum quotidie manesumebat, & constanter perseverabat. Ab usu novi hujusce remedii semel in die, ut dictum est, assumpti, Ægra sensim melius se habere cœpit, quapropter usus illius ad XL. usque dies protractus integram valetudinem inferre visus est Febre videlicet tandem devicta, vel ad inconspicuam deducta, tussi admodum imminuta, imminutoque pariter sputo, remanente tantummodo insigni, quæ minime reficiebatur, carnium extenuatione. In hoc statu cum ea haud multum incommode perduraſſet, eidem valedixi; animo tamen Lac exhibendi adventante Vere, aliquam interim quietem, & cessationem a remediis cuilibet anteponens remedio. Sed vix mensis erat elapsus, cum iterum advocabar, ut Ægram inviserem, eadem Febre, eadem tussi, eodemque sputo a pluribus jam diebus laborantem. A remedio, quod manifeste profuerat, indicatione desumpta, iterum Syrupum ex Cortice Peruviano cum radice Chinæ portionibus æquis decocto, turbidum insuper & plurima Corticis substantia refertum, neque semel tantum, ut antea, sed bis in die sumendum præscripsi: quo ad xxx. usque dies continuato, Ægra tandem perfecte convaluit, adeout nunquam antea æque valuerit abolita in integrum tussi, & ne vestigio quidem, vel umbra Febris superstite. Quia tamen gracilitas membrorum, præsertim extremorum, non satis refici videbatur, Lac Asininum exhibui ad duos circiter menses, quo pro ratione sui habitus fuit omnimode restituta.

Aliam ex oppositio Adolescentulam recens nuptam, ex nativa dispositione minime in Tabem pronam, & Febri manifestiores exacerbationes, sensibilesque remissiones habente diutius vexatam, cum copiosis sudoribus, tussi molesta, & sputo spumoso, eadem pariter methodo curare instituí, postquam consueta, quæ non pauca fuere, remedia nil proficere observassem. Sed incassum plane id sum molitus; hæc enim, licet longe minus dispositа videretur ad Tabem, inevitabili tamen sorte Tabida facta est.

VI. *Frater* impuber Sculptoris æneæ Tabulæ Stemma Febrium genealogicum referentis, & primæ hujusce Therapeutices Editioni insertæ, laborabat a duobus jam mensibus Lenta quadam Febricula, quæ ad maciem insignem illum deduxerat. Cum pluries invisendi Operis gratia domum Sculptoris adirem, Puerum hunc macilentum, modo jacentem, modo erectum deprehendebam, semper febricitantem pari intensione, cum pulsu celeri, urina male colorata, appetitu vivido potius, quam prostrato, & siti fere nulla. Occasionem Febri videbatur suppeditare diuturnum ulcus Intestini recti, ante aliquot menses a Chirurgo curati quidem, sed imperfecte, aliqua videlicet labe adhuc superstite. Cum interrogarer, data occasione frequentioris accessus mei, an quicquam posset administrari pro curanda hujusmodi Febre, tergiversabar, solum hordei cremorem indigitans pro alimento simul, & medicamento. Tandem cum quadam die scisciteretur a me sculptor, latinæ linguæ non ignarus, cujusnam generis esset Febris Lenta Fratris sui, quarum Febrium varias species in Arbore mea incidenda observarat, respondi hærere me nonnihil circa hoc; sed tamen probabilius credere, eam esse ex illarum potius specie, quas in ramis deliberatis excudebat, quam earum, quas excudebat in ramis Cortice obductis, & consequenter esse veram habitualem potius, quam menti-

tam, insuperque fortasse symptomaticam, adeoque Cortice Peruviano probabiliter non curabilem. Dum autem in confirmatione meæ assertionis adducerem æqualem semper Febris continuitatem a me deprehensam; subjungebatur mihi Ægrum nullo ordine, & tantum per accidens invitenti, Febrem nonnullis horis, immo & nonnullis inordinate tamen diebus, intensiorem nonnihil, & nonnullis aliis remissiorem observari, ut & exacerbationem illius aliqua nonnunquam brevissima, & fugaci horripilatione notari. His intellectis, nec tamen plane creditis, primo *Syrup. de Cichorio* compositum cum *Rhabarbaro* ad aliquot dies præscripsi, deinde præmissa protestatione de probabili invaliditate remedii, præscripsi Corticem *ad drach. ss.* omni mane per dies octo. Quod cum non plane inutiliter cessisset, cœpi idem remedium offerre mane, & sero ad dies quatuor. Validiori huic impulsui Febris nequivit resistere; sed abiit expulsa. Interjecta vero unius hebdomadæ quiete, rursusque post eam repetito per octo dies usu Corticis *ad drach. ss.* quotidie mane, ita fugata est Febris, ut nunquam redire sit ausa, succedente loco illius decenti corporis renutritione, firmaque in integrum valetudine.

VII. *D. Andreas de Ferrettis* Sacerdos quadragenarius (ut aliquod etiam exemplum Lentarum Febrium in Subjecto provectioris ætatis afferam) habitu corporis summe gracilis, aduste, ut loqui mos est, temperamenti, Febribus acutis, & ardentibus facile obnoxius, semperque ideo quoties vel ægrotabat, vel convalescebat, de Habituali suspectus, anno 1706. correptus est Febricula quadam ab ipso initio Lenta, quam proinde per duas hebdomadas, & ultra assidue circumtulit. Excarnis ille insigniter evaserat, & decolor, siti assidua premebatur, calorem exhibebat tactum ferientem, & sudatiunculas tantum nocturna patiebatur, a quibus levius se habere ad aliquot horas asseverabat; reliquo tempore summam præseferebat cutis ariditatem. Consilio meo jussus decumbere, subjecit se regimini medico, maxime cum jam inciperet ægre stare, & circumvagari. Febre diligenter inspecta, & quidem diversis horis, eandem fere semper æqualem reperi, non tamen tam exacte, quin pulsus una nonnunquam vice frequentior quam altera, nulla tamen servata lege, reperiretur. Tantummodo asserebat ille, se noctes aliquot, vel aliquot saltem noctis horas transigere satis tranquillas Febre tunc juxta sensum illius etiam citrasudorem leviore reddita, cujus tamen levaminis vix ullum ego vestigium clarum mane poteram tactu explorare. Tractatus est blandis remediis per plures dies. Alterantibus scilicet humectantibus, & refrigerantibus. Emulsionibus, Cremore hordei, jusculis Cancrorum, & similibus, præmissa parca sanguinis detractione, & interjectis clysteribus ex lacte, & saccharo, aliisque hujusmodi diutius administratis. Sed cum sine ulla diminutione protraheretur Febris, macies autem ingravesceret, & roridæ humiditatis consumptio, ad usum Corticis anceps confugi: quo *ad drach. ss.* quotidie mane per dies duodecim assumpto, Febris omnino sublata est, & repetito, continuatoque ad longiusculum tempus remedio, inhibita quoque est omnis Recidiva, & restituta in integrum naturalis carnium constitutio. Post duos annos iterum idem decubuit ex duplici Tertiana Continua satis intensa, & diuturniore, a qua per viam methodicam vulgatiorem liberatus est citra auxilium Corticis, cujus tamen usum jam proxime meditabar, ni Febris evanuisset.

Per hoc autem, quod utilitatem Corticis in enarratis casibus expertus commendem, non fit, quod incertum aliquando non fatear in Febribus Lentis, a radice quoque Intermittente procedentibus, juvamen illius; non enim desunt casus, in quibus quandoque hoc remedium non sufficit, etsi suffecturum videatur. Hujusmodi exemplum habui, præter alterum supra indicatum, in *D. Paulo Passarino*, qui post duos menses ruralis ægritudinis ex duplici Tertiana Intermittente in Urbem redux factus est cum Lenta Febricula, prægressis periodicis succedanea. Hæc cum ingravescere nonnihil inciperet, & prorsus amittere levem, quam antea servarat, Exacerbationis, & Remissionis umbram: tandem post alia remedia inutiliter administrata tractata est Cortice *ad drach. ss.* exhibito bis in die, protestatione tamen præmissa de incertitudine juvaminis in circunstantiis hujusmodi. Licet autem ad nonnullos dies productus fuerit illius usus, nihilominus Æger sensim con-

consumptus Fatis cessit, Neque diuturna admodum fuit Ægritudo quippe (ut mecum animadvertebat Medicus curans) priusquam Corticem præscriberemus, Febris illa aliquem jam acutiei characterem suscipere incœperat. Pectus huic Juveni erat non bene dispositum; alias enim de Phithysi fuerat ille suspectus. Graveolens erat eidem halitus, tussisque molesta cum screatu materiæ crassioris, minime tamen purulentæ. Quare præcordia saltem non bene constituta fortassis habebat. Alios tamen interim pejus habentes, magisque de Tabe suspectos, ut in Historiis supra relatis, Cortice sanatos vidi.

Hinc eluceſſit, remedium istud strenuam operam non semper quidem, sed tamen sæpius navare in curatione Febrium Hecticas æmulantium, præsertim in ætate citra completos pubertatis annos constituta, necnon in aliis etiam ætatibus, dummodo circumstantiæ congruentes pro illius utili administratione concurrant, ut, de aliis quoque Febribus naturæ ancipitis abunde jam dictum est, nec tamen forsitan dictum satis.

Ne igitur hac in re maximi momenti, a qua non raro pendet Hominis Vita, decipiantur Tyrones, aliive parum versati, quibus cuncta, quæ diximus, post absolutam Tractatus hujusce lectionem (siquidem integram, ut prolixiorem ferre poterunt) facile forsan memoria excident; idcirco ante complementum ejusdem Tractatus placet hic pro faciliori, commodiori, & regulari usu Remedii, quoddam veluti locali memoriæ specimen cunctis exhibere in *Arbore* infra delineata, quæ universalem, quantum sat est pro re, de qua agitur, Febrium Genesim, & frequentiores earum metamorphoses, atque idcirco congruentem quibusdam, & quibusdam non congruentem, immo & eidem Febri opportunam uno tempore, & alio non opportunam Corticis administrationem comprehendit. Pro cujus itidem *Arboris* clariore intelligentia, e re erit summatim præmittere sequentis Pagellæ monita.

Explicatio Arboris generatim.

ARBOR hæc simulat (neque enim graphice potest exprimere) Plantam, cujus Cortex *China China* dicitur. Et quoniam ab Hispanis vocatur illa *Palo de las Calenturas*, referente *Bado*, quod idem sonat, ac *Lignum Febrium*, propterea nos quoque commodam hic loci nomenclaturam eandem retinendo, Categoriam Febrium ordine ad rem nostram magis quam ad ritus scholasticos accommodato (non enim rigorosam Febrium Synopsim primario describimus, sed illarum obtemperantiam, vel reluctantiam Cortici) voluimus insculptam eidem Arbori, Febres ipsas, quas exhibet, magna ex parte extinguenti, cui præluſimus jam altera, utut pusilla *Icone*, simulque *Lemmate* sitis in fronte ipsa Tractatus.

Quia vero tota *Vis insita* est mero Arboris *Libro*, seu puro illius Cortici; nec ultra ipsum extenditur: propterea Febres, quas *Cortex* certo sanare solet, in nodis Ramorum Cortice obductorum, ideoque & fronde insignitorum, inscribi curavimus; quas vero Cortex non solet sanare, sculpi jussimus in nodis Ramorum decorticatorum, omnique propterea fronde carentium. Quas tandem modo sanat, & modo non sanat idem Cortex, incisas voluimus in nodis Ramorum secundum medietatem decorticatorum, & secundum aliam medietatem Cortice obductorum: quod quidem ea, qua potuit, diligentia, & arte conatus est Sculptor exprimere, ut scilicet dimidia pars Rami, ut sic dicam, Hermaphroditi, dupliciſque generis faciem præseferentis, productorem suum decorticatum respiciens, dirimatur, quantum licet, ab alia medietate, productorem suo Cortice tectum respiciente; idque pariter in ipsa Febrium transmutatione, ubi tenuiores sunt surculi, mens fuit aliquo modo abumbrare, ut quantum fieri potuit, innotesceret, usquequo in ipsa etiam metamorphosi sit locus, vel non sit usui Corticis, quemadmodum attente consideranti patere poterit.

Ob eandem rationem non una ex istis mutationibus, propter quas in aliam naturam Febres degenerant, in eadem Arbore expressa visitur, vi cujus metamorphoseos identidem contingentis Febres nonnullæ de admittentibus Corticem evadunt

dunt non admittentes, & e converſo. Hinc emergit quidam veluti earum Circulus imperfectus, quo mediante fere quælibet tranſit in quamlibet, ubi ſcilicet aliqua ſit ſymboleitas. Sic Intermittentes omnes migrant facile in Continuas, & plurimæ Continuæ nonnunquam in Intermittentes. Intermittentes pariter ab una ſpecie migrant in aliam, ut Tertiana in Quartanam, & e contra. Continuæ quoque plurimæ etiam ab Intermittentibus ortæ, tranſire poſſunt in Hæcticam, ut Lentæ, vel etiam Acutæ, & Ardentes, ab iiſdem Intermittentibus primitus ortæ. Unde vere quævis in quamvis poteſt tranſmutari, ut dicebam, dummodo non adſit inter illas omnimoda diſſymboleitas, aut improportio. Sic Hectica *v. gr.* non poteſt in Ephemeram, aut Tertianam Intermittentem degenerare curſu retrogrado, etiamſi in aliis caſibus detur, aut debeat intelligi in Arbore noſtra aliqua Febrium plurimarum Circulatio non modo a Ramis majoribus ad minores, & a minoribus unius majoris ad minores alterius, ſed & mox a minoribus ejuſdem ad ipſum majorem, ordine, ſi non plane inverſo, ſaltem quodammodo circulari. Quia ergo tranſmutationes omnes proſequi non eſt poſſibile ſine confuſione, nimiaque implicatione ramorum Arboris, ſufficiat pro modulo adumbraſſe potiores. Exemplo ſint variæ metamorphoſes Diſcretarum in Subintrantes, & Subintrantium in tandem Hecticam. Idem ſubintellige de Lentis etiam ex radice Intermittente prodeuntibus, aliiſque in eandem Hecticam degenerantibus, de Benignis in Malignas converſis &c. intellige, inquam, hæc & ſimilia, ne iſthæc Febrium diviſio manca magis videatur ac ſit, vel diſtributa in membra non ſatis oppoſita. Et hæc univerſim de conſtructione *Arboris*.

Explicatio Arboris particulatim.

(A) EXhibet Ramum decorticatum, & ſegregatum ab aliis, Febrium, ut ajunt, SIMPLICIUM.

(B) ſignat Ramum pariter decorticatum CONTINUARUM CONTINENTIUM PUTRIDARUM, ut ajunt, tam ESSENTIALIUM, quam SYMPTOMATICARUM &c.

Notanda hic occurrit coaleſcentia (h) *duorum ramuſculorum, quorum unus ab ESSENTIALI COMITATA procedit, alter a SYMPTOMATI FIXA, & ambo in unam INFLAMMATORIAM* (*intellige hoc nomine & ERYSIPELATOSAM*) *uniuntur, utrinque communem. Pariter notandum, differentias individuales Febrium inde prodeuntium, nec non aliarum plurium poſitas eſſe pro exemplo innumerabilium.*

(C) denotat Ramum itidem delibratum, & Spurium Continuarum REMITTENTIUM SIMPLICITER, ex quo aſſurgit pro medietate Ramus Hermaphroditus PROPORTIONATARUM.

(D) oſtendit Ramum ſuo Cortice pollentem Febrium INTERMITTENTIUM DISCRETARUM, & ſpecierum frequentiarum earumdem, tam benignarum, quam malignarum.

Character tamen malignitatis, Continentibus etiam, & Proportionatis ſæpius familiaris, exprimitur in ſolis Intermittentibus, immo in ſolis TERTIANIS, inter Intermittentes potioribus, idem ſubintelligendo de aliis Intermittentibus, in quibus peculiares, minuſque obſervatas Febrium differentias conſtituit. Neque per hoc, quod eædem Malignæ Intermittentes non conſpiciantur diviſæ in Simplices, Duplices, vel Triplices, ut Benignæ, putet quiſpiam, id quod ſatis notum eſt, eo quod ſubticetur, excludi.

(E) repræſentat Ramum ſuo pariter Cortice velatum, Spuriumque, Febrium Intermittentium SUBINTRANTIUM, qui pro altera medietate producit Ramum Hermaproditum PROPORTIONATARUM.

(F) exhibet ipſum Ramum Hermaphroditum Febrium PROPORTIONATARUM pro medietate velatum ſuo Cortice, & pro altera medietate nudum, parte nempe, qua reſpicit Intermittentes, Ramumque Spurium SUBINTRANTIS, Cortice præditum, qua vero reſpicit Continentes, Spuriumque Ramum REMITTENTIS, decorticatum.

De hoc Ramo generaliter notandum eſt, illum, paucis licet ſurculis, reſpectu ad alios habito, inſignitum, eſſe tamen plurium diviſionum capacem, quas his repetere minime placuit, non ſecus ac Rami Continuarum, & Intermittentium, a quibus proficiſcitur; ſiquidem Proportionatæ quoque, præ cæteris Febribus in praxi frequentiſſimæ, vel ſimplices ſunt, vel duplices

LIGNUM FEBRIUM.



ces &c. item, vel Solitariæ, vel Comitatæ, & vel Coagulativæ, vel Colliquativæ &c. Sed hic ad confusionem evitandam, sat est exposuisse quod ad intentum facit.

(GGGG) Monstrant, mediis complicationibus exiliorum aliquot furculorum, a Ramis majoribus prodeuntium, vulgatiores (saltem Antiquis) Febrium de genere quovis putrido Complicationes. Implicatio siquidem Hecticarum cum Putridis de Intermittentium genere, neque ulla cum utilitate, neque sine confusione exprimi poterat.

Ramusculorum Arboris minutiores Notæ.

(a) INdicat transmutationem CAUSONIS, seu Febris ardentis, in Hecticam.

(b) transmutationem Synochi ACMASTICÆ in eandem HECTICAM innuit.

Idem de pluribus aliis, ut dictum est, intelligas velim.

(c) duarum pariter Symptomaticarum, scilicet MARASMODIS Lentæ, & TABIDÆ Ulcerosæ, insertionem in eandem indigitat.

(d) denotat ejusdem TABIDÆ, & MARASMODIS mutuum coalitum.

(e) exprimit metamorphosim Tertianæ Simplicis SUBCONTINUÆ Malignantis in Tertianam CONTINUAM ACUTAM, pariter Simplicem, intellige quoque Malignam.

(f) binam comprehendit metamorphosim simul coincidentem, quarum una est ejusdem Tertianæ SUBCONTINUÆ MALIGNANTIS, ACUTÆ, ac DUPLICIS factæ, altera Tertianæ Duplicis Intermitentis Benignæ, primo SUBINTRANTIS, mox ACUTÆ pariter factæ, in eandem Tertianam Duplicem Continuam.

Idem intellige de Quotidiana, de Quartana triplici &c. quæ omnes de Subintrantibus in Acutas æque transire possunt.

(g) notat utriusque recensitæ Febris ab ortu Intermittentis, mox in Continuam Proportionatam conversæ, ulteriorem propagationem, & transmutationem in ACMASTICAM.

(h) denique indigitat per modum exempli communionem originis plurium Febrium de genere inflammatorio, modo ad ESSENTIALES COMITATAS, modo ad SYMPTOMATICAS FIXAS pertinentium, ut notavimus in explicatione Rami (B)

Intellige quid simile de pluribus aliis, tam ejusdem, quam diversi generis, Cætera per se patent.

CAPUT VI.

Enodantur nonnulla Quæsita variis titulis comprehensa circa usum etiam ulteriorem Peruviani Corticis.

Et Primo

Quæritur, an ille conveniat aliis Morbis, præsertim periodicis, præter Febres; nec nisi cunctanter creditur, spectatis exemplis.

VIRTUTEM Peruviani Corticis adeo mirandam in Febribus tum clare; tum etiam subobscure periodicis, nullam prorsus esse in aliis Morbis, & præsertim in iis, quibus ratione cujusdam, qualiscunque Circuitus, aliqua videtur inesse cum Periodis Febrium proportionalis analogia, sibi adhuc nonnulli, nec plane forsan immerito suadere nesciunt. Neque caret auctoritate plurium Virorum illustrium hujusmodi opinio. *Sebastianus* siquidem *Badus* putat, Corticem prodesse posse in omnibus affectibus frigidis, & diuturnis, affertque testimonium *Hieronymi S. Sophiæ* celebrantis illum in Catarrhis, & Rheumatismis, in Ventriculo firmando, & signate in affectibus Hypochondriacis, pro quibus pariter curandis valere. Corticem, probat insuper idem *Badus* auctoritate *Nicolai Susannæ*, & *Christophori Paravicini*, quibus addit *Nigrisolus* etiam *Malphigium*; quod & ex ineditis illius Consultationibus ipse nonnunquam deprehendi. *Monginotius* conjectat huic Cortici, etsi in alios usus hactenus traductus non fuerit, quam ad Febrium curationem (utor ipsis ejusdem verbis) Naturam tamen alias proprietates medicas certo indidisse pro superandis in genere, aut impediendis quibusdam aliis fermentationibus alios morbos inducentibus, illis præsertim, quæ ortum debent exuberantiæ succorum acidorum. Ob id & ipse pro affectionibus hypochondriacis, & hystericis præstantissimum remedium appellat. Laudat item ad obstructiones Lienis, Mesenterii, aliarumque partium, ad suppressiones quarundum evacuationum naturalium, ac proinde ad Chlorosim, aliosque affectus istis finitimos, propriamque experientiam in testimonium adducit, & alienam invitat. *Blegnyus* eundem Corticem, cuicunque Febris speciei destinetur,

vel

vel morbo, quem vaporis nomine donant (adversus quem Chinam Chinam eximiam credit) omni hydropis speciei, aut alteri cuipiam ægritudini, sive illius substantia, sive infusio, sive tinctura &c. exhibeatur, suo semper fungi munere, pro certo habet. *Morton* ad morbos omnes quoquo modo periodum habentes videtur admittere, atque præscribere, præsertim ubi absconditum latere posse credat febrile fermentum; idque probare nititur etiam ex curatione hemicraniæ periodicæ habita in se ipso. Nec quid absimile quadam Epistola ad me conscripsit Accuratissimus rei anatomicæ Cultor, atque Promotor *Pacchionus*, Ophthalmiam videlicet periodicam, simulque vehementer dolorificam, & epilepticos insultus proxime minitantem, Cortice curatam asseverans in quodam Eminentissimo S. R. E. Cardinali. Eundem Corticem mirandas vires habere in confortandis spiritibus, & ad sanam, firmamque corporis crasim restituendam Viris hypochondriacis, & hystericis fœminis dejecta jam quasi corporis œconomia, *Thomas Sydenham* propria observatione ratum facit, additque, magis conspicuum esse remedii effectum in illa hysterica affectione, qua Mulieres *spasmis* affectæ nisus edunt fortissimos, & plusquam muliebres, pectora simul ferientes &c. quam in aliis. Lumbricos illum necare, & pellere, plurimi autumant; idque sibi multiplici experientia compertum esse, Gl. *Ramazzinus* asserit pluries in suis *Constitutionibus*, necnon Erudit. *Lanzonus* peculiari observatione. Dolorem Ventriculi acerbissimum stata hora quaqualibet die recurrentem Cortice feliciter a sollertissimo rerum naturalium scrutatore, Clarissimo scilicet *Vallisnerio*, sanatum legi. Antiepilepticam, quod magis miremur, esse Chinam Chinam, ipse, qui expertus est in casu nobilis Pueri Epilepticis insultibus una cum Tertiana Febre detenti (quo tamen casu ego eam respicerem potius ut mere Febrifugam) scribit *Tozzius*, *De Epilepsia*, credulitatem insuper suam aliis etiam experimentis innixam, innuens. Ad Asthma quoque convulsivum per intervalla recurrens, eandem proficuam esse, nonnulli asserunt: demumque accepi ab Excellentissimo *Corghio*, Mantuæ Medicinam exercente, historiam super hac re notatu dignissimam, quam ex illius Epistola ad me conscripta fideliter excerptam huc transferre non piget. Est autem hujusmodi.

D. Comes Franciscus Cajetanus Ferrarius Mantuanus, optimæ indolis Adolescens, mihique sat notus, quandoquidem pluries illum Mutinæ decumbentem curavi, dum in eximio hoc Nobilium Collegio Convictor degeret, Anno 1709. ætatis vero 23. labente Octobris mense, ut habeo ex enunciata Epistola, correptus est Tertiana Intermittente, quæ in vigore accessionis gravem inferebat anhelitus difficultatem, veri Asthmatis æmulam. Ope Chinæ Chinæ sublata Febre, sublata est pariter difficilis respiratio, remanente tantummodo ad tempus aliquod hypochondriaca quadam affectione, quæ pariter remediis opportunis curata est. Circa medietatem Aprilis anni subsequentis, nempe 1710. iterum correptus est Febre, sed Continua, & ad acutam vergente, atque (ut puto) periodica, quam vehemens Asthma convulsivum comitabatur. Affectio isthæc ad plures dies omnia Medicorum, & remediorum conamina elusit; vixque bis, aut ter, spirituosis antiepilepticis ad breve temporis intervallum auscultasse visa est; sed paullopost æque recruduit. Itaque omnibus irritis, habita demum ratione tum prioris morbi, & curationis illius, tum affectionis hypochondriacæ ipsi priori morbo superstitis, tum sensationis cujusdam molestæ, superius orificium Ventriculi, totamque Mesenterii regionem occupantis, tum denique motus cujuspiam alterni, quo hujusmodi sensatio una cum convulsivo Asthmate recrudescebat, sancitum fuit a curantibus Medicis, corticem rursus offerre: quo *ad duas uncias* successive propinato, & Febris & adjunctum symptoma simul evanuere. Nonis Maji revixit Asthma solitarium, scilicet sine Febre, & cum molesto tantum in partibus jam memoratis sensu. Repetitus ideo est Cortex, & *trium unciarum* absumptione extinctus est morbus. Continuatum est per plures dies ad præcautionem remedium, vixque eodem omisso, fortior rediit morbus, sine Febre tamen, ut & deinceps semper: assumptis vero rursus *totidem unciis* Chinæ Chinæ substitit. Diutius propterea usurpatum est idem medicamen ad prophylaxim; sed eo non obstante, circa medietatem Julii æque ac ante insurrexit Asthma. Mutato proinde consilio, ad alia remedia animum convertere iidem Medici;

ci ; ſed nulla unquam arte datum fuit morbum compeſcere, niſi facto ad Corticem reditu, cujus Extracto antiepilepticis mixto, necnon ſolitaria infuſione, eodem tempore utiliter uſi ſunt. Morbo vero jam declinante, ad Thermales Aquas confugerunt, quibus feliciter vias permeantibus, bene habuit Patiens uſque ad Decembris initium. Eo autem tempore, novo invaleſcente Aſthmatis inſultu, eodem medicamine ſedatus eſt. Tunc memoria recolentes Medici levamen, quod intulerant Thermales Aquæ, ſtatim ad valentiora diuretica tranſitum fecerunt, quibus valetudinem antea dubiam ſubinde firmam, ac ſtabilem Ægrotanti reddidere.

In hoc ſane caſu (ſi quid liceat animadvertere) China China nonniſi ſimplicis Febrifugi munere functa eſt ab initio ; Febrim enim pellendo, adjunctum quoque ſymptoma difficilis reſpirationis indirecte tantummodo viſa eſt ſuſtuliſſe ; ipſa vero Febris tam primo, cum fuit Intermittens, quam deinceps, cum rediit Continua, videtur fuiſſe de Perniciosarum Comitatarum ſtirpe, quarum Iconem aliquam nobis exhibuerunt *Mercatus pag.* hujus Tractatus 120. necnon *Mortonus* pagina pariter hujuſce Tractatus 131. In progreſſu autem cum Aſthma, ſolitarium redditum, & depulſæ jam Febri ſuperſtes, eadem China China pluries compeſcuit, in ipſo tunc Aſthmate a Febre olim primitus excitato, febrile fermentum adhuc quoquo modo latuiſſe ſuſpicaretur *Mortonus*. Et revera difficilis illius reſpirationis radicem, ſi non plane intra Focum febrilem, ſaltem infra Septum tranſverſum quærendam potius eſſe, quam ſupra illud, aut intra Thoracem, ſatis patefacere viſa ſunt accidentia concomitantia; quare quod hac occaſione contigit Cortice adhibito, forſitan haud ita facile in Aſthmate primario, ac idiopathico æque eventurum licebit conjicere.

Denique ut ad inſtitutum redeam, eundem Peruvianum Corticem haud exiguis pollere viribus ad ipſam demulcendam ſævitiem, & modificandam Cauſam Arthritidis, aliorumque hujuſmodi affectuum identidem recurrentium, non deſunt, qui affirment. Quoad me tamen obſervavi non ſemel, hominibus arthritidi obnoxiis, atque a Febre periodica per Chinam Chinam curatis, podagram ſibi familiarem paulopoſt ſuperveniſſe, eoſque ab omni in febres relapſu præſervaſſe. Certe hiſce caſibus China China febrium cauſam reprimens arthritidis cauſam nequaquam repreſſit, ſed potius eam ſpecie Criſeos cujuſdam viſa eſt excitaſſe. Accepi nihilominus a præclaro quodam Concionatore ex Ordine Cler. Regul. ſe ad ſedandos dolores podagricos, quibns crebro obnoxius erat, Chinam Chinam pluries uſurpaſſe ex conſilio cujuſdam P. Capuccini, teſtem expertum ſe perhibentis, modo *ad ſeſquidrachmam*, modo *ad drachmas duas* cum magno levamine, itaut aſſumptis tractu 20. dierum *unciis duabus & ſemis* circiter Corticis voluerit intra illud tempus cum exiguo cruciatu a podagra liberari Hyemali tempeſtate, cum cæteroqui longe diutius, atque credulius vexari conſueviſſet. An prædicta omnia vera ſint, an ſibi blandiantur aliquando tam ſpecioſa aſſerentes, non parum ambigo, præſertim cum identidem neget unus, quod alter aſſerit, & uterque propriam experientiam adducat. Cum enim lis agitur inter duos Cortice utentes, præſertim Profeſſores Artis, incertitudinem eventus ſatis probat aſſertio hinc inde oppoſita, quod non æque contingit, quando ab aliquibus non expertis, & perperam præoccupatis negantur cæco quodam modo de eodem effectus palpabiles, quales in hoc Tractatu retulimus: hujuſmodi enim controverſia, quæ cadere nequit niſi inter Medicum Cortice utentem & inter non utentem, vel raro, & ſine Methodo utentem, nullius juſtæ incertitudinis index eſſe poteſt.

Super hac re ſi mihi dicendum ſit determinate quid ſentiam, quidve ſim expertus, haud erubeſco fateri, me nec ſatis compotem eſſe opinionis, nec, quod magis eſt: experientiæ meæ; nam quoad primam, nimis alta, & inacceſſa eſt, jam non dicam luminibus, ſed potius fugacibus coruſcationibus intellectus mei Virtus Corticis, ut de illius efficacia valeam hic & nunc a priori diſſerere, aut ita opinari, ut cunctis placeam: quo vero ad ſecundam, ea adeo me ſemper cohibuit Obtrectatorum Corticis dicacitas, ut illum in caſibus, morbiſve, in quibus nondum communi voto ſufficiens creditus eſt, raro propinare ſim auſus, etſi citra omnem penitus periculi aleam id fieri potuiſſet: qua via conatus ſum -- *poſticæ occurrere ſannæ* -- quam cæteroqui declinare, non ſuccedente effectu, nullatenus licuiſſet. Utut ergo videatur parum decere de rebus hiſce haud

ſatis

ſatis expertum loqui, en nihilominus quod ex manca, nec plane completa obſervatione mea circa prædicta potis ſum edere: ſatius eſt enim (ut ajebat Famigeratiſſimus *Borellus*) *pauca, & minus elaborata, quam nihil ad Poſteros tranſmittere*, ut ſcilicet (ſubdam cum *Plinio*) *quatenus nobis denegatur diu vivere, relinquamus aliquid, quo nos vixiſſe teſtemur*.

Si ergo reminiſci liceat eorum, quæ diximus hæſitanter *Libro I.* circa virtutem Corticis, & circa ſuccos in Febrium Intermittentium curatione ab eodem probabiliter correctos ſive per abſorptionem peculiarem, ſive per aliam quamlibet ſalium peregrinorum iiſdem inexiſtentium retuſionem: itidem quæ ſumus effati circa vias, vaſa, & loca, in quibus vividiorem conſervari, ac exerceri ſuſpicati ſumus illius activitatem, non abs re erit pariter opinari, quod in morbis, qui ſuam ſedem potiſſimum in Ventriculo, Inteſtinis, Meſenterio, Glandulis, Ductibuſque Chylo-lymphicis obtinent, aliquid opus afferre poſſit, ſaltem ut afferre creduntur alia remedia actionis lentæ, minuſque conſpicuæ. Ob id in morbis hypochondriacis appellatis, & benignius acceptis, in Apepſia, Dyſpepſia, indeque ortis affectionibus, non plane rejiciendum arbitramus. Et licet captu non ſit admodum facile, quo pacto Cortex Febrifugus poſſit opitulari Hominibus Hypochondriacis, humores parum diſpoſitos ad febricitandum habentibus: nihilominus, quotieſcunque experientia reſpondeat, credi poteſt id fieri ea ratione, qua Melancolici, ſeu Hypochondriaci, & Quartanarii cenſentur humoribus conſimilibus præditi: adeoque cenſendi videntur eodem quoque remedio curabiles. Utcunque, Corticem reſtaurare infirmas Ventriculi coctiones, ac inde habitum corporis firmiorem inducere, tono viſcerum, infimi præſertim ventris, non ſolum reſtituto, ſed & in meliorem ſtatum redacto identidem obviam eſt. Circa quod conſideratione digna videtur obſervatio *Mortoni* -- *De Proteiformi Febris Intermittentis genio*, quæ obſervatio proſtat in illius *Hiſtoria* 29. alias etiam a nobis memorata; In ea ſiquidem deſcribitur *Vetula elumbis, ac paralytica, &* LXVII. *annum ætatis agens, quæ poſt aſſumptas tractu temporis* libras duas *Chinæ Chinæ, quadantenus iterum juveneſcere viſa eſt, appetitum integrum, & firmam valetudinem brevi conſecuta: jamque ubi octuageſimum ætatis annum pene attigit, vultu vivaciori, ac animo hilariori prædita apparuit, corpore magis erecto, & greſſu magis cito, ac firmo incedens, quam ante uſum Corticis*. Proinde affectionibus etiam ſuprarecenſitis, quæ ſimul hypocondriacarum nomine audiunt, quæque a vitiata digeſtione ut plurimum pendere ſolent, proficuus idem Cortex, quoquo ſaltem modo, cenſendus videtur.

Memini & ego (ne propria experimenta ſubticeam) me cuidam Adoleſcentulæ hujuſmodi affectibus male vexatæ Corticem cæteris non proficientibus præſcripſiſſe; cumque ab ejus uſu convaluerit, puto non ſine aliis quidem rationibus, quod convaluerit ob ejus uſum: cum tamen id non immediate contigerit, neque frequentia proſtent hujuſmodi exempla, quod hic conjecto, non ea certitudine aſſero, qua Pernicioſas Intermittentes ſanatas aſſerui. Patiebatur illa a duobus jam menſibus aſſiduum ſtomachi angorem cum frequentiſſimis vomitionibus materiæ acidæ, ac ciborum aſſumptorum, & cum ventris rugitibus, ac eructationibus valde moleſtis: identidem tentabatur Febriculis levioribus, ſed per inæqualia, & ſæpius valde diſtantia, nonnunquam & brevia intervalla recurrentibus, quæ ſolvebantur levi ſudore; & quandiu Febris aderat, cætera leniebantur ſymptomata, eademque iterum ea deficiente ſuſcitabantur. Maciem illa contraxerat admodum inſignem, viriumque imbecillitatem, quæ vix ſinebat eam e lecto ſurgere. Prima, & varia pro varietate circunſtantiarum fuere a me præſcripta remedia toto morbi decurſu. Sed nec oleoſa ad leniendos angores, nec teſtacea ad abſorbendum acorem, nec ſalia fixa ad roborandas fibras, nec aperientia ad reſerandas vias, nec lenientia epicratice præſcripta ad abſtergendas ſordes, quicquam profecerunt. Uno verbo, non *Rhabarbarum*, non *oleum amygdalarum*, non *ſerum caprile*, non *juſcula alterata*, non *ſal Abſynthii*, non *tinctura*, nec *magiſterium Martis*, non *lac ſive chalybeatum, ſive coctum*, non aliud denique medicamentum viſum eſt morbum dimovere a conſuetudine ſua. Solus Peruvianus Cortex *ad drach. ſs.* per viginti circiter dies oblatus utranque paginam implere viſus eſt; quod & in aliis quoque caſibus non longe abſimilibus (ſorte quidem vel tardiore, vel minus conſpicua) mihi nonnunquam contigiſſe, poſ-

poſſum teſtari; ſed æque poſſum teſtari, alias etiam cum nullo plane ſucceſſu idem remedium me exhibuiſſe. Immo cum aliquando Uxorem meam ex Tertiana Cardiaca Spuria curaſſem Cortice, ut in Hiſtoriis retuli, plurima poſtmodum, etiam ſibi familiaribus moleſtiora incommoda de genere hypochondriaco eidem ſucceſſiſſe memini. Quamobrem etſi Corticem in recenſitis caſibus prodeſſe aliquo modo identidem credam; tamen, nec tam certo, nec tam cito, nec tam inſigniter prodeſt, ut prodeſt in Febribus. Inſuper cum ex duobus caſibus *Lib. I. Cap. X. hiſt. iij. & iv.* relatis conſtet, febribus depuratoriis intempeſtive per Corticem ſupergreſſis gravia ſymptomata convulſiva, ſive hypochondriaca emerſiſſe, quædam videtur inde elici poſſe conjectura, quod etiam citra Febrem in iis ſaltem affectionibus hypochondriacis, quæ non in mera ventriculi male coquentis dyſcraſia conſiſtunt, ſed in nervoſo univerſaliter genere alta jam convulſionum jecere ſemina, plane tutum non ſit eodem remedio indiſcriminatim uti; etſi illud idem in Febribus Corruptivis, & præcipue in Pernicioſis, ſive plane Intermittentes illæ fuerint, ſive ab ortu de Intermittentium ſtirpe, eaſdem fugando, omnia convulſiva ſymptomata ab iis producta ſtrenue ſubmoveat.

Ad Lumbricos necandos utilem eſſe poſſe, ſuadere videtur illius amarities, ſuccis omnibus Inteſtinalibus, ubi hoſpitantur illi, facile communicabilis: ſiquidem verum ſit, ut vulgo creditur, amara Lumbricos necare: quod tamen cum experimentis Clariſſimorum *Redi*, ac *Valliſnerii*, neque cum meis ante quam hæc primo ederem inſtitutis concordat. Utcunque hæc ſint, & quacunque ratione fiant, ego in Febribus periodicis, quas Vermes potius comitabantur, ut reor, quam producebant, pluries Corticem propinavi cum ſucceſſiva Febris, & Lumbricorum depulſione, cujuſmodi exemplum vidi (non me quidem remedium præſcribente, ſed aliis Medicis) in *D. Comitiſſa Blanca* Febricitante, ac utero gerente, quæ poſt aſſumptam per aliquot dies Chinam Chinam copioſos Lumbricos per alvum excrevit. Obſervavi pariter Mercatorem quendam Venetum, duplici Quartana Mutinæ laborantem (cui poſt horam ab aſſumpta me præſcribente China China, Acceſſio inexpectata præter morem ſupervenit) Lumbricum poſt tres horas vomitu rejeciſſe ſatis inſignem. In Hiſtoriis quoque noſtris caſus hujuſce generis viſitur *Lib. IV. Cap. III. Hiſt. IX.* habeoque inſuper aliud exemplum a Juniore Medico Praxim mecum jam exercente, quod hic ſubdam. Curabat ille Puerum Febre Tertiana ſimplici laborantem, quæ præter conſueta, & conſuetis etiam graviora ſymptomata inſigne inſuper intulerat delirium, maximam pulſus inæqualitatem, nec non totius corporis convulſivos motus cum halitu verminoſo, & ſubcinereo fœcum colore. Cum autem ſymptomata hujuſmodi in dies majora fierent, præſcripſit ille circa quartam, vel quintam Acceſſionem Ægro admodum debili Peruvianum Corticem imminuta, ſed repetita doſi: quo remedio ad quatuor dies aſſumpto, nedum Febris, verum & verminoſa ſymptomata evanuere. Febre vero jam penitus abolita, & continuato nihilominus uſu Corticis, verminoſæ dejectiones ſubſequutæ ſunt, quibus abſolutis cito Æger, & plane convaluit. An utrique morbo in recenſitis Caſibus æqualiter adverſatus ſit Cortex, an uni Febri, ad cujus ſolutionem quaſi per accidens ſit conſequuta Lumbricorum excretio, præciſe non novi; ſiquidem in affectu verminoſo ſolitario haud ſatis mihi contigit Corticem experiri, ut meam alienæ poſſim vel opponere, vel juxta ponere experientiam.

De experimentis circa hanc rem extra humanum corpus a me, ut ſupra innui, aliquando inſtitutis, modo nolim intelligi, utpote quibus haud ſatis forſan fidendum eſt. Etenim, cum in iis adverſus ſolos Lumbricos Vitulinos, atque Terteſtres vim Corticis explorare tentaverim, fortaſſe haud ſatis efficaciter ab his ad Humanos licet quicquam arguere; quod enim uni Lumbricorum generi adverſatur, id alteri poteſt forſan congruere, & e converſo. Ut enim in diverſis ſpeciebus Corporum Vermes internos alentium diverſæ ſunt eorundem Vermium ſpecies, ita diverſum cuilibet eorum ſpeciei poteſt convenire, aut adverſari pabulum: etſi minime inficier, dari poſſe nonnulla quibuſlibet hujuſmodi Inſectorum ſpeciebus pernitialia, qualia vulgo cenſentur, *Petroleum*, *Mercurius*, *Virides æris &c.* licet hæc vere talia, qualia putabam, ego non deprehenderim. Verum quamvis etiam licuiſſet mihi Lumbricos humanos (quos minime quærens ſæpius inveni, rarius

cum

cum quæsivi) facile ad manus habere, & ad experimentum paratos, adhuc tamen mihimetipsi haud integre satisfeciſſem. Hujusmodi etenim Vermes vel ab hominibus ægrotantibus excreti, vel e denatis per sectionem extracti possunt & ipsi ægrotare quodammodo, aut male se habere, & propterea inæquali inter se robore pollere: ut proinde eorum aliqui diutius, aliqui brevius possunt in diversis liquoribus vivere, absque eo quod ad eorum citiorem, vel tardiorem necem liquor ipse multum contribuat, ut eosdem ab Ægrotantibus excretos modo citius, modo tardius sponte naturæ mori, observamus. Atque ideo neque hac via quid plane verti mihi visus essem deprehendere, etsi in amara v.g. Corticis infusione Lumbricus aliquis humanus citius obiisset, ac obiisset in alio liquore alius consimilis; ut omittam (quod nostrorum experimentorum incertitudinem auget) cuncta, quæ a nobis in hujusmodi experimentis adhibentur, remedia, a succis, aut fermentis postmodum nostris alterata, probabiliter sortiri posse activitatem diversam ab ea, quam extra humanum corpus præseferunt. Hac etiam de causa de seligendis humanis, non æque semper, ut dictum est, inventu facilibus, solicitus non fui; sed Vitulinos tantum, atque Terrestres, eosque quoad exteriorem apparentiam inter se æqualiter vegetos arripui, & uno, eodemque tempore in amaricantem Corticis infusionem, ac in diversos alios liquores conjeci, observaturus quinam esset eis locus infestior. Atque Vitulinis equidem Lumbricis primario lubenter sum usus (quod antea a quoquam institutum minime novi) quoniam cum Vitulorum æque ac Puerorum vivo hoc morbo laborantium valde similis sit odor, tum eorum halitui, tum omnibus etiam illorum excretis, immo & ipsis carnibus inexistens: propterea nec paucam inter utrosque Vermes intercedere symboleitatem, persuasum habui. Quamvis autem hinc nonnisi incertas, nulliusque forsan soliditatis conjecturas quis valeat elicere, minime tamen gravabor referre obiter, quæ observarim in eo, quod spectat ad institutum nostrum. Cætera altioris indaginis quærenda apud *Cl. Valisnerium*, pluribus quidem in Lucubrationibus illius, sed potissimum in elaboratissimo ejusdem Opere circa Vermium humani corporis Originem, ac Genesim, ubi peculiares edit observationes summa cura, ac diligentia institutas, singularemque suam proponit in hac materia, roboratque sententiam, naturalium Philosophorum studio, ac animadversione dignissimam.

Itaque ut rem perstringam, extracta e Vituli recens mactati intestinis numerosa Lumbricorum familia, Lacte, & Chilo inebriata, unum ex illis singillatim, & statim in unoquoque ex hisce, quos mox referam, liquoribus, magno vigente Æstatis calore, uno ac eodem tempore demersum volui, nempe in *Petroleo flavio*, *Mercurio*, *Aceto*, *Vino*, *Bile bubula*, *succo Absynthii*, *Oleo communi*, *Mellicreato*, sive *Aqua mulsa*, Infusionibus *Chinæ Chinæ*, *Aloes*, *Colocynthidis*, & *Viridis æris*, factis in Aqua communi, conjunctaque simul ipsa rerum infusarum substantia.

Statim ac in hosce liquores fuere conjecti Lumbrici Vitulini, observabiles admodum fuere motiones, & contorsiones eorum ad finem usque spectaculi hoc ordine servato, nempe ut insigniores apparuerint primo quidem, ac valde notabiliter in infusione *Viridis æris*, dende in *Petroleo*, mox in infusione *Colocynthidis*, & tandem *Aloes*. In cæteris liquoribus modicæ tantum, nec specialiter observabiles extitere eorum motiones, connumerando inter fluida, ut mos est, ipsum Hydrargyrum, in quo identidem vi illata submergebatur Lumbricus, qui aliquo etiam nonnunquam Mercurii granulo exterius onustus emergebat. Huic postmodum Aqua simplex superaddebatur, ipsius præexistentis Mercurii agitatione, quantum licet roborata, qua Lumbricus ab externi aeris immediato contactu, ac injuria tutus evadebat.

Decem horarum spatio tota series experimenti instituta est, cujus progressus is fuit. Post horas sex elapsas primus obiit Lumbricus in *Aceto* demersus; post horas octo demersus in *Vino*; demersus autem in *Bile Bubula* (quæ mihi visa est hac occasione graveolens, ac male habens, magisque diluta, & minus ponderosa ac apparuerit in experimentis *Lib. I. Cap. III.* institutis, atque relatis ad exploranda Chinæ Chinæ phænomena, ut proinde facile credam, in omnibus individuis etiam ejusdem speciei non esse idem pondus, sicuti non est eadem consistentia bilis eorum) demersus, inquam, in hac bile mortuus est post horas novem circiter, & post novem pariter pro mortuo habitus, qui in *Mellicrato* positus fuerat, licet re-

vera

vera nondum plane extinctus, sed tantum ab interitu parum distans fuerit postmodum deprehensus.

In cæteris liquoribus omnibus vivebant adhuc, & quidem vegeti, suosque motus (in quatuor præsertim liquoribus paulo supra recensitis) jugiter edebant: cum ego tædio quodam affectus, ad comparandam aliquam spectaculo novitatem, hos alios super liquores assumpsi, nempe *Vini spiritum*, *succum Allii* cum tantillo Aquæ solutum, & *Oleum Magni Ducis* Hetruriæ ad Vermes necandos, cum pauxilla pariter Aquæ portione commixtum. Singulis hisce liquoribus unum Lumbricum indidi, ut in reliquis a primordio peregeram; immo illum, quem in Oleo Magni Ducis, ut supra, infundere meditabar, eodem Oleo prius oblinivi, ac postmodum in antedictam mixturam conjeci. Paulopost Lumbricum in *Vini spiritu* submersum emori observavi: quod mihi incitamento fuit, ut alterum substituerem, qui pariter brevi eandem sortem subiit, ut & tertius secundo extincto statim substitutus. Interim cum reliquos vitam facile protrahere in aliis liquoribus observarem, nempe in *Oleo communi*, *Petroleo*, *Mercurio*, *succo Absynthii*, *& Alii*, *Oleo Magnis Ducis*, infusione *Chinæ Chinæ*, *Aloes*, *Colocynthidis*, & *Viridis æris*, necem illorum sum meditatus, eos a liquoribus, quibus innatabant, extrahendo, & in Vini spiritum conjiciendo: qua via singuli successive brevi interibant; scilicet non modo ii, qui in primis condebantur liquoribus, verum & ii, qui postremo, ut dictum est, in Aliorum succo, & in Oleo Magni Ducis fuere conditi, ubi scilicet, post horam circiter, viventes adhuc placide morabantur. Tam notabilis autem fuit celeritas necis eorum in *Vini spiritu*, & agitatio eorundem in infusione *Viridis æris* præ cæteris liquoribus, ut non semel ad explorandum, an Vermis aliquis, de quo adhuc ambigebatur, num esset extinctus, vere viveret (quod in Insectis hisce haud ita facile semper noscitur) tamquam ad Lydium lapidem factus fuerit recursus ad infusionem *Viridis æris*, ubi, sicut Lumbricus aliquis, qui non plane mortuus erat, statim motum aliquem edebat, ac proinde iterum submersioni in Vini spiritu damnabatur, ibique illico necabatur omnino: ita quoties alii nullum motum edebant, certo mortui deprehendebantur, ac revera tales erant.

Postera die in iisdem Vasis, iisdemque liquoribus fere omnibus, institutum est experimentum Lumbricorum terrestrium, nempe in *Vini spiritu*, *Petroleo flavo*, *Aceto*, *Vino*, *Oleo communi*, *Mellicrato*, *Hydrargyro*, *succo Absynthii*, infusione *Chinæ Chinæ*, *Viridis æris*, *Colocynthidis*, & *Aloes*. Parum absimilis ab antecedente fuit exitus experimenti postremi. Aliqua nihilominus in non paucis, nec levibus circumstantiis fuit diversitas. Lumbrici namque terrestres in liquoribus sibi infestis longe citius extincti sunt ac Vitulini, nisi forsan id contigit eo quia Vitulini crassi erant valde, ac robusti; Terrestres vero etsi vividi admodum, ac vegeti, erant nihilominus modice graciles; propterea scena hujusce spectaculi vix ultra duas horas protracta est. Item in hoc experimento motus, agitationes, saltus, & contorsiones Vermium terrestrium fuere longe violentiores ac Vitulinorum in alio, primo quidem, ac longe sensibilius in infusione *Viridis æris*, deinde in *Petroleo*. In ceteris liquoribus plus minus modicæ. In *Vini spiritu* motus eorum breves, & pariter modici; sed mors citissima.

Necabantur itaque in *Vini spiritu* fere statim ac illum attingebant Lubrici terrestres, eademque ferme celeritate interibant in *Aceto*. In *Viridis æris* infusione, & in *Vino* satis quoque celeriter moriebantur; ita tamen, ut dum unus in eadem infusione *Viridis æris* (in qua Vitulini vixere) extinguebatur, tres, vel quatuor successive eandem sortem subirent in *Vini spiritu*, ut & fere æqualiter in *Aceto*. In *Mellicrato* denique aliquantulum serius necabantur, ac in *Vino*, non tamen admodum sero. In cæteris liquoribus, videlicet *Oleo*, *Petroleo*, *succo Absynthii*, *Mercurio*, infusione *Chinæ Chinæ*, *Colocynthidis*, & *Aloes*, vivebant, & diutius vixissent, nisi ad aliquot eorum torquendos insigniter, in infusionem *Viridis æris* conjecissem, & ad alios statim necandos, in *Vini spiritum*, aut *Acetum*.

Hinc videtur posse conjici, cum primo in *Vini spiritu*, mox in *Aceto*, & tertio loco in *Vino* interire Lumbrici utriusque speciei fuerint observati, videtur, inquam, conjici posse, quod *Vino*, aliisque liquoribus ex Vino prodeuntibus, præcipue vero parti illius spirituosiori insit aliquid hujusmodi Insectis inimicum, quod illos hebetet, inebriet, ac tandem occidat, quemad-

modum Gallinas grano Vini ſpiritu imbuto nutritas, fere ut mortuas ad tempus in terram concidere, vulgo ſatis eſt notum.

Interim nec *Chinæ Chinæ* infuſionem (quod erat noſtrum tentamen) nec plures alios liquores ex ſupra memoratis, utut vario, exoticoque ſapore præditos, quicquam contuliſſe ad illorum Lumbricorum necem, datum fuit obſervare, quamvis eorum nonnulli Vermibus infenſiſſimi cenſeantur, & vere videantur in Praxi. An vero in Vermes Humanos agant remedia, quæ non agunt in Vitulinos, neque in Terreſtres, & an agant quandoque fortius intra corpus, quæ infirmius agunt extra illud, idipſum eſt, quod adhuc ignoro, & quod diligentioribus attente magis explorandum concedo.

Quoad alios Morbos quodammodo periodicos (ut redeamus unde longe admodum fuimus digreſſi) quales ſunt *Arthritis*, *Aſthma* præſertim convulſivum, *Epilepſia*, *Præfocatio hyſterica*, & hujuſmodi, paucis me expediam, dicamque ingenue, nimis altas, & fortes mihi videri iſtorum morborum radices, ut eas actio Corticis, quantum vere opus eſt, poſſit attingere, vel plane confringere: niſi velimus in gratiam Celeberrimi *Sydenhamii* excipere violentos affectus hyſtericos, quibus revera ex propria quoque obſervatione habeo potius, unde Corticem aliquo modo proficuum credam, quam aliter. Immo generaliter loquendo, videtur non extra ſpem omnem, quod China China aliquid forſan præſtare poſſit quoad ſuſpenſionem, & protractionem intervalli inter unum paroxyſmum, & alterum, etiam in aliis Morbis periodicis, iis præſertim, quibus frequentes, & violenti ſunt paroxyſmi, non quoad germanam, & completam illorum curationem. Cæterum, ut pateat, quam facile ſit, & lubricum, ut adulemur nobiſmetipſis, ni cauti ſimus in ſuſpendendo judicio, ubi agitur de noſtris votis, & opinionibus favorabiliter explendis, narrare non piget duos ſequentes Caſus.

I. Mulieri quinquagenariæ a pluribus jam annis Epilepticæ & poſt trigeſimum ætatis ſuæ in hunc morbum primo delapſæ, Corticem præſcripſi ad longiuſculum tempus, mox interpoſita quiete aliqua, iterum atque iterum eam coegi ad repetendam aſſumptionem præcipue prope tempora, quibus utplurimum eo morbo conſueveret corripi. Perſtitit illa præter conſuetudinem ſuam immunis ab inſultu epileptico per notabile intervallum temporis, (& quod magis mirabere) cum aliquando morbus tentaſſet accedere, adeo languidus, & enervis apparuit, ut illi vix ad momentum temporis caligaverint oculi, defecerint vires, & palluerit facies, ſubſequente ſubita coloris, virium, & viſionis reſtitutione, cum antea ſemper decidere, convelli, ſpumam ab ore, & lotium a veſſica emittere conſueviſſet, Pharmacopola, qui unus conſcius erat de qualitate remedii, cœpit evulgare, Epilepticam quinquagenariam jam plane curatam Cortice; eum tamen acriter increpui de incauta aſſertione, nonniſi duorum, vel trium annorum tractu comprobanda. Et ſane pendente ipſo uſu Corticis diuturniore, unum paſſa eſt paroxyſmum ſatis gravem, qui prægreſſorum invaliditatem, & moram interpoſitam penſavit. Quamobrem omiſſus fuit ab Ægrotante uſus remedii, & de more curſum ſuum proſequuti ſunt epileptici paroxyſmi, quibus non raro tentabatur. Sed revera affirmavit, opinabaturque, ſe ab aſſumpto remedio aliquid opis reportaſſe, aſſeruitque morboſos inſultus toto tempore, quo iis vixit obnoxia, tanto nunquam intervallo feriatos eſſe, quanto feriati ſunt tunc, cum Corticem aſſumebat: propterea poſt aliquos elapſos menſes me alloquuta ſponte ſtatuit, velle ſe iterum experiri remedium, & quavis Luna ad plures dies repetere. An in eo conſilio manſerit, vere neſcio, Epilepticam extitiſſe, extra dubium eſt.

II. Adoleſcens annorum XIX. ab ipſo ortu ſurdaſter, ac mentis hebes, poſt longam, lentamque Febrem tuſſiculoſam, quæ illum ad inſignem maciem prius deduxit, poſtmodum ſponte ſenſim evanuit, Epilepticus ſubinde factus eſt. Jamque a pluribus menſibus novi hujuſce morbi inſultu identidem recurrente non parum vexabatur, cum increbreſcentibus in dies paroxyſmis eo devenit, ut iiſdem per menſem integrum, alternis primo diebus, mox & quotidie corriperetur. Irritis remediis omnibus, viſa tandem eſt mihi ordinata hæc, & crebra periodus, ipſaque morbi peculiaris origo, videlicet ſuccedanea Febri, quamvis Continuæ, admittere poſſe, tentamen aliquod deſumptum a Cortice, quemadmodum nonnullorum Auctorum mens eſt. Itaque præſcripſi *ſemunciam* ejuſdem Corticis cum

Con-

Conſerva florum Peoniæ hoc ordine diſtribuendam, ut ſcilicet prima die dimidium miſturæ illius aſſumeret Æger, alteramque medietatem duobus ſequentibus diebus, in duas partes ſubdiviſam: quo pacto, prima aſſumptione *duas* Corticis *drachmas*, reliquis vero duabus *unam* tantum *drachmam* quotidie deglutiebat. Abſumpta miſtura illa, nova ſimilis denuo parabatur, eadem partitione diſtribuenda, & ſic deinceps: interpoſita tamen identidem inter unam & alteram ſemunciam, duorum, vel trium dierum quiete, quibus ab uſu remedii feriabatur; adeoque unius Lunæ ſpatio nonniſi *tres uncias* Ch næ Chinæ in totum aſſumpſit. Atque, ut verum fatear (ni per accidens id contigit) conſpicuum juvamen, primis præſertim diebus, viſum eſt emerſiſſe; ſiquidem loco Paroxyſmorum alternis diebus, vel etiam quotidie invaleſcentium, levis tantum vertigo, & oculorum caligatio ſucceſſit, quæ pariter illico evaneſcebat, verique propterea paroxyſmi invaſio ultra dies 15. protrahebatur; immo cum fiebat inſultus, levior erat, neque omnimodam inferebat, ut antea, ſenſuum abolitionem. Duabus interim circiter tranſactis hebdomadis, quibus habita eſt ceſſatio ab oblatione remedii, cum nonnihil increbreſcerent iterum paroxyſmi, modo ſcilicet poſt octo, modo poſt ſex tantum dies, repetitus eſt denuo uſus Corticis ad *ſemunciam* cum eadem *Conſerva florum Peoniæ*. Miſtura tamen hæc in quatuor partes æquales dividebatur, quotidie mane ſejunctim ſumendas, & poſt trium, vel quatuor dierum quietem, iterum repetendas, ita ut intra menſem *duæ* plus minus *unciæ* Corticis fuerint uſurpatæ. A nova hac oblatione nullum ſenſibile levamen datum fuit obſervare: etenim æque ac ante, exactis modo octo, modo etiam quindecim diebus, redibat inſultus, parique ratione, etſi nullus poſtmodum fuerit uſus Corticis: & quo majus erat intervallum temporis inter unam, & alteram invaſionem, eo fortior paroxyſmus inde ſuccedebat; levior vero, cum intervallum eſſet brevius. Id unum ſupererat adhuc tentandum, nempe ut uno, aut altero die ante paroxyſmi adventum (ſiquidem illæ præmonſtrari ſolebat ex certis ſignis ante duos, vel tres dies apparentibus) larga doſis Corticis, v. gr. ad *tres* ſaltem *drachmas* uno hauſtu exhiberetur; videbatur enim poſſe conjici, quod hac forſan via protraheretur nonnunquam, aut enervaretur inſultus imminens. Neque hoc forſan intentatum reliquiſſem niſi ſpontanea, & valde inæqualis, quæ paulopoſt obſervata eſt, intervallorum protractio me ab hoc tentamine retraxiſſet: quamvis enim quodvis emerſiſſet inde juvamen, merito me reddidiſſet ancipitem, an illud Corticis potius adſcriberem, an Caſui. Quamobrem etſi in violentioribus forſan circunſtantiis de levamine aliquo non prorſus deſperarem primis vicibus, parum tamen ſperandum credidi progreſſu temporis: veritus inſuper, ne aliquando major paroxyſmorum intenſio protractionem invaſionis eorundem, ut *Hiſtoria* præcedente adnotatum eſt, nimium compenſaret, vel ſaltem ne morbi pervicacia remedii tandem vires diutino uſu ſperneret, ac enerves redderet, dato quod primis oblationibus videretur ille nonnihil miteſcere; quæ omnia nonnunquam etiam in quarundam contumacium Febrium curatione experimur.

Ex enarratis itaque caſibus facile, ut ajebam, deducitur, ad ſtabiliendum levamen certum in morbis iſtis Herculeis, paroxyſmos inæquales, & modo ſemel in anno, modo bis in menſe, vel etiam in die recurrentes habentibus, requiri perſeverantiam plurium annorum in ſtatu ſano, & experientiam æqualem in pluribus ſubjectis, libertatemque experiundi non tantum innoxie, ſed & longe a præoccupatione tum Vulgi, tum Profeſſorum Artis.

Denique ut aliquid quoque de morbis quibuſdam, non ex ſui natura, ſed per accidens periodicis ſubdam, ſit caſus iſte. *Monialis* quædam dolorem acerbiſſimum patiebatur in ea parte genæ, cui ſubjacet Os, *Jugale* dictum. Recurrebat hic quotidie, noctu tamen ſtata hora, tamque vehementer illam excruciabat, tamque gravia inferebat ſymptomata, ut de aliquo graviſſimo affectu imminente in nervoſo genere ſuſpicarer. Cum ad longum tempus perduraret affectio iſthæc moleſtiſſima, nec repetitæ ſanguinis miſſiones, nec purgationes, nec revulſiones, nec diuturniora remedia, ut *Salſæ parillæ*, maceratio longiuſcule uſurpata, nec alia hujuſce ordinis quicquam proficerent, tandem confugi ad Corticem, per octo ſaltem dies *ad drach. ſs.* quotidie uſurpandum tentandi gratia. Altera die ab incœpto remedio ſanum ſibi dentem, paulo infra locum doloris conſitum,

evelli, voluit, me licet reluctante. Dens evulsus est post primam Corticis assumptionem, & inculpatæ omnino constitutionis repertus. Ab evulso dente bis tantum eundem Corticem assumpsit; & dolor, qui per mensem hora semper noctis tertia observari consueverat, evanuit; remanente tantummodo sensatione quadam molesta in parte, nempe circa os Zygomatis in ipsa gena: quæ sensatio ex simplici, utut levi, labri superioris contactu exacerbabatur. Cum tamen ea non magnum negotium faceſſeret, nempe Ægra me urgentem haberet, quippe eam rarius invisentem, substitit illa sponte ab usu Corticis, post trium tantum dierum usurpationem. An levis adeo, & brevis usus remedii, an evulsio dentis sani cum affecta parte nullam ferme connexionem habentis, an Casus levamen attulerit, nescio, aliisque æquo animo dijudicandum relinquo. Id unum addam, me post aliquot menses eandem Monialem alloquutum intellexisse, ipsum ei dolorem quibusdam temporibus aliquando renovari, & per tres, vel quatuor successivos dies stata hora periodice recurrere, illique subitam sanguinis missionem (pro cujus celebratione me permittentem habebat) non parum opitulari. Adeoque insuper, repetitam tandem hac ipsa de causa Cortici assumptionem ad septem dies nil opis omnino contulisse: ac idcirco eidem affectioni plane irregulariter recurrenti ipsam identidem obnoxiam fuisse.

Una supereſt examinanda Morbi species in eo, quem semel corripuit, iterum atque iterum recurrere solita, videlicet *Hæmoptoe*, seu Sputum sanguinis, etsi Morbus hic, ut verum fatear, non magis ad Periodicorum categoriam possit reduci, ac possit ad eandem revocari, quæ pluribus familiaris identidem est, Gravedo, Rancedo, Ophthalmia, Ægilops, & alia hujusmodi. Cum tamen Hæmoptoen non modo ut morbum periodice recurrentem, verum etiam ut Cortice Peruviano curabilem *Mortonus* consideret, immo & per idem remedium posse illius recursum, ipsique conterminam Phthisim inhiberi constanter asserat; peculiarem idcirco hac de re disquisitionem instituere operæ pretium erit, maxime cum ex adserso Phthisicorum febribus putridis, etiam *Intermittentibus*, nil opis conferre posse eundem Corticem apertis literis testetur expertus ipsemet Auctor, & ego quoque non unum hujusce eventus exemplum nuper hoc eodem *Lib. Cap. II.* protulerim. Priusquam tamen quid super hoc sentiendum sit proferamus, utrumque *Mortoni* textum fas sit simul conferre, ac expendere; non animo quidem disquirendi, an ulla in iis subsit, vel appareat contradictio, quod meum non est: sed ut posita in propatulo veritate rei, illustretur, ut decet, hæc praxis, & a caliginibus, quibus involuta nonnihil est, integre vindicetur.

Inquit itaque laudatus Auctor, & bene inquit, in suæ *Phthisiologiæ lib. 2. c. 4.* ubi agens *De signis Pathognomon. Phthiseos pulmonaris confirmatæ*, & speciatim *de Febre Phthisicorum putrida* hæc habet -- *Ubi primum autem hæc tubercula Pulmonum inflammata in apostemata migrare incipiunt (sive hoc a venæ sectionis satis tempestive, vel copiosæ neglectu, seu a naturali tumorum dispositione in putrefactionem) Febris hæc inflammatoria in Putridam intermittentem transmutatur. Cujus paroxysmi in principio ut plurimum nullum certum ordinem servant, rigore, & horrore sæpius eodem die recurrentibus, sicuti in puris confectione fieri solet. Ubi vero pus jam plane fuerit confectum, hæc Febris typum quotidianæ, aliquando etiam, licet rarius tertianæ imitatur: idque certo diei tempore cum algore, & rigore incipiens, cum intenso calore progrediens, atque adeo tandem in sudores nocturnos, & profusos, & colliquativos desinens. Durante algore, & calore, tussis, & anhelitus cum reliquis molestis symptomatis augentur. Durante vero sudore, & remissione, tussi, & reliquis Symptomatis jam minoratis, Æger placide dormit, vires recolligit, & sibi jam spe futuræ sanitatis concepta abblanditur. Atque hanc Febrem Putridam Intermittentem inter certissima signa Pathognomonica Phthiseos confirmatæ semper habere soleo, quippe quæ sicuti a Pure in Pulmonibus confecto ortum ducit, ita purulentiæ pulmonaris index est certissimus. Indeque provenit, quod hæc Febris Putrida intermittens Phthisim, quoties hunc morbum fatalem esse contigit, in extremum usque diem comitari soleat. Cujus paroxysmi cum colliquationibus inde provenientibus magis, vel minus intensi, & protracti sunt pro magnitudine, vel numero tuberculorum in apostemata maturatorum. Nec*

qui-

quidem hæc Febris ope Corticis Peruviani, *Antihectici Poterii, vel cujusvis alii medicamenti specifici, quorum vim in hoc casu sæpissime sum expertus, neque ulla alia methodo (quantum scio) radicitus extirpari potest: nisi ulcus adeo fuerit benignum, ut medicaminum balsamicorum intus exhibitorum ope sanari, ipsaque sanguinis massa, ubi Febris fomes delitescit, in sanum statum copioso temperantium, atque alterantium usu reduci possit: vel saltem nisi Phthisis sit mere symptomatica, & ab alio morbo dependens, qui curationem perfectam ex usu specificorum admittere possit.*

Textus ergo iste quemadmodum plane concordat cum experientia, & cum communi Medicorum sensu, ita plane cohæret Theoremati ab omnibus universaliter recepto, & a nobis pluries repetito, specialiter vero citato nuperrime *Cap. II. hujusce Libri*, nempe quod ad hoc ut China China in febribus Intermittentibus suo possit fungi munere, suasque vires exerere, necesse est, quod nullum vitium organicum, nullaque viscerum labes (adversus quam nequit ea pugnare) sit febris Intermittentis fomes, aut causa, intelligendo semper de vera, & minime palliativa hujusmodi Febrium curatione, ut in allato textu intelligendus est, dum loquitur de putridis Phthisicorum febribus *Morton* ipse, inquiens -- quod illæ *ope Peruviani Corticis vel cujusvis alii medicamenti specifici nequeunt radicitus extirpari*; eas nempe posse quoquo modo leniri, & ad tempus nonnunquam intercipi (interitu nihilominus Ægrotantis nequaquam inhibito) neque idem *Morton* de curatione Phthiseos Pulmonaris *Cap. X.* neque ego ipse *Cap. II. hujus Libri* diffitemur. Videamus nunc qua ratione, salvo hoc Theoremate, asserat idem Author, Hæmoptoen, quæ vitium organicum pulmonis est, per Chinam Chinam strenue sanari; deinde videamus, num salvo per datam hypothesim utroque illius dogmate, ita ut unum alteri theoretice contrarium non sit, salva simul remaneat veritas, & substantia rei; circa quod vereor, ne plurimum hallucinetur *Mortonus*. Atque ut cuncta hæc claritate omnimoda valeamus persequi, erit e re alterum illius *Textum* hic loci subnectere.

In Libro itaque tertio suæ Phthisiologiæ ex professo acturus de *Phthisi ab Hæmoptoe* Cap. V. per extensum *sic ait* -- *Decantatum istud Medicorum adagium*, quod Pus sequitur Sanguinem, *exinde originem suam traxisse videtur, quod Hæmoptoe celerius, & sæpius quam ulli alii morbo purulentia Pulmonum seu Phthisis pulsis pulmonaris, succedere soleat. Quod utrum a crasi Sanguinis ob nimium ejus dispendium eversa, vel a copioso humorum ex universo corporis habitu, qua datur via, in teneros Pulmones affluxu, vel a sanguinis grumosi in ipsis Pulmonibus post Hæmoptoen relicti putrefactione, vel tandem ab ulcere aliquo erosionem vasorum insequenti accidat, parum scio. Hoc tamen perpetuo fere observare licet, quoties scilicet Hæmoptoe præcedit, Phthisin pulmonarem subsequi solere: Ideoque prudentem, & honestum Medicum ad curationem Hæmoptoes evocatum decet, non tantum præsagio de Phthisi subsequuturæ tempestive prius facto, suæ, atque etiam Artis Medicæ famæ consulere, verum etiam quantum in se est, cautionibus, & medicamentis idoneis hunc fatalem Hæmoptoes exitum æque pervenire ac ipsum præsentem morbum curare: saltem nihil in ejus curatione facere, vel tentare, quod Ægrum Phthisi magis proclivem reddat.*

Atque hic plurimum refert inter Hæmoptoen accidentalem, & habitualem distinguere. Accidentalem eam voco, quæ mere ab accidenti aliquo procedit, uti a vociferatione nimia, exercitio, vel vehementi tussi, ab hæmorrhagiæ solitæ suppressione, a lapidibus cretaceis in ipsis Pulmonibus generatis, vel ab aciculis, atque aliis ab extra in eos demissis. Habitualem vero, quæ a vitiosa, acri, & fermentescente Sanguinis diathesi dependet, itaut penus, & fomes morbi intus semper delitescat. Hæmoptoe ista accidentalis sicuti rarius post Phlebotomiam, debitum diætæ regimen, & medicamentorum usum curata recrudescit, ita utcunque profusa, & copiosa hæmorrhagia fuerit, rarissime in Phthisin terminari solet: verum Æger per debitum regimen liberatus paulatim, sicuti post fluxus menstruos immodicos, atque alios ejusmodi fieri solet, εὐ χρόος, atque εὐ σαρκος, evadit, ac si nullum ejusmodi fluxum omnino sustinuisset. Hæmoptoe vero habitualis, sicuti ab intestino Sanguinis fermentescentis motu, & ab aperientes vasa acrimonia dependet, ita etiam Febrem una cum accelerato pulsu, & urina subrubra semper conjunctam habet, & post incerta intervalla identidem solet recurrere. Ubi scilicet paroxysmus

mus febrilis incertus a Sanguinis adeo ferociter efferveſcentis impetu recrudeſcit, tenera Pulmonum vaſa, cum motum hunc citatiorem fere non poſſint, iterum atque iterum debiſcere ſolent una cum magno purpurei liquoris diſpendio, qui ut plurimum fluere non deſinit uſquedum Orgaſmus febrilis, & motus Sanguinis inteſtinus inde dependens vel Artis ope, vel ſponte ſua ſaltem a quantitate liquoris imminuta penitus ceſſet. Et tunc etiam infidæ tantum induciæ dantur, donec vaſa iterum a præternaturali Sanguinis motu in paroxyſmo ſubſequenti nimis diſtendi contingat. Et quidem hæc eſt fatalis illa Hæmoptoe, quæ ut difficilem curationem admittit, atque Ægro ſæpius inexpectato ſupervenit, ita Febrem primum putridam, dein hecticam conjunctam habet, quæ in Phthiſin fatalem, atque incurabilem ſæpiſſime terminari ſolet.

Hujus vero Hæmoptoes herculea *Antidotus eſt* Cortex Peruvianus, *cujus egregias vires in præſentis febrilis efferveſcentiæ ſanguinis extinctionem, atque in futuræ recidivationis præcautionem ſemper cum feliciſſimo ſucceſſu expertus ſum, quotieſcunque ſcilicet eum in hunc uſum applicui. Et ſicuti præſentem Hæmoptoen cito, & tuto ſiſtit, & futuram etiam prævenit, ita Hæmoptoen hoc modo curatam nunquam in Phthiſin terminari vidi. Flamma enim hoc modo penitus extincta, & Febre jam evicta, Sanguis illico in naturalem ſtatum reduci ſolet, adeout ne vel minima ſuſpicio inde ſubſecuturæ Phthiſeos manere poſſit. Phthiſis enim, quæ Hæmoptoen ſequi ſolet, originem ſuam non tam a vaſis exilis debiſcentia, quam a ſtatu ſanguinis inordinato, & hectico ducere videtur. Ideoque utcunque Phthiſis Hæmoptoe vulgari modo curatæ uſitato ſuccedat, frequentibus ſcilicet Plebotomiis, medicamentis* Emplaſticis, Opiatis, &c. *quæ vi potius Sanguinis eruptionem ſupprimunt, quam internum Sanguinis ſtatum alterant; hinc tamen nemo morietur, ſi flamma hectica intus manens tandem Ægrum in Phthiſin præcipitet. Quoties tamen præſens ſanguinis orgaſmus poſt Phlebotomiam repetitam, ſuccorum* Temperantium, *&* Julapiorum, *vel* Electuariorum, Stypticorum, *&* Opiatorum, *aliorumque ejuſmodi (quæ alibi e* Capite de Hæmoptoe *petenda ſunt) uſu ita domatur, ut locus opportunus exhibitioni Corticis detur ad flammam febrilem penitus extinguendam, & ad reſerationem obſtructionum, quæ aliter novæ efferveſcentiæ anſam præbere poſſint, perficiendam, non tantum Palliativa in præſens, verum revera Eradicativa etiam, & perfecta curatio ſine vel minimo Hæmoptoes redituræ, vel Phthiſeos ſubſequuturæ periculo obtineri ſolet. Flamma enim hoc modo perfecte extincta, Sanguis ad motum, & craſin naturalem reducitur, quo appetitus ſtatim redit, Pulmones naturali motu, & temperamento fruuntur, & purpurei Penus diſpendia ſenſim reparantur; donec Æger tandem, licet paulatim, priorem robuſtum, athleticum ſtatum redintegratum, vel forſan meliorem quam antea conſequitur ſine vel minima hectici caloris gradus, vel ſubſequuturæ Phthiſeos metu.*

Ex hoc Textu clare patet, *Mortonum* ex principiis ſuis primo ſupponere, Febrem quamlibet, ſaltem primariam, quomodolibet remittentem, etſi continuam, eſſe curabilem Cortice, quod nos generaliter prolatum nequaquam admittendum eſſe, pluries jam diximus; ſecundum ſupponere, quod omnis Hæmoptoe, quæ ab externa cauſa non pendeat, ſed ab interna (quam idcirco *Habitualem* vocat) ſemper habeat pro cauſa productrice febrilem ſanguinis efferveſcentiam per paroxyſmos incertos, & per incerta intervalla identidem recurrere ſolitam, adeoque adeſſe ſemper in hujuſmodi Hæmoptoe Febrem, eamque non ſymptomaticam, ſed primariam, ſive eſſentialem, cujus ſymptoma ſit ipſa Hæmoptoe, & proinde hanc unam Hæmoptoen eſſe ſanabilem Cortice; cum ceteroqui eam, quæ ab externa cauſa procedens, Febrem non habet comitem, ſola phlebotomia, & remediis vulnerariis, ac ſtypticis curari aſſerat, nullo de China China verbo habito; ſignum evidens, quod in ea Hæmoptoe, in qua Chinam Chinam commendat tanquam *Antidotum Herculeam*, minime conſiderat eam ut balſamicam, vulnerariam, aut ſtypticam, ſed ut mere *Febrifugam*, cum ſubdat id fieri, eo quia remedium iſtud febrilem ſanguinis efferveſcentiam per repetitos inſultus Hæmoptoen producentem, & per incerta identidem intervalla reproducentem compeſcit.

Idcirco, ut ingenue fatear, haud prorſus rejicienda foret illatio *Mortoni*, utilem in Hæmoptoe ſit prædicta prædicantis Peruvianum Corticem, ſi vera foret illius hypotheſis de Febre ſaltem erratica per paro-

roxyſmos incertos, incertaſve periodos recurrente, ac propter æſtum ſuum, ſanguiniſque acrimoniam, tenera pulmonum vaſa iterum atque iterum aperiente, ac proinde Hæmoptoen habitualem, ut vocat, comitante non ſolum, ſed & radicitus producente: quemadmodum ſi vere nonnunquam contingeret, quod Febri cuipiam Intermittenti, etiam perniciosæ, adjungeretur in acceſſu tanquam *Symptoma* illius Febris ipſa Hæmoptoe, quæ Febre recurrente recurreret, & declinante ceſſaret (ut in noſtris hiſtoriis cruentos alvi fluxus, immo & nonnunquam inſultus veræ paralyſis cum periodica Febre recurrentes, & per Chinam Chinam indirecte ſublatos retulimus) nullus dubito, quin per oblationem ejuſdem Chinæ Chinæ Febris ſubſiſteret, & cum ea ſputum ipſum ſanguinis ab ipſa procedens, abſque gravi metu Phthiſeos ſubſequuturæ; dummodo non adeſſet inſignis vaſis ruptura, capax etiam ſublata Febre, profundum ulcus in Pulmone relinquere. Hinc plane liquet, omnem fere *Mortoni*, Hæmoptoen per Chinam Chinam curare molientis hallucinationem (ſi qua in hoc eſt, ut eſſe autumo) non verſari præciſe circa cognitionem virtutis Chinæ Chinæ, in qua nonniſi conſuetam facultatem febrifugam etiam hac occaſione agnoſcit, atque conſiderat; ſed verſari potius circa cognitionem Morbi, & Cauſæ illum producentis: ſi enim revera Hæmoptoe ea de cauſa, & eo modo fieret, quo opinatur *Mortonus*, nempe a Febre Periodica illam producente, fortaſſe ad eam curandam China China poſſet eſſe *Antidotus*, ut ipſe inquit, *herculea*, eo pacto quo diximus, eam poſſe forſan opitulari Febri alicui periodicæ comitatæ *Pleuritide*, & hac ratione prodeſſe per concomitantiam eidem Pleuritidi, dummodo Febris illa ſit eſſentialis, illiuſque merum ſymptoma ſit ipſa Pleuritis.

Sed niſi longe aliter circa productionem hujuſce Morbi Natura ſe gerat in Anglia, ac ſe gerere ſolet in Italia, aliiſque Regionibus, unde tot prodiere de Hæmoptoe Tractatus Medici, vereor, ne antedicta *Mortoni* ſuppoſitio abludat a veritate rei; quandoquidem morbus hujuſmodi a cauſa etiam non procathartica genitus Febrem non conſuevit habere (quantum novi, & quantum legi) productricem, immo nec irregulariter comitem, ſed, ubi ea adſit, mere Symptomaticam, nec intermittentem, aut recurrentem quidem, ſed potius continuam, atque habitualis ſubſecuturæ prodromam, aut ſi ſic loqui liceat, ejuſdem habitualis inchoativam, adeoque cum res per experientiam Practicis omnibus ſatis obviam ſic habeat, non video quinam locus eſſe poſſit Peruviano Cortici, quem ut mere febrifugum in ipſa Hæmoptoe *Mortonus* uſurpat.

Quod ſi experientiam ipſam *Mortoni* velimus expendere in hiſtoriis eidem Capiti adnexis allatam, tres tantum numero illæ ſunt per extenſum narratæ. Prima, & tertia nobis exhibent duos Phthiſicos vita functos, quibus Cortex nullatenus fuit adminiſtratus, & per conſequens ad illius vim hiſce caſibus oſtendendam utilem nil conferunt. Secunda tantum quidpiam videtur præſeferre aliqua dignum animadverſione. Per hanc deſcribit ille *in quadragenario Viro a decem annis tuſſiculoſo, & in phthiſin diſpoſito* (cui tamen ætati non admodum frequens ſolet phthiſis obtingere) *inſignem Hæmopotoen reſpiratione difficili, & pectoris dolore ſtipatam, cum recidivatione ſingulis, vel alternis diebus ſatis notabili, per tres ad minimum ſeptimanas, non obſtante frequenti phlebotomia, aliiſque remediis, perſeverantem*. Huic cum *inſignem Febrem* conjunctam obſervaſſet *intervallis incertis ſæpius recurrentem ſemperque viam ſputo ſanguinis ſubſequuturo ſternentem, Corticem Peruvianum in hauſtu miſturæ adſtringentis vulnerariæ, ac paregoricæ quarta quoque hora ad octavam uſque vicem exhibuit, ac Febrem protinus extinxit, Ægrumque per ſeſquiannum, Symptomatis omnibus imminutis, ipſaque tuſſi moderatiore jam reddita, aprici ſimul aeris beneficio ad habitum Corporis meliorem ac antea feliciter perduxit*. Hic ipſe tamen Æger paulopoſt ſui negligens in novam, ut ſubdit ingenue, Phthiſim incidit, qua e vivis ſublatus eſt.

Hic ergo ſubit animadvertere, Febrem hujuſmodi vel fuiſſe periodicam eſſentialem, ſputo ſanguineo ratione ſubjecti per accidens comitata, adeoque Cortici cum ſuo Symptomate obſequentem, vel (quod probabilius eſt) fuiſſe continuam, & quodammodo inflammatoriam, incerto forſan ordine recrudeſcente, copioſo autem cruento ſputo paritèr comitatam, tandemque ope repetitæ Phlebotomiæ, aliorumque remediorum, immo & miſturæ antedictæ (in qua larga viſitur Remediorum adſtringentium, & balſamicorum, paucula vero proportionaliter doſis Corticis) ad vigeſi-

mam primam circiter diem, ut mos est plurium Acutorum sine China China curatorum, solutam cum temporanea restitutione ad pristinum, immo & meliorem statum; quadeinde transacta malacia, in hujusmodi casibus sæpius observari solita, in Phthisim veram rursus, ut assolet, Æger incidit, atque ut pariter assolet, tandem obiit. Quapropter, bona Auctoris venia, nil exinde concludi video in rem nostram, præcipue cum in vera Hæmoptoe Febris omnis ab initio saltem soleat abesse, & Symptomatica esse tunc cum supervenit. Neque satis suffragari videtur id, quod legitur acervatim ad calcem *Historiæ præditæ* de Vetula quadam septuagenaria hæmoptoica, de Antifabro, & alia puella, de quibus nullam describit historiam, esto asserat eos omnes eodem modo sanatos; nam præterquamquod non omne sputum sanguinis etiam copiosum e Pulmonibus educitur, & præterquamquod illud in *Senibus*, & *Pueris* phthisin tam facile non solet accersere, certum est insuper, quod cum mistura antedicta longe plus recipiat, ut adnotavimus, de remediis vulnerariis insignioribus, quam de Peruviano Cortice, illis potius, quam huic laus tribuenda videtur, maxime cum passim videamus, hujusmodi sputa meri sanguinis solo sisti eorundem remediorum usu, & non raro sponte Naturæ, præcipue si aliunde quam a Pulmone procedant; ut propterea omnino statuendum sit, quod China China non aliter queat Hæmoptoen supprimere, nisi ubi ipsa Hæmoptoe sit merum *Symptoma Febris alicujus eo remedio curabilis*, quemadmodum de Phthisi loquutus est *Mortonus* ipse in calce *primi Textus* a nobis nuper transcripti, videlicet quod ea ope Corticis Peruviani, vel cujusvis alii medicamenti specifici sanari nequeat, *nisi sit mere Symptomatica, & ab alio morbo dependens, qui curationem perfectam ex usu specificorum admittere possit.*

Hæc habui dicenda de Corticis actione adversus morbos extra lineam febrilem constitutos, quibus, vel eorum saltem nonnullis siquidem ille vere prosit, ut Affectionibus Hypochondriacis, Hystericis, & hujusmodi aliis, lentum tantummodo, & tardum est, non præsentaneum ejus auxilium; propterea ex hoc capite minus certa redditur illius operatio, quæ aliis quoque Causis, vel ipsi demum Naturæ nonnunquam potest adscribi. Quamobrem id saltem candide fateri oportet, quod & fatetur *Sydenhamius* ipse post celebratas eximias hujusce remedii vires adversus affectionem hystericam vehementer spasmodicam, præ cæteris illius ordinis morbis, ipso judice, Cortici obsequentem -- *Interim tamen* (inquit ille) *confitendum est, quod hoc medicamentum non ita certo, crebroque huic malo succurrat ac Febribus Intermittentibus.* Quæ assertio sicuti vera est in hoc casu, verior a fortiori in reliquis erit habenda. Ulteriorem denique nobis suspicionem de exigua Corticis activitate, adversus morbos a Febribus Periodicis diversos, aperte suggerit *Mortonus* ipse, de nimia cæteroqui erga hoc remedium credulitate suspectus, in Præfatione suæ *Pyretologiæ*, dum inquit -- *Nusquam hactenus eum* (scilicet Corticem) *titulo Catholici Remedii* (*ac si Archæus ad mentem* Helmontii *quocunque modo irritatus eo compesceretur*) *donandum judicavi, utut non desint Auctores, uti videre est in* Badi Anastas. Lib. I. Cap. XX. *& Medici aliqui hodierni, qui vires ejus in Hydrope, Ictero, Hypochondriaca affectione, Scorbuto, immo in Peste ipsa, plurimisque aliis morbis tam Chronicis, quam Acutis debellandis, mirum in modum prædicant. Verum, ut rem ipsam dicam, licet hoc χρὴν πικρὸν præ cæteris quibuscunque amaris abstersiva sua, seu quacunque alia qualitate humorum αἰτιότιαν corrigendo, & partium labefactarum tonum confirmando, ad Curationem Hydropis, Scorbuti, Ictheri, Hypochondriacæ affectionis, Digestionis eversæ, appetitus prostrati, vel cujuscunque alterius morbosæ affectionis, incerto cum eventu, conducere nonnunquam observetur, nunquam tamen Corticem officium antidoti præstitisse memini, fomitem scilicet morbi venenatum delendo præterquam in Morbis universalibus acutis, præsertim in Febribus Intermittentibus, & Remittentibus veris, ac Spuriis, atque Inflammatoriis, & Colliquativis, quibus cum prioribus similitudo quædam est.* Adde & hic congruam explicationem, mox & debitam limitationem ad normam eorum, quæ quinto hoc Libro statuimus; & germanas Corticis vires in universum satis perspectas habebis. Id unum cura, ut genuinus ille sit, ac vegetus. Boni Corticis notas apud plures inveniens; illas ideo de industria subticui: etsi nec graphica, nec plane uniformis sit apud omnes illius descriptio, sive de sapore, sive de aliis qualitatibus sit

sermo; immo non desunt, qui Corticem hunc non e Trunco, vel Ramis Arboris, sed e radice detrahi putant. Ita rebus caliginem offundit Locorum distantia. Bonum ego Corticem reputo, quem experientia talem alias deprehendi.

Quæritur Secundo,

An, ubi Cortex vere indicatur, liceat ratione Subjecti illum administrare citra periculum Mulieribus Gravidis, Puerperis, Abortum passis, *aut* Menstruas purgationes *actu patientibus: & incunctanter asseritur, experientia duce.*

QUÆ diximus toto decursu hujusce Tractatus, & quæ passim tradunt Auctores omnes in administratione Corticis magis versati, nullum videntur proposito Quæsito locum relinquere. Ad tollendam nihilominus omnem, si qua sit adhuc, scrupolositatem in hac materia delicatiore, in qua suspicio quævis Prudentiæ soboles est, lubuit hæc pauca seorsim subnectere.

Chinam Chinam vel amarore suo, vel alia quavis qualitate adversari fœtui in utero existenti, nemo ex iis poterit suspicari, qui nostras perlustrarint Historias, siquidem *Lib. IV. Cap. 1. Hist. 2.* ex Cholericis, & *Cap. 2. Hist. 14.* ex Subcontinuis Malignantibus necnon *Cap. 6. Hist. 8.* ejusdem Libri prostant casus mulierum Gestantium, usu Corticis valde copioso sanatarum, & debito postmodum tempore vitalem fœtum feliciter enixarum. Sane si ubi adfuere vomitus, & alvi fluxus immanes, Febresque tum Matri, tum Fœtui suapte natura perniciales, atque insimul adfuit copiosa affatim Corticis exhibitio, repetitio, & diuturna continuatio, partus nihilominus ad suam maturitatem, & exclusionem vitalem auspicato pervenit, quid quæso nobis metuendum supereſt in quibuslibet aliis Gravidarum Febribus ab eodem sæpesæpius moderatiori Corticis usu? At sicuti tres tantum per accidens, ac ob alium finem ibi recensui fœminarum utero gerentium casus in linea Febrium Pernicioſarum, & in circunstantiis per consequens liberalioris oblationis Chinæ Chinæ, ita nonnullos alios in eadem linea possem recensere, quemadmodum nonnullos quoque videre est in Historiis a *D. Ferrario Lib. IV. Cap. 4.* mihi communicatis; innumeros autem possem adducere in linea Intermittentium benigniorum, atque vulgarium, consueto, atque parciore usu remedii depulsarum in iisdem prægnantibus, cum incolumitate tam fœtus, quam matris. Immo memini, *D. Marchionissam Gherardinam*, Tabidam, & Febre insimul putrida dicta detentam, auxilio, ut reor, Corticis, quo non sublatæ quidem, sed obscuriores redditæ sunt putridæ Febris cum rigore Fœtui infenso antea invadentis accessiones, felicissimum suo tempore partum edidisse, quemadmodum innui *C. 2. hujusce Libri*; adeoque quod Matri prodesse integre remedium non potuit, profuit per accidens fœtui, Puellæ videlicet, quæ paucis ante matris obitum diebus in lucem prodiit, vivitque incolumis, & habitu corporis pollet, ut audio, inter Sorores omnes firmiore. Ut ergo incœptum argumentum prosequar, fidenter asseram, me in Febribus Intermittentibus benignioribus, in quibus majus, quod impendet periculum, est Abortus tum ratione concussionis violentæ corporis in frigida, & horrifica Febris invasione, tum ratione vomitus, alvi fluxus, jactationis, aliorumque symptomatum, assuetum esse confugere ad Corticem, non tam ad curationem Febris (a qua parum timeo, si sit sincera) quam ad præcautionem ipsius abortus ex Febre imminentis, impedibilis vero, Febre inhibita. Ob id quasi in morem adagii dicere consueverat Experientissimus *Frassonus* Præceptor meus semper colendus: *Chinam Chinam esse Remedium Gravidarum, & Senum, quippe diuturnis Intermittentibus ferendis imparium.*

Quemadmodum autem centies observavi in Gravidis proficuum Corticem, ita numquam, quod meminerim, noxium vel observavi, vel suspicari rationabiliter potui. Et licet quis metuat, ne insit eidem vis quædam irritans, ac stimulans, quæ tormina in Ventriculo, & Intestinis, immo tenesmum ipsum valeat excitare, ac subinde abortum parere, ego certe possum testari, me nil tale umquam animadvertisse, immo observasse potius oppositum, ut supra memoravi, in Febribus ipsis Cholericis, aliisque Tenesmo, aut Dysenteria accidentali comitatis, in quibus China China Febres submovens, inde producta simul tollebat recensita symptomata. Quod si uni inter innumeros aliquam excitet China China in Stomaco irritationem, id soli idio-

idiosyncrasiæ talis subjecti imputandum est, non remedio, nec ab ipso propterea abstinendum in aliis: sicut ab esu Casei abstinere non debet humana species, eo quia Caseus alicui hominum minime conferat. Sed & hic aliqua nonnumquam potest contingere hallucinatio, refundendo crimen aliarum forsan dispositionum in medicamen insons. Memini; nec vetus quidem est casus, *D. Comitissam Blancam* paulo ante memoratam cui febricitanti simul, atque utero gerenti China China a curantibus Medicis præscripta fuerat ultimo tandem suæ ægritudinis tempore passam esse Tenesmum. Sed hunc ipsum in unico ferme hoc, quem noverim, casu, quis quæso potius non adscribat Lumbricis paulopost usum Chinæ Chinæ copiose per alvum excretis, ut retulimus, quam ipsi Cortici longe prius epoto? Convaluit illa nihilominus ab omni morbo, partum felicissimum suo demum tempore enixa. Pariter si alicui fortasse contigerit observasse abortum ab epota non multo ante China China, ut apud nos quoque *Lib. IV. Cap. 2. Hist. 15.* is si bene animadvertat, inveniet, puto, processisse abortum non a remedio, sed a morbo, in cujus gratiam forte nimis sero adhibitum est remedium, vel ab aliquo alio accidenti. Ita mihi nonnumquam contigit abortum cernere post venam sectam, quæ tamen secta fuerat ad præcautionem prævisi periculi. Neque propterea abstineo ego a venæ sectione in morbis prægnantium, ubi ea cæteroqui indicetur: immo eadem frequenter, & repetitis quoque vicibus identidem utor, tanquam remedio utplurimum efficacissimo, & tuto, ad solam præcautionem abortus.

Quod dixi de Prægnantibus, cum proportione dico de Puerperis, Abortum passis, & Menstruas purgationes actu patientibus, quarum nulli denegari potest usus Corticis, dummodo aliunde indicetur, maxime cum nullas illum supprimere evacuationes, alibi statuerimus, & cum apud plurimos, ut *Monginotium*, *Mortonum*, aliosque viderimus, eumdem ad menses ciendos, & promovendos directe idoneum censeri, & *in Puerperio* (ut idem inquit *Mortonus*) *salubriter ministrari*. Saltem inferri potest, si hujusmodi etiam Auctores decepti sint, tribuendo Cortici virtutem, quam vere non habet, videlicet menses, vel lochia promovendi, inferri potest, inquam quod ille saltem nec Menses, nec Lochia cohibeat; neque enim poterunt Auctores illi decipi in facto: multoque minus credendum est, voluisse alios decipere. Sed omissa experientia aliena, jam propriam adducamus.

Quoad Puerperas itaque, ut abortum recenter passas, non admodum frequens est occasio utendi Cortice, nec consequenter frequens mihi experimentorum numerus, cum tempore partus, aut abortus raro suboriri soleat Febris ulla, loquendo etiam de admittentibus Corticem, quæ illius usum circa prima puerperii tempora (de quibus Quæstio posset esse rationabilior) statim exigat, præcipue cum ex rebus partus non bene procedentibus, quibus semper prospiciendum est, æque ac ex consueto fermento, occasionem plurimam Febris quælibet Puerperarum soleat nancisci. Quod si partum, aut abortum quavis de causa contingentem, Febris jam antecesserat, ut Quartana, aut Tertiana vulgaris, vix ulla occasio potest esse vel Corticem statim exhibendi, vel incœptum antecedenter illius usum sine ulla, utut brevi (quæ sufficeret) interruptione, continuandi, habita ratione cum morbi moras admittentis, tum aliorum remediorum, partui utplurimum, vel abortui necessariorum, quæ oblationi Corticis, in tali casu ex vi Febris minime periculoso, debent anteponi. Vera itaque, ac propria occasio exhibendi Corticem, illiusve usum continuandi tempore ipso partus, abortus, aut puerperii, erit tantummodo, si vel Febris Pernicioſa a fermento, de quo jam alibi, pendens, immediate ante partum, aut abortum, vel non longe a partu, aut abortu suboriatur, aut si Febris non Pernicioſa, sive partum antecedens, sive subsequens, in eum statum deveniat tempore ipso partus, abortus, aut puerperii, ut aliquo modo periculoſa evadat: sive deinde id accidat ob Ægræ imbecillitatem, sive ob gravitatem symptomatum, quæ symptomata licet maligna, aut pernicialia adhuc non sint, a lochiorum tamen fluxu, etsi congruo, non alleventur, & consequenter nonnisi sublata Febre possint auferri. In his circumstantiis, præmissis, quæ præmittenda sunt ratione partus, aut abortus, siquidem sint aliqua præmittenda, alacri animo offerendus est Cortex, eo prorsus modo, eaque dosi, quæ respondeat exigentiæ morbi, perinde ac si Ægrotans non esset Puerpera; quod a me feliciter actum est non modo in casu

Lib. IV. Cap. 2. Hiſt. 15. relato, ac paulo ſupra citato, verum & in aliis minus urgentibus, actumque eſt æque feliciter a *D. Ferratio*, ut conſtat ex illius *Hiſtoriis* mihi communicatis, pariterque paulo ante citatis: adeoque (ut circa hoc aperte me explicem) allatas ſupra conditiones, & circunſtantias oblationi Corticis tempore puerperii inſtituendæ opportunas, non retuli ut neceſſarias, quaſi citra urgentiam inſignem neque ille propinari, vel incœptus antecedenter illius uſus continuari abſque ſuſpicione periculi, ſed quia extra illas ſuperflua viſa mihi ſemper eſt ejuſdem oblatio, cum partus ipſe, & puerperia rite fluentia ſoleant plurium Morborum, Febriumve præexiſtentium medelam ſe ſolis inducere. Atque ob id etiam Cortex in Puerperis haud crebro mihi uſuvenit. Addo, quod retroactis longe temporibus, priuſquam me neceſſitas cogeret ad experimentum, hæſitabam & ipſe, non ſatis conſcius de modo inteſtinæ fermentationis excretoriæ lochiorum, aut menſtruorum, ſicut nec de modo intimo actionis Peruviani Corticis (circa quæ, ac hujuſmodi alia Naturæ arcana cæcutient diu *tabeſcentes omnes Sapientes terræ*) multoque minus de eventu ſucceſſuro ex ſimultate utriuſque. At, quod inanes ſpeculationes meæ nequaquam præſtiterant, ſatis tandem me ſuaſit, docuitque, nec tamen ſine ratione, urgens neceſſitas, & ex re feliciter geſta ſubinde ortus uſus diuturnior.

Inculpabilem quoque cohærenter ad antedicta eſſe Chinæ Chinæ oblationem, pendente ordinario Menſtruorum fluxu, non modo evincit a fortiori uſus felix ejuſdem in fluxu lochiorum tam congruo, quam imminuto, & (ut reor) etiam immodico, verum & idem a poſteriori pluries me docuit caſus; ſiquidem non ſemel mulieribus, quibus præſcripſeram in Febribus diuturnioribus modo ad curationem, modo ad prophylaxim Peruvianum Corticem ad longum tempus, ſupervenere interim purgationes menſtruæ. Cumque me tunc illas minime inviſente neſcirent præciſe, quid agendum ſibi, uſum remedii ſine ulla interruptione proſequutæ ſunt, utpote non admonitæ de ſuſpenſione illius in tali caſu; neque proinde remoram ullam injecit remedium fluxui, nec ullam promovit exuberantiam; finem vero, pro cujus conſequutione illud aſſumpſerat, ipſæ feliciter attigerunt. Fortuito itaque factus compos tutiſſimæ adminiſtrationis illius in hujuſmodi caſibus, deinceps in iiſdem cœpi exhibere incunctanter. Quamobrem ubi opus exigat præſcribere Corticem in Febre periculoſa (dummodo ſit ex admittentibus illum) præſcribo tam in hac circumſtantia, quam extra illam, & tam copioſe, ſi occaſio ferat, quam modice, probe conſcius, nullam eſſe circumſtantiam a tempore, ætate, ſexu, temperamento, vel alia quavis conditione petitam, quæ uſum Corticis cæteroqui rationabiliter indicatum valeat prohibere. Ubi vero Febris careat periculo, & moram admittat, relinquo arbitrio Mulierum plus vel minus meticuloſarum, uſum illius inchoare, vel non, fluentibus Menſtruis, incœptum proſequi, vel ſuſpendere ad libitum, ſive ad curationem aſſumant, ſive ad præcautionem, dummodo uſum ſuſpenſum, abſoluto poſtmodum fluxu menſtruo, iterum reſumant. Atque eo facilius in eam interruptionem conſentio, quoniam extra hanc quoque occaſionem utile eſt, mihique admodum familiare, Corticis adminiſtrationi intervalla aliquot vacua intermiſcere, cum ſcilicet ad prophylaxim pro inhibenda recidiva præſcribo. Idque eo præſertim nomine faciendum puto, ne degenerante ſenſim in quemdam veluti torporem Naturæ diu remedium ferentis tolerantia, ejuſdem tandem aſſidui, placidique remedii vires nimia frangat, infirmetve ipſum ferendi conſuetudo.

Quæritur Tertio.

An ex eo, quod China China *ſit Remedium ſuapte natura innocens, licet eam tentandi gratia indiſcriminatim uſurpare in quibuslibet Febribus, & Morbis, iis etiam, in quibus communiter deprehendi ſolet inutilis: & negatur.*

SUpervacaneum credidiſſem univerſale examen iſtiuſmodi hic inſtituere, niſi hoc ipſum, tum generaliter tum ſpecialiter in familiari colloquio medico præter intentionem ſuſcipere fuiſſem olim coactus, atque in terminis quidem ſtrictioribus, minuſque diſputabilibus; in ſuppoſitione videlicet cujuſdam Morbi, in quo ex communi ſenſu, & experientia Auctorum quoque China China liberaliter utentium, ea reperta ſit ſemper fruſtranea.

Ut

Ut rem paucis expediam, absque ulla hæsitantia dico, non debere, neque rationabiliter posse Corticem Peruvianum præscribi, ubi hæc duo non concurrant, nempe primo, quod aliqua saltem, utut levis, adsit rationabilis conjectura, posse illum prodesse; secundo, quod hujusmodi conjectura non destruatur a communi experientia, & constanti assertione Scriptorum Classicorum China China uti assuetorum, eamque iis casibus se observasse inutilem asserentium: quæ duæ conditiones solummodo possunt concurrere in iis Morbis, & casibus, in quibus nondum factum fuerit, quod sciamus, ullum tentamen illius a Practicis melioribus, adsitque nihilominus nonnulla conjecturalis ratio, sive in sanioribus hypothesibus, sive in observationibus nonnihil analogis fundata, quæ suadeat tentamen hujusmodi; concurrentibus siquidem hisce conditionibus, naturalis innocentia remedii tentamen etiam inutile potis est excusare; iisdem vero absentibus, vel contrariis præsentibus, illud idem tentamen non modo irrationabile censendum erit, sed juxta varietatem casuum, ac circumstantiarum, vel ridiculum, & imprudens, vel temerarium, vel forte noxium. Atque hic tota rei summa paucis restricta jam visitur.

Jam vero in ipso hujusce disquisitionis limine videri forsan poterit (ut alicui quondam visa est) contraria iis, quæ scripsimus de innocentia Remedii, triplex isthæc assertio. Ast quilibet diversimode præoccupatus animadvertat velim primo, quod pro curandis morbis remediorum usurpandorum ratio desumi non debet ex eo, quod noxia illa non sint, sed ex eo, quod positive proficua censeantur, atque ut talia praxis meliorum receperit; alias omnes Confectiones, & Julapia, quæ Cardiacorum nomine audiunt, in quovis morbo, puta in Suffusione, in Surditate, in Podagra, & similibus possent rationabiliter usurpari pro peculiari eorumdem morborum medela, parique ratione usurpari posset ad Verrucas, & pedum clavos Chinæ Chinæ potio, quia hæc non minus quam antedicta Cardiaca saltem innoxie usurparetur. Quid autem in linea Medica ridiculum magis? Animadvertat secundo, nos asseruisse semper innocuum quoad substantiam suam Peruvianum Corticem, talemque probasse rancidis inhærendo Adversantium principiis ex hoc, quod nullum excessum præseferat in manifestis qualitatibus, nullamque pariter pravitatem velet in occultis; nullam enim qualitatem, aut vim latentem in eo vere deprehendimus, nisi febrifugam; attendatque nos, id inculcasse adversus primos inexpertos osores Corticis, penes quos (ambigo an majore fatuitate dicam an pervicacia) suspecta erat de venefica quasi, vel præstigiosa natura novitas, & virtus admiranda remedii: Cæterum noxiam millies in hoc Tractatu diximus esse posse, non substantiam illius quantum est in se, quippe suapte natura insontem; sed incongruam, & præ cæteris intempestivam, ac præcocem oblationem substantiæ illius, etsi per se ipsam insontis: immo eo casu solum esse noxiam oblationem substantiæ illius Febrem sistentis, quia ipsa substantia perfecta est, & naturali suo fungitur officio; sed cum imperite per eam sistatur nonnumquam Febris, quam nullo pacto deceret sistere, quippe Depuratoriam, & stantem loco remedii, vel sistatur tunc, cum magis expediret ob eamdem rationem sinere illam progredi; idcirco sarta tecta remanente innocentia substantiæ remedii, noxia evadit imprudens illius oblatio, ut fusius explicuimus in *Responsionibus nostris Jatro -- apologeticis ad Clarissimum Ramazzinum*. Id autem non remedii crimen est, sed crimen Medici remedium insons, ubi illud nullatenus convenit, vel ubi convenit culpabiliter præscribentis. Quid quæso innoxium magis quoad substantiam suam Pane, Carnibus, aliisque salubribus esculentis, quibus quotidie vescimur sani, quibusque utimur etiam in Morbis chronicis? Ecquis tamen proinde rationalis Medicus isthæc indiscriminatim in Morbis acutis, vel in ipsa Febrium invasione suis Ægris præscribat; vel innoxia, quæ præbet Ægris, medicamina suadeat Sanis? Nimis nempe notum est, nimisque vulgatum, quod

..... data tempore prosunt,
Et data non apto tempore Vina nocent.

His ergo pariter nominibus noxia nonnumquam esse poterit Peruviani Corticis, etsi natura sua innocentis, oblatio. Animadvertat denique tertio, administrationem hujusce Remedii, ubi secundum communem meliorum Practicorum sententiam, & experientiam nequit prodesse, quamvis noxia fortasse non sit,

posse

posse tamen esse nedum imprudentem, sed & temerariam, quippe de damno fortuito saltem suspectam: circa quod liceat fusius nonnihil pro Juniorum saltem institutione differere. China China, etsi per se ipsam innoxia, neque ullo modo sensibiliter perturbans œconomiam humani corporis, tandem cibus ea non est, sed Medicamentum, ariduque Cortex arboris exotici nobis ignoti, adeoque re ipsa lignum, haud secus ac lignum vere sint scobes cujuslibet alterius arboris, quæ tamen indiscriminatim nequaquam exhiberentur ulli febricitanti, eo nomine, quod sint naturæ per se ipsas innoxiæ, quia nempe aliquem (ni quid pejus) in stomacho possent inferre gravitatis sensum, ut China China ipsa vere nonnullis hujusmodi incommodum aliquando solet inferre. Ad hæc remedium istud, etsi stipticitatem potius aliquam consuescat inducere, quandoque tamen ventrem nonnullis solvit instar remedii purgantis, tuncque infirmior esse solet, vel brevioris durationis in nostro corpore vis ejus Febrifuga. Si ergo vel alvi stipticitatem inferat, vel alvum solvat cum aliquo, ut facile contingere potest, ægri damno, ubi solius innocentiæ titulo præter leges ordinarias administretur, nonne id cum temeritatis nota patratum dicetur?

Sed quid quæso, si vera forent, non tot mala quidem, quæ plurimi somniarunt anteacti seculi Scriptores ab ejus usu metuentes Icterum, Obstructiones, Hydropem, Apoplexiam &c. sed ea solum, quæ suspicatus est ille idem famigeratissimus *Sydenham*, qui de illius naturali innocentia, tot, & tanta testatur, ut suis ipsius Textibus alias retulimus? Narrat hic Auctor in Epistola ad *Bradium*, Febrifugum istud in Anglia in quamdam olim desuetudinem, & contemptum ferme universalem abiisse, eo quod nonnulli ex Febribus Intermittentibus laborantes, eo paulo ante accessionem epoto, paucas post horas obierint, atque ex iis duos, vel tres nominatim profert sibi notos; idemque sibi contigisse in uno ex suis Ægrotis mihi olim fassus est *Cl. Ramazzinus* cum viveret, eo scilicet tempore, quo Cortici amicus erat, & opinionibus meis, quemadmodum videre est in *Responsionibus meis Jatro-apologeticis* ad eumdem §. 32. *pag.* 104. quas *Responsiones* quasi mei complementum Operis hortor, ne graventur legere Tyrones, & quotquot materiæ hujus Pyretologicæ, ac omnifariæ administrationis Peruviani Febrifugi completa notione indigent. Equidem, ut ad *Sydenhamium* redeam, infaustorum eventuum prædictorum culpam omnem refundit Auctor ille non in remedium certe a se pro innoxio assertum, & habitum, sed in oblationem intempestivam, quia nempe more priorum temporum paulo ante accessionem iis Ægrotis fuerat exhibitum: cui tamen malo asserit facile prospici simplici adhibita cautela exhibendi Febrifugum declinante solum, vel soluto integre paroxysmo, atque hac una via refert fuisse illud primævæ æstimationi restitutum. Existimat quippe magnus hic Practicus, ea infortunia contigisse exhibito paulo ante accessionem Febrifugo, quia eo tempore cumulata jam tota paroxysmi imminentis materia, hæc a vi Febrifugi violenter repressa nequibat amplius methodo naturæ digeri, sed affatim suffocata ægrum affatim suffocabat: cujus sententiæ videtur fuisse etiam *Sponius*, inquiens, *nonnullos ex conflictu excitato inter Febrem, & Remedium interiisse*: Ego vero, ut ingenue fatear, non paulo ante accessionem quidem, sed actu invadente accessione, in ipso scilicet frigoris, & tremoris initio centies ac centies vidi a Præceptore meo *Frassono* exhiberi Corticem, illumque centies ac centies primis temporibus exhibui & ipse eodem modo in benignis Intermittentibus semper feliciter, ac semper innoxie. Aliam propterea lethalium eventuum recensitorum causam fuisse sum conjectatus *Lib. III. Cap.* 4. eamque obiter etiam tetigi in citatis *Responsionibus meis Jatro-apologeticis* §. 35. *pag.* 118. Quod si ratio Causalis, propter quam *Sydenham* putat oblationem Corticis instante proxime accessione esse posse, & reapse fuisse lethalem, forte subsistat, quid metuendum non erit ab illius oblatione in iis Febribus, aut Morbis, in quibus ille nullius esse juvaminis communiter deprehenditur, & in quibus ignoramus quinam sit, aut ubi sit cumulus materiæ morbificæ, quænam futura sit inter materiam ipsam, & remedium lucta, vel quodnam tempus illiusmodi tentamini magis propitium? Anne ergo præscribetur animo vere sanandi Tabidis, Peripneumonicis, Pleu-

Pleuriticis e Morbi radice talibus, & aliis hujuſmodi, poſtquam experientiſſimus *Mortonus* (memetipſum excipio, etſi in materia facti teſtem idoneum) illam eſt teſtatus invalidam, & *Sydenham* plane noxiam, amboque ratione ſimul, & longa experientia freti, non obſtante nativa innocentia remedii ab eis veridice decantata, hæc protulere, ut infra protuliſſe oſtendemus?

Non ego hic quæro, an China China Sanguinem, alioſque humores figat, ut plurimi cenſent e Medicorum vulgo, iique forſan præ aliis, qui præ aliis ea abutuntur innocentiæ titulo; hanc enim opinionem in eo ſenſu, in quo communiter ſolet recipi, rejeci jam ſatis tum *Lib. I. hujuſce Tractatus Cap.* 3. tum maxime in *Reſponſionibus meis Jatro-apologeticis* §. 4. *pag.* 136. & 137. Dico tamen utroque loco, eam quodammodo figere febrile Intermittentium fermentum, quodcumque ſit, illud combibendo, vel abſorbendo per meum intelligendi modum, ſive forſan illud diſgregando, & diſſipando; ut cenſet *Annymus Conygius*, ſive *Honoratus Fabri*. Quid poſſit illa agere in fermentum Continuarum ab eſſentia, quod certe non ſubigit, quidve in humores aliorum Morborum effectores, me latet; ac propterea ubi ſciam, eam ptodeſſe non poſſe (non poſſe autem credam, ubi numquam ex meliorum experientia profuit) dubio procul prætextu innocentiæ ſuæ nequaquam utar.

Rurſus equidem pro mea ingenuitate repeto, nullam ex ejus uſu, ubi ea ab imperitis præſcripta nullatenus conveniebat, noxam ſenſibilem obſervaſſe, ut id malum obſervavi ſæpius ex uſu intempeſtivo in Febribus Intermittentibus, maxime quidem in plane Depurativis nonnihil quoque protractis, ut recentibus etiam exemplis annotavi *Lib. I. Cap. X.*, non raro vero etiam in Febribus non plane Depurativis illamque propterea ſuapte natura admiſſuris, ſed nonnihil ſerius; neque tamen damnoſe id ſemper: nonnumquam enim, rarius licet, Febres hujuſmodi omnino immature ſuppreſſas, neque rediiſſe, neque quicquam aliud morboſum peperiſſe vidi; ſed heu quoties vidi & oppoſitum! nec ſine ratione quidem: certum eſt quippe ex principiis, noſtris, quod is, qui Febrem ſiſtit vere *Depuratoriam*, quæque talem cum facili ægrotantis tolerantia ſe prodit (ſi quidem non raro Depurativa eſt quoque quæ ægrum haud leviter vexat) etſi medicamento utatur ex ſe innoxio, nihilominus errat; quatenus tollit de medio remedium abſumptivum Cauſæ morbificæ, videlicet efferveſcentiam febrilem depuratricem infecti Sanguinis, ut illi ſubſiſtuat aliud remedium mere abſorptivum ejuſdem Cauſæ morbificæ, cujus ſemper certa non eſt poſt abſorptionem eliminatio, vel ſubactio perfecta, dato quod nonnumquam id accidat, ut nuper ſum faſſus. Cum itaque qui per Chinam Chinam curare indiſcriminatim aggreditur Febres etiam *Depurativas*, præſertim circa illarum initia, ſpontaneam impediat ſolutionem morbi, qui mediis febrilibus deflagrationibus ſenſim jam *judicatur* per viam lentæ (verbo ſit venia) *Coctionis*, ponatque per conſequens in ancipiti ſpem cæteroqui moraliter certam felicis exitus, temere, ac præter rationem operatur, peccatque directe contra tritum illud, & ſummopere verum *Hippocratis*, nempe quod -- *Quæ judicantur, neque movere, neque novare aliquid, ſed ſinere oportet*.

Ut vero ad oblationem Chinæ Chinæ, ubi ea ex communi vere expertorum obſervatione, ac ſenſu fruſtranea, & inefs reperta ſit, redeam, fidenter dico, non obſtante quod in quibuſdam ejuſmodi caſibus, qui pauci revera fuere, nulla ſenſibilis noxa mihi fuerit obſervata, temerariam nihilominus eſſe, nec omni carentem periculo illius adminiſtrationem, quantumvis ſubſtantia remedii ex ſe ſit innocens. Atque iterum ſic progredior. Quæcumque ſit vis illius, ſive abſorbens, ſive diſgregans, ſive figens, ſive quidpiam aliud intra nos efficiens, certum eſt, quod vis illa maxima eſt, & talis, ut illi par ulla non ſit in linea Alexipyretorum, neque Specificorum cujuſcumque ordinis, certuſque, citus, & conſtans illius operandi modus maximum ſupra humores noſtri Corporis periodice febrientes dominium oſtendit; iſta vero vis incomparabilis, in quo conſiſtat, neſcimus, neſcimus modum, quo ipſa agit, neſcimuſque tandem objectum, in quod agit, videlicet Cauſam febrilem, ſeu Fermentum febrile. Quid ergo, non obſtante innocentia prædicta, poſſit illa per accidens nonnumquam efficere intra humores tam varios, tamque varie alterabiles noſtri Corporis, vel in partes illius ſolidas: uno verbo, an poſſit ullo pacto

vel

vel ſenſibiliter, vel inſenſibiliter lædere, quando ad exercendam incaſſum vim ſuam validiſſimam, & ignotam citra veram occaſionem violenter cogitur, ne dicam damnatur, id eſt, quod pariter me prorſus latet, & quod propterea me retrahit ab uſu illius, ubi eam nequaquam prodeſſe ſit notum. Neque enim hic agitur de vulgaribus, uſitatiſque Specificis, & alterantibus, quorum fere omnium innocentia, ſi quod eſt velimus fateri, conſiſtit in hoc, quod neque ſenſibiliter lædant, ubi non congruunt, neque ſenſibiliter, ubi congruunt, proficiant, vel ſi proficiunt (quod incertum eſt quoque) id nonniſi longo temporis tractu pedetentim præſtent; ut propterea parum interſit, an quis loco Specifici Cephalici crediti, v. g. loco ungulæ Alcis, ſpecificum Pectorale, puta Pulmonem Vulpis, vel Lucii mandibulam in vertigine uſurpet: idem dic de Farfara loco Betonicæ &c. ſed agitur de Specifico, & Alterante, quod ubi convenit, poteſt pereuntem hominem ab Orci faucibus & certo, & ſtatim eripere: idque non per qualitates, ut vocant, Senſibiles (quas tamen poſſidet, creditur que idcirco non exigui caloris particeps) ſed per occultam efficaciſſimam, de qua plane ignoramus, an ſicuti Periodicis febribus in noſtram utilitatem adverſatur: ſic alicui forſan diſpoſitioni fortuitæ noſtri Corporis, ubi hoſtem non invenit quem peſſundet, ſed alium loco illius plane refractarium nanciſcitur, adverſatura nonnumquam ſit in damnum noſtrum. Certe ſpirituoſa quædam potio efficaciter ſudorifica, ad leges Artis compoſita, & opportuno tempore exhibita in ſubjecto febricitante, ſimulque in bonam diaphoreſim ſufficienter proclivi, non leve beneficium potis eſt revera producere; eadem vero in ſubjecto, vel morbo ad ſuſcipiendam remedii actionem nequaquam diſpoſito, non leve damnum ex oppoſito poteſt inferre.

Verum quid opus eſt ab aliis remediis exempla depromere, ſi de China China ipſa, ubi vim ſuam febrifugam nequivit exerere, quid non abſimile ſuſpicatus eſt Author, centies innocentiam illius intrinſecam religioſe teſtatus & in ejus uſum ſumme proclivis, nempe *Richardus Morton*? Hic igitur in *Phthiſiologiæ* ſuæ *Lib. II. Cap.* 10. poſtquam ad Febres Phthiſicoruæ putridas Intermittentes leniendas, vel ſupprimendos nonnumquam ad tempus earum paroxyſmos, atque impetrandas inducias, ut inquit, parum fidas, atque incertas (præmiſſo conſtanter, ut pariter inquit, lethali de Ægri vita prognoſtico) Peruviani Corticis uſum propoſuit; ſubinde tamen faſſus eſt ad calcem ejuſdem Capitis, non modo quod ejus operatio illis caſibus non æque certo, ac perpetuo ſcopum ſuum attigit, ac in ſimplicibus Intermittentibus; verum etiam quod ubi eum non proficere perſpexit, Ægrotantem (quæcumque fuerit diſpoſitio præcedens) pejus quam antea ſe habuiſſe. En illius præciſa verba: *Libere tamen fateor, me non obſervaſſe Corticem æque certo, & perpetuo in Febre Phthiſica intermittente ſcopum ſuum attigiſſe, ac in Intermittente ſimplici a mere morbida ſanguinis diatheſi orta: Ubi autem minus proficere perſpexi, ſemper ſuſpicatus ſum jam lædi cerebrum, & genus nervoſum; atque Ægrum deliriis, & ſpaſmis magis obnoxium fuiſſe, quam antea fuerat:* Nolo hic *Mortoni* effatum adeo ſcrutari, ut diſquiram, an læſio Cerebri, & nervoſi generis, quam ſuſpicatus eſt, credita ſit ab eo irrepere jam cœpiſſe ante oblationem Corticis, qui proinde nequaquam profecerit, an ſucceſſiſſe oblationi illius, eo quod vis ejuſdem proficere neſciens nocuerit. Mihi ſat ſit ſcire, quod poſt ejus uſum invalidum Æger in deterius ruerit, ut ab eodem caveam, ubi nequit prodeſſe. Cæterum quæri poſſet, qui fiat, ut deliria, ſpaſmi, lethargus, & ſimilia obſeſſi jam Cerebri, & nervoſi generis ſymptomata, per Chinam Chinam ſtatim tollantur in iis febribus, utut Pernicialibus, quæ Febrifugo revera auſcultant; minime vero ſublata fuerint, ſed *magis aucta* in iis, in quibus illam perſpexit invalidam. Sane non erit abs re, ſi forte id factum ſuſpicemur ab egregia per ſe remedii vi, ſed incaſſum exercita, & perperam in malum uſum, tandemque in noxam tradu&ta. Quod ſi non irrationabilis eſt hæc ſuſpicio in caſibus, ubi cæteroqui eadem China China nonnihil temporanei levaminis ſolet nonnumquam afferre, quanto rationabilior erit metus, ne poſſit obeſſe, ubi numquam prodeſſe conſuevit? Apertius adhuc quam *Morton* loquitur in Epiſtolis *Sydenham* æque exercitatus ac ille in uſu remedii, a ſe pro innoxio ubi congruat habiti: ibi namque poſt excluſas a ditione Corticis Febres

bres Continuas vere excludendas, incunctanter ſubdit, quod ſi in iiſdem libeat de Peruviano Cortice periculum facere, *non alios effectus* (ſunt hæc illius præciſa verba) *ex ejus uſu expectare licet, quam eos, quos hodie in Pleuritide, Peripneumonia, Angina, ac id genus Febribus inflammatoriis videmus, quibus non tantum non prodeſt, ſed & plane obeſt:* quod quidem intelligendum de Pleuritide morbo Febrem ſymptomaticam inflammatoriam ſecum trahente; non de Pleuritide ſymptomata Febrim eſſentialem, vel intermittentem, vel etiam continuam, ſed ſatis conſpicue periodicantem, nonnumquam comitante; quo caſu non inutilem prorſus Peruviani Corticis operam ſum aliquoties expertus. Quod de Febribus Inflammatoriis, ab interna ſcilicet inflammatione oriundis, aſſerit *Sydenham*, confirmat cum communi graviorum Scriptorum *Cl. Nigriſolus* in Libro, cui titulus -- *Febris China China expugnata*, & ſpecialiter in Notis ad *Blegnyum n.* 19. aſſerens ſe iis caſibus eamdem vidiſſe vel *irrito ſemper conatu, vel exitu ſemper parum felici exhibitam*. Neque aliter ipſe mihi pluries obſervaſſe ſuum viſus, ut ſuboſcure ſaltem indicare in animo habui, ejuſdem *Nigriſoli* Obſervationem meis conformem innuens ſub initio *Cap. II. hujuſce Libri*. Quis ergo ſe vadem præbeat, nullam adeſſe latentem & nobis occultam internam (quod ſæpe accidit) inflammationem in iis Febribus, aut Morbis, in quibus contra experientiam communem illius uſum tentare præſumimus?

Iſtiuſmodi conſiderationes, totque Clariſſimorum Virorum ſano uſui Corticis cæteroqui amicorum aſſerta nuper relata, & meis quoque Obſervationibus conſentanea deprehenſa, eam mihi cautelam indidere, ut nedum ab ejus oblatione ſemper abſtinendum duxerim iis in Morbis, in quibus vere non indicatur; ſed neque Sanis ipſis ad præcautionem (cum ſcilicet regnant, vel inſtant Conſtitutiones, & tempeſtates febrium Periodicarum feraces) fuerim auſus hucuſque, vel impræſentiarum audeam proponere; minime quidem quia id improbem, ſed quia hæreo nonnihil incertus, etſi de hujuſmodi praxi, ex ſe certe non irrationabili, nulla ſit experientia in contrarium; immo potius quæ haberi potuit, ſit favorabilis. Convaleſcentibus enim ex iis febribus, & in relapſum pronis China China ad præcautionem communiter cum fructu, quin & neceſſario exhibetur, eamque hoc nomine etiam omnino ſanis exhibitam fuiſſe, & quotannis repeti conſueviſſe ſcimus Invictiſſimo quondam Gallarum Regi LUDOVICO XIV. Attamen cum experientia hujuſmodi reſpectu Sanorum ſemper incerta futura ſit; tunc cum favorabilis extiterit, (neſcimus enim an qui China China ad præmunitionem epota immunis remanſit, debuiſſet ea omiſſa decumbere, nec ne) ſolumque certa queat eſſe experientia de oppoſito, ſi nempe quiſpiam China China ad prophylaxim uſus, nihilominus æque decumbat ac ii, qui nullatenus eam ſumpſere; idcirco ab iſtiuſmodi experimento; quod aliis etiamnum tentandum relinquo, hactenus abſtinendum cenſui: cum lateat, ut ajébam, quid illa in diverſis diverſorum corporum diſpoſitionibus poſſit efficere, tunc cum Antagoniſtam ſuum luctæ ſuſcipiendæ paratum non reperit, ſeu cum materia Febris remota nondum eſt in motu, neque ad efferveſcendum diſpoſita. Equidem ſi China China ſuum munus in humanum Corpus exerceret præciſe per hoc, quod naturali humorum Symmetriæ robur quoddam poſitivum adderet, quo mediante iidem valerent ſibi ſponte reſtitui, atque hinc ſpontanea pariter emergeret Morbi ceſſatio, abſque ulla medicaminis in Morbum ipſum, ejuſque Cauſam pugna, in hac ſuppoſitione China China, quaſiquid mere balſamicum, videretur poſſe pro libito ad præcavendas Febres uſurpari; ſed hic, ni fallor, non videtur eſſe; nec eſſe poſſe illius agendi modus; qui ad febrile potius, ut reor, Fermentum præciſe abſorbendum, ſubigendum, atque domandum vi pluries repetita, ne rurſus reviviſcat, videtur dirigi, media quadam lucta; cui non abſimilem videmus inter duos liquores ex mutua commixtione efferveſcentes: & quandocumque etiam plane pacifice intra corpus noſtrum id fieret, cum alioqui incertum ſit, an qui ſubeundæ v. g. Tertianæ Febri diſpoſitus eſt, eam ſit fortiturus *Corruptricem*, ac proinde arcendam pro viribus, an potius *Depurativam;* penes me autem ſatius ſi hanc ſubire, quam ab ea præcaveri, ob eaſdem rationes, propter quas dixi nec expedire ab eadem, ſi invaſerit, per Chinam Chinam curari; propterea etiam ex hoc capite ambigo, an Sanis ea ſuadenda ſit ad prophylaxim, etiamſi certum foret (quod

ſane

ſane non eſt) poſſe per illam in ſtatu ſano Febres Intermittentes præcaveri. Quodcunque nihilominus hac de re libeat judicium ferre, id cujuſvis fidentioris arbitrio relictum volo; non enim (ut fatear) pari paſſu putarim procedere inter ſtatum ſani, & ægri hominis ſuſpiciones meas ſuperius allatas. Iis igitur jam ſatis uſquemodo in conſpectum poſitis, in rem eandem noſtram concludo tribus hiſce Theorematis plane inconcuſſis. Primum eſt, quod *China China eſt magnum, præſtantiſſimumque Febrifugum, & ſuapte natura innoxium*. Secundum, quod *in Mundo univerſo non eſt Medicamentum, neque Alimentum ullum, quantumvis innoxium, quod extra opportunitatem datum nocere non poſſit*. Tertium denique, quod *Medicamentum quodlibet ſemper extra opportunitatem datum cenſendum eſt, quando ibi adminiſtratur, ubi communis experientia oſtendit, illud nequaquam prodeſſe*.

Non ego tamen per ea, quæ hactenus protuli, eos activitati Peruviani Corticis intendo conſtituere limites, ut de illius viribus nil ultra quærendum ſit. Etſi enim fortaſſe nil detegendum ſuperſit ultra quod eſt hucuſque detectum: attamen non improbaverim qui ulterius pergere moliatur in exploranda ad alios morbos, aut Febres illius virtute: ad eas inquam præſertim Febres, quæ ſunt naturæ quodammodo ancipitis quoad recipiendam modo, & modo aſpernandam illius actionem, quarum Febrium genium verſatilem fuſe indicavi *Cap. III. hujuſce Libri*, & in *Icone* paulo ante ob oculos poſita expreſſum volui. Quod dico de hiſce, aliiſve Febribus, v. gr. Lymphaticis (in quibus ſæpius invalidum reperi Peruvianum Corticem) dictum volo de Morbis omnibus, in quibus nondum ullum ex una parte de hoc remedio factum fuerit a gravibus, eoque uti aſſuetis Auctoribus contrarium experimentum, atque ex alia parte ad tentamen hujuſmodi aliqua moveat non commentitia, & aerea, ſed probabilis, & prudens conjectura, ſive inſolidis rationibus phyſicis, ſive in obſervationibus experimentalibus plurimum analogis veriſimiliter fundata. His enim concurrentibus conditionibus ceſſat cautela antedicta de ſuſpicione in contrarium, & congruenter ſubingreditur favorabilis præſumptio reſultans ex innocentia ſubſtantiæ Remedii.

Neque pariter per eadem, quæ hic, & alibi, præſertim in nonnullis Additionibus hujuſce novæ Editionis loquutus ſum de malo, & intempeſtivo uſu Peruviani Corticis, ſibi quiſpiam perſuadeat, velle me ullum metum incutere, vel quicquam de illa fiducia recte, ac opportune utentibus demere, quam in prima Tractatus editione iiſdem luculenter indidi; ea enim ex adverſo mihi mens eſt, ut plane nolim ab iis, quæ tunc de uſu Corticis evulgavi, ne latum quidem unguem recedere, neque dogmata meæ Praxeos, quæcunque fuerint, ullo pacto modificare, ſive reſtringere, ſed ea potius mediis iiſdem Additamentis undique comprobare, tum ea parte, qua admirandam Remedii virtutem ad Pernicioſas præſertim Intermittentes, & Subcontinuas eximiis laudibus extuli: quam partem ſatis receptam univerſaliter a Profeſſoribus & ſcio, & lætor; tum ea, qua cautelas omnes uſum inopportunum docentes inſimul, atque vetantes ſum perſequutus: quam partem, ut fatear, identidem haud ſatis excultam & video, & doleo. Atque ut circa hoc quoque præter regulas particulares ſuis locis jam ſatis expoſitas, quidpiam generaliter ſubdam, liceat mihi Modulum quendam, ſive Exemplar practicum operandi, atque pro re nata cavendi incidenter ab occaſione depromere, illudve Practicorum oculis ſpectandum exhibere: qua equidem in re neutiquam piget me quoad generalem quandam Ideam ſequi veſtigia, etſi nequeam quoad ſpecialem ſequi ſenſa Clariſſimi *Ramazzini*, mei quondam in hac materia Antagoniſtæ ſemper ſpectabilis, ſemperque colendi. Clauſit ille Diſſertationem ſuam *de Abuſu Chinæ Chinæ* hoc dogmate, videlicet, *Uſum Peruviani Corticis in febribus intervallatis eſſe debere, qualis eſt uſus Opii in doloribus demulcendis, atque ad tempus ſedandis*. Dogma iſtiuſmodi, utpote nimis reſtrictum, & actum (eo maxime, quo Author ſe explicat ſenſu) ſive Modulum hunc ab eodem pro Archetypo in hanc rem nobis oblatum debita proportione carere, habito reſpectu ad opus faciendum, ſatis ſuperque oſtendi, rejecique idcirco in *Reſponſionibus meis Jatro-apologeticis ad §. 48. pag. 173. & ſeq.* quamobrem hunc alium potius illi ſubſtituendum dixerim, ſcilicet, *Uſum Peruviani Corticis ad expungendas eaſdem Febres* (hic intellige Vulgares tantum: Pernicioſarum ſiquidem

dem Intermittentium curatio ſub hac regula nequaquam cadit ;) *eſſe debere, qualis eſſe ſolet uſus externus Sulphuris ad depellendam Scabiem.* Ut me clarius explicem in gratiam Tyronum, notum eſt medicis omnibus, Sulphur bis aut ter externe illitum, Scabiem multiplicis generis, ſive humidam, ſive ſiccam cito, ac certo depellere, & cutem mundare. Notum eſt pariter; de Scabiebus alias eſſe, ut ſic dicam, Corruptrices liquidorum noſtri corporis, cujuſmodi ſunt quæ habent radicale vitium in cute ſive fuerint illæ ab ingenitis in ipſa cute vermiculis, aut Acaris ortæ (omnibus enim Scabiebus unam hanc eſſe originem non ita facile admiſerim) ſive per contactum fuerint ab externo communicatæ alias vero eſſe eorundem liquidorum Depuratrices, cujuſmodi ſunt, quæ poſt longas ægritudines ſolent erumpere; aliæque non raro de genere præſertim humido, ſponte prodeuntes, quæ puſtulis, & tuberculis pus, & ichorem manantibus ſolent ſcatere. Certe has utriuſque generis Scabies, dum ſiccas videlicet, tum humidas (addamus inſuper, etiam pro Depurativis nonnunquam habitas) illitione Sulphuris, impurgato corpore, hyemali etiam tempore, expulſas non ſemel vidi abſque ullo ſubſequente ſanitatis detrimento, aut incommodo, præſertim in robuſtis hominibus, aſſiduoque labori, motui, & corporis exercitio adſtrictis, aut deditis. Felicius autem ſemper; ut & rationabilius, id accidiſſe obſervavi, ubi Scabie *recenter* per contactum ſuſcepta, priuſquam labes fluidis circulantibus communicaretur, fuit illa per externam Sulphuris applicationem depulſa vel ubi eadem labe ipſis fluidis jam communicata, & impreſſa, aliquis ſubinde conceſſus fuit Scabiei jam introductæ progreſſus, & diuturna quædam materiæ ſucceſſive erumpentis imminutio, atque conſumptio, demumque fuit poſt præmiſſam, prout opportuna credita eſt, venarum depletionem, atque ablutionem cavitatum, Vernali tandem, aut Æſtiva tempeſtate, favente ſimul tranſpirationis libertate, & Balneorum aquæ fluvialis commodo, adminiſtratum Sulphur. Contra vero pluries ac pluries, forſan & centies, novi ex ſuppreſſa per ſolam ejuſdem Sulphuris butyro excepti inunctionem Scabie ſponte orta, vel ægritudinis diuturnarum, aut acutarum ſubſequa, ſtatim Febres Inflammatorias maxime vero Pleuritides, Peripneumonias, & Pectoris hydropes, aliaque non abſimilia mala erupiſſe, quorum non paucis funeſtum tandem terminum impoſuit mors ipſa.

Cuncta hæc, quæ dicta ſunt de variis Scabiei ſpeciebus, quarum plurimæ nunquam, aut fere nunquam Sulphure ſunt attingendæ, ſi nempe Depuratoriæ extiterint; aliæ, quamvis Corruptrices, non omni tamen tempore, & modo poſſunt attingi, quia nempe non ſemper æque tuto, etſi æque cito, depellerentur, cuncta, inquam, hæc ad varias Febrium Periodicarum, tum Depurativarum, tum Corruptivarum ſpecies, æque facile quidem, & æque cito, ſed non ſemper æque tuto, quovis etiam earum tempore per Chinam Chinam fugabiles, proportionaliter debent referri. Nec aliud deeſt ad hoc, ut quis opportunitatem, modum, & locum exhibendi Remedii poſſit ediſcere, niſi ut primo loco ad Febrium Naturam, & Differentias, ſecundo ad Regulas, & Cautiones omnes, quas toto Tractatu recenſui, & inculcavi, tertio tandem ad ea omnia, quæ in *Reſponſionibus meis Jatro apologeticis* nuper citatis eidem Clariſſimo *Ramazzino* repoſui circa uſum, & abuſum Chinæ Chinæ, animum a præjudiciis immunem diligenter advertat.

Quæritur Quarto.

An Cortex Peruvianus *per Clyſteres injectus, aut Carpis appoſitus quicquam curationi Febrium conferre valeat. Primus modus, utut imbecillus, non plane rejicitur. Secundus nil prope præbet fiduciæ, languida illinc, hinc inani reſpondente experientia.*

FEBRES Cortice curabiles, nullo per os exhibito medicamine, ſed ipſo tantum Cortice per Clyſteres frequenter ad plures dies injecto, facillime curari vulgatum fuit ab *Helvetio* ante annos aliquot peculiari Libello ad hanc Methodum innuendam, & promovendam edito. Paradoxa tamen pleriſque viſa eſt hæc opinio; nec ſine ratione quidem, eamque diſerte ſatis examinat *Nigriſolus* in Libro alias citato, ad quem curioſos relegamus. Nos, qui dimiſſis opinionibus, de ſola experientia ſumus ſoliciti, ſi non aliena, quam ſuis Auctoribus relin-

relinquimus, & legentium fidei, saltem propria, quid nobis circa hoc experiri licuerit, paucis hic perstringemus.

Et primo, quoniam hujusmodi curatio Febrium per frequentissimos Clysteres, ter scilicet, ac quater in die, cursu plurium dierum injectos, deberet absolvi, Methodus hæc apud nos Italos, præsertim Circumpadanos, qui ægre admodum unum, vel alterum Clysterem ad alvum exonerandam admittimus, universaliter usurpari nequit, illamque ideo, etsi certa foret, vix auderem cuiquam proponere. Quam ergo experientiam talis Methodi penes nos propemodum inviæ possidere possim, vel ex hoc uno deducat quilibet.

Fateor tamen, quod licet olim mihi non innotescceret hæc *Helvetii* Methodus, tamen meo marte hoc tentamen qualecunque ipsi inii Anno 1695. prout constat ex *Historia unica Cap. VI. Lib.* 3. descripta. Alias postmodum placuit mihi idem experimentum repetere, Ægro quidem modo feliciter convalescente, ut tunc, modo non convalescente, ut in *Historia tertia Cap. IV.* hujusce Libri. Verum quoniam nunquam præscripsi Corticem in Clysteribus, quin simul præscripserim assumendum per os, sanationem, ubi contigit, longe probabilius tribuendam censeo ingesto, quam injecto remedio, dato quod, ut erat in votis, ipsa ingestionem roborarit injectio. Ex adverso cum ubi Æger servari non potuit, ne propinatus quidem profuerit Cortex, mirum non est, quod neque profecerit injectus, præsertim cum semel tantum, aut bis, ad summum ter, fuerit ope Clysteris intrusus.

Cæterum, si liceat libere proferre quod sentio etiam adversus me ipsum, vereor, ne quæ solis Clysteribus facile adscribitur medela, proficiscatur potius, maxima saltem ex parte, ab ipsa Natura: tum quia curatio hujusmodi nonnisi plurium dierum curriculo potest obtineri, quod æque solet contingere sponte, & citra hanc methodum: tum quia nonnisi difficulter potest ad Lacteas pertingere (siquidem *Bauhini* valvulam superare queat) injectum medicamen; nec, nisi ad illas pertingat, videtur posse corrigere saltem efficaciter Fermentum febrile, quodcunque illud supponatur, & ubicunque, in ipsis videlicet etiam Intestinis delitescens. Quoniam ergo vix potest intelligi, quod Febris ulla, quæ grave periculum inferat, ut aliqua *v. gr.* ex Pernicioſis, possit debili hac methodo sanari, propterea nulli auctor ero, ut huic uni præcise fidat in casibus arduis, nisi videlicet simul Corticem, & quidem largiore dosi per os exhibuerit, quærens in subsidium tantum ab injectione ejusdem tenue id, quod poterit obtineri. Si vero Febris sit mitior, atque diuturnior, videtur mihi longe major Ægro molestia ex remedio, nempe ex repetita toties Enematum admissione, quam ex morbo ad consuetum fere terminum nihilominus perventuro, aut ex breviori Corticis per os assumptione, morbum ipsum statim tollente. Quapropter hujusmodi methodo locus tantum esse videtur in iis casibus, ubi Febricitans Corticem vel renuit, ut si sit delirans, vel nequit assumere, ut si sit lethargicus, vel assumptum retinere, ut si assidue vomat; in quibus casibus, & circunstantiis melius est ancipitem, aut imbecillam, quam nullam methodum experiri; siquidem sepositа etiam ancipiti, & infirmiore experientia mea, sufficiens testimonium perhibere potest de aliqua saltem activitate Corticis per Clysteres infusi assertio constans ejusdem *Helvetii* de maxima, adminiculantibus præsertim hujusmodi assertionem aliorum quoque Virorum fide dignorum suffragiis, quos inter Clariss. *Sbaralea*, qui de China China verba faciens, hæc habet -- *Qui non tolerant in stomacho hunc pulverem, ad* unciam unam *in clysteribus utiliter recipiunt, ut nobis contigit observare in muliere cum facie semper maxime rubicunda: hæc enim assumptam per os Chinam non tolerabat; a prædicto autem clystere sanata est.* Si quis tamen curationem istam Chinæ Chinæ potius per os assumptæ, nec per vomitum forsan plane rejectæ (posito etiam, quod eam vel magna ex parte, vel non multo post assumptionem mulier illa vomuerit) quam per Clysterem admissæ tribuere velit, is puto, de oppositо poterit difficulter convinci.

De appositione Corticis ad carpos, non est, quod multa loquar. Experientia, quæ docet ipsius substantiam prævalere Extractis, atque Tincturis, videtur pariter suadere, virtutem illius consistere non in particulis spirituosis, aut volatilibus, per externum contactum facile communicabilibus, ac susceptibilibus, sed in tereis, re-

ſinoſis, ægre admodum per poros inſenſiles cutis uſque ad ſedem qualemcunque febrilis Fermenti traducibilibus, & conſequenter vel tenuiſſimum, vel, quod credibilius eſt, nullum plane ab externa Corticis appoſitione juvamen eſſe ſperandum. Huic ratiocinio reſpondere viſa eſt experientia ipſa, quæ cum potis ſit, ſi inaniter ſuccedat, Medicum exponere deriſioni vulgi, ideo ſemel vacua, non amplius a me tentata fuit. Sic autem ſe habuit. Quartanariæ cuidam paperculæ in Xenodochio degenti, Corticem in tenuiſſimum pollinem redactum, & Vini ſpiritu ſubactum, in formam Emplaſtri, ſive, ut ajunt, Epicarpii, utrinque ad carpos apponi juſſi, addendo quotidie per dies octo novum pulverem ſimiliter ſubactum in locum exſiccati, atque deperditi. Paroxyſmi interim pari paſſu procedebant: cumque Ægram tæderet remedii æque ac morbi, mihique exprobraret illa prioris inefficaciam, audaculæ mulierculæ repoſui: me non alio, quam illo eodem *in ſpecie* medicamento velle ipſam ſanare. His dictis, e veſtigio juſſi Emplaſtrum removeri, *duaſque* novi Corticis *drachmas* non Carpis amplius admoveri, ſed interius exhiberi, ex Vino potandas. Cum vero illa male credula ſuſpicaretur, ne quid aliud loco Corticis, vel ipſi ſaltem Cortici furtim commiſcendum, præſcribere, ſubdit, malle ſe (dummodo ipſe non renuerem) illum eundem pulverem per os aſſumere, quem per octiduum circum brachia fruſtra geſtaverat. Miratus ego pervicaciam mulieris, annui. Potavit illa Epicarpium ipſum Vino dilutum, & futuram arcuit Acceſſionem, continuatoque ſenſim remedio, recidivam etiam evaſit, Cortici; cui prius maledixerat plaudens poſtmodum, ac benedicens.

Sunt hæc, quæ de omnifario uſu Peruviani Corticis, reſpectu habito ad ſingulas Febrium, aliorumque morborum ſpecies, hactenus mihi licuit colligere, ac per novem luſtra & amplius experiri; *nullius enim morbi nomen* (dicam cum *Hippocrate*, intelligendo tamen de morbis, quibus Cortex poſſit opem conferre) *nullius*, inquam, *morbi nomen deſiderare oportet, quod hic non eſt adſcriptum*. Qua vero forte peractum id fuerit, videat Lector. Non hic mihi loqui mens eſt de inelegantia ſermonis, vel de illius implexa, & in ſuo ſæpius interciſa circuitu prolixitate. Tyronibus etenim ſcribere id egi, ut a Prælectionum mearum conſuetudine nequaquam recederem, Stylo uſus mere ſcholaſtico, ne dicam barbaro, verbiſque identidem, quæ *Priſciamus*, aut *Orbilius* horreat, videns non raro meliora, probanſque, ſed perſæpe deteriora ſequutus, utpote rem, quæ doceri exigit, non ornari, commodius explicantia. De his ergo levioribus, & ſuperficiem tantum reſpicientibus hic non loquor; unice de ſubſtantia rei. Hæc ipſa vero, ſi quædam ſpectemus craſſioris Theorices intermixta ſpecimina, delicatulis quibuſdam, atque ſubtilibus, fore identidem ut parum arrideat, ſatis ſuperque prævideo. Sed & hanc Theoreticam partem ipſemet non magni facio, ac do libenter caſtigandam doctioribus: non enim refert, ſi Remedium non prodeſt propter eam præciſe rationem, propter quam illud profuturum conjeci, dummodo profit. Materiam autem practicam, in ea præſertim, quæ præcipua eſt, Tractatus parte, adeo ſartam tectam puto, experientia vindice, ab Adverſantium cavillationibus, ut ſi quas forſitan ſubire cogat, eas univerſali Practicorum judicio tacite ſim relicturus pacato interim animo cum *Syndenhamio* concludens -- *Sicubi circa Theoriam me hallucinatum fuiſſe Lector deprehendat, errori veniam peto; verum quod ad Praxim attinet, profiteor, me omnia ex vero tradidiſſe, nihilque uſpiam propoſuiſſe, niſi quod probe exploratum habeam &c., ratus, quantulamcumque in hoc ſcientiæ genere acceſſionem, etſi nihil magnificentius, quam Odentalgiæ, aut Clavorum pedibus innaſcentium, curationem edoceat, longe maximi faciendam eſſe præ inani ſubtiliam ſpeculationum pompa, ac leviculaſum rerum notitia, quæ fortaſſe Medico ad abigendos morbos non magis ex uſu futura eſt, quam Architecto ad conſtruendas ædes Muſicæ artis peritia.*

De Cortice dixi, quæ animadverti in Urbe, ac Regione mea. Quid præſtet ille apud Alienigenas, immo non in Europa tantum noſtra, ſed & in America, & Aſia, ex Scriptoribus fide dignis jam ſatis innoteſcit. Facile eſt autem ex eo, quod hucuſque præſtitit, quid ſit impoſterum præſtiturus conjicere. Nemo proinde me inſimulet vanitatis, ſi quando (quod ægre crediderim) votis reſpondentem non plane ſortiatur even-

eventum in Regione ſua, ut ego dubio procul, eademque certitudine, qua protuli, ſum ſortitus in mea. Nullus tamen dubito, quin ſervatis exacte regulis, & limitationibus a me conſtitutis, eventurum ſit ſemper ubique terrarum, quod hic quotidie contingit, ſive Curationem ſpectemus, ſive Febres, ac Signa febrium curandarum. Sicuti enim ex *Hippocrate* -- *In omni anno, & omni tempore mala malum, & bona bonum ſignificant*, ita probabiliter idem ſignificant in omni loco. Quia vero de his omnibus, quæ late ſpero, me vadem nequeo præbere, niſi iis tantum in locis, in quibus circumcirca eadem mihi contigit experiri, liceat ideo mihimet pariter, huic Tractatui finem impoſituro, imitari eundem *Hippocratem*, Prænotionum Librum hac declaratione claudentem -- *In Lybia, & Delo, ac Scythia* (dicam ego: *In Æmilia, & Longobardia Ciſpadana*) *præſcripta vera comperiuntur. Proinde ſciendum eſt minime difficile eſſe, in iiſdem Regionibus poſſe aliquem pleraque ex ipſis aſſequi, ſi memoria tenens ipſa, judicare, ac recte expendere ſciat.*

FINIS.

INDEX
RERUM NOTABILIUM.

A

ABortum passa Mulier tuto potest curari *Peruviano Cortice*, si Febris id remedium exigat, non omissis aliis, quæ Abortum respiciunt *pag.* 298. 299.

. . . Circunstantiæ rationabiliores illum exhibendi Puerperis, vel Abortum passis. *Ibid.*

Absorptio Fermenti febrilis per *Corticem* facta est peculiaris, & sui generis coctio. 232.

Abusus quandoque, & neglectus *Chinæ Chinæ* ob inscitiam medentium. 217.

Aceti solutivi portiuncula in acetario sumpta Febrem *China China* fugatam statim revocavit. 173.

Acetum, nondum statutum est inter Medicos, an refrigeret, an calefaciat. 11.

Acredinem salinam Fermenti Febrilis retundi vult *Borellus* a salibus contrariæ naturæ citra priorum exclusionem. 23.

Actio *Corticis* videtur suadere coacervationem Fermenti Febrium Intermittentium extra cruorem. 62

Actio *Corticis* sine evacuatione sensibili febrem fugans cohæret etiam principiis ipsius Scholæ Paracelsistæ, & Helmontianæ. 34. 35.

. . Neque minus cohæret novo Solidorum, quam vulgato Fluidorum Systemati. *Ibid.*

Acuta facta Febris, hominem tamen non interemptura, si ex se judicetur *integre*, atque *perfecte*, melius etiam quoad suspicionem recidivæ judicatur, quam si curetur per *Corticem*. 152.

Adulterinus quandoque *Cortex* potest nos fallere. 3.

Admonitio Auctoris circa Innocentiam *Corticis*. 75.

Admonitio de *Cortice* caute offerendo in Intermittentium principio. 77.

Ægris nonnunquam accepta magis officiosa jugulatio, quam sanatio minus serviliter præstita. 8. 9.

Ægroti ex Perniciosis Periodicis ad extrema redacti, & repente animam cæteroqui afflaturi, debita oblata dosi *Corticis*, illico restituuntur. 110.

Ægroto jam deplorato ex Perniciosa Intermittente, dummodo vita in futuram accessionem postridie adventuram debeat protrahi, exhibendus est *Cortex* methodo valida. 138. 139.

Aeris nostro seculo examen multiplex. 96. 97.

Algidæ Intermittentis Perniciosæ descriptio. 119.

Algidarnm Febrium *China China* sanatarum Historiæ 186. usque ad 188.

. . . Algidæ Febris Historia num. v. 182.

. . . Alia num. vi. 182.

. . . Alia num. vii. 184.

. . . Alia num. viii. *ibidem*.

. . . Alia num. ix. 185.

. . . Alia num. x. 188.

Alvi fluxus loturæ Carnium similis, Perniciosæ Tertianæ associatus curata per Chinam Chinam febre, simul evanescit. 170. 171.

. . . Item Fluxus atro sanguineus. 212.

Amara non videntur Vermes necare experientia *Redi*, *Vallisnerii*, & Auctoris. 293. 296.

Amuletis, Purgationibus crebris, & Specificis invalidis &c. Medici nimium creduli Intermittentium curationem incassum tentabant ante inventum *Corticem*. 19.

Animadversiones in casu peculiari *Chinæ Chinæ* feliciter oblatæ. 188.

Animadversio in oblationem Corticis haud satis felicem in Intermittentium principio. 74.

Alia in oblationem adhuc minus felicem in Intermittentium plane Depurativarum progressu. 84.

. . . In casum infelicem. 206.

. . . In Historiam Hæmoptoes a *Mortono* Cortice curatæ. 295. 296.

Animadversiones Auctoris in Historia ab aliis Medicis sibi communicatas. 220. 221.

ANONYMUS stupet Italorum incredulitatem erga *Corticem*. 9.

Apologetice Scribentibus de *Cortice* familiaris est tutela fervidior ejusdem. 8.

. . . Iisdem necesse est se accomodare crassioribus Adversantium principiis, ut eos convincant. 8.

Apoplecticus insultus periodice cum febre recurrens, & in Paraplegiam commutatus, una cum febre per *Chinam Chinam* sublatus est. 218.

Appendix ad Historias. 220.

Aqua Stibiata Pomponacii morbos plurimos sanat sæpius absque sensibili evacuatione. 24.

AQUIN quidquid a *Cortice* dicatur relictum in corpore post Febres depulsas, maturari putat, concoqui, & discuti sponte. 26.

Arboris Febrium Genealogicæ explicatio generalis. 281. 282.

. . . Illius sententia de Intermittentium caussis. 33.

. . . Ejusdem explicatio particularis. 282. & 283.

Ardentibus, Malignis ab ortu, & inflammatoriis Febribus curandis aptari *Corticem* asserunt nonnulli, sed inexperti, & falso. 262.

Ars Medica superfluis Medicamentis alioqui ditissima, bonis, & certis, quæ innotuerint, identidem caret. 111.

Asthmati convulsivo *Chinam Chinam* opem tulisse, Epistola *Corghii* ad Auctorem ratum facit. 285.

Casus ipse describitur. *ibid.* & 286.

Asthmaticum affectum, Catarrhum suffocativum, dolorem Plenritico similem, Arthriticosque dolores Perniciosis Intermittentibus associatos observavit *Mercatus*, neque tamen veluti morbos consideravit, sed veluti accidentia, ut vere sunt, a Febre producta. 103. 104.

Atrabilaris Febris pernicios Intermittens describitur. 117.

Atrabilaris dejectio immanis Perniciosæ Tertianæ adjuncta una cum Febre curatur ope *Chinæ Chinæ*. 175.

Atrabilaris Febris *China China* curatæ Hiſtoria una *num.* vii. *ibid.*
. . . Ejuſdem Hiſtoria altera *num.* viii. *Ibidem.*
AUCTOR anno 1696. uſu *Chinæ Chinæ* ab imminente morte liberatur. 5. & 179.
. . . Hiſtoriam ſuæ ægritudinis, & curationis refert. 177. ad 180.
. . . Sobrius eſt in uſu *Corticis* ad *Benignas* Intermittentes præ aliis Medicis *Cortice* utentibus. 64. & 65. 88.
. . . Vix unquam eo utitur ad Intermittentes tempore Veris, & in principio Æſtatis. 62. 64.
. . . Illius cum *Mortono* coincidentia quædam fortuita. 150.
. . . Auget doſim *Corticis* germani, & vegeti, ut vere efficaciam ſortiatur, Pernicioſis fugandis in extrema anguſtia neceſſariam. 151.
. . . Quid ſuis Scriptis ominetur. 130.
. . . Quid de ſua Methodo ſentiat. 136. 147.
. . . Ejuſdem Methodi diſcrepantia cum Methodo *Mortoni*. 149. 150.
. . . Quid reddat Auctoris Methodum ſpectabilem, & præ reliquis admirabilem. 145. 146.
. . . Exemplum affert pro innuenda præſtantia hujuſce Methodi. 147.
. . . Methodus Auctoris ad Intermittentium diuturniorum recurſum præcavendum poſt adhibitam Methodum Romanæ Schedæ. 52. 53.
. . . Semel tantum, vel bis intra Annos circiter 47. illum fefellit *Cortex* in curandis Intermittentibus Febribus. 5.
. . . Cogitata ſua manca, & imperfecta circa Febrium Intermittentum Cauſam, & Geneſim innuit. 47. uſque ad 50.
. . . In Diſſertatione ſua tricipiti. Anno 1698. edita, difficultatibus circa rem Barometricam a *Cameario*, atque *Fontana* ſibi objectis reſpondens, *Schelamerum* valide impugnavit in ea materia plane deceptum. 94.
. . . Fermenti nomen in Febribus metaphorice uſurpat. 32.
. . . Ubi tamen non bene ſonat, aut ſuperſuit, longe rejicit. 39.
. . . Fluidorum Syſtemati adhæret potius, quam Solidorum. 32.
. . . Non omnes complicationes Febrium, quot, & quales erant apud Antiquos, facile admittit, ſed ad abundantiam ſupponit. 278.
. . . Quænam apud eum Continentes Febres. 296. 255. 262. 265.
. . . Germanas *Corticis* notas deſcribere renuit. 310.
. . . Sicuti & ejus Hiſtoriam. 2.
. . . Experimenta circa plurima inſtituit, quæ Lumbricos dicuntur necare, connumerando *Corticem* inter hæc. 292. 294. 303.
. . . Experimenta ex *Cortice* commixto cum Sanguine, & Bile. 19. 20.
. . . Experimenta ad exploranda vim *Corticis* ſenſibilem incaſſum inſtituit. 20.
. . . Se hallucinatum fatetur circa Epiſtolam *Lancifii* ſibi inſcriptam. 275.
. . . *Chinam Chinam* per Clyſteres injecit ad corrigendum Fermentum febrile, *Helvetii* methodo ſibi adhuc incognita. 314.
. . . Tali Methodo parum tamen aut nihil fidendum cenſet in caſibus arduis. *Ibidem.*
. . . Hemitritæi originem probabiliorem exponit. 78.
. . . Eumque *Cortice* curari poſſe affirmat. *ibid. & ſeqq.*
. . . Textum *Mortoni* de Hæmoptoe exponit, 300. 301.
. . . Item de Phthiſicorum Febre. 301.
. . . Item Capitulum ejuſdem de *Proteiformi Febris Intermittentis genio*, adjectis Scholiis recudit. 110.
. . . Innocentiam Corticis jurejurando teſtatur. 4.
. . . Intermittentium Febrium originem per conjecturas varias, & imperfectas requirit. 42. ad 50.
. . . Virtutem *Corticis* ad Pernicioſas Periodicas a ſe detectam, & promulgatam, univerſaliter receptam fuiſſe lætatur. 310.
. . . Cautiones vero illius uſum inopportunum docentes, atque vetantes, haud ſatis eſſe a nonnullis excultas docet. *Ibidem.*
. . . Corticem Peruvianum eſſe Hæmoptoes habitualis Antidotum herculeam, ut aſſerit *Morton*, non admittit. 300.
. . . Non diffitetur cum *Mortono* poſſe putridas Phthiſicorum Febres Intermittentes aliquo modo *Cortice* leniri, interitu tamen Ægrotantis nequaquam inhibito. *Ibidem.*
. . . Experimentum facit de Lumbricis Terreſtribus, & Vitulinis in Infuſione Chinæ Chinæ, & in allis ſuccis. Vide, *Lumbrici Vitulini*, & *Terreſtres*.
. . . Quaſdam Pernicioſas Febres obſervat forte a *Mercato* non obſervatas: ſicut alias ab Auctore non obſervatas obſervavit *Mercatus*. 122.
. . . Methodus Authoris ad Pernicioſas Periodicas. Vide *Methodus Auctoris* &c.
. . . Generaliter non admittit ſuppoſitionem *Mortoni*. Febrem quamlibet, ſaltem primariam quomodolibet remittentem, etſi continuam poſſe *Cortice* curari. 307.
. . . Nondum cuſa, vel nota ſibi erant *Mortoni* Scripta, cum propriam Methodum ad Pernicioſas exercuit. 208. 210.
. . . Syrupum ex China China præſertim pro Pueris deſcribit. 53.
. . . Nomenclaturam Veneni Febrilis a *Mortono* uſurpatam examinat, nec facile admittit, niſi lis ſit de voce. 111. 112.
. . . Refractariam *Cortici* ſæpius deprehendit Lymphaticam Febrem. 312.
. . . Suſpectas habet Virtutes plurimas, a multis *Cortici* attributas. 290. 94.
. . . Hiſtoriam Corticis, ſcribere detrectat, quum eam apud *Badum* legere poſſit quilibet. 2.

B

BACCONI animadverſio notatu digna in praxi medica. 149. 150.
BACCONUS nullum inquit remedium ſemel oblatum curationi alicui grandiori poſſe ſufficere. 15.
BADUS Corticem Peruvianum propugnavit Libro peculiari. 2.
. . . Hiſtoriam *Peruviani Corticis* conſcripſit. 2.
. . . Aſſerta ſua de *Corticis* Activitate adverſus varias Febrium ſpecies, plurium ævi ſui illuſtrium Medicorum auctoritate roboravit. 2.
. . . Circa Febrium Intermittentium Cauſas non coincidit cum *Protoſpatario*, ut opinatur *Morton*, ſed illi adverſatur. 32.
. . . Morbis omnibus Frigidis mederi Corticem putat. 295.
BARBETTE opinio circa eſſentiam Febris, & Intermittentium Cauſas. 32.
BELLINUS primus Medico-mechanici Syſtamatis anteſignanus. 33.
. . . Ejuſdem de Cauſſis Intermittentium Sententia. 34.
BELLOT ſectator *Magati* in re Chirurgica. 106.
Benignarum Intermittentium apud Auctores mentio frequens, & curatio copioſa; Perniciſarum fere nulla. 166.
Bili Humanæ, magiſque Bubulæ, injecta *China China* pulverata cito ſubmerſa eſt, non ita in Aqua, licet hæc levior tunc apparuerit eadem Bile. 20.
Bilis abſorbetur a *China China* facilius ac abſorbeantur plures alii liquores, ob peculiarem proportionem p. ticularum illius cum poris *Chinæ Chinæ*. 20. 21.
Bilis æque ac Aqua extinguit ignem, nec eſt facile inflammabilis: ardet tamen Olei adinſtar, ſi fortiori igne urgeatur. 22. 23.
Bilis, & Olei analoga eſt ſtructura, licet inæquale ſit pondus. 22.
Bilis poros *Corticis* facile repens, illius ſubmerſionem in ipſa Bile faciliorem reddit. Horum neutrum efficit Aqua. 23.
BLEGNY de Cauſſis Intermittentium, & actione *Chinæ Chinæ* in illas opinio. 30.
. . . Aſſerit Morbos *Vaporis* nomine donatos, Febres quaſcumque Hydropes, &c. *Cortice* curari. 296.
Bolus Paregoricus Auctori familiaris non multo ante paroxyſmum Tertianarum Cholericarum. 92. 93.
BORELLI opinio de Intermittentium Cauſſis. 29.
BORELLUS acredinem ſalinam Fermenti febrilis retundi vult a ſalibus contrariæ naturæ citra priorum excluſionem. 22.
. . . Idem ab actione *Corticis* deducit, Febres evacuationibus non eſſe curandas. 14.
. . . Ejuſdem dictum. 295.

C

CAMERARII difficultatibus Auctor reſpondit. 95.
CAMPANELLÆ opinio de prima Febrium Cauſſa. 32.
Camphora, dubium eſt apud Medicos, an refrigeret, an calefaciat. 12.
CAPRILIUS octo ſimul Tertianas dari poſſe in eodem Ægro, non dubitavit aſſerere. 279.
Cardiacæ Febris Intermittentis perniciosæ deſcriptio. 118.
Cardiacarum Febrium *China China* ſanatarum Hiſtoriæ 178. uſque ad 179.
Cardiacæ legitimæ Hiſtoria *num.* ix. 174.
. . . Ejuſdem Cardiacæ legitimæ Hiſtoria altera *num.* x. 175.
. . . Cardiacæ Spuriæ Hiſtoria *n.* xi. 175.
. . . Ejuſdem Cardiacæ Spuriæ alia Hiſtoria *numer.* xii. 176.
. . . Alia ſimilis *num.* xiii. 177.
. . . Alia pariter *num.* xiv. *ibid.*
Carpis appoſita *China China* nihil probabiliter conferre credendum eſt ad curationem Febrium. 321.
. . . Narratio Hiſtoriæ cujuſdam lepidæ idipſum confirmantis. *Ibidem.*
Caſus minus felix notatu dignus. 202.
. . . Animadverſiones in hunc caſum. *ibid.* & 204.
. . . Alius pariter caſus. 250.
Cataleptici quodammodo facti Ægrotantes in Perniciosis Febribus *China China* feliciter curati. 206.
. . . Item. 207.
Cathartica, aut Emetica nequeunt Fermentum Intermittentium, etiamſi in Ventriculo, aut Inteſtinis ſtabuletur, a ſcaturigine ſua mineram inſtaurante radicitus extirpare. 40.
Catharticum poſt Perniciosam Febrem *China China* curatam aſſumptum in majus ſtatim diſcrimen Ægrum conjecit; eodem tamen remedio ille iterum ſanatus eſt. 214. 215.
Catarrhum ſuffocativum Perniciosis Intermittentibus aſſociatum &c. Vide, *Aſthmaticum affectum* &c.
Cauſſa Febrium eſt res molis exiguæ. 17. 18.
. . . Non aliter poteſt figi a *Cortice*, niſi per ſimplicem abſorptionem ipſiuſmet Cauſæ, ſeu Fermenti febrilis. 18.
Cauſſa antecedens Febrium Intermittentium ægrum per diuretica, aut diaphoretica poteſt educi. 24.
Cauſſæ Quartanam, Tertianam, & Quotidianam Febres producentes in quadam ratione univoca conveniunt. 135. 136.
. . . Quænam probabiliter, ſit hæc ratio. 137.
Cauſſæ Febrium quærendæ ſunt in humoribus notis, alteratis in motu, & craſi, ſeu ſtructura, non in fictitiis putreſcentibus, qui debeant evacuari. 22. 23.
Cauſſas plurium Morborum periodice recurrentium non evacuatione ſemper ſenſibili, ſed ſæpius alteratione curare conſueſcimus. 22.

Cautela de non exhibendo *Cortice* deploratis omnino, & proxime animam efflaturis. 152. 153.
Cautiones usum *Corticis* inopportunum docentes, atque vetantes non satis esse a nonnullis exsultas dolet Auctor. 318.
Censura adversus *Corticem* cuipiam patenter morituro frustra administratum inanis. 156.
Character perniciosus in primo exortu suo mitis, in progressu ferox. 120.
CHARAS peculiarem *Chinæ Chinæ* præparationem docet, ut inhibeantur Recidivæ. 12.
CHINA CHINA circa annum 1649. in Italiam translata opera Eminent. Cardin. *de Lugo*, aliorumque PP. Soc. Jesu. 2.
. . . Illius historiam scribere detrectat Auctor, cum eam apud *Badum* possit legere quilibet. 2.
. . . A solo Bado illam transcripsere quotquot ante, & post editionem hujusce Tractatus eandem sunt persequuti. *ibid.*
. . . Illius varia nomina. 1. & 2.
. . . Item Locus Natalis. 2.
. . . Ejusdem quamvis innoxiæ, oblatio intempestiva potest obesse, ut & oblatio aliorum remediorum, atque ciborum. 15.
. . . Illam Cathartici admiscere ad evacuandam simul Causam Febris, error est. 49.
. . . Eandem obesse pinguibus, ipsamve post annum, vel post septennium saltem Febres iterum, aliosve morbos accersere, ridiculum est. 5.
. . . Humano Sanguini recenter educto commixta illius concretionem, ut putarunt aliqui, non impedit. 17. 18.
. . . Utiliter commiscetur cum Conservis, Syrupis &c. 52.
. . . Creditur causam Febris figendo, intus detinere ad graviora mala inducenda, sed perperam. 14.
. . . Item 16. usque ad 17.
. . . Relinquit Sanguinem in eo statu, in quo illum reperit, nec adversus illius impuritates pugnat. 60.
. . . Sive in forma solida exhibeatur, sive liquida, sive in Vino tenuiore, sive in generosiore, sive prævia, sive omissa infusione (quod perinde est) Febrim tollit.
. . . Causæ Febrium antecedenti per viam solius alterationis, non evacuationis adversatur. 16. 17.
. . . Nec figit, neque fundit humores, aut Sanguinem. 18. & 4. 5.
. . . Quid vere efficiat, cum Febres sistit. 229.
. . . Si offeratur dosi congrua in Febre Intermittente, potest Medicus certo spondere Febrim minime redituram. 3. & 4.
. . . In Pernicioſarum extremo periculo quum offeratur, expectanda est Accessionis Remissio. Vide, *Remissio Accessionis*.
. . . Narcosim nullam in se continet. 5.
. . . Nisi in principio Subcontinuæ Malignantis, quæ Corruptiva futura sit, exhibeatur, non amplius potest utiliter ægrotanti exhiberi. 232. 233. & 236.
. . . Esse Antidotum Hæmoptoes habitualis, ut *Morton* asserit, Auctor non admittit. 302.
. . . Infusa Clysteribus imbecillium est virium. 311.
. . . Coctionem quandam humorum illico assumpta patenter inducit. 6. & 235.
. . . Hancque potest pro libito nostro inducere segnius. 22. 23.
. . . Usus hujusce, & omissionis difficultates. Vide, *Difficultates*.
. . . Epilepsiæ opem ferre asserit *Tozius*. Vide, *Epilepsia*.
. . . Epileptico Adolescenti visa est levamen afferre. Vide, *Epilepticus*.
. . . Febrifugum universale hucusque non est. 259.
. . . Gravidis, & Puerperis tuto exhibetur. 18.
. . . Immo Gravidis febricitantibus convenire asserit *Frassonus*. 304.
. . . Etsi per se ipsam innocua, cibus tamen non est, sed Medicamentum, quod ubi nullatenus convenit, suspectum redditur. 209.
. . . Stipticitatem plurimis inferens, nonnullis solutionem Ventris, ubi extra rem præscribatur, per accidens saltem potest obesse. *ibid.*
. . . Quid possit agere in Fermentum Continuarum ab absentia, cui subigendo est impar; quidve in humores aliorum Morborum effectores, latet. 313.
. . . Ubi non proficit, quandoque obesse asserit *Morton*. 309.
. . . Etsi Sanis ad prophylaxin præscripta non improbetur, attamen nec laudatur. 309. 310.
. . . Non admodum tuto usurpari videtur in iis affectionibus Hypochondriacis, quæ non in ventriculi male coqueætis dyscrasia consistunt, sed in nervoso genere alta jam convulsionum semina jecere. 293.
CHINA CHINA. Vide plura in Verbo, *Cortex Peruvianus*, *Febrifugum Peruvianum*, *Peruvianus Cortex* &c.
CHINÆ CHINÆ virtutem ad pernicioſas Periodicas a se detectam, & promulgatam, universaliter receptam fuisse, lætatur Auctor: Cautiones vero illius usum inopportunum docentes, atque vetantes haud satis esse a nonnullis exsultas dolet. 300. 301.
CHINAM CHINAM in Hæmoptoe habituali non ut balsamicam, vulnerariam aut stypticam *Morton* considerat, sed ut mere Febrifugam. 310.
Chirurgorum quorundam Castrensium abusus in præscribendo *Cortice* in quarumlibet Febrium quoquo modo periodi specie, Præseferentium principio. 241.
Chocolatæ, Coffee, & Thè usus, ac juvamen anceps. 10.
Cholerica Febris Intermittens pernicioſa describitur. 117.
Cholericarum Febrium *Chinæ Chinæ* curatarum Historiæ. 168 usque ad 172.
. . . Febris Cholericæ humidæ Historia I. 168.
. . . Ejusdem Cholericæ humidæ Historia II. 170. 171.
. . . Cholericæ siccæ Historia III. 186. 187.

Cho-

Cholericis Tertianis occurrit Auctor non multo ante paroxysmum Bolo paregorico sibi familiari. 60. 61.
Chylus, & Lympha. Vide, *Lympha*, *& Chylus*.
Cibi distantia ab assumpto *Cortice* quænam, vide, *Intervallum*.
Cichorii succum sine metu noxæ præscribentes, Cichorium probe conditum sæpe proscribunt. 12.
Cichorium controvertitur, an ad caliditatem magis vergat, an ad frigiditatem. *ibid.*
Circumstantiæ, in quibus certo licet *Corticem* offerre in Subcontinuarum Malignantium principio. 238. 239.
Circunstantiæ gravissimæ, quæ validam *Corticis* administrationem & suadent, & admittunt. 139. 140.
Clysteribus infusa *China China* imbecillium est virium. 218.
Coctionem quandam humorum patenter illico inducit assumptus *Cortex*. 5. 6. & 236.
Coctionem illam humorum, quam cito solet *Cortex* inducere, potest pro libito nostro inducere segnius. 24. 29.
COLE opinio circa Intermittentium Causas. 32.
Comitata Febris quænam. 256.
Commixtionem Medicamentorum cum *China China*, vehiculo necessario excepto, *Sydenham* damnat. 56.
Comparatio inter suppressionem Febris Intermittentis Comitatæ, Subcontinuæ tardigradæ, & Subcontinuæ velocioris. 240.
Comparatio *Mortoni* inter curationem Febrium Proportionatarum in Malignas Synochos transeuntium peractam *Cortice*, & peractam sine *Cortice*. 270.
Comparatio usus Sulphuris in depellenda Scabie cum usu Corticis in expugnandis Febribus Intervallatis vulgaribus data; & explicata. 311
Complicationes Febrium quot, & quales apud Antiquos. 278.
... Omnes illas non facile admittit Auctor: ad abundantiam tantum eas supponit. *ibid.*
Conditio necessaria pro utili oblatione congruæ dosis *Chinæ Chinæ* in Perniciosis, mortem cæteroqui intra horas 23. illaturis. 196.
Conditiones Depurativæ Intermittentis. 60.
Conformationem fœtus cujuscunque fuisse coævam Mundo in primo suæ speciei Ovo opinantur Neoterici non pauci. 35.
... Eam de novo fieri videtur libentius opinari Auctor. 35.
Continentes Febres quænam sint Auctori. 260. Item. 263. Item. 260.
.... Quænam sint *Mortono* 266. Item. 263.
Continentes Febres humorales nulla solet sanare *Cortex* experientia Auctoris. 256. & 258.
... Quænam *Cortice* sint fortasse curabiles, si quæ sunt, & quando. 259.
Continua Proportionata. Vide, *Proportionata*.
Continua Periodica. Vide, *Proportionata*.
Continua Periodica quælibet. Vide *Febris quælibet*.
Continuarum, & Intermittentium Febrium similitudo, & dissimilitudo. 58.
Continuarum Febrium Fermentum ipsi ab intrinseco Sanguini insidet. 59.
Continuitas Periodicarum pernicioſarum acquisita solum in progressu, aliter considerandа, & tractanda est ac acquisita in principio. 129. & 124.
Continuitas in Subcontinuæ progressu superveniens, si celerrimo properet gradu, *valida*, ut in reliquis Perniciosis, *Corticis* oblatione curanda est. 142.
Continuitas Febribus Intermittentibus circa initia superveniens, potest quandoque procedere ab influxu copioso, & celeri Fermenti extranei redundantis potius, quam ex prava Sanguinis diathesi. 136.
Continuitas blanda Febrium Subintrantium sine gravi symptomate, non constituit Subcontinuam Febrem Perniciosam; sed continuitas cum gravitate symptomatum conjuncta, quæ acutiem simul ostendit. 122. 123.
CONYGII opinio de *China China* Fermenti febrilis particulas dissociante, ac distrahente, non plane recipitur. 20.
CORGHIUS Asthmati *Chinam Chinam* opitulari testatus est Auctori. 290.
... Idque Historia confirmavit. *ibid.*
Corruptiva Intermittens ab ipso initio *Cortice* potest curari. 57.
Corruptivæ Febris *China China* feliciter curatæ exempla duo. 80. 81.
Corruptivæ Intermittentes quocunque tempore tales se prodant, *Cortice* sunt curandæ. 62.
... Et quo pacto. Vide, *Quo pacto*.
Corruptivæ Intermittentis conditiones. 61.
CORTEX PERUVIANUS nullas evacuationes criticas sistit, sed tantum symptomaticas. 17.
... Unica, & antiqua dosi exhibitus in paroxysmo leviore, correspondentem tantum leviorem fugare solet, non graviorem: oblatus vero in graviore fugat utrunque. 49. & 49.
... Etiamsi absorbendo Fermentum febrile dicatur illud figere, non tamen figit cruorem, qui fermenti subjectum est. 17. & 18.
... Noxius non est, cum non proficit, seu cum Febrem non pellit: sed potius aliquando forsan cum nimis cito proficit: hoc est, cum Febrem aliquam cito submovet quam expediret sinere progredi. 240.
... Si quid attulit incommodi, non sua certe culpa, sed offerentis attulit. 3. & 4.
... Adulterinus quandoque potest nos fallere. 3.
... Caute offerendus in Intermittentium principio. 71.
... Experientia Auctoris nullas Continentes Febres Humorales solet sanare. 258.
... Quas forte sanet, si quæ sunt, & quando 258. 259.
... Non exhibendus deploratis omnino. Vide, *Cautela*.
... Dosi liberaliori exhibitus obesse non potest. Vide, *Dosis liberalior*.
... Vel nullam, vel facilem tantum, ac salubrem vacuationem excitat *Cortex*. 6.
... Ejusdem offerendi exemplum in Perniciosis. 21.

... Fe-

. . . Febribus nullis, quæ ſimplices vocantur, ut Hecticis, Synochis imputribus, aut Ephemeris aptatur *Cortex*. 258.
. . . Eundem offerendi formula. Vide. *Formula*.
. . . Febrem Depurativam ſiſtendo imprudenter, magis noxius *Cortex* eſſe poteſt, quam ſi Febribus illum non admittentibus adhibeatur. 300. 303.
CORTICE in extremis anguſtiis oblato, ſi intra illum eundem paroxyſmum occumbat Æger, nil imputando Remedio. 156.
. . . In Febribus Intermittentibus paulo ante acceſſionem epoto, nonnullos in Anglia occubuiſſe, narrat *Sydenham*. 300.
. . . De exhibendo, vel omittendo *Cortice* difficultas. Vide, *Difficultates*.
CORTICEM PERUVIANUM ſunt qui non a trunco, vel ramis, ſed a radice Arboris detrahi putant. 302. 303.
. . . Illum, ejuſdemque germani, & vegeti notas deſcribere Auctor renuit. 303.
. . . optimus ille cenſendus, qui alias profuit. Ibidem.
CORTICEM neque figere, neque fundere Sanguinem experientia patet. 7. & 8.
. . . Eundem neque tormina, neque teneſmum, neque abortum in prægnantibus excitare. 303. & 304.
. . . Eundem olim in Anglia abiſſe in contemptum ob Caſus infauſtos ab illius oblatione paulo ante acceſſionem facta obſervatos, refert *Sydenham*. 306.
. . . Hujuſmodi tamen malo facile proſpectum exhibendo Febrifugum declinante ſolum, vel ſoluto paroxyſmo aſſerit idem Auctor. *ib.*
. . . Eundem in Benignis Intermittentibus, invadente paroxyſmo, primis temporibus a ſe, aliiſque fuiſſe innoxie ſemper exhibitum aſſerit idem, qui ſupra. *Ibid.*
. . . Qui propterea aliam eorum eventuum cauſam fuiſſe aſſumat. *Ibidem*.
. . . Eundem plane obeſſe in Continuis ab eſſentia affirmat *Sydenham*. Vide *Peruvianum Corticem*.
CORTICEM in Febricitantibus Arthritidi obnoxiis, Cauſam Febris reprimendo, Arthritidis Cauſam nequaquam repreſſiſſe; immo Podagram extinctæ febri paulo poſt ſuperveniſſe obſervavit Auctor. 297. 298.
CORTICI nonnunquam adſcripta curatio tardior, Auctori redditur incerta. 290. 291.
CORTICIS Actio. Vide, *Actio Corticis*.
CORTICIS Innocentia. Vide, *Innocentia Corticis*.
CORTICIS vis validiſſima, & ignota coacta ſe ipſam in caſſum exerere contra objectum ſibi improportionatum in Morbis, quibus non convenit, ſatis probat oblationem Remedii iis caſibus temerariam, & de damno ſuſpectam. 309.
CORTICIS uſus, ubi non adſit probabilis conjectura poſſe illum prodeſſe, adſitque experientia de illius invaliditate, rationabilis non eſt. 298. & 310.
CORTICIS ſubſtantia ſuapte natura eſt inſons: ſed ob incongruam, vel intempeſtivam oblationem poteſt eſſe noxia. 300.
CORTICIS noxa ob imprudentem, vel temerariam oblationem contingens, non eſt crimen illius, ſed Medici perperam præſcribentis. *ibid.*
CORTICIS virtus ſicut Cauſæ Febrium Periodicarum adverſatur in noſtram utilitatem, ſic ubi hujuſmodi Cauſam non invenit, forſitan poteſt, alicui fortuitæ diſpoſitioni noſtri Corporis adverſari non nunquam in damnum noſtrum. 304.
CORTICIS PERUVIANI uſus ad expugnandas Febres Intervallatas vulgares &c. Vide, *Peruviani Corticis uſum*.
CORTICIS PERUVIANI virtus ad Perniciosas Intermittentes. Vide, *China Chinæ virtutem*.
CORTICIS Subſtantia. Vide, *Subſtantia*.
CORTICIS ſex Scrupuli ſejunctim aſſumpti non æquivalent activitati, licet æquivaleant ponderi duarum Drachmarum uno hauſtu aſſumptarum. 50.
CORTICIS effectus citus cito dignoſcitur, an ſperabilis. Vide, *Effectus*.
CORTICIS uſus exuberans. Vide. *Uſus*.
Corticis Fraxini cum *Peruviano Cortice* collatio pro fugandis Febribus. 12. 13.
CORTICIS PERUVIANI effectus eſt inhibere non paroxyſmum ipſum, quo exhibetur, ſed correſpondentem. 150.
Criſis copioſa per urinam modica inſimul diarrhæa comitata poſt uſum *Corticis* ſubſequuta. 196.
. . . Eadem Criſis per urinam ſimul, & ſudorem, poſt uſum ejuſdem *Corticis*. 197.
Criticæ evacuationes. Vide, *Evacuationes nonnunquam*.
Curatio præſentanea Febris Perniciosæ non minus exigit regulariter quam *drach.* vj. *Corticis* nec plus quam *unc.* 1. 139.
. . . Integra vero, ac univerſalis curatio, *duabus* plus minus *unctis Chinæ Chinæ* perficitur. 141.
Curatio Perniciosarum in genere. Vide, *Idea* . .
Curatio, quæ ad Morbos diuturnos, & non Febriles ſolet adhiberi, ea ipſa eſt, quæ Febribus adhibetur, quando curantur *Cortice*. 239.
Curatio Febrium, & quorumvis Morborum, facta per abſorptionem principii peccantis, obnoxia eſt reviviſcentiæ ejuſdem principii. 236.
. . . Melior eſt propterea, ſi fiat per febrilis effervescentiæ diflagrationem, quando hæc *perfecte* ſuccedit, quam ſi fiat medio *Cortice* per abſorptionem Fermenti, adeoque illa Curatio ſub tali conditione, cæteris paribus, huic anteponenda. *ibid.*
. . . Non ideo tamen videtur hæc in caſibus periculi ancipitis abſolute rejicienda. 235. 236.
Curatio Perniciosarum Periodicarum ope *Chinæ Chinæ* probabiliter exercetur quodammodo indirecte, & fortuito, ubicunque generice ad Febres Continuas, & periculoſas ea ſolet adhiberi, ut in Gallia, & alibi. 107.
Curatio Febrium, ut ajunt, methodica inſtituta,

ta, Medicus ſe gerit ut Inſpector Morbi, & ut miniſter Naturæ: curatione vero inſtituta per *Chinam Chinam*, ſe gerit ut Arbiter Morbi, & ut Inſtaurator Naturæ. 233. 234.
Curationes inſignes Pernicioſarum Periodicarum ex quavis earum ſpecie, *China China* peculiariter adminiſtrata ſanatarum, ordinatim diſpoſitæ. 167. uſque ad 228.

D

D' AQUIN quid opinetur circa Febrium Intermittentium Cauſas, & *Chinæ Chinæ* actionem in illas. Vide *Aquin*.
DAVINIUS Sereniſſimi Mutinæ Ducis Medicus, & Auctoris Collega, Lucubrationes quaſdam tum Latino, tum Hetruſco Idiomate conſcripſit in laudem *Corticis Peruviani* ſub nomine *Hectoris e Valle*. 210.
. . . Diluitur umbra quædam, quam prædictæ Lucubrationes præter intentionem offundere viſæ ſunt aſſertionibus Auctoris, quibus ſe prodidit primum repertorem in Urbe ſua Methodi curandi per *Chinam Chinam* Pernicioſas Intermittentes. 210. 211.
. . . Illius modeſtia laudatur. *Ibidem*.
. . . Quæ methodus illi familiaris in exhibendo *Corticem*. *Ibid.*
Decocta aliorum Corticum, & Lignorum pluries, ac diu uſurpantur cum incertitudine eventus: Cur non & *Cortex Peruvianus* cum certitudine? 14.
Definitio Febrium Periodicarum Pernicioſarum in communi. 116.
Defunctorum aliquot *Cortice* modo tractatorum, & modo non, Hiſtoriæ. Vide, *Hiſtoriæ Defunctorum*.
Dejectiones alvinas tum ſpontaneas, tum artificiales, ut plurimum in Febribus Intermittentibus parum proficere, experientia comprobatur. 71.
. . . Hiſtoriæ idipſum teſtantes. 76. 78.
. . . Hiſtoria I. 66.
. . . Hiſtoria II. 66.
. . . Hiſtoria III. *ibidem*.
. . . Hiſtoria IV. 66.
. . . Hiſtoria V. *ibidem*.
. . . Hiſtoria VI. 66. 67.
Depurativa, ſeu Perfectiva Febris Intermittens, non ab initio ſupprimenda per *Corticem*. 58.
Depurativæ Intermittentis conditiones. 60. 61.
Depurativam Intermittentem, licet *Cortice* curari poſſit, tutius videtur non curare. 61.
Depurativam nonnunquam, & nonnunquam Corruptivam naturam Intermittentium efficiunt plura. 61. & 62.
Depurativam Febrem qui ſiſtit. Vide, *Febrem Depurativam*.
Depurativas Febres præſertim circa initia ſiſtendo &c. Vide, *Febres Depurativas*.
Deſcriptio Methodi lentioris ad curandas Subcontinuas Pernicioſas. 143. 144.
Deſcriptio Specierum omnium Febrium Periodicarum Pernicioſarum. 117. uſque ad 123.
Diæta quæ ſervanda tempore uſus *Corticis* in Pernicioſis. 143.
Diagnoſis Pernicioſi ſymptomatis a non pernicioſo illuſtratur exemplo. 165. 166.
Diagnoſis Febris Subcontinuæ Pernicioſæ, illiuſque ortus, atque progreſſus. 123. uſque ad 125.
Diaphoreticæ Intermittentis pernicioſæ deſcriptio. 120.
Diaphoreticarum Febrium *China China* curatarum Hiſtoriæ. 280. uſque ad 185.
. . . Diaphoreticæ Febris Hiſtoria I. 180.
. . . Hiſtoria II. 183.
. . . Hiſtoria III. 184.
Differentiæ Febrium Periodicarum Pernicioſarum ab earum ſymptomatis peculiaribus derivatæ, 117.
. . . Prima Febrium Intermittentium Pernicioſarum differentia, quæ *Cholerica* dicitur. 106.
. . . Item & quaſi *Dyſenterica*. 118.
. . . Secunda differentia, quæ dicitur *Subcruenta*. 118.
. . . Item & *Atrabilaris*. 118.
. . . Tertia differentia *Cardiaca* nuncupata. 118.
. . . Quarta ſpecies *Diaphoretica* dicta. 119.
. . . Quinta ſpecies, quæ *Syncopalis* appellatur. 119.
. . . Sexta quæ dicitur *Algida*. 122.
. . . Septima, nempe *Lethargica*. *Ibidem*.
. . . Octava denique, quæ Subcontinua nuncupatur. 120. 121.
Difficultates contra uſum *Corticis* in mitioribus febribus afferri ſolitæ, & per modum fictionis etiam admiſſæ, in caſibus præcipitis exitii locum non habent. 82. 83.
Difficultates quænam ſint contra uſum *Corticis* in Subcontinuarum Malignantium principio, 232. 233.
. . . Quæ contra omiſſionem *Corticis* in principio Subcontinuarum Malignantium. 233. 234.
Diſcrepantia inter *Mortoni*, & Auctoris Methodum. 150.
Diſcrepantia quænam ſit inter curationem in Febrium tum methodice, tum ſponte, tum ope *Corticis* abſolutam, & curationem aliorum Morborum præſertim Chronicorum. 234. 235.
Diſcrepantia practica inter oblatum, & non oblatum *Corticem* in Subcontinuarum Malignantium principiis ex *Mortono*. 242. 243.
Diſcrimen inter Febres certum exitium, & inter alias anceps tantum periculum inferentes, quoad oblationem *Corticis*. 248.
Diſcrimen quodnam intercedat inter curationem Febrium methodicam, vel etiam ſpontaneam, & eam, quæ fit ope *Chinæ Chinæ*. 233. 236.
Diſtributio congrua doſis *Corticis* pro cita, & certa curatione Febrium Pernicioſarum. 139. ad 140.
Diſtributio Hiſtoriarum Curationum Inſignium ſecundum variam Pernicioſarum actionem in triplicem humani Corporis regionem inſtituta. 170.
Diſtributione *Corticis* congruenter facta, curantur Pernicioſæ Periodicæ cum minori *Corticis* quantitate, ac a multis curentur benignæ. 140.

Divi-

Diviſio Febrium omnium ſecundum Auctorem. 250. ad 256.
Diviſio Periodicarum Pernicioſarum, & ſpecierum earumdem ab accidentibus potioribus illas concomitantibus petita. 116.
Alia diviſio ad ritus Scholaſticos. 117.
Doctrina Febrium. Vide *Febrium Doctrina*.
DOLÆI de cauſſis Febrium Intermittentium opinio. 31.
DOLÆUS Purgantia ad tollendas ſimul Febres Intermittentes, & earum Cauſſas, minus recte Cortici admiſcet. 32.
Dolor periodicus in Maxilla ſuperiore *Cortice* ſedari viſus, ſed non curatus. 298.
Dolorem Ventriculi periodice recurrentem *China China* ſanatum refert *Valliſnerius*. 290.
DONZELLUS (Joſeph) quodammodo ſubſcripſit *Protoſpatario* circa Febrium Cauſſam. 30.
Doſim liberaliorem *Chinæ Chinæ* tum univerſim, tum particulatim conſideratam obeſſe non poſſe probatur ex *Sydenhamio*, *Mortono*, *Monginotio*, & *Charas*. 106. 107.
Doſis liberalior *Chinæ Chinæ* experientia 50. circiter annorum Auctori familiaris, in uſu eſt quoque apud alios Practicos. 141. 142.
DUCIS DE LESDIGUIERES defuncti Hiſtoria. 243.
Dyſenterica Febris Intermittens Pernicioſa deſcribitur. 118.
Dyſentericæ Febris *China China* curatæ Hiſtoria unica *num.* iv. 172.

E

Effectus *Corticis* citus cum ſit, cito dignoſcitur, an ille ſperari debeat, necne, ubi idem *Cortex* in caſibus ancipitis naturæ fuerit oblatus. 241.
Emetica, & Cathartica Fermento febrili ſæpius analoga, & Febrim *Cortice* curatam ſtatim revocantia, Cauſſam febrilem nequeunt evacuare. 24.
Emetica, aut Cathartica nequeuno Fermentum Intermittentium &c. Vide. *Cathartica*, & *Emetica nequeunt*.
Epilepſiæ *Chinam Chinam* opem ferre, aſſerit *Tozzius*. 290.
Epileptica quinquagenaria viſa eſt curari *Cortice*; nec tamen curata eſt. 297.
Epilepticus Adoleſcens ab uſu *Corticis* plurimum levaminis viſus eſt ab initio reportaſſe; minime tamen ſanatus eſt. 298.
ETTMULLERI Sententia de Febrium Intermittentium Cauſſis. 31.
Evacuatio Cauſſæ febrilis ſæpe ſuccedit aſſumptioni *Corticis* ſub velamine conſuetarum excretionum. 23.
. . . Nulla ſenſibilis exigi debet a *China China*, etiamſi hæc dicatur febrile Fermentum præcipitare. 16. 17.
Evacuatio artificialis in Febribus Intermittentibus neque a Cauſſa Conjuncta indicatur, neque ab Antecedente. 16.
Evacuatione ſenſibili, datis etiam Galenicorum principiis, ſæpius opus non eſt pro curandis Febribus. 24.
Evacuationem vel nullam, vel facilem tantum, ac ſalubrem excitat *Cortex*. 6.
Evacuationes omnes ad Febrium Intermittentium curationem damnat *Morton*. 26. 27.
. . . Ita ſentit & *Sydenham*. 28.
Evacuationes nonnumquam criticæ ſuccedunt poſt *Chinam Chinam* aſſumptam. 15.
Evacuationis defectus cuilibet alio præter *Chinam Chinam* Specifico Febrifugo poſſet imputari. 33.
Evacuationibus ad exceſſum uſque tentatis, *Cortex* uſurpandus ſaltem eſſet loco Febrifugorum ineptorum. 50.
Evacuatis ſine Febris levamine copioſis humoribus, Ægrum ab imminente lethali ægritudine ſaltem præſervatum pronunciant curantes Medici. 10.
Excretiones copioſæ in Febribus, materia incocta, quamvis ſpontaneæ, vel morbi longitudinem, vel difficilem ſolutionem protendunt. 16.
Exempla oblationis *Corticis* vario cum ſucceſſu inſtitutæ variis Intermittentium temporibus, & in circumſtantiis variis Febrium modo Depurativarum, & modo Corruptivarum taliumque modo ob ſolam diuturnitatem, & modo ob ſupervenientia gravia ſymptomata. 68. 81.
. . . Hiſtoria I. 70.
. . . Hiſtoria II. 71.
. . . Animadverſio Auctoris in oblationem *Corticis* non ſatis felicem in Intermittentium principio. 72.
. . . Hiſtoria III. *ibid.*
. . . Hiſtoria IV. 73.
. . . Animadverſio Auctoris in oblationem adhuc minus felicem in Intermittentium plane depurativarum progreſſu. *Ibidem*.
. . . Hiſtoria V. 73.
. . . Hiſtoria VI. *ibid.*
. . . Hiſtoria VII. *ibidem*.
. . . Hiſtoria VIII. 74.
. . . Hiſtoria IX. *ibid.*
. . . Hiſtoria X. 75.
. . . Hiſtoria XI. *ibid.*
. . . Hiſtoria XII. 76.
. . . Hiſtoria XIII. *ibid.*
. . . Hiſtoria XIV. 77.
. . . Hiſtoria XV. *ibid.*
. . . Hiſtoria XVI. 79.
. . . Hiſtoria XVII. *ibid.*
. . . Hiſtoria XVIII. ſpecialiter notanda. 80.
Exemplum pro innuenda præſtantia Methodi Auctoris. 147.
. . . Aliud illuſtrans diagnoſim pernicioſi Symptomatis a non pernicioſo. 222.
Exemplum Circumſtantiarum graviſſimarum, quæ *Corticis* adminiſtrationem validam & ſuadent, & feliciter admittunt, & quomodo. 140. 141.
Exemplum offerendi Corticem in Pernicioſis lentiore Methodo, indicata ordinatim diſtributione remedii. 142.

Expe-

Experientiam, praximque propriam nonnihil hæsitantem circa oblationem *Corticis* in Subcontinuarum Malignantium principio exposuit Auctor, ab aliena complementum sperans. 250. 251.

Experimenta Auctoris circa plurima, quæ Lumbricos dicuntur necare, connumerando inter hæc *Chinam Chinam*. 294. 295.

Experimenta ex *Cortice* commixto cum succis humanis, præsertim cum Sanguine, & Bile. 20. 21.

Experimenta quædam ad *Corticis* vim sensibiliter explorandam ferme incassum ab Auctore instituta. *Ibidem*.

Extracta, Tincturas &c. *Chinæ Chinæ* noverunt & primis illius temporibus Medici, qui tunc aderant. 52.

Extractum *Chinæ Chinæ*, & Tinctura illius utilia sunt, sed utiliora, si illis substantia ipsa *Corticis* adjungatur. 51.

F

FEbrem Depurativam qui sistit *Cortice*, tollit de medio remedium absumptivum Caussæ morbificæ, ut illi substituat aliud mere absorptivum cum incerta sub actione ejusdem Caussæ. 309.

Febres Depurativas præsertim circa initia sistendo peccatur contra Aphorismum Hippocratis: *Quæ judicantur* &c. *Ibidem*.

Febres Phthisicorum putridas Intermittentes posse aliquo modo leniri *Cortice*, interitu Ægrotantis nequaquam inhibito *Morton*, & Auctor non diffitentur. 300.

Febres Malignæ ab ortu. Vide, *malignæ Febres*.

Febres Intermittentes, Ardentes, Inflammatoriæ &c. Vide, *Intermittentes Febres*, *Ardentes*, *Inflammatoriæ* &c.

Febres in suis transmutationibus possibilibus quemdam veluti Circulum imperfectum videntur agere. 288.

Febres imminentes (ita & alias ægritudines) sicuti licet impedire ne adveniant, cum fieri potest, ita congruum videtur eas impedire per *Corticem*, ne progrediantur, postquam advenerint. 238.

Febres ab ortu Intermittentes, ut tales esse considerandas etiam post acquisitam recenter continuitatem, & *Cortice* curandas docent *Morton*, & *Sydenham*. 107.

Febres evacuationibus non esse curandas ab actione *Corticis* deduxit *Borellus*. 14.

Febribus nullis, quæ Simplices vocantur, ut Hecticis, Synochis imputribus, aut ephemeris aptatur actio *Corticis*. 258.

Febrifuga vera non solent esse sensibiliter evacuantia. 16.

. . . Quæ talia sunt apud Auctores, atque vehementia, inutilia sunt, & noxia. 9. 10.

Febrifuga nonnulla vegetabilia in locum *Peruviani Corticis* suffecta, eodem sunt imbeciliora. 3.

. . . Ita, & alia quævis Febrifuga. *Ibid.*

Febrifugorum quorundam vis alchalica. Vide, *Sennertus vim alchalicam*.

Febrifugum universale hucusque non est *Chinæ Chinæ*, licet aliqui se Arte talem eam reddidisse putent. 258.

Febrifugum diu quæsitum reperitur in *Cortice*, statimque repertum rejicitur. 10.

FEBRIFUGUM PERUVIANUM saltem loco Febrifugorum ineptorum usurpandum, post tentatas ad excessum usque evacuationes. 50.

Febrile Fermentum. Vide *Fermentum Febrile*.

Febris fere quælibet transit in quamlibet, ubi aliqua sit inter illas symboleitas. 288.

Febris Algida, Ardens, Atrabilaris, Cardiaca, Cholerica, Comitata, Continua, Diaphoretica, Dysenterica, Inflammatoria, Lethargica, Lenta, Maligna ab ortu, Subcontinua, Subcruenta, Subintrans, Symptomatica, Syncopalis, Verminosa &c. Vide, *Algida Febris*, *Ardens*, *Atrabilaris &c.*

Febris quælibet periodica Continua quo magis ad naturam Intermittentium accedit eo facilius se submittit actioni *Corticis*: Quo vero magis accedit ad naturam Continentium, seu Synochorum, eo facilius eidem se subtrahit. 262. Item. 274.

Febris secundum *Campanellam* Morbus non est, sed Remedium contra morbum. 233.

Febris acuta facta. Vide, *Acuta facta Febris*.

Febris quibus modis solvi consuescat. Vide, *Quibus modis*.

Febris Pernicioſæ periculum extremum. Vide, *periculum extremum Febris* &c.

Febrium Intermittentium origo. Vide, *Intermittentium Febrium origo*.

Febrium Doctrina etsi utrumque Systema mechanicum, tam Solidorum scilicet, quam Fluidorum fatiget, nihilominus congruentius videtur superstrui huic, quam illi. 133. 134.

Fœtus Conformatio. V. *Conformationem fœtus*.

Fermenti nomen in Febribus metaphorice usurpat Auctor. 35.

. . . Ubi non bene sonat, aut superfluit, longe rejicit. *ibid.*

. . . Exosum est Mechanicis præsertim Solidorum Systema profitentibus. *ibid.*

Fermenti, seu potius Menstrui nomen, & usus in opere digestionis videtur adoptari ab Auctore; sed hæsitanter. 38.

Fermenti Febrium Intermittentium Minera potius ultra, vel citra Sanguinem sita est, quam intra. 44. 45.

Fermenti Pernicioſi, seu venenati natura. Vide, *Natura Fermenti Pernicioſi*, &c.

Fermenti Febrium Intermittentium extra cruorem videtur suadere coacervationem actio Corticis. 60.

Fermenti febrilis absorptio. Vide, *Absorptio*.

Fermenti febrilis Acredinem. V. *Acredinem*.

Fermenti, seu Succi Febrilis stagnatio temporanea requiri videtur ad efficiendam periodum. 43.

Fermentorum Pernicioſas, & non Pernicioſas pro-

producentium ſymboleitas. V. *Uniformitas*.
. . . Illius ſola refuſio a ſalibus *China China* facta, abſque ulla etiam ſenſibili evacuatione, ſufficit ad curationem Febrium. 23. 24.
. . . Excretio ejuſdem *a China China* abſorpti (ſiqua nonnumquam requiritur) ſæpius ſuccedit abſque ſenſibili conſuetarum evacuationum incremento. 50.
Fermentorum Symboleitas & uniformitas. Vide, *Uniformitas*.
Fermentum Continuarum ipſi ab intrinſeco Sanguini inſidet. 58.
Fermentum Intermittentium. Vide, *Intermittentium Fermentum*.
Fermentum Pernicioſarum. Vide, *Pernicioſarum*.
Fermentum Pernicioſum. Vide, *Pernicioſum Fermentum*.
Fermentum febrile ſubit potius poros *Corticis*, quam iſte poros illius. 22. 23.
. . . Sic abſorptum a Cortice per ordinarias Naturæ vias ſenſim, & ſponte ſolet excerni. 24.
. . . Pro varia Subjectorum conſtitutione, & Succorum commixtione, modo indolis Colliquativæ, modo Coagulativæ poteſt evadere. 128.
. . . Vel non ſtabularur in cavitatibus Ventriculi, & Inteſtinorum, vel ſaltem ab iis per purgantia, & vomitoria non ſolet educi. 24.
. . . Debet leniri potius, & corrigi, quam evacuari, & agitari. 47.
. . . Sub conſuetis, nec adauctis evacuationibus, poſt epotam *Chinam Chinam* ſæpius excernitur. 15. Item. 50.
. . . Credi poteſt habere ſtructuram Bili, vel Oleo quadantenus analogam. 23.
. . . Ipſius fixatio, ſeu depreſſio per abſorptionem a *Cortice* peracta, eſt vera omnium Febrifugorum, aliorumque Specificorum, quæ paſſim adhibentur intentio. 19.
. . . Commoda ejuſdem ſedes videntur eſſe Glandulæ Meſenterii in Intermittentibus. 41.
. . . Ejuſdem correctionem aliquam per Clyſteres tentat Auctor. 168.
Fermentum quid reddat Venenatum. Vide, *Venenatum, ſeu Pernicioſum magis* &c.
Fluida in machina humani Corporis quod pluries præſtent ad motus omnes, quam ſuum eſſe mere fluxile. 35.
. . . Ad id confert plurimum eorum craſſis, ſeu determinata compages. 36.
. . . In ipſis, & eorum motibus elegantiſſimam eſſe Mechanicen, ſed nobis inexplicabilem. *ibid.*
. . . Principium hujuſmodi mechanices in Fluidis vitalibus eſſe id, quod ab *Hippocrate* dicitur: *Impetum faciens*. *ibid.*
. . . Illuſtratur aſſertum hoc exemplo Molendini, aliarumque machinarum Hydraulicarum, & Pneumaticarum ſimul. 37. & 38.
Fluidi nomine intelligendum quidquid actu fluit, vel aptum eſt fluere. 37.
Fluidorum Syſtemati adhæret Auctor potius, quam Solidorum. 33. 37.
. . . In utroque Syſtemate æque difficulter explicatur ratio febrilis periodi. 35.
Fluidorum gravitas major, vel minor. Vide, *Gravitas*.
Fluidorum motus primario a ſpiritu illis incluſo, & ſecundario tantum a Solidis derivandus. 36. 37.
Fluxus Alvi. Vide, *Alvi fluxus*.
FONTANÆ objectionibus reſpondit Auctor. 96.
Formula antiquior exhibendi *Corticem* in Benignis Intermittentibus, reliquis omnibus anteponenda, dummodo opportune repetatur, & continuetur uſus remedii. 55.
Formula certior, & ſimplicior fugandi diurnas Intermittentes, & Recidivas arcendi. 57.
Formula duplex offerendi *Corticis* ex *Sydenhamio*. Ibidem.
. . . Aliæ ejuſdem pro Infantibus. *Ibidem*.
Formulæ *Corticem* præſcribendi plures ex *Mortoni*. 57.
Tinctura ejuſdem diluta pro delicatulis. *Ibidem*.
FRASSONI obitus Anno 1680. 3.
. . . Ejus diſciplinam in praxi ſubiit Auctor Anno 1677. *Ibidem*.
. . . Illius methodus in uſu *Chinæ Chinæ*. 2.
. . . Ejuſdem Epiſtola ſibi inſcripta confirmat *Badus* virtutem Peruviani *Corticis*. Ibidem.
. . . Ejuſdem Dictum. 302. 303.
FRASSONO Curationes omnes medio *Cortice* inſtitutæ feliciter ceſſerunt. 3.
. . . Caſus ſingularis excipitur. *Ibidem*.
FRASSONUS Auctoris præceptor laudatur. *Ibidem*.
. . . Inter primos *Chinæ Chinæ* fautores, connumerandus. 2.
. . . Gravidis Febricitantibus convenire, non adverſari *Corticem* aſſerit. 311.
Fraxini Cortex. Vide, *Corticis Fraxini*.

G

GALENI, & HIPPOCRATIS doctrina purgationem in Febribus minime ſuadet. 29. & 30.
Galenicorum etiam datis principiis, ſæpius evacuatione ſenſibili opus non eſt pro curatione Febrium. 26.
Glandulæ Meſenterii commoda ſedes eſſe videntur Fermenti febrilis in Intermittentibus. 41.
GRAAF circa Cauſſas Febrium Intermittentium *Sylvio* ſubſcribit. 31.
Gravida Septimeſtris ex Subcontinua Acuta per *Chinam Chinam* curata, & ad partum felicem perducta. 195. 196.
. . . Aliæ pariter. 222.
Gravida quadrimeſtris Cholerica Febre laborans *Cortice* copioſe epoto ſanatur, & partum edit ſuo tempore felicem. 170. 171.
Gravidis, & Puerperis tuto exhibetur *Cortex*. 18.
. . . Item 305. uſque ad 307.
Gravidis Febricitantibus *Chinam Chinam* non modo

modo non adverſari, ſed & ſpecialiter convenire ex *Fraſſono*. 303.
Gravitas major, vel minor Fluidorum ligno graviorum, præciſe non efficit faciliorem, vel difficiliorem ligni ſubmerſionem, ſed facilior, vel difficilior ingreſſus particularum fluidi intra poros ligni. 21.

H

HAllucinatio *Mortoni* Hæmoptoen Habitualem *Chinæ Chinæ* curare molientis. 301.
Hallucinatio nonnullorum circa Textum *Ramazzini*. 276.
. . . Interpretatio germana ejuſdem Textus. *Ib.*
Hallucinationem ſuam fatetur Auctor circa Epiſtolam *Lanciſii* ſibi inſcriptam. *ibid.*
HECQUETUS laudatur ab Auctore, & colitur. 35. 133.
Hecticæ abuſive dictæ, Lentæ ſcilicet puerorum Febres, a cruditatibus genitæ, *Cortice* ſæpiſſime curantur. 283.
HECTORIS E VALLE. Vide, *Davinus*.
HELVETII Methodi nondum conſcius Auctor, *Chinæ Chinæ* per Clyſteres injecta, Fermenti febrilis correctionem aliquam tentavit. 316. 317.
. . . Eidem tamen methodo parum, vel nihil fidendum cenſuit in arduis præſertim caſibus. *Ibidem*.
Quibus in circumſtantiis eam tentare liceat. 317.
HELVETIUS nullo per os oblato medicamento, ſed tantum *Cortice* per Clyſteres frequenter injecto, Febres curare ſatagit. 317.
Hemitritæi origo probabilior exponitur. 280.
. . Ejuſdem ortus, & compoſitio varia ſecundum Veteres. *Ibidem*.
Curatur *Cortice* ſecundum Auctorem, *Badum*, & *Reſtaurandum*. 280.
Hæmoptoe ſi aliquando eſt merum Symptoma febris Intermittentis, etiam erraticæ (ut ſemper eſſe falſo cenſet *Morton*) probabiliter ſanari poſſet a *Cortice*, Febrem talis Hæmoptoes productricem ſanante. 302. & 303.
Hæmoptoes Accidentalis, & Habitualis differentia ſecundum *Mortonum*. 300.
Hæmoptoes Habitualis Antidotum herculeam eſſe *Peruvianum Corticem*, ut aſſerit *Morton*, non admittit Auctor. *ibid.*
Hæmoptoes a *Mortono* curatæ, ut inquit, per Chinam Chinam Hiſtoria. 301.
. . . Animadverſio Auctoris in hanc Hiſtoriam. 302. & 303.
Hippocratis, & Galenis doctrinæ male conformis eſt uſus Purgationis in Febribus. 30. 31.
. . . Ejuſdem aphoriſmus. 309.
Hiſtoria peculiaris primæ inventionis, ac adminiſtrationis methodi ab Auctore traditæ. 165. uſque ad 170.
Hiſtoria Præfecti cujuſdam Gallicæ Militiæ defuncti. 242.
Hiſtoria Hæmoptoes per *Corticem* a Mortono curatæ. 301.
Hiſtoriæ variæ circa varium *Corticis* uſum in variis Intermittentium non Pernicioſarum circumſtantiis. Vide, *Exempla*.
Hiſtoriæ Algidarum Febrium, Ardentium. Atrabilarium, Cardiacarum, Cholericarum, Comitatarum, Continuarum, Diaphoreticarum, Dyſentericarum, Inflammatoriarum, Lethargicarum, Lentarum, Malignarum, Subcontinuarum, Subcruentarum, Subintrantium, Symptomaticarum, Syncopalium, Verminoſarum &c. Vide, *Algidarum Febrium Hiſtoriæ*, *Atrabilarium Hiſtoriæ* &c.
Hiſtoriæ Defunctorum, quibus falſo vulgatum eſt fuiſſe oblatum *Corticem*, cum vere oblatus non fuerit. 157. 159.
. . . Hiſtoria I. 157.
. . . Hiſtoria II. *ibid.*
. . . Hiſtoria III. 160.
. . . Hiſtoria IV. *ibid.*
. . . Item. 162.
Hiſtoriæ Defunctorum, quibus vere *Cortex* fuit oblatus, tam iis ſcilicet, quibus jam deploratis propinatus fuit indulgendi gratia, quam iis, quibus etſi non deſperatis nullatenus profuit. 159. uſque ad 162.
. . . Hiſtoria I. 158.
. . . Hiſtoria II. *ibid.*
. . . Hiſtoria III. *ibid.*
. . . Hiſtoria IV. 160.
. . . Hiſtoria V. *ibid.*
. . . Hiſtoria VI. 161.
. . . Hiſtoria VII., & VIII. *ibid.*
Hiſtoriæ Febrium Pernicioſarum *Cortice* curatarum, communicatæ Auctori ab uno ex Collegis illius. 218. ad 222.
. . . Hiſtoria I. 218.
. . . Hiſtoria II. 219.
. . . Hiſtoria III. *ibid.*
. . . Hiſtoria IV. 220.
. . . Hiſtoria V. *ibid.*
. . . Hiſtoria VI. 220.
. . . Hiſtoria VII. 221.
. . . Aliæ plures acervatim enunciatæ. 222.
Hiſtoriæ ab eodem Collega in Exedra publica nunc vices Auctoris ſupplente novliſſime communicatæ. 223. 230.
. . . Hiſtoria I. 225.
. . . Hiſtoria II. *ibid.*
. . . Hiſtoria III. *ibid.*
. . . Hiſtoria IV. 225.
. . . Hiſtoria V. *ibid.*
. . . Hiſtoria VI. 226.
. . . Hiſtoria VII. 227.
. . . Hiſtoria VIII. *ibid.*
. . . Hiſtoria IX. *ibid.*
. . . Hiſtoria X. 218.
. . . Hiſtoria XI. *ibid.*
. . . Hiſtoria XII. 219.
Hiſtoriæ Febrium Pernicioſarum *Cortice* ſanatarum Auctori pariter communicatæ ab alio ex ipſius Collegis. 210. uſque ad 214.
. . . Hiſtoria I. *ibid.*
. . . Hiſtoria II. 212.
. . . Hiſtoria III. *ibid.*

Hiſtoriæ Febrium Periodicarum Perniciosarum ex unaquaque ſpecie, curatarum *Chinæ Chinæ* peculiari methodo oblata 174. uſque ad 207.
. . . Item 206. uſque ad 235.
Humorales Febres Continentes. Vide, *Continentes Febres*.
Humoriſtarum etiam data doctrina, ſæpe non eſt opus evacuatione ſenſibili ad curationem Febrium. 22.
Humores per alvum, & per vomitum excreti in Tertianarum principio, ſunt illarum effectus, non Cauſſæ. 19.
Humoribus copioſis ſine Febris levamine evacuatis &c. Vide, *Evacuatis* &c.
Humorum quaternarius numerus a Scholis jam dudum explosus. 20.
Hydropi Febres Intermittentes ſubſequenti ex *Reſtaurando* opitulatur *Cortex*: non ſic Hydropi Febres præcedenti. 75.
Hypochondriacis affectibus Corticem opitulari putant *Badus*, & alii. 287.
Hypochondriacis affectionibus male vexata Adoleſcentula viſa eſt curari *Cortice* 290.
. . . In aliis hujuſmodi caſibus aliud obſervatum eſt. 291.
. . . Eodem tamen indiſcriminatim uti tutum non eſt. *Ibidem*.
Hypotheſi qualibet probabiliore ſuppoſita circa Intermittentium originem, uſus *Chinæ Chinæ* ad illarum curationem indicatur, & explicatur, nulla inde emergente ſenſibilis evacuationis neceſſitate. 44. ad 48.
Hyſtericis, & Hypochondriacis inſultibus *Chinam Chinam* prodeſſe, Spirituſque, & craſin Corporis roborare, affirmat Sydenham. 296.
. . . Non plane diſſentit Auctor. 294.
. . . Item 296. ad 290.

I

IDea quædam practica generalis pro curandis media China China Perniciosis Intermittentibus. 134. ad 135.
Inflammatoriam Febrim *Cortice* curari poſſe aſſerunt inexperti nonnulli. 259. 260.
Inflammatorias Febres *Mortonus* putat *Cortice* curabiles, quando manifeſtas exacerbationes, & remiſſiones habent. 262.
Inflammatoriis Febribus *Corticem* non congruere, affirmant ex adverſo *Sydenham*, & *Nigriſolus*. 230. 309.
Infuſio *Chinæ Chinæ* turbida, & referta ipſo Cortice, longe activior eſt ac percolata. 50.
Infuſio ſimplex *Chinæ Chinæ*, rejecta ſubſtantia, dupla ſaltem doſi exhibeatur neceſſe eſt, & longiore maceratione inſtituatur, ut proſit. 60. 61.
Innocentia *Corticis* excuſare poteſt tentamen illius in probabili conjectura fundatum, ubi nulla facta fuerit experientia de oppoſito. 308. & 310.
Innocentiam *Corticis* jurejurando teſtatur Auctor. 3.
. . Ejuſdem Admonitio circa hujuſce innocentiam. 70.
Innocentiam, & præſtantiam *Corticis* teſtatur *Badus*, atque *Conggius*. 6.
. . . Idem aſſerit *Reſtaurandus*, & *D' Aquin.* 6.
. . . Idem *Monginottius*, & *Sydenham*. 7.
. . . Idipſum inculcat *Morton*. 7.
Intermittentes Febres, & quæcumque ab initio tales fuere, necdum omnino a ſua natura deſcrivere, ſunt verum objectum actionis *Corticis*. 9.
Intermittentes Malignæ quænam ſint. 250.
Intermittentes Corruptivæ quomodo *Cortice* tractandæ. 60.
Intermittentes ab ortu. Vide, *Febres ab ortu*.
Intermittentes quædam contumaciſſimæ reperiuntur nonnunquam *Cortici* non auſculantes. 61.
. . . Exemplum hujuſce generis. *Ibidem*.
Intermittentes Perniciosæ. Vide, *Perniciosæ Intermittentes*.
Intermittentes putridæ Phthiſicorum Febres. Vide, *Febres Phthiſicorum*.
Intermittentium Benignarum. Vide, *Benignarum Intermittentium*.
Intermittentium Febrium origo per conjecturas varias, & imperfectas ab Auctore quæſita. 46. uſque ad 48.
Intermittentium origo, & Cauſſæ ſecundum celebriores plurium Neotericorum opiniones &c. Vide, *Sententiæ*.
. . . Opinio *Borelli* de earum Cauſſis. 31.
. . . Item opinio Blegny 32. Barbettæ. 33. Bellini 32. Badi 33. Cole 31. D' Aquin 32. Dolæi 33. Donzelli 34. Etmulleri. 32. Grat 30. Joneſii 32. Mongmotti 33. Mortoni 34. Mundi 32. Sacchi 31. Sponii 31. Sydenham 32. Sylvii 30. Tozzi 31. Villiſii 30.
Intermittentium Fermentum probabiliter advenit Sanguini aliunde. 36.
. . . Videtur affatim Torrentis adinſtar Sanguini accedere invadente paroxyſmo, non paulatim tempore intermiſſionis in Sanguine congeri. 37.
. . . Item 56. uſque ad 57.
. . . Nonniſi per Vaſa lactea, vel per Lymphatica videtur poſſe in ſanguinem deferri, minime vero per Venas cum Sanguine refluo ab extremis artubus. 57.
. . . Ubicunque condatur, tandem in lacteas ſecundi ordinis, ſeu in Vaſa Chylolymphica circa Sanguinem poſita, majori ſaltem ex parte influat neceſſe eſt, priuſquam deferatur in Sanguinem. 40.
. . . Conſideratum, ut eaſdem excitant (quæcunque ſit illius materia) videtur potius accedere, vel ineſſe Sanguini, quam alteri cuipiam ſucco, *v. gr.* Nerveo. 36.
. . . Etiamſi in Ventriculo, & Inteſtinis ſtabuletur, non tamen poteſt per Cathartica, aut Emetica a ſcaturigine ſua mineram inſtaurante radicitus extirpari. 39.
. . . In lacteis ſecundi potius, quam primi ordinis deliteſcit. 39. 40.
. . . Poteſt tamen forſan ſuum focum habere ubicunque repleri incipiunt Vaſa lactea, vel Lymphatica. 37. 38.
. . . Idem vel in Vaſis Chyliferis, vel in Lym-

Lymphaticis, vel in Glandulis iisdem appensis probabiliter ad tempus congeritur, ut ad tempus pariter ab illis erumpat; vel cum iisdem Vasis saltem communicat, ut per ea deferatur in Sanguinem. *ibid.*

Intermittentium naturam nonnumquam Corruptivam, & nonnumquam Deputativam efficiunt plura. 60.

Intervallatæ Febres vulgares. Vide, *Peruviani Corticis usum, ad expugnandas Febres Intervallatas &c.*

Intervallum temporis quodnam servandum inter oblationem Cibi, & Febrifugi in Pernitiosis. 142. 143.

Intestina non congerere intra se Fermentum Intermittentium, neque illud aliunde recipere, ut per Lacteas primi ordinis transmittant in Sanguinem, plura videntur suadere, inter quæ *Peruvianus Coetex*. 42. 43.

JONESII opinio circa Febrium Intermittentium Causas. 32.

Itali præcipue notantur de incredulitate erga *Corticem*, præsertim a Gallis. 9.

K

KINKINA. Vide, *China China; Cortex Peruvianus, Febrifugum Peruvianum, Peruvianus Cortex, &c.*

... Illius varia Nomina. 1. & 2.

... Illius Historiam apud *Badum* legere potest quilibet. 2.

KINKINÆ cum radice Chinæ decoctio Febrem Lentam curavit Hecticæ æmulam. 282.

... Non sic in alio casu, quantumvis simili. *ibid.*

KINKINAM, seu *Quinquinam* vocant Galli, quam nos dicimus *Chinam Chinam*. 1.

L

LAmpadis ignis viralis cum Lampade ignis elementaris comparatio. 58.

LANCISII Epistolæ Fragmentum ad Auctorem circa Febres Pernicioſas *China China* curandas. 108.

... Auctoris hallucinatio deprehensa postmodum ab eodem circa sensum hujus Epistolæ. 275.

LANCISIUS Pontificius Archiater, ejusque Tractatus -- *De nativis, deque adventitiis Romani Cœli qualitatibus* -- laudatur. 92.

LEIBNITII experimentum Hydrostaticum non parum luminis contulit ad abstrusum Barometri phœnomenon explicandum, etsi rem adhuc fortasse non confecerit. 93.

Lenta Febris Hecticæ æmula decoctione *Chinæ Chinæ* cum radice Chinæ curatur. 288.

... Non sic in alio casu, quamvis simili. 282.

Lentæ Febres quænam *Cortice* sint curabiles, & quænam non. 279.

... Diagnosis uniu. casus ab alio. *ibid.*

Lentarum Febrium in Pueris, aliisque etiam subjectis, *Cortice* sanatarum Historiæ. 280. usque ad 286.

Historia I. 275.
Historia II. *ibid.*
Historia III. 276.
Historia IV. 277.
Historia V. 288.
Historia VI. 279.
Historia VII. 280.

Lentarum Febrium in duplici casu inutiliter Cortice tentata curatio. 281. 282.

Lenientia, aut Purgantia non æque prohibentur ante ac post usum Corticis. 68.

Lethargica Febris Intermittens pernicioſa describitur. 119.

... Gravior est ex inspectione, ac esse videatur ex relatu. 195.

Lethargicarum Febrium *China China* curatarum Historiæ. 195. usque ad 206.

Historia I. 196.
Historia II. 197.
Historia III. *Ibid.*
Historia IV. 198.
Historia V. 200.
Historia VI. 202.
Historia VII. 203.
Historia VIII. 204.
Historia IX. *Ibid.*
Historia X. 295.
Historia XI. *ibid.*
Historia XII. *Ibid.*
Historia XIII. 206.

Lethargicas, seu Veterno comitatas Febres, momanto temporis solvit *Cortex*. 5.

Ligna, sectis poris, materiam habent Aqua graviorem. 21.

Lignorum innatatio in aqua procedit ex copia, & amplitudine quadam pororum compaginis ligneæ. *Ibidem*.

Lochia suppressa in Febre Cardiaca, curata per *Corticem* Febre, statim revocata sunt. 218.

Locus natalis *Chinæ Chinæ*. 2.

Lumbrici Vitulini, & Terrestris in amara Corticis infusione diu vivunt, experientia Auctoris. 289.

... Item in infusione Aloes, & Colocynthidis in succo Absyntii, in petroleo, Mercurio ipso &c. *ibid.*

Lumbrici Vitulini citissime necantur in Vini Spiritu, deinde in Aceto, mox in Vino, Mellicrato &c. 289. & 290.

... Ita, & quidem citius, etiam Terrestres. 289.

Lumbrici Vitulini Oleo Magni Ducis Hetruriæ obliniti, ac in eodem aquæ commixto infusi, vivunt: non sic in Vini spiritu. 288. & 289.

Lumbrici Terrestres primo loco, mox & Vitulini motus edunt plurimos, & violentissimas contrectationes, præcipue quidem in infusione Viridis Æris, secundario vero in Petroleo. 289.

Lumbrici Terrestres necantur facile in infusione Viridis Æris: non ita Vitulini.

Lumbrici diversi ordinis diversum probabiliter convenit, & adversatur pabulum. 287.

Lumbricorum post assumptam *Chinam Chinam* excretorum exempla. 287.

Lumbricorum excretio depulsæ per *Corticem* Febri subsequens. 205.
. . . Item quoque. 287.
Lumbricorum Humanorum necandorum, & aliorum, eadem forsan non est ratio. *ibid.*
Lumbricos Humanos adhibere in experimentis fortasse non sufficit ad statuendum quid vere illos valentius necet. 288.
Lumbricos necare credita Remedia forsan aliud præstant extra Corpus humanum, & aliud intra. 289. 290.
Lumbricos a *China China* necari sibi compertum scribunt *Ramazzinus*, & alii. 198.
Lympha, & Chylus primario, secundario vero Succi omnes eidem Chylo immiscere soliti, videntur esse materia Fermenti Febrium Intermittentium. 44.
Lymphaticam Febrem sæpius *Cortici* refractariam deprehendit Auctor. 220. 221.

M

MAGATI (Cæsaris) Methodus *de rara Vulnerum solutione, & de Turundis ablegandis*, laudatur. 107.
MAGATUS (Joh. Bapt.) Cæsaris Fratrer Apparicio cuidam tribuit ingenue primum usum ablegandarum Turundarum, Romanisque Chirurgis morem ruræ Vulnerum solutionis: *Cæsari* vero Fratri adscribit Methodum hujus paxeos rationalem. *ibid.*
Malignas Febres ab ortu falso asserunt nonnulli posse *Cortice* curari. 257. 258.
Malignæ Intermittentes quænam sint. 249.
Malignæ Febres magna ex parte a Fermento Intermittentium cum Fermento Continuarum commixto solent progigni. 260. 261.
MANZII Professoris Bononiensis prognosticorum in lethali quadam Ægritudine, per administrationem *Corticis* subinde curata. 162.
Matheseos usus in Medicina laudatur, dummodo sobrius, & cautus sit in exercenda praxi. 35.
Mathesis Medico Practico decora est, & sæpius utilis, dummodo illam accommodet Praxi: secus si Praxin accommodet illi. *ibid.*
. . . Ob id nonnumquam præ Medico mathematicis imbuto excellit rudior, in operibus Artis magis versatus. *ibid.*
. . . Illustratur id exemplo eorum, quæ identidem accidunt in corrigendis incongruis aquarum fluentium moribus. *ibid.*
Mathesis practicæ Medicinæ bene jugata felicius applicari potest Morbis organicis, quam similaribus. 129.
. . . Id in rebus ad Opticem pertinentibus (pluribus aliis minime exclusis) maxime elucescit. 129.
Mechanice naturalis fluidorum difficile explicabilis; multo magis vitiata febribus. 36.
Medicamenta *Chinæ Chinæ* addita ad illam roborandam, ut plurimum supervacanea. 56.
Medicamenta inutilia præscribentes in legem de *Repetundis* incurrunt ex *Balo*. 12.
Medicamenta evacuantia, titulo Febrifugi ante paroxysmum exibita, si præsertim plusquam par sit expellant. noxia. 17.
Medicamenti administratio præpostera, ac ideo inutilis, nil detrahit eidem Medicamento, cæteroqui salubri. 160.
Medicamentorum cum *China China* commixtionem, vehiculo necessario excepto, *Sydenham* damnat. 59.
Medici nimium creduli ante inventum *Corticem* primo crebris purgationibus, mox Specificis invalidis, Amuletis &c. Intermittentium curationem tentabant incassum, 10.
Medici cordatiores aut inventum *Corticem* diuturnarum Febrium curationem sæpe Naturæ committebant, & Tempori. 11.
Medici prudentia sola debent decernere in quibusdam casibus naturæ ancipitis, *Cortex* sit offerendus, nec ne, habito ad rationabilem spem, merumve respectu. 236.
. . . Rationes quædam hinc inde militantes afferuntur, & perpenduntur. 240. 236.
Medici universa Mathesi prestantes, etsi nondum Theoriam Febrium Periodicarum, & Malignarum, aut Pestilentium satis extricarint; id tamen constanti labore adhibito aliquando sperandum videtur, quoad finit Artis incertitudo. 128.
Medici Mutinenses anno *1696.* tantum notant Curationes insignes Febrium Perniciosarum *China China* ab Auctore anno superiore absolutas, sed qua methodo ignorabant. 305.
Medicis tempore primi adventus *Corticis* in Europam florentibus, condonanda aliqua trepidatio. 13.
Medico perperam præscribenti imputanda est Corticis noxa, non ipsi Cortici. 301.
Medicorum nonnunquam scrupulosa superstitio, seu vana Artis ostentatio in Morbis curandis 131. 132.
Medicus tenetur cum Veterum, tum Recentiorum Scripta callere, & ex utrisque meliora seligere, ne suo muneri desit. 27.
. . . Nisi in principio Subcontinuæ Malignantisquæ Corruptiva futura sit, *Corticem* exhibeat, non amplius potest illum utiliter exhibere. 227.
. . . Curans Febres *China China* id agit, quod agit Chirurgus reponens Ossa luxata: curans vero aliis remediis agit, quod Chirurgus vulnera curans, & ulcera. 252.
Medicus, qui in Febribus Continuis Proportionatis, etiam de Continuitate essentiali suspectis, velit *Corticem* tentare cum incertitudine de activitate Remedii in tali circumstantia, culpandus non est. 270.
Medicus misericors potest etiam proxime, ut sibi videtur, morituris *Corticem* nonnunquam offerre, præsertim si sit requisitus, præmisso tamen de innocui tentaminis invaliditate prognostico, dummodo Febris, quæ detinetur Æger, sit ex natura sua de admittentibus Corticem. 152.
Medicus, curatione Febrium, ut ajunt, me-

thodice instituta, se gerit ut Inspector morbi, & minister Naturæ : curatione vero per *Chinam Chinam*, se gerit ut Arbiter Morbi, & Instaurator Naturæ. 230.
Medicus unus eundem Morbum in iisdem circunstantiis iisdem Remediis curare potest, non vero alius propter diversitatem ordinis administratorum Remediorum. 105.
Medicus, qui Febrem Depuratoriam præsertim circa initia sistit, peccat contra Aphorismum Hippocratis : *Quæ judicantur &c.* 303.
Menstruas Purgationes actu patientibus Fœminis tuto exhibetur *Cortex*, si Febris tunc exigat. 299.
. . . . Suspensio tempore usus illius ante inchoati arbitraria est, nec improbanda, si Febris, moram admittat. *ibid.*
Mentis torpor quidam ex gravi febre immerito Cortici adscriptus, *Cortice* ipso furtim præscripto sublatus. 193.
MERCATI Tractatulus de *Tertianæ Perniciosæ* recusus. 86.
MERCATO observatæ sunt Febres quædam Perniciosæ non observatæ ab Auctore, & Auctori quædam forte non observatæ a *Mercato*. 119.
MERCATUS Tertianarum Perniciosarum primus Observator, & Scriptor. 85.
. . . Pro Perniciosarum curatione quo se vertat anceps, minime anceps fuisset, si novisset *Corticem*. 99.
. . . Asthmaticum affectum, Cattharum suffocativum, dolorem Pleuritico similem, Arthriticosque dolores Perniciosis Intermittentibus associatos observavit, nec veluti morbos consideravit, sed ut accidentia a Febre producta, 103.
Mesenterii Glandulæ. Vide, *Glandulæ mesenterii*.
Metamorphoses Febrium diversæ eas modo reddunt *Cortici* obsequentes, & modo non. 264.
Methodi plures curandarum Febrium Methodo Auctoris succensent necesse est. 152.
Methodi lentioris ad curandas Subcontinuas Perniciosas propositæ descriptio. 140. 141.
Methodo Auctoris quid probabiliter sint objecturi Vaniloqui. 145.
Methodo validissima offerendus est *Cortex* in extremo periculo, extremaque temporis angustia : modice valida in periculo modico. 130. 131.
Methodum Auctoris quid reddat spectabilem & præ reliquis admirabilem. 145.
. . . Ejusdem discrepantia cum Methodo *Mortoni*. 147. 148.
. . . Exemplum pro innuenda præstantia Methodi Auctoris. 146.
Methodus antiquior offerendi *Corticem* in diuturnis Intermittentibus ex Romana Scheda. 53.
Methodus Auctoris ad Intermittentium diuturniorum recursum præcavendum post adhibitam methodum Romanæ Schedæ. *Ibidem*, *& seq.*
Methodus exhibendi *Corticem* in Perniciosis duplex est, & pro occasionum diversitate adhuc varia. 125.
. . . Fortior generaliter convenit magis Septem prioribus Perniciosarum speciebus : levior vero Octavæ speciei. 146.
Methodus servanda in exhibendo ad prophylaxin *Cortice* post Perniciosas Intermittentes depulsas. 139. 140.
Methodus, qua exhiberi debet *Cortex* in Subcontinuarum Malignantium principio, ubi illum expediet exhibere. 234. 235.
Methodus *Mortoni*, ubi *Cortex* offerri debeat in Subcontinuarum Malignantium principiis, poterit usurpari ab iis saltem, qui non valent exacte metiri proportionem inter vires Remedii, & Morbi, ut fert Methodus Auctoris. 235.
Methodus Auctoris ad Perniciosas Periodicas proponitur, non solum usquequo illæ patenter sunt periodicæ, verum etiam postquam jam in Continuas obscuratis admodum periodis degenerarunt cum asphyxia, & aliis signis lethalissimis. 108.
Methodus nonnullorum mitior offerendi *Corticem* in debiliorum Febrium diuturnitate utilis. 53.
. . . In Febribus Fortioribus satius est dosim justam semel saltem præmisisse. *Ibid.*
Methodus *Talbotii*. Vide, *Talbotii*.
Minera Fermenti Febrium Intermittentium potius ultra vel citra Sanguinem sita est, quam intra. 45.
MONGINOT, data Humoristarum hypothesi, nulla sæpe opus esse evacuatione sensibili pro curatione Febrium ostendit. 26.
. . . CHINAM CHINAM affirmat mederi Morbis ab exuberantia Succorum acidorum diversimode in Visceribus stagnantium, vel fermentescentium ortis. 283.
MONGINOTII de Caussis Intermittentium opinio. 22.
Morbi Herculei, ut credi possint vere curari ab aliquo Remedio, experientia opus est pluries repetita, & diutina perseverantia in statu sano. 292.
Morbi omnes periodici exrra lineam Febrilem, qui dicuntur a multis *Cortice* curabiles, aliquando forsan sortiuntur ab eodem aliquam modificationem, non curationem veram. 290.
Morbis ab omnibus frigidis *Corticem* mederi putant *Badus*, & *S. Sophia*. 283.
Morbi ab exuberantia Succorum acidorum diversimode in Visceribus stagnantium, vel mentescentium ortis, *Chinam Chinam* mederi affirmat *Monginotius*. 245.
Morbos nonnullos præter Febres identidem recurrentes *China China* curat *Morton* 114.
. . . Immo omnes quoquo modo periodum habentes, ac de latente præsertim Fermento febrili suspectos posse a *Cortice* levamen obtinere, videtur innuere. 112.
. . . . Ejusdem Auctoris limitatio rationabilior quoad sphæram activitatis talis Remedii 296.

Morbos *Vaporis* nomine donatos. Febres quaſcunque, Hydropes &c. per *Chinam Chinam* curari aſſerit Blegny. 283.
Morbus idem in iiſdem circumſtantiis iiſdem remediis curatus ab uno Medico ſanari poteſt, & non ab alio propter diverſitatem ordinis adminiſtratorum remediorum. 104.
MORTON etſi Cauſſas Febrium minus dilucide forſan explicarit, earum tamen curationem ſatis viriliter docuit. 34.
. . . Pernicioſas Intermittentes ſub aliorum Morborum larva deliteſcentes poſtremus deſcripſit, eaque media *China China* feliciter jugulare docuit. 38.
. . . Morbos nonnullos præter Febres identidem recurrentes *China China* curavit. 113.
. . . Item omnes quoquo modo periodum habentes, ac de latente præſertim Fermento febrili ſuſpectos poſſe *Cortice* leniri, videntur innuere. 112.
. . . Illius reſponſio ad objectionem petitam a Recidivis. 4.
. . . Febres Phthiſicorum putridas intermittentes poſſe aliquo modo *Cortice* leniri, interitu Ægrotantis nequaquam inhibito, non diffitetur 292. 293.
. . . Hæmoptoen accidentalem, & habitualem quomodo diſcriminet. *Ibid.*
. . . Hæmoptoes habitualis antidotum herculeam eſſe *Corticem* aſſerit, ſed Auctor non admittit. *Ibid. & ſeq.*
. . . Hæmoptoes ab eodem curatæ Hiſt. 296.
. . . Inflammatorias Febres, quando manifeſtas exacerbationes, & remiſſiones habent, curabiles *Cortice* putat. 256. 257.
. . . Febrem quamlibet, ſaltem Primariam, quomodolibet remittentem, etſi Continuam, *Cortice* curabilem ſupponit. 290.
. . . CORTEX ubi non proficit, quandoque obeſſe aſſerit. 303.
. . . Evacuationes omnes in curandis Intermittentibus damnat. 27.
. . . Febres ab ortu Intermittentes, ut tales etiam conſiderat poſt acquiſitam recenter Continuitatem, & Cortice curat. 106.
MORTONI Scripta ut in praxi utiliſſima laudantur, & obiter defenduntur in nonnullis. 147.
. . . Nondum cauſſa, vel nondum nota, quum Auctor propriam Methodum ad Pernicioſas exercuit. 106. & 207.
MORTONI Sententia de Febrium omnium etiam Intermittentium Benignarum Cauſſa. 33.
. . . Ejuſdem halucinatio Hæmoptoen habitualem *China China* curate molientis. 295.
. . . Illius Textus de Febribus Continentibus Inflammatoriis æque curabilibus *Cortice* ac ſunt Intermittentes, explicatur. 256.
. . . Ejuſdem Comparatio inter curationem Febrium Proportionatarum in Malignas Synochos tranſeuntium peractam *Cortice*, & peractam ſine. 257.
. . . Ejuſdem Capitulum unicum recuſum, *de Proteiformi Intermittentis Febris genio.* 108.
. . . Ejuſdem Textus *de Phthiſicorum Febre putrida Intermittente* per *Chinam Chinam* non ſananda, ſed tantum lenienda. 293.
. . . Idem de *Hæmoptoe* per eandem *Chinam Chinam*, ut putat, ſananda. 293.
MORTONUM præceſſerunt in dignotione, & obſervatione Intermittentium Pernicioſarum, *Mercatus*, *Sennertus*, *Mercurialis*, *Saxonia*, *Riverius*, & alii. 107. 108.
MORTONUS augendo doſim Corticis illam revera non intendit augere, quia *Corticem* magna ex parte putat effœtum. 244.
. . . Solus inter omnes Pernicioſarum Intermittentium Obſervatores congruam earundem Febrium curationem docuit ope *Chinæ Chinæ*. 108.
. . . In Puerperio ſalubriter miniſtrari *Corticem* aſſerit, nulla idcirco vi adſtrictoria pollentem. 19.
. . . Recentiorum licet doctrina imbutus, Veterum tamen praxin aſperiorem, & minus caſtigatam identidem exercet. 113.
. . . Nomine Febris Continentis intelligit omnes Continuas Remittentes, ſeu Periodicas, non Febres omni remiſſione, atque incremento carentes. 257. Item. 259.
Motus febrilis principium. Vide, *Principium motus febrilis.*
Motus Fluidorum. Vide, *Fluidorum motus.*
Motus principium in humano Corpore. Vide, *Principium motus in humano &c.*
Motus Solidorum. Vide, *Solidorum motus.*
Mulieribus gravidis. Vide, *Gravidis.*
Mulieribus Menſtruas purgationes patientibus. Vide, *Menſtruas.*
MUNDII Sententia de Cauſſis Intermittentium. 32
Mutinæ quando inceptus *Chinæ Chinæ* uſus, & quomodo. 2. & 3.
Mutinæ perpauci ſunt ex Medicis, qui non faveant Cortici: Plurimi autem, qui favent, varia methodo eodem utentes. 207.
Mutinenſes Medici. Vide, *Medici Mutinenſes.*

N

NArcoſim nullam in ſe continet *China China*. 5.
Narcoticorum uſus in morbis longe infidelior eſt uſu *Corticis* in Febribus. 14.
Natura Fermenti Pernicioſi, ſeu venenati, in primam Corporis regionem agentis, explicatur analogice pluribus modis. 13.
Natura, vel indoles Fermenti pernicioſi in primam Corporis regionem ſævientis Emetica eſt, atque Cathartica. 127.
Naturæ mendicatricis nomine quid intelligendum. 65.
Neceſſitas exhibendi Corticem in extremo ſaltem Pernicioſarum periculo probatur, & illuſtratur exemplo. 130. 131.
Neotericorum plurium Sententiæ potiores de Febrium Intermittentium Cauſſis obiter conſideratæ favent curationi per *Chinam Chinam* inſtitutæ, etſi ea nullam ſenſibilem inferat evacuationem. 29. uſque ad 35.
NIGRISOLI Sententia circa Cauſſas Febrium Intermittentium. 30.

NIGRISOLUS luculenter *de Cortice* ſcribens laudatur. 8.
. . . Idem ad Febres Inflammatorias ſanandas minime aptum eſſe *Corticem* teſtatur. 257.
. . . Idem ex *Hippocrate* humores noſtros fieri meliores, ac mitiores concentratione, aſſerit & permixtione. 26.
. . . *Corticem* in Febribus Continuis ab eſſentia, ut & in Inflammatoriis puta in Pleuritide, Peripneumonia, Angina &c. plane obeſſe affirmat. 305.
. . . Hocque & Sydenham. *ibid.*
Nomenclatura Arboris, cujus Cortex *China China* dicitur. 2.
Noxa Corticis. Vide, *Corticis noxa.*
Noxa Purgationis etiam *minorativæ* dictæ in Febribus. 29.
Noxam non arguit, ſed ad ſummum imperfectam judicationem, Recidiva poſt Febres *Cortice* curatas. 14.

O

OBjectio quævis adverſus certum *Corticis* uſum laborat ſemper ſuppoſitione aliqua incerta, quippe fundata ſuper hypotheſim aliquam ſemper incertam. 24.
Objectio reſultans ex dictis de Fermento Intermittentium extra Sanguinem poſito, qua videtur probari nullam Intermittentem eſſe poſſe Depurativam. 63.
. . . Ad objectionem reſponſio. *ibid.*
Objectio nulla valida poteſt adduci contra *Corticem*, ignota vera Febrium Cauſſa. 24.
Objectionis a Recidivis petitæ in curatione Pernicioſarum peragenda per *Chinam Chinam* feſtiva prius, mox & ſeria Reſponſio. 150.
Oblatio *Chinæ Chinæ* impurgatis Ægris *Reſtaurando* uſitata. 66.
Oblationem *Chinæ Chinæ* ſine prævia purgatione, aut Venæ ſectione inſtituendam eſſe vult *Sydenham*. *ibid.*
Oblationem Corticis remorari non debet Recidiva poſt depulſas Cortice Pernicioſas. 156.
Oblationi Corticis Paroxyſmus intenſior ſuccedens. Vide, *Paroxyſmus intenſior.*
Oblationis *Corticis* vario ſucceſſu inſtitutæ Exempla. Vide, *Exempla oblationis.*
Oblationis *Corticis* omiſſio. Vide *Omiſſio.*
Olei, & Bilis analoga eſt ſtructura, licet inæquale ſit pondus. 22.
Oleum facillime abſorbetur a Cortice præ aliis liquoribus. *ibid.*
Omiſſio oblationis *Corticis* in Subcontinuarum principio forſitan indicatæ, corrigi nequit in illarum progreſſu, ut in meris Intermittentibus. 236.
Opera *Mortoni* nondum cuſa, vel nondum nota, quum Auctor ſuam Methodum curandi Pernicioſas Intermittentes exercuit. 107. 207.
Ophthalmiam Periodicam, Epilepticos inſultus præ dolore minitantem, *Cortice* curatam refert *Pacchionus*. 253.
Opiata ex China China *in Zodiaco Medico-Gallico* deſcripta. 58.
. . . Eandem efficaciorem reddit *Nigriſolus*. *ibid.*
Opiatæ ex China China cum Cardiacis Confectionibus mixta confectæ utilis quidem ſunt effectus, ſed inutilis expenſæ. 60.
Opiniones incertæ de Febrium Cauſſis nequeunt infirmare certam *Corticis* operationem. 15.
Opiniones Neotericorum communiores de Intermittentium Cauſſis &c. V. *Neotericor.*
Opium dubitatur, an refrigeret, an calefaciat. 12.
Oppoſitio vulgaris in *Chinam Chinam* ex ſenſibilis evacuationis defectu. 15.

P

PACCHIONUS Ophthalmiam periodicam, Epilepticos inſultus præ dolore minitantem, *Cortice* curatam refert. 283.
PALO DE LAS CALENTURAS vocatur ab Hiſpanis China China. 278.
Paralogiſmus *ex non cauſſa ut cauſſa* obvius æque poteſt eſſe, adſcribendo *Cortici* effectum bonum; qui ab eo non procedat, ac malum. 270.
Paralyticam, ac elumbem Vetulam Cortice curatam, ac juveneſcere viſam refert *Morton*. 286.
Parotides Febribus Periodicis ſupervenientes *Corticis Peruviani* medelam non reſpuunt. 189. Item. 211.
Paroxyſmo lethali jam invadente, vel proxime inſtante, Ægroque etiam ante jam conclamato, non exhibendus, nec infamiæ exponendus *Cortex* inſons. 152.
Paroxyſmus intenſior nonnunquam oblationi Corticis ſuccedens, certioris curationis indicium eſſe ſolet. 196.
. . . Frequentius tamen ſuccedit mitior, idque pariter utile. 298.
Periculum extremum Febris Pernicioſæ curationem etiam tantummodo Palliativam æquius quam Cancer admitteret, nedum veram. 137. 138.
Periculum Reviviſcentiæ principii depreſſi non remoratur Medicos a curatione plurium Morborum nequaquam Febrilium. 194.
. . . Exemplo Chirurgiæ res hæc quodammodo illuſtratur. *ibid.*
Periodica Continua. Vide, *Proportionata.*
Periodica Continua quælibet. Vide, *Febris quælibet Periodica.*
Periodica Pernicioſa. Vide, *Pernicioſa.*
Peripneumonici, Pleuritici e morbi radice, Tabidi. Vide, *Pleuriticis e morbi radice* &c.
Pernicioſa Febris in univerſum quænam ſit. 121.
Pernicioſæ Febris periculum extremum. Vide, *Periculum extremum.*
Pernicioſæ Subcontinuæ curandæ methodus lentior. 140. 141.
Pernicioſæ Intermittentes, præſertim Comitatæ, vocantur Intermittentes ab Auctore etiam tunc, cum extremo imminente exitio fiunt Continuæ. 120.
Pernicioſæ Intermittentes non ſunt admodum infrequentes in praxi: immo quandoque quaſi epidemice graſſantur. 85.
Pernicioſæ pro ſua curatione quandoque indigent drach. ſex Corticis ſimul oblatis: quandoque vel duæ tantum drach. more veteri poſſunt ſufficere. 138. 139.

. . . Curantur minori *Corticis* quantitate, ac alii curent Benignas, Cortice congruenter distributo. 140.
Pernicioſarum Intermittentium Fermentum nonniſi accidentaliter differt a Fermento non Pernicioſarum. 127.
. . . Evincit id Peruvianus Cortex utrumque Fermentum æqualiter domans. *ibid.*
Pernicioſarum Febrium periodicarum omnium deſcriptio. 116. uſque ad 125.
. . . Earum differentiæ. *ibid.*
. . . Item earum diviſio. 115. 116.
. . . Alia earundem diviſio ad ritus Scholaſticos. *ib.*
Pernicioſarum Febrium Periodicarum ex qualibet earum ſpecie *China China* peculiari methodo miniſtrata ſanatarum Hiſtoriæ ordinatim deſcriptæ. 167. 170.
. . . Earundem *Cortice* curatarum gravia ſymptomata non ſunt curanda remediis, peculiaribus, ſaltem ſi hæc remedia ſint onerosa Ægrotanti: ea enim ſymptomata ſolvuntur ſponte ad ſolutionem Febrium. 114.
. . . Confirmat id *Monginotius*. Ibidem.
Pernicioſum Fermentum in primam Corporis regionem agens imitatur indolem Venenorum Colliquantium. 125.
. . . In ſecundam agens regionem æmulatur utranque naturam, Venenorum Colliquantium videlicet, & Fixantium. 127.
. . . Agens vero in tertiam regionem Venenis tantum ſoporiferis analogice reſpondet. 128.
Pernicioſum Fermentum febrile in primam Corporis regionem agens quaſdam Pernicioſarum ſpecies producit. 125. 126.
. . . Idem in ſecundam agens regionem quaſdam alias gignit Pernicioſarum ſpecies. 127. ad 128.
. . . Agens in tertiam regionem Pernicioſæ Intermittentis ſpeciem peculiarem conſtituit. 129.
Pernicioſus character in primo exortu ſuo mitis; in progreſſu ferox. 120.
PERUVIANI CORTICIS uſus in principio Subcontinuarum Pernicioſarum ad hoc, ut poſſet damnari, oporteret habere certitudinem de futura judicatione perfecta morbi, abſtinendo ab illo, & de Recidiva graviore, illum adminiſtrando. 195.
PERUVIANI CORTICIS uſum ad expugnandas Febres Intervallatas vulgares (Pernicioſarum ſiquidem curatio citra, & coacta ſub hac regula rigoroſe non cadit) eſſe debere qualis eſſe debet uſus externus Sulphuris ad depellendam Scabiem. 306.
Comparatio hæc explicatur. 234. 235.
PERUVIANI CORTICIS actio videtur ſuadere coacervationem Fermenti Febrium Intermittentium extra cruorem. 62.
PERUVIANO CORTICI non competit privilegium bonæ fidei, quod aliis Remediis competit citra ſucceſſum adhibitis. 235. & 269.
PERUVIANO CORTICE Febres Phthiſicorum putridas Intermittentes poſſe aliquo modo leniri, interitu Ægrotantis nequaquam inhibito, *Morton*, & Auctor non diffitentur. 292.
PERUVIANUM CORTICEM damnant nonnulli, ac ſi Toxicum foret. 9.
. . . Non congruere Inflammatoriis Febribus affirmant *Sydenham*, & *Nigriſolus*. 267. 268.
. . . Immo & plane obeſſe etiam in Continui ab eſſentia. 305.
. . . Eſſe Antidotum herculeam Hæmoptoes habitualis, ut *Morton* aſſerit, Auctor non admittit. 294. 295.
. . . Mederi Morbis omnibus frigidis putant *Badus*, & *S. Sophia*. 252.
PERUVIANUM CORTICEM offerendi methodus in Pernicioſis duplex eſt, & pro occaſionum diverſitate adhuc varia. 135. Peruvianum Febrifugum. Vide, *Febrifugum Peruvianum*.
PERUVIANUS CORTEX ut poſſit ſuo fungi munere in Febribus Intermittentibus, requirit, ut nullum vitium organicum, nullaque Viſcerum labes ſit ejus Febris fomes, vel Cauſſa. 254. 293.
. . . Offerendus eſt methodo validiſſima in extremo periculo, & extrema temporis anguſtia: modice valide in periculo modico. 136. 137.
. . . Qua methodo offerendus in Subcontinuarum Malignantium principio, ubi expediat exhibere. 234. 235.
. . . Item qua methodo offerendus ad prophylaxim poſt Pernicioſas Intermittentes depulſas 140.
. . . Non exhibendus, nec infamiæ exponendus, Paroxyſmo lethali jam invadente, vel proxime inſtante, Ægroque jam conclamato. 153.
Peruvianus Cortex. Vide plura in verbo: *Cortex*, *China China* &c.
Phthiſicorum Febres putridæ Intermittentes. Vide *Febres Phthiſicorum*.
Placentinus *Schelhamerum* impugnavit. 96.
Pleuriticis e morbi radice talibus, Peripneumonicis, & Tabidis ſanandis *Peruvianum Corticem* plane invalidum eſſe, immo & noxium a melioribus haberi. 303. 304.
Pleuritis cum Febre Intermittente conjuncta Caſus peculiaris ab Auctore obſervatus. 255.
Podagricus quidam aſſerit ſe a dolore, & diuturnitate inſultus allevari conſuetum per uſum Chinæ Chinæ. 285.
Pomponacii Aqua ſtibiata curat varios morbos abſque excretionibus ſenſibiliter adauctis, habita ad potum adauctum proportione. 25.
Præfecti cujuſdam Gallicæ militiæ defuncti Hiſtoria. 46.
Praxeos medicæ cardo conſiſtit non in multiplicitate, ſed in electione Remediorum, & in captanda occaſione. 105.
Praxis *Mortoni* id ſaltem attulit utilitatis, ut in caſibus ambiguis de effectu Remedii poſſimus ſine metu uti eodem. 265.
Principium Motus Febrilis a Fluidis primario affectis petendum. 35.
Principium motus in humano corpore a Fluidis primo actuantibus Solida videtur deducendum: a Solidis vero diuturnitas motus eorundem Fluidorum. 36. 37.
Privilegium bonæ fidei, quo fruuntur alia Remedia citra ſucceſſum adhibita, non competit Cortici. 238. & 269.

Prognoſticum Auctoris in peculiari quodam caſu controverſæ oblationis Corticis. 185.
Prophylaxis poſt depulſam Subcontinuam Periodicam quo pacto inſtituenda. 141.
Proportionata Continua quænam ſit, & quomodo producatur. 248. 249.
. . . A Fermento Continuarum, & Intermittentium ſimul commixto procedit. 259. 260.
. . . Ea neque ſimpliciter Subintrans eſt, neque ſimpliciter Remittens, ſed de utraque, ſeu de Fermento utriuſque ſimul concurrente participat. 261.
Proportionata talis orta, vel orta ſimpliciter Remittens, *Cortici* refractaria eſſe ſolet: ſecus ſi orta fuerit Intermittens. 263.
Proportionata quævis Continua poteſt dici Remittens, ac quoquo modo Subintrans; ſed nec omnis Subintrans, nec omnis Remittens poteſt dici Proportionata. 259. 260.
Proportionata Continua facile curatur *Cortice*, quando magis de natura, ſeu de Fermento Subintrantis participat: difficillime vero, quando magis participat de natura, ſeu de Fermento Remittentis ſimpliciter. 262.
. . . Diſtinctio hæc explicatur. *ibid.*
Proportionatæ *Corticem* admittentis, ejuſdemque reſpuentis varia deſcriptio. 262. uſque ad 263.
Proportionatæ ſi Symptomaticæ ſint, minime *Cortice* ſunt curabiles. *ibid.*
. . . Ita fere, ſi ſint Comitatæ vero morbo. *ib.*
. . . Comitatæ vero mero Symptomate *Cortice* curari poterunt, cæteris conſentientibus. *ibid.*
. . . Vere, Æſtate, atque etiam Autumno facile de natura Subintrantium participant: Hyeme facile de Natura Remittentium ſimpliciter. 275.
. . . Characterem malignum ſuſcipiunt facillime. 261.
Proportionatarum accidentalem Continuitatem cum eſſentiali periodo habentium, & *China China* feliciter curatarum Hiſtoriæ. Vide, *Subcontinuarum &c.*
Proportionatarum eſſentialem Continuitatem cum accidentali periodo habentium, & *China China* inutiliter tractatarum Hiſtoriæ. 277. ad 281.
Hiſtoria I. 266.
Hiſtoria II. 267.
Hiſtoria III. 268.
Hiſtoria IV. 269.
. . . Animadverſio in iv. Hiſtoriam. *ibid.*
Proportionatis, ac Remittentibus omnibus curandis idoneam *Chinam Chinam* Mortonus reputat. Auctor in quibuſdam admittit, in quibuſdam non. 258.
Propugnatores Corticis quandoque abundant aliquo exceſſu, orto nihilominus ex admirabili deprehenſa pluries illius virtute. 8.
Proteſtatio Auctoris de integritate, qua præditos putat ſentientes aliter ac ſentiat ipſe, & de ſua erga illos exiſtimatione. 250.
Proteſtatio Auctoris de Innocentia Corticis per experientiam deprehenſa, exceptis caſibus intempeſtivæ oblationis. *ibid.*
Proteſtatio Auctoris de uſurpatione nominis *Fermenti Febrilis*. 309.
Proteſtationes Auctoris pro coronide Tract. 309.
PROTOSPATARII opinio de Febrili miaſmate a *Joſepho Donzello* explicata. 34.
Puerorum Febres Lentæ, Hecticæ abuſive appellatæ, *Cortice* frequenter curantur. 274.
Puerorum, & Vitulorum Lumbricis laborantium conſimilis halitus, aliquam ſuadet ſymboleitatem inter iſtorum, & illorum Vermes. 289.
Puerpera ex Febre Acuta Subcontinua feliciter *Cortice* curata. 190. 191.
. . . Item. 218.
Puerperis, & Abortum paſſis tuto *Cortex* propinatus. 298.
Puerperis Febre Periodica laborantibus tuto *Cortex* adminiſtratur, non neglectis quæ Puerpetio congruunt. 297. 298.
Pulſus primas tenet pro manifeſtando charactere pernicioſo in ſex prioribus Intermittentium Pernicioſarum ſpeciebus: non autem in ſeptima ſpecie. 121. 122.
Purgantia agunt immediate in Solida, & mediate tantum in Fluida. 29.
Purgantia ad tollendas ſimul Febres Intermittentes, & earum Cauſſas, minus recte *Chinæ Chinæ* admiſcet *Dolæus*. 32. 33.
Purgantia *Cortici* perperam admiſcentur. 56.
Purgantia, aut Lenientia non æque prohibentur ante ac poſt uſum Corticis. 67.
Purgantia ut noxia in Febribus damnat *Mongino*t, & Corticem laudat. 27.
Purgatio, & Venæ ſectio ante uſum Corticis poteſt omitti: ſed & ſæpe poteſt inſtitui. 67. 68.
Purgatio levis ante uſum Chinæ Chinæ poteſt inſtitui in quantum indicatur ab aliis Corporis diſpoſitionibus, non ab ipſa Febre, ejuſve Cauſſa. 67.
. . . Quomodo eadem utendum, & quibus Solventibus utendum pro variis Febrium, & Tempeſtatum ratione. 68. uſque ad 69.
Purgatio præſertim (ſæpe etiam Venæ ſectio) in Febribus Intermittentibus non indicatur nec ratione Cauſſæ, nec ratione Febris, ſed potius prohibetur ratione utriuſque. 67.
Purgationis etiam *Minorativæ* dictæ noxa in Febribus. 29.

Q

QUæſtá nonnulla enodata circa uſum Corticis. 283. uſque ad 309.
Quæſitum maximi ponderis in praxi, exemplo practico explanatum, mox fuſe, & analytice pertractatum. 226. 227.
Qualitatem nullam ſive manifeſtam, ſive occultam, quam poſſit nocere, obtinet *Cortex*. 5.
QUANDO, UBI, & QUOMODO ſit adhibenda *China China*, ſunt tria attente reſpicienda in uſu illius. 147.
Quartanæ triplicis in uno ſubjecto, & duplicis in altero; in utroque autem jam complete Hydropem producentis, feliciterque *China China* curatæ cum Hydropis ipſius eradicatione, exempla duo. 71.
Quærimoniæ Ægrorum etiam in extremo periculo *Cortice* ſanatorum. 150.

Qui

Qui *Corticem* ſtrenuum Febrifugum reſpuunt, utuntur Remediis, quibus nullam, vel invalidam ineſſe virtutem pluries noverunt. 12.
Quibus modis Febris ſolvi conſueſcat, ſive per curationem methodicam, ſive ſponte ſolvatur. 238.
Quid vere ſentiendum de aliis viribus *Cortici* attributis præter Febrifugam. 297.
. . . Quid fateantur de hoc *Sydenham*, & *Morton*. 297.
QUINQUINA, ſeu *Kinkina* dicitur, Gallis, quæ a nobis dicitur *China China*. 1.
Quo pacto in curandis Intermittentibus Corruptivis ſit exhibendus Cortex, & id fiat pro ſymptomatum gravitate, & quomodo, ſi fiat præ ſola Febrium diuturnitate. 65.
Quo pacto, & per quas vias poſſit *Peruvianus Cortex* occurrere Fermento Febrili Pernicioſas Periodicas producenti. 130. ad 131.

R

RAMAZZINI monitum in Libro *De Principum Valetudine tuenda*. 96.
RAMAZZINI Ephemeridibus Barometricis adnexa Diſſertatio Auctoris, anno 1695. edita ad *Borelli* tutamen aliquod, non ad completam defenſionem. 96.
. . . Reſponſiones ſuas Jatro-apologeticas ad Objecta, quæ poſtremo contra hanc Therapeuticem edidit *Ramazzinus*, Tyronibus legendas commendat Auctor quaſi complementum ſui Tractatus. 301.
RAMAZZINUS Auctori vel diſſentiens, ſemper humanus. 240.
. . . Nuſquam tractavit Argumentum Auctoris, nec ei ſimile. 187. 270.
. . . Et in *Conſtitutionibus* ſuis *Epidemicis* Cortici parum amicus, & ſæpe cunctabundus, fuit tamen uti tunc inſignior ejuſdem fautor inter alios Medicos Conterraneos.
. . . Poſt annum 1695. longe melius cœpit ſentire de Cortice ac ante 162. Item 271.
. . . Expoſitio Textus illius circa uſum Corticis in Tertianis Intermittentibus Malignis. 271.
. . . Ejuſdem Dogma æquiparans uſum Corticis uſui Opii non admittitur. 307.
. . . Lumbricos necari per *Chinam Chinam* ſcribit. 284.
. . . Laudatur. *pag.* 70. 270. 271. & 307.
Ratio occurrendi tempeſtive Recidivis. Vide, *Recidivam*.
Ratio Remediorum uſurpandorum. Vide, *Remediorum uſurpandorum*.
Rationes militantes pro omiſſione Corticis in Subcontinuarum Malignantium principiis contemnendæ non ſunt, licet illis præponderare videantur militantes pro illius oblatione. 238.
Recentiorum plurimorum opiniones circa Febrium Intermittentium Cauſſas curſim examinatæ optimam ſuadent illarum curationem media *China China* inſtitutam, licet ab ea nulla fiat ſenſibilis evacuatio. 32. ad 34.
Recidiva facta poſt ſui depulſionem *Cortice* peractam. Subcontinua Pernicioſa non adeo ſollicite iterum *Cortice* curanda eſt, ut reliqnæ Pernicioſæ recidivæ. 142. 143.
Recidiva poſt fugatas *Cortice* Febres ad ſummum imperfectam judicationem arguit, non noxam. 14.
Recidiva, poſt curatas *Cortice* Pernicioſas quandoque contingens, ſed frequentius non contingens, ab oblatione Corticis non debet Medicum remorari. 249.
. . . Contingens poſt Corticem non ſatis diu uſurpatum, priorem, vel ſimilem Febrem de more iterum infert, non deteriorem. 16.
Recidivæ periculum ex Fermento febrili tantum abſorpto nec ſenſibiliter evacuato, æque imminet & aliis ſpecificis ad alios morbos communiter adhibitis. 20.
Recidivæ depulſis ope *Corticis* Febribus ſuccedentes, ſæpe adeo leves, ut nulla prorſus egeant curatione. 14.
Recidivam Febrium poſt aſſumptum Corticem objectio diluitur. 4. & 5.
Recidivarum præcavendarum ratio. 14.
Recidivo eodem morbo, eadem quoque reperenda curatio. 14.
Remedia Vermes necare credita, aliud forſan præſtant extra humanum Corpus, & aliud intra. 288. 289. & 290.
Remedia pauca ſatis nota fere totam implent medicam ſuppellectilem. 204.
Remediis incertis utuntur Medici, *Corticem*, qui certum præſidium affert, reſpuentes. 12.
Remediorum celebriorum abuſus ad omnes indiſcriminatim Ægros extremo periclitans. 160.
Remediorum uſurpandorum ratio deſumi non debet ex eo, quod noxia illa non ſint; ſed ex eo, quod poſitive proficua cenſeantur. 299.
Remiſſio Acceſſionis expectanda, ſi fieri poſſit, cum *Cortex* offertur in extremo Pernicioſarum periculo, ne cum dedecore, etſi citra culpam exhibeatur. 151.
Remittens ſimpliciter Febris quænam ſit Auctori. 250. 259.
Remittens, ac quoquo modo Subintrans dici poteſt Proportionata quævis Continua; Sed nec omnis Subintrans, nec omnis Remittens poteſt dici Proportionata. 259.
Remittens Febres omnes, & omnes Continuas Proportionatas *Mortonus* appellat *Continentes*. 261. Item. 259.
Remittentes omnes, ſive omnes non Synochi, non ſunt objectum actionis Corticis, ut vult *Mortonus*: immo nec plurimæ ex Proportionatis. 265.
Remittentibus, & Proportionatis omnibus curandis idoneam *Chinam Chinam* reputat *Mortonus*; ſed plane Auctor non admittit. 259.
Remittentis ſimpliciter Febris deſcriptio, & productionis modus. 260.
. . . Eſt quædam veluti Continens tantum ſpuria. 260.
. . . Motum cujuſdam Incrementi, & Decrementi habet aliunde quam a Fermento Intermittentium. 260.
Reſponſiones Jatro-apologeticas ad objecta, quæ contra hanc Therapeuticem edidit *Ramazzinus*, Tyronibus legendas commendat Auctor, quaſi complementum ſui Tractatus. 301.

RIVERIUS donat nomine *insignis experimenti*, *quod silentio præterire sit nefas*, curationem Febris Malignæ Epidemicæ a se institutam repetita solum Venæ sectione, & purgatione. 143.
RESTAURANDI in eos, qui oblato *Cortice* Purgans postridie exhibent, acris censura. 52.
. . . Illius Responsio ad objectionem a Recidivis petitam. 4.
RESTAURANDUS, etsi acerrimus Humorista, *Chinæ Chinæ* usum doctrinæ *Hippocratis* consonum esse probat Tractatulo peculiari. 25. 26.
. . . idem non evacuationem, sed solam humorum alterationem quærit a *China China*.
. . , Idem enervi licet methodo quarundam Pernicioſarum curationem aliquam ope *Corticis* tradidit. 108. 109.
. . . Idem ut Humorista, dum purgationem aliquam in Febribus conatur admittere, illius omissionem experientia ductus potius commendat. 28.
Reviviscentiæ Principii depressi periculum. Vide, *Periculum reviviscentiæ*.

S

SACCHI Sententia peculiaris de Causſis Febrium Intermittentium. 32.
Salivam in masticatione, & digestione primas tenere. 39.
. . . Ab aliis quoque succis in ventriculum, & intestina influis adjuvari. *Ibidem*.
Salium liquores componentium sola variatio texturæ potest eos modo infirmare, modo restituere. 23. 24.
SANCASSANUS sponsor Operis inscribendi *Magnatus redivivus*. 106.
Sanguinis status quinam Vere, quinam Æstate, & Autumno. 68.
SBARALEA utilem se reperisse refert *Chinam Chinam* per Clysterem injectam.
Scabies nonnullæ sunt liquidorum nostri Corporis Corruptrices, Depuratrices nonnullæ. 395.
SCHELHAMERUS a Ramazzino, & ab Auctore, mox & a Piacentino circa rem Barometricam fuit impugnatus. 96.
Scholarum Humoristarum doctrinæ sunt innixa præcipua machinamenta contra *Corticem*. 13.
Scholia Auctoris ad Capitulum *Mortoni*. 106. ad 113. 114.
Scholia Auctoris ad Tractatum *Mercati*, & ad singula illius Capitula. 86.
Scopulus duplex, in quorum alterutrum facile est Impingere, offerendo, vel omittendo *Cortice* in Subcontinuarum Malignantium principiis. 227.
Scriptores, qui recens advenientem Orbi nostro *Chinam Chinam* primo salutarunt, excusandi, & laudandi, si cauti fuere, vel nonnihil hæsitantes. 13.
Sectio Venæ ante usum Corticis. Vide, *Purgatio, & Venæ sectio*.
Sectio Venæ sæpe, & Purgatio præsertim. Vide, *Purgatio præsertim*.
Senex nonagenarius, & ultra curatus *Cortice*. Et post biennium iterum. 217. 218.
. . . Similimum quoque exemplum habet *Badus*. 220.
SENNERTI doctrina Febres Nothas describentis aptatur descriptioni, quam de Proportionatis Febribus habet Auctor. 264.
SENNERTUS vim Alchalicam Febrifugorum quorundam explicat ad depressionem Acidit Fermenti effervescentiam suscitantis. 17.
. . . In epilogum contraxit, quæ scripsit: *Mercatus* de Tertiana Pernicioſa. 85.
Sententiæ communiores plurium Recentiorum de Febrium Intermittentium Causſis. Vide, *Recentiorum*.
Similitudo graphice repræsentans discrepantiam inter solutionem Febrium spontaneam, & curationem illarum *Cortice* institutam. 150.
Solida ex Fluidis in prima humani fœtus conformatione fuisse conflata. 57.
Solidorum motus in machina humani Corporis hydraulico pneumatica primitus a liquido Fluidorum elatere, non a Solidi. ipsis petendus. 36. 37.
Solidorum Systema. Vide, *Systema Solidorum*.
Spiritus Vitrioli caliduſne, an frigidus sit, ambigitur. 12.
SPONII Sententia circa Febrium Intermittentium Causſas. 31.
Subcontinua Malignans præsentibus omnibus quamproximæ Mortis indiciis per *Chinam Chinam* sanata. 284. 285.
. . . Si in suo principio censeatur cohibenda *Cortice*, blande tantum, nisi necessitas urgeat, & artificioſa valde distributione Remedii tractanda est. 234. 235.
Eadem in suo principio comitata symptomate valde gravi, analogo iis quæ Comitatis intermittentibus Pernicioſis solent associari, statim *Cortice* curari debet. 236.
. . . Quo magis accedit ad naturam Pernicioſarum Continuarum, eo fidentius vel in ipso principio tractanda est *Cortice*: Quo vero minus accedit, eo cautius, & temperantius. 234. 235.
. . . Omnes differentias Continuarum Proportionatarum potest sortiri. 123.
. . . Eadem cum Parotidibus *Cortice* feliciter curata. 184. Item. 211.
Subcontinua Febris celeriter ad Acutam vergens ægre dignosci potest in principio, an Depurativa futura sit, an Corruptiva. 227.
Subcontinuæ Febres frequentioras sunt Æstate, Autumno, ac Vere: Hyeme autem vere Continuæ. 234.
. . . Quædam ex iis nonnunquam sunt, in quibus *Cortex* inutiliter exhibetur etiam in illarum principio. 238.
Subcontinuæ Pernicioſæ Diagnosis, ortus, atque progressus. 133. 134.
Subcontinuæ Febris Malignantis descriptio. 133.
. . . Quænam sint difficultates adversus *Corticem* in earum principio. 227. ad 229.
. . . Quænam adversus omissionem in earum pariter principio. 230.
Subcontinuarum Febrium Malignantium in suo pro-

progreſſu *China China* ſanatarum Hiſtoriæ prima *num.* xi. 189.
Alia *num.* xii. *ibid.*
Alia *num.* xiii. 190.
Alia *num.* xiv. *ibid.*
Alia *num.* xv. 191.
Alia *num.* xvi. 192.
Alia *num.* xvii. *ibid.*
Alia *num.* xviii. 193.
Alia *num.* xix. 194.
Alia *num.* xx. *ibid.*
Subcontinuarum Malignantium in ipſo principio *China China* feliciter curatarum, & infeliciter ſuppreſſarum Hiſtoriæ. 240. uſque ad 246.
Hiſtoria I. 240.
Hiſtoria II. 241.
Hiſtoria III. 242.
Hiſtoria IV. *ibid.*
Hiſtoria V. *ibid.*
Hiſtoria VI. 243.
Hiſtoria VII. *ibid.*
Hiſtoria VIII. 244.
Animadverſiones in hanc Hiſtoriam. *ibid.*
Hiſtoria IX. 245.
Animadverſio in hanc Hiſtoriam. 245.
Hiſtoria X. funeſta. 245.
Subcontinuarum Pernicioſarum curandarum methodus lentior. 140. 141.
Subcruenta Febris Pernicioſa Intermittens deſcribitur. 117.
Subcruentæ Febris *China China* ſanatæ Hiſtoria prima *num.* v. 171.
. . . Ejuſdem Subcruentæ Hiſtoria altera, *num.* vi. 171.
Snbintrantis Febris deſcriptio. 259.
. . . Veræ Iutermittenti æquiparanda. *ibid.*
. . . Facile in Continuam Proportionatam migrat. *ibid.*
Subſtantia Corticis ſuperſtes infuſioni, etſi nonnihil exhauſta, validior adhuc eſt ipſa decolata infuſione. 54.
Subſtantiam ſimplicem *Corticis* præferendam eſſe Tincturis, extractis &c. teſtatur *Morton*, & *Blegnyus*. 56.
Succus nerveus eſt potius terminus, *ad quem* progrediuntur quandoque Febres, quam terminus, *a quo* ſoleant incipere. 40.
Sulphur Scabiem depellit. 307.
Status Sanguinis quinam Vere, Æſtate, & Autumno. 68.
SYDENHAM ſymptoma quoddam Febris Pernicioſæ graviſſimum uno ut morbum conſiderandum cenſuit: ſed ut ſymptoma Febris *Cortice* ſimul cum Febre curandum. 109. 110
. . . Idem Febribus Inflammatoriis *Corticem* non modo non prodeſſe, ſed & obeſſe affirmat. 257. Item. 304.
. . . Medicamentorum commixtionem cum China China, damnat, excepto vehiculo neceſſario. 58.
. . . Oblatione *Corticis* in Subcontinuarum Acutarum principio videtur ſuadere.
. . . Intermittentis cujuſdam Pernicioſæ ſpeciem aliquam exhibet *China China* ſanabilem. 109.
. . . Illius cautela de non exhibendo ſolvente medicamento iis, qui *Cortice* curati ſunt. 52.
. . . Evacuationes omnes damnant in curatione Intermittentium. 28. 29.
. . . Illius opinio de Cauſſis Intermittentium. 31.
. . . Ejuſdem Methodus ad diuturnas Intermittentes curandas quænam fuerit, priuſquam vires Corticis ſatis noſſet.
SYLVII opinio contra Intermittentium Cauſſas. 30.
. . . Ejuſdem utiliſſimum Dogma. 261.
Symboleitas, vel uniformitas plurima Fermentorum &c. Vide, *Uniformitas plurima*.
Symptoma Pernicioſum non differt a non Pernicioſo niſi ratione majoris intenſionis. 127.
. . . Pernicioſum a non Pernicioſo exemplis demonſtratur. 121. 122.
Symptomata Febrium, depulſis per Corticem Febribus, nullo indigent diſtincto Remedio. 62.
. . . Item. 103. 104.
Symptomatica Febris quænam. 251.
Symptomaticæ Proportionatæ. Vide, *Proportionatæ, Symptomaticæ*.
Symptomatica Intermittens, ſi dari poteſt, *Cortice* curabilis non eſt cenſenda. 255.
Symptomaticis Febribus nonnullis opitulatur *Cortice* 254.
. . . Hujuſce rei aliqua obiter recenſentur exempla. *ibid.*
Symptomatis pernicioſi diagnoſis a non pernicioſo illuſtratur exemplo. 121.
Symptomatis lethaliſſimis omnibus comitata Febris *Cortice* curata, & notatu digna. *num.* v. 212.
Syncopalis Intermittentis Pernicioſæ deſcriptio. 118.
Syncopalis Febris *China China* curatæ, Ægro licet in agone mortis ferme conſtituto, Hiſtoria unica, *num.* iv. 181.
Synochos permutatas in Remittentes, ſeu in Proportionatas, *Cortice* curandas cenſet *Morton*: non ita Auctor. 258.
Synochos veras nunquam ſanabiles *Cortice* cenſuit *Mortonus*, quamvis eodem ſanabiles dixerit Febres Continentes. 257.
Synochum nullum cenſet ullo pacto ſanabilem *Morton*, niſi prius in Periodicam mutetur: Sic mutatam ſemper aſſerit curabilem *Cortice*: Neutrum facile admittit Auctor. 257.
Syrupus ex *China China*, præſertim pro Pueris, ex deſcriptione Auctoris. 56.
Syſtema Fluidorum. Vide, *Fluida in machina* &c.
Syſtema Solidorum in permultis laudatur.
Syſtema Solidorum plura pro certis ſupponat oportet, quæ talia forte non ſunt. 40.
Syſtemati Fluidorum adhæret Auctor potius, quam Solidorum. 35.
. . . In utroque Syſtemate æque difficulter explicatur ratio Febrilis periodi. *ibid.*

T

TALBOTII, & Aſſeclarum ejus Methodus in exhibenda *China China*. 56.
. . . Non plene laudatur, licet nec improbetur. 56.
. . . Illius præparatio non admodum efficax, & potius diuturno uſu, quam ex ſe ipſa talis. 58.
Tertiana Pernicioſa, & non Pernicioſa differunt minus

minus inter se ac differant Tertiana, & Quartana non perniciosæ. 127.
... Differunt enim solum ratione inæqualis intensionis æqualium symptomatum. 127. 128.
... Ita & eorum Fermenta differunt fortasse solum majoris, & minoris intensionis propriæ acrimoniæ, aut discrasiæ, *ibid.*
The, Chocolatæ, & Coffee potus. 11.
Theorema inconcussum in praxi est: *Corticem adversari Fermento Febrili*, quod Sanguini ab extrinseco, non illi quod eidem innascitur. 252.
Tincturæ, & Extracta *Chinæ Chinæ* jucundiora: sed certior effectus substantiæ illius. 55.
TOZZI opinio de Caussis Intermittentium. 31.
... Illius æquivocatio quædam levis circa nomenclaturam *Chinæ Chinæ* Auctori dedit ansam felicis curationis citra dissidium. 293.
... Asserit *Chinam Chinam* Epilepsiæ opem ferre. 284.

V

VALLESII expositio in Textum Hippocratis de Perniciosis Intermittentibus. 94.
VALLISNERIUS de INSECTIS plura scripsit, laude, & admiratione dignissima. 288.
... Dolorem Ventriculi periodice recurrentem *Chinæ Chinæ* sanatum refert. 284.
UBI, QUANDO, & QUOMODO sit adhibenda China China, sunt tria scitu necessaria in usu illius. 146.
Vegetabilia Febrifuga suffecta in locum *Corticis* sunt eodem imbecilliora. 3.
Venæ Sectio. Vide, *Sectio Venæ.*
Venæ Sectione, & Purgatione ante *Corticis* oblationem si placeat uti, quomodo utendum, & quibus laxantibus utendum pro varia Febrium, Tempestatumque ratione. 68. 71.
Venenatum, seu Pernicioſum magis adhuc reddit Fermentum febrile varia dispositio *medii*, & *termini ad quem*. 127.
Veneni febrilis nomenclatura a *Mortono* usurpata examinatur, nec, nisi lis sit de voce, facile admittitur. 110. 111.
Ventriculi dolor. Vide, *Dolorem Ventriculi.*
Ventriculus & Intestina non excluduntur absolute ab hoc, quod præbeant vel sedem, vel semitam Fermento Febrili in Sanguinem ingressuro. 42.
Vermes amara non videntur necare. Vide, *Amara.*
Vermes. Vide, *Lumbrici.*
Verminosa Febris Periodica *Cortice* potest tractari. Multo magis si verminosa affectio sit tantum fomes, non Causa Febris. 255.
Vesicantia certo dolorifica, incertum est, an proficua. 13.
Vetula clumbis, ac paralytica, assumptis tractu temporis libris duabus *Chinæ Chinæ*, iterum juvenescere visa est, referente *Mortono*. 291.
Victus ratio in Pernicioſis *Cortice* curatis quænam. 142.
Victus regimen China China utentibus tale præscribendum, quale indicatur a morbo: nec enim aliud exigit Febrifugum ipsum. 57.
VILLIS *Chinam Chinam* neque Sanguinem figere, neque fundere putat, ut alia Febrifuga. 18.
VILLISII Sententia de Caussis Intermittentium. 30.
Vini usus pro Chinæ Chinæ infusione, etsi non necessarius, non tamen noxius; immo utilis. 54.
Vini usum pro China China propinanda minime noxium esse testatur *Sydenham. Ibid.*
Vinum, & ab eo prodeuntes liquores, præcipue vero illius Spiritus, experientia videntur specialiter adversati Lumbricis saltem Terrestribus, & Vitulinis. 289. 290.
Vipera controversum est, an calefaciat, vel refrigeret. 11. 12.
Virtus *Chinæ Chinæ* in omni sexu, ætate, temperamento, ac climate semper æqualis. 13.
Virtus Corticis. Vide, *Corticis Virtus.*
Virtutem Corticis. Vide, *Chinæ Chinæ virtutem.*
Virtutes plurimas præter Febrifugam, *Cortici* a multis tributas, suspectas habet Auctor. 283. & seq.
Vis Corticis. Vide, *Corticis vis.*
Viscerum læsionibus organicis associatæ Febres, sive Pernicioſæ sint, sive non, *Corticis* medelam respuunt. 153.
Uniformitas plurima, seu symboleitas Fermentorum Pernicioſas, & non Pernicioſas Intermittentes producentium ostenditur. 127.
Urina post Corticem assumptum semper sensibiliter augetur, & in meliorem statim aperte mutatur. 52.
Usus Corticis exuberans quandoque fœdus societatis init cum Febribus etiam cæteroqui benignioribus, sed refractariis. 141.
Usus Corticis. Vide, *Cortieis usus.*
Usus Peruviani Corticis. Vide, *Peruviani Corticis usus.*
Usus Matheseos. Vide, *Matheseos usus.*
Utero gerentibus. Vide, *Gravidis.*

Z

ZODIACO MEDICO-GALLICO inserta sparsim Opuscula quædam *de Chinæ Chinæ usu*, Nigrisolus conjunctim recudit. 8.
... Variæ *Chinæ Chinæ* præparationes ex eodem Zodiaco. 58.
... Opiata *Chinæ Chinæ* elegans ex eodem. *Ibid.*

FINIS.

AD

AD CRITICAM DISSERTATIONEM DE ABUSU CHINÆ CHINÆ

Mutinensibus Medicis perperam objecto

A CLARISSIMO QUONDAM VIRO

BERNARDINO RAMAZZINO

In Patavina Universitate Practicæ Medicinæ
Professore Primario

RESPONSIONES

JATRO-APOLOGETICÆ FRANCISCI TORTI

MEDICI MUTINENSIS.

VENETIIS, MDCCLXIX.
APUD LAURENTIUM BASILIUM.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

AD CRITICAM DISSERTATIONEM

DE ABUSU

CHINÆ CHINÆ

Mutinensibus Medicis perpetuam objecto.

A CLARISSIMO QUONDAM PIRO

BERNARDINO RAMAZZINO

In Patavina Universitate Professore Medicinæ Professore Primario

RESPONSORÆ

JATRO-APOLOGETICÆ FRANCISCI TORTI

MEDICI MUTINENSIS.

VENETIIS, MDCCLXIX.

APUD LAURENTIUM BASILIUM.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

ALMO INCLITOQUE CLARISS. ET DOCTISS.

MUTINENSIUM MEDICORUM COLLEGIO

FRANCISCUS TORTUS S. P.

QUAS *ad Criticam Viri Clarissimi* Ramazzini *quondam nostri Dissertationem*, De Abusu Chinæ Chinæ, *intuemini Responsiones meas*, COLLEGÆ DOCTISSIMI, *hæsi aliquandiu anceps an scriberem: hæsi diutius, postquam conscripseram, magis anceps an promulgarem. Re tandem apud memetipsum serio perpensa, ad tria potissime illas me adornasse novi; ad tutelam nempe meam, ad decus Vestrum, ad bonum Reipublicæ. Ex his quod meum est, Viri defuncti Manibus litandum facile credidi: non ita facile, quod Vestrum, quod publicum. Equidem quicquid in Scriptis legitur extincti Professoris, quod Dignitati Vestræ minus conveniat, communive officiat utilitati; id omne ex infelici quodam mei calami Fato, velut ex malo fonte, tum Vobis, tum quibuscunque illud detrimento fuerit, dimanasse, persuasum est mihi: mea etenim si quondam de hac materia siluisset Minerva rudis, & citra venustatem veridica; nullus dubito, quin & Clarissimi Opponentis siluisset affabre compta, & Censoria simul Majestate gravis: nec alio fortasse nomine Vos, imo Nos conjunctim omnes, immerito quidem, criminatus est, nisi ut me unum, quasi cæteros seducentem, perstringeret, qui me unum seorsum perstringere quodammodo veritus est, Criticus Auctor. Idem propterea, qui, prima spectata mali scaturigine Vobis æque, ac publicæ Rei quadantenus obfuit dum prodesse credidit, calamus meus; damna præter intentionem illata æquum est ut rependat: siquidem judicio Vestro acri, & limato id congruum censeatur. His de causis Scripta hæc mea, qualiacunque ea sint, in manibus tandem Vestris posita volui, Vestro subjecta examini, Vestroque plane arbitrio relicta; ut sortem quamcunque illis destinarint Fata, nanciscantur a Vobis; lucem quoque publicam Vestris primum ex placitis receptura, si Literatorum, Ingeniorumque conspectu haud prorsus indigna reputaveritis; sin minus, nativis in tenebris latere contenta, nec vitam habitura, nec nomen. Quod si ea, faustis forte sideribus obstetricantibus orta, Vestro humaniter probentur calculo; nil posthac illis metuendum credam ab Aristarchis, aut Momis, postquam inter Res Vestras Profanis intemerandas fuerit cooptata, nec ad me amplius, sed ad Vos tantum, qui auctoritate non minus præpolletis, quam robore, ipsorum defensio pertineat. Si vero ex adverso tenues hi conatus mei, sive ut oneri susceptо impares, sive ut Opusculum levidense nimis, sint Vobis despectui; accepta saltem sit, precor, hæc ipsa mea grati animi erga Vos erga Patriam studiosa propensio. Valete ad annos Nestoreos*, VIRI DOCTISSIMI, *per quos jugiter bene valet Civitas nostra.*

Dabam ex Museolo meo Idibus Octobris MDCCXV.

APPRO.

APPROBATIO
ALMI COLLEGII D.D. MEDICORUM CIVITATIS MUTINÆ.

REsponsiones Jatro-apologeticas a Viro Clarissimo D. FRANCISCO de TORTIS, SERENISSIMI DUCIS Medico, & Almi Collegii D. D. Medicorum Mutinæ Priore, cum ad Patriæ decus, tum ad publicam utilitatem conscriptas, atque ob id etiam universo eorumdem D. D. Medicorum Collegio, cui eas humaniter obtulit, quam maxime acceptas, luce statim publica (cæteris, ad quos id pertinet, annuentibus) ipsius Collegii expensis esse donandas, omnes ejusdem Almi Collegii Doctores unanimiter decrverunt.

Hac die 18. Octobris 1715.

Joannes Maninus Inclyti Collegii D. D. Medicorum Mutinæ Cancellarius de Mandato.

IN hujus Divini Remedii laudes non effundar, cum se ipsum satis commendet.

Ramazzin. de China China verba faciens Orat. 3. Jatr. argum. pag. 103. Edit. Patav. 1708.

IDem hæc non acrius accusavit in Senectute, quam antea defensitaverat. Quamvis igitur fuerit acutus, ut fuit: tamen inconstantia levatur auctoritas.

Cicero de Antiocho Philosopho sermonem habens in Lib. Acad. Quæst. qui inscribitur, Lucullus.

PRO-

PROLUSIO
AD
DISCEPTATIONEM
UNIVERSAM.
Et Scribendi Occasio.

VIx sub extremos Octobris dies anni proximè elapsi 1714. ad captanda bidui spatio, ne completi quidem, ruris otia fecesseram: cum mihi forte ab Amico favente communicatæ, in manus incidere Constitutiones Epidemicæ Mutinenses Clarissimi quondam Viri D. Bernardini Ramazzini, mense Julio ipsiusmet anni Patavii recusæ, addita ad calcem nova Dissertatione Epistolari ejusdem Auctoris *De Abusu Chinæ Chinæ Ad D. Bartholomæum Ramazzini Nepotem suum Mutinæ Medicinam facientem*. Constitutiones ipsas sicco, ut fatear, pede prætergressus, ut qui primam earum editionem alias lustraveram, in Dissertationem tantum adjectam curiosos oculos statim conjeci ea spe, ut argumentum nec parvi ponderis, nec modicæ utilitatis, quod pridem & ipse in Therapeutice mea Speciali enucleandum assumpseram, rursus a Viro Cl. majori saltem venustate, majorique eruditione absolutum intuerere. Sed meam profecto non parum fefellit expectationem eventus; non enim Chinæ Chinæ abusum tantummodo jure, ac merito reprehensibilem, in ea Lucubratione damnatum legi (cujusmodi vitium, nedum obiter pluribus in locis Operis mei, sed ex professo per integra Libri Capita, indicatis singillatim cunctis erroribus & ipse perstrinxi) verum etiam invisо abusus nomine usum ipsum rationalem, atque methodicum, non sine plurima quidem admiratione, haud raro notatum vidi, vanisque potius, si fas est dicere, terriculamentis, quam rationibus, sinceriſve experimentis, a Viro cæteroqui doctissimo tentatum ubique, acriterque persæpe etiam rejectum.

Præconceptam adhuc admirationem id magis adauxit, quod Vir Clarissimus istiusmodi abusus crimen, de quo potiori forsitan jure plurimas alias Regiones culpare poterat, Mutinensi duntaxat Urbi, quam diu coluit loco Patriæ, fideliter objecerit; & quidem fide nixus unius tantum præoccupati, Relatoris, huic Remedio tunc temporis plus quam par fuisset infensi, dolens usque adeo scandalum hoc, atque perinde ingemiscens, ac si de immani Civium omnium ageretur excidio. Hac idcirco utinam non affectata, solicitudine percitus, totum fere Mutinensium Medicorum cœtum vehementer impetens, ac de enormi Chinæ Chinæ abusu usque ad quotidianam Ægrorum internecionem Paragrapho 48. suæ Dissertationis insimulans, spreta quasi ut pusilla, vel ut imbelli hac multitudine minime veritus est *in cavernam* ut ajunt, *formi-*

micarum inſpuere: cum alioqui *multos caveat ſit neceſſe, qui ſingulos non metuit*. Nihil tamen ex his, fateor, tanti penes me valuit, ut proinde præcipitem illico mænum calamo admoverem: neque enim mea tunc intereſſe credidi, Medicos omnes conterraneos ab oppoſito crimine vindicare, multoque minus refellere quemlibet de Peruviano Febrifugo male ſentientem, quantumvis immerito. Præterquam enim quod nimis operoſum hoc foret, tanta inſuper mei ipſius me non tenet fiducia, ut alios, qui ſui plane ſunt juris, placitis meis acquieſcentes audacter velim, aut a propriis dimovere arroganter contendam.

Id unum præ cæteris nequivi aut ſatis mirari, aut tacitus præterire: Cl. nempe Virum, quem paulo ante in Therapeutice mea non amplius, ut olim in Conſtitutionibus ſuis Epidemicis, Chinæ Chinæ parum propitium, ſed mutata ſententia maximum hujuſce Remedii Patronum, imo & argumenti mei Fautorem aſſerui pag. 281. ad 282. 283. 310. ab hoc ipſo aſſerto, palam, & publice a me ibidem promulgato, adeo diſcrepaſſe in hac nupera Diſſertatione, ut non modo quicquid Peruviano Cortici adverſum in iiſdem Conſtitutionibus protulit, in hac Diſſertatione confirmarit, verum etiam hanc, illis recens recuſis velut quid plane cohærens annexam, ulteriori contra hoc Remedium, meamque Praxim ſiniſtro detortam aſperſerit acrimonia. Quæ ſane omnia apud Lectores Operis mei, quibus forte minime viſæ ſint Viri Cl. Lucubrationes, liberalem Chinæ Chinæ uſum aduſque ſidera efferentes, me jam vel inconſultæ levitatis incuſant, ſi mentem illius haud ſatis attigiſſe dicar, vel aperti mendacii, ſi de induſtria credat contemeraſſe.

Turpes haſce notas haud leviter perhorreſcenti cum ſe mihi obtuliſſet illud Boetii *De Conſol. Phil.*, eos nempe, *qui crimen aliquod affixum fuerunt, videri meruiſſe, quæ perſerunt*, ne ſilentio meo propriæ ſimul exiſtimationi viderer deeſſe, & publicæ, quæ magis cordi eſſe debet, utilitati, rem totam in propatulo ponere veſtigio decreveram, quippe de Cl. Viri ſcriptis æque ac de meis, nec non de quocumque controverſæ praxeos uſu intime conſcius, ut verſatilem, ſed male tornatam illius, *modo Palliati*, *modo Togati* opinionem, incudi quoque meæ paulliſper redderem. Qui itaque gregarium quemlibet, Sciolumque contra ſcribentem, vel ſibimet adverſantem nequaquam fuiſſem moratus, nec unquam morabor, a cenſura nihilominus Famigerati Scriptoris, ſua ſimul & mea in detrimentum Reipublicæ confirmare molientis, haud modice, ut par erat, timendum duxi; ne ſcilicet ii ſaltem terrerentur, quibus Cauſæ integræ momenta minime perſpecta eſſent, neve beneficium, quod Praxi Medicæ deferre fueram conatus, in ſuſpicionem intentati maleficii veniret. In id autem tria potiſſimum aſſumpſeram demonſtranda, *Primo* nempe, Virum Clariſſimum ſicuti in enunciatis Conſtitutionibus ſuis parum amice ſenſit de Cortice Peruviano, ut videre eſt in Conſtitutione anni 1690. num. 15. & num. 17., & in Conſtitutione unica trium annorum 1692. 93. 94. num. 32., & num. 56. (ſiquidem in Conſtitutione anni 1691. illum commendaverat numer. 34. & n. 37. (ita poſtmodum conſtanter per annos tredecim ſubſequentes, nempe ab anno 1700. uſque ad 1712. incluſive, quo tempore meum Tractatum edidi, mirifice non ſolum, ſed & magnifice ſenſiſſe de eodem Febrifugo, ſolemniterque pluries, ac pluries ſcripſiſſe oppoſitum, ac ſcripſerit tam in illis Conſtitutionibus, quam in nupera Diſſertatione; ipſum videlicet Corticem, ejus uſum, & repetitum, & liberalem, ejuſque vim ſuper omnia, quæ hactenus innotuerint, Febrifuga eximiam, miris laudibus abſque ulla limitatione deprædicando, & ennnumarando inter potiora, humanoque generi magis proficua divinæ munificentiæ dona: *Secundo*. Virum eundem in hac ſua Diſſertatione, ubi iterum labitur in priorem, imo & pejorem ſententiam, in hoc probabiliter aberrare, quod nonnullis in rebus vere rationabilibus; & bonæ praxi conſonis, in quibus non ſine lepore quodam affectat oſtentare ſemetipſum a me non modice diſcrepantem, tantum abeſt ut vere diſcrepet, quin potius illa eadem volens nolens repetat, confuſe licet, quæ ipſe ordinatim, ac per extenſum in Opere meo prius exaraveram: quod ſane a me non parvi faciendum, ob ſpectabilem cæteroqui Viri Famigeratiſſimi auctoritatem, ubi ea mecum vel invita coincidat. *Tertio* tandem, eundem Scriptorem, ubi revera diſſentit a me, non modo hallucinari perplurimum, & a meliore praxi deflectere; ſed & æque diſſentire a ſe ipſo ſuiſque publicis aſſertionibus, imo (tribuat id quivis ætati, impeditæque valetudini, libenter annuo) ab ipſa ſæpius Facti veritate. Id eluceſcit quam maxime, ubi adductis in medium peculiaribus caſibus Denatorum, qui Viro Cl. mihi ſocio, quandiu ægrotaverunt, curæ meæ fuere commiſſi, Chinam Chinam, quam ne per ſommnium iiſdem præſcripſi, ſi non aperte obitus illorum Ream, enervem ſaltem, atque fruſtraneam conatur oſtendere ad ſanandas Pernicioſas eorum Febres quas olim pro præcipuo meæ Therapeutices argumento ſelegi, & pro objecto activitatis Chinæ Chinæ, adverſus eas in ſummis etiam anguſtiis lethalibuſque circunſtantiis eximiæ.

Jamque manum Operi cœperam admovere, crebiſque memoratæ Lucubrationis marginem univerſum conſperſeram notiis, ut iiſdem poſtmodum ordinate digeſtis uterer ad concinnandam longiuſculam Diſſertationem; cum ecce nil tale expectanti delatum eſt mihi nuncium infauſtum de Obitu Viri Cl. repentino (quod vere dolendum) fato ſublati Nonis Novembris ejuſdem anni 1714., dum octogeſimum primum ageret, felici etiamnum pollens mentis acumine, ætatis annum. Caſus profecto iſte plane

ino-

inopinatus ab incœpto opere calamum ſtatim retraxit, ne ſcilicet Viri Celebris, mihique alias amiciſſimi Manibus, cineribuſve adhuc repentibus infenſus videretur, quaſi cum Protogene mortuo bella gerere ſatagerem, aut Leoni exanimi barbam vellere: cum ea præſertim in hujuſcemodi contentionibus, ubi nonnihil aſpere laceſſitus quis fuerit, difficillima ſit temperantia, quæ omnem excludat acerbitatem; *quid enim eſt*, ajebat Tullius, *quod contra vim, ſine vi fieri poſſit*? Sepoſito itaque conſilio Diſſertationem animo jam conceptam condendi, & cuncta, quæ ſparſim annotaveram, ita contexendi, ut Auctorem ſalibus, dicteriiſque ditiſſimum ubicunque me confricaſſet, viciſſim refricando, ſervata ſemper utriuſque dignitate, pro ingenii viribus retaliarem (ſi namque illi Machæra aderat, nec mihi deerat Veruina domi) decentius, ac laudabilius duxi, ipſas tantummodo Animadverſiones, ſeu Reſponſiones meas, non quidem nudas, quales a primordio mihi excidere, ſed eouſque tantum adauctas, quoad fert mera, & inculpabilis defenſio mea, inſimul conſarcinata, eodem plane tetento contrariæ Diſſertationis ordine, quæ me certe præ aliis Urbis hujus Medicis, etiam (ſi fas eſt dicere) nonnihil intemperanter, vellicat.

Hanc quoque nihilominus operam, extincto Antagoniſta, multo magis ac antea facile dimiſiſſem, ſi de una mea ipſius tutela actum fuiſſet, præſertim ne videretur parte in re medica, & in cultiori Philologia Viri Cl. gloriæ invidere. At (quæ & ab initio potiſſime ad ſcribendum me impulit cauſa) cum de totius agatur negotio Reipublicæ, cujus vitæ, aut incolumitati neceſſe eſt modo, ut alterutrius noſtrum noceat ſententia, hanc idcirco Provinciam minime deferendam cenſui; imo potius eidem aperiendum eſſe Reipublicæ, quanam ex parte lateat error, & quanam veritas: id quod, omni ſemoto vilis ultionis, aut turpis cujuslibet æmulationis affectu, mihi plane licere crediderim. Et ſane quidni liceat, cum idipſum religioſiſſimi doceant morum Cenſores? quos tamen hic immiſcere minus opportunum putaſſem, niſi prius Cl. Auctori longe leviore de cauſa (ut ſcilicet vanum quemdam Seculi morem pie fugillaret) placuiſſet uti auctoritate Sanctorum Patrum §. 49. ſuæ Diſſertationis. Unam igitur inter tot, quæ proſtarent, huc libet transferre D. Baſilii ſententiam, nedum permittentis, ſed & expreſſe monentis, ad criminationes hujuſmodi (ſunt hæc illius verba) *tacendum non eſſe, non ut contradicendo nos ulciſcamur, ſed ne mendacio inoffenſum progreſſum permittamus*; quod quidem hic maxime videtur cavendum, ubi fallacia dogmatis, auctoritates vel nullius ponderis, vel mutilæ, minuſve ſinceræ, & apocryphæ tandem narrationes (omnia namque ſingillatim oſtenditur talia) damnoſam facile praxim valerent in Artem inducere. Quæ cum ita ſe habeant, ut in progreſſu poterit ſenſim dignoſcere quilibet etiam in re medica nequaquam verſatus, ipſius potius indigentiam rei, quam vota mea me expleturum dicam, ſi poſitis in mutuum conſpectum rationibus a noſtrum quolibet hinc inde deductis, Opus tandem meum defendere mihi haud difficulter obtingat, nebulaſque omnes perfecte diſcutere, quas eidem Operi, ſive directe, ſive indirecte, offundere viſus eſt Cl. Auctor. Vindicato autem a velicationibus, imo & cavillationibus Viri Celebris Tractatu meo, minutiori poſtmodum obſtrepentium, aut objurgantium plebeculæ, de qua ſane minus laboro, quam de Ranis paluſtribus, videbor mihi quodammodo fauces præcluſiſſe. Sic & publicam utilitatem, & rem meam, & Collegarum tandem meorum, imo Patriæ totius dignitatem una tuebor. Nec proinde mihi tam juſta cauſa compulſo, neque ledere quemquam, ſed reſpondere meditanti, ſeverior quiſpiam Judex audeat obtrudere.

Nullum cum victis certamen, & æthere caſſis unquam probari. Occurram namque verbis Eraſmi, & potiori quidem jure, ac pro ſua Cauſa occurrerit olim, aut decertarit Eraſmus ipſe Apologia ad Libros prædefuncti Alberti Pii quondam Carpenſium Principis, quæ ſic habent: *Vehementer invidioſum habetur ſcribere in mortuos, & ut ajunt, cum Larvis luctari. Sed quid facias, ſi in te ſcribant mortui, & impingant apud totius Orbis Tribunal, ad quæ connivere* non decet? *Valeat proverbium, Non eſſe luctandum cum Larvis, niſi contra proverbium mordent mortui. Fugit Apis; ſed in vulnere reliquit aculeum. Non eſt, quem referiam, ſed eſt, cui medear.* Eſt, cui medear, inquam: patriæ quippe Accademiæ dignitas læſa (ut ſingula recolligam) vulnerata commentitiis ſaltem in hiſtoriis veritas, & periclitans ob panicum terrorem incuſſum tot Ægrotantium ſalus, medelam profecto nullis diſſimulandam officiis expoſtulant.

Priuſquam tamen penſum hocce peragere aggrediar, Febriſugique inſontis æque ac benefici partes ſuſcipiam; a propoſito minime alienum putarim, generalem quandam æquivocationem, in ſcriptis Viri Cl. paſſim ob viam, de medio tollere; qua nimirum detentus ille, conatus ſuos vel minime ad rem, vel prorſus inaniter exerit, Securim, ut eſt in adagiis, adhibens ad referendas fores, & Clavem ad findenda ligna. Ejuſmodi autem fallacia nullo ſtatim negotio ſubmovebitur, ubi quis animadvertat, Remedia medica duplici reſpectu poſſe pro noxiis, aut ſaltem pro ſuſpectis haberi, nempe, vel ratione ſui, vel ratione inopportunæ adminiſtrationis, ſive deinde hæc referatur ad morbum, ſive ad tempus, quorum alterutri remedium non congruat, ſive ad utrumque. Priori modo ſuſpectus, aut noxius eſſe poterit uſus exempli gratia Medicamentorum Purgantium, præſertim validiorum, ob ſolam videlicet acriorem, &

irritantem eorum ſubſtantiam ex ſe nocendi capacem. Altero autem modo, ſcilicet ratione intempeſtivæ adminiſtrationis, non ſolum Purgantia, Narcotica, aliaque plura, quæ utramque certe exceptionem patiuntur, ſed præterea quotquot ſunt in Medicina remedia, quotquot in Mundo alimenta, poſſunt obeſſe. Atque hoc nomine minime negaverim, ut pluries faſſus ſum in Opere meo, ſuſpectum nonnunquam dici poſſe uſum Peruviani Corticis, quantumvis ille cæteroqui ſit revera Remedium ſupra omnia Pharmaca, tum mitiſſimum, & ſuapte natura prorſus innoxium (quippe quod ſine humorum perturbatione, ſpirituumve irritamento, aut diſſipatione, ſuum munus abſolvit) tum etiam efficaciſſimum in eo præſtando effectu, cui illud præordinavit, cum condidit, Divina Bonitas, ſcilicet in ſiſtendis, atque delendis Febribus illis, ad quas extenditur ejus activitas. Adeoque ſi vis huic Febrifugo ingenita, efficax, & ex ſe nunquam inanis, transferatur ob nimiam Medici confidentiam, aut imperitiam, ad alios uſus extra illius ditionem ſitos, vel etiam ad ordinarios quidem, ſed quorum non ſit rationabilis opportunitas, eo certe caſu, vel inutile illud evadet, vel forte noxium, non quidem ratione ſui, ſed ratione adminiſtrationis minus caſtigatæ; ſi videlicet, vel in Febre, quæ ſuapte natura ipſius Corticis medelam reſpuat, uſurpetur, vel in ea, quam forte ſupprimere ſit nefas, utpote *depuratricem* Fluidorum, & *cujuſdam quaſi lixivii loco* (ut in eodem Opere meo locutus ſum pag. 67. & alibi) *ſordes ſanguinis vere abluentem*, vel denique in ea, quæ ex una parte nondum debitam maturitatem acquiſivit, & ex alia nullum portendit periculum, vi cujus ad ſuppreſſionem, aut extinctionem illius ſtatim, ac præmature ſit deveniendum. Hæc profecto Medicis incautis nonnunquam haud ſatis perſpecta, nonnunquam etiam ante præcipitem Corticis oblationem neglecta, vertuntur poſtmodum ab iis ipſis poſt oblationem, vel irritam, vel minus felicem, in crimen, & contumeliam illius, quantumvis infontis, eoſque ſero *pœnitet hujuſmodi remedio uſos fuiſſe*, cum potius deberet pœnitere, ſe illo perperam fuiſſe uſos.

Contra nonnullis, æqua licet hallucinatione detentis, ſors identidem favet oppoſita. Hi namque Febres, nedum Intermittentes, ſed & Continuarum naturam non parum redolentes, imo & quadantenus vere præſeferentes, quovis etiam earum tempore, fortuita Corticis oblatione nonnunquam feliciter curant (quod non raro quidem, ſed non perpetuo contingere debere ſum conſcius) abſque ullo etiam ſubſequente Ægrotantium detrimento; quo fit perſæpe, ut ab iis nimium glorioſa, adeoque vana Indo huic Antipyretico texantur elogia; Illud videlicet indiſtriminatim poſſe ad Febres omnes, tam Continuas, quam Intermittentes, quocumque etiam earum tempore ſupprimendas, & cum eventus certitudine, & impune penitus uſurpari. Has ob cauſas Scriptores quamplurimi, haud ſatis, ut reor, remedium experti, in Claſſes abeunt oppoſitas, quarum una uni vitio adhæret, & altera alteri; pauci etenim vere ſunt, qui medium teneant iter tutiſſimum, paucis videlicet prælucente, quod Regiam præmonſtret viam, claro lumine veritatis, aut conſtantis experimenti. Nimirum & in hac Cymnade cæteroqui ſatis frequenti,

Plures Thyrſigeros, paucos eſt cernere Bacchos.

Cum vero in praxi frequentiſſima occurrat, vel ſaltem videatur occurrere, adminiſtrandi hujuſce Febrifugi occaſio, frequenter quoque contingat facillimum eſt, vel quod uſus in abuſum tranſeat penes audaciores, vel quod abuſus metu, a recto etiam uſu quis meticuloſus abſtineat, ut de Phlebotomia, aliiſque præſidiis in peculiaribus quotidie caſibus videmus accidere.

Abſit ideo; ut auſim quemquam refellere, qui huic farinæ ſuum ineſſe furfurem aſſeveret, ut in vaſtiſſima materia medica cuique farinæ ſuus ineſt, ſive de Remediis Pharmaceuticis, ſive de Chirurgicis ſit ſermo: quibus equidem omnibus uſus rationalis pretium comparat; irrationalis adimit. Hac ego potiſſimum de cauſa hanc eandem farinam repetitis non ſemel laboribus pluries, ac pluries excuſſam, in Therapeutice mea jamdudum trajeci. Secrevi quippe, qualis Piſtorum mos eſt (ſiquidem per ſimilia hujuſcemodi liceat prolixius rem declarare) pluribus veluti diſtinctis, ſæpiuſque pertentatis Incerniculis, tum craſiorem, tum tenuiorem furfurem, quoadusque puriſſimum, & plane impermiſtum illum collegerim pollinem, unde non rubidus, aut ſecundarius panis.

Sed tener, & niveus, mollique ſiligine Factus in eſcam venire potis eſt quammaxime vitalem, quæ nempe vel prope morituro auxilio ſit præſentaneo. Hæc quidem omnia membratim, ac per gradus me præſtitiſſe reor, materiam univerſam partitis vicibus minutiſſime perſcrutatus, cum primo ſtatim loco Febres *Continentes* omnes, quotquot ſunt) tam *Solitarias*, quam *Comitatas*, tam *Eſſentiales*, quam *Symptomaticas*, turmatim a ditione Corticis ablegavi, remanente, pro ſuſcipienda illius actione, confertiſſimo agmine *Vulgarum omnium*, ſeu *Benignarum Intermittentium*, quibus tamen nulla fomentum præbeat Viſcerum, aut Solidi cujuſquam labes. Id ipſum diligentius adhuc peragere mihi ſum viſus, cum nonnullas iterum Febres, tum Periodicas, tum Periodicis ſimiles, ſed ſuapte natura vere *Continuas*, videlicet vel *ſimpliciter Remittentes*, vel etiam *Proportionatas*, ſæpe a proficua hujuſce remedii adminiſtratione ſejunxi, retentis iis Periodicis ſimul, & Continuis Febribus, quæ contra ſuopte genio vere *Intermittentes*, ſed fortuitam quandam continuitatem nactæ, cujuſmodi ſunt *Subintrantes* omnes, uſu pariter Peruviani Corticis prudenter adhibiti haud difficulter fugantur, non amplius redi-

redituræ. Ultimam denique manum materiæ incernendæ. Crebro quodam peculiari, & Medicis hactenus ferme omnibus intentato, me impoſuiſſe perſuaſum habeo, cum Febrium earundem *Intermittentium* quidem, ſaltem *ab ortu*, ſed nihilominus quam maxime *Perniciosarum*, curationem indigitavi, eodem Febrifugo, certa quadam, & ſpeciali regula miniſtrato feliciter abſolvendam, non modo tunc cum Febres illæ, moris cæteroqui maxime ſubdoli, atque maligni, tempeſtive poſſunt dignoſci, verum etiam non raro poſtquam curante Medico accipere, Ægrumque ad id redegere, ut jam totus algens, pulſuque præditus ferme nullo, ac non amplius perceptibili, Nychemerino tantum ſpatio diſtet a morte, nempe a futuro Paroxyſmo, citra dubitationis aleam læthali.

Hic ſane hujuſce Farinæ purus putus Flos eſt. Portionibus cæteris, utut ſumme utilibus, nonnihil tamen tenuiſſimi ſaltem Furfuris ineſſe nequaquam negaverim, ideſt, ut aperte loquar, non negaverim, locum forte quempiam Superſtitioſis quibuſdam etiamnum in illis relinqui ad ſcrupuloſitates, ineptias, atque ſophiſmata pertinaciter obtrudenda, ut mercem hanc utiliſſimam reddant in dies abjectiorem. Atque his, palato meliora etiam nauſeante inſtructis, liberum ſit expuere quod non arridet, neque habebunt minime repugnantem, qualem in Opere meo apertis notis memetipſum ſpopondi, Minime vero me talem polliceor, ubi agitur de puriſſimo, mundiſſimoque hoc polline, quem poſtrema diligentia excuſſum ſecrevi, & cui ædepol nihil eſt, quod vel a dicacioribus queat opponi. Cum itaque intentum unicum, vel ſaltem primarium hoc ſit Tractatus mei, docere ſcilicet recenſitarum Febrium *Perniciosarum* medelam, Peruviano Cortice peculiariter uſurpato inſtituendam, cætera vero reliquas Febres reſpicientia, ſint mera additamenta, cujuſvis arbitrio vel ibidem relicta, idipſum eſt, quod oppoſita, ſed vera, & ſolida adminiculante experientia, turpem falſitatis, aut vanitatis notam præferre deberet evinci. Quod ſi quis in Opus meum animadvertens, hoc, quod potiſſimum dixi, contendat evertere, evincat quoque ſimul neceſſe eſt, crimen eſſe in Medicina, certo ſervare hominem cæteroqui certo pereuntem, ſi per Remedium id fiat quotidie obvium, de quo tamen quis ambigat, an Empiricum illud ſit, an Methodicum, & an perpetui, an temporanei tantum quandoque levaminis.

Materiam hanc univerſam Farinæ nomine hactenus vocitatam, & recenſita hucuſque ſedulitate partitularim ſecretam (parere Lector coactum aſſumptæ ſemel allegoriæ ſatis appoſite rem explicantis progreſſum) totam denuo recens incernere aggreſſus eſt Cl. Ramazzinus. Et quidem quicquid ipſe partite, nec ſine labore ſegregaveram, ille primo commiſcuit iterum, atque turbulenter confudit; dein uno tantum exiliſſimo, ac pene imperfoſſo ad opus ſuſcepto pollinario Cribro, materiaque, quanta illa extitit, nonniſi leviter excuſſa, vix tenuiſſimum collegit Pollinem; non illum tamen, qui meliore poliens ſubſtantia, in egregium panem ſolet evadere, ſed volatilem illum, qui parietibus, ubi pinſitur, adhærere conſuevit, ex quo nonniſi infirmiſſimus panis confici poteſt. Præpoſteram hanc cribrandi, aut incernendi normam viſus eſt ille procul dubio tenuiſſe, cum uſum omnem Peruviani Corticis *ad unam tantum, vel alteram Drachmam* contraxit *ſemel oblatam, & quidem in diuturnis dumtaxat intermittentibus, ad impetrandas aliquot dierum inducias*. Reliquum Materiæ univerſæ utiliſſima adhuc abunde refertum Farina, nomine Furfuris, & recrementi, nedum inutilis, ſed & noxii, plane rejecit, imo & projecit. Uno verbo (ut a Piſtoria tandem ad Medicam Artem rem contraham) in id potiſſime nervos intendit, ut quas deleveram difficultates, iterum ſuſcitaret, ne minimum quidem eaſdem promovens, crambemque jam coctam recoctioni plane faſtidiendæ rurſus exponeret. Demum in eo totus fuit, ut peculiaris, diſtinctæque probationis defectum, quo perſæpe laborat, oſcitaturque jejunia illius Diſſertatio, Rhetorica identidem ſuppleret induſtria, clamans undequaque, declamanſque, Americanum iſtud Febrifugum *non tam facile, nec tanta copia, ad uncias videlicet integras in Vino infuſum, pluries in die, largaque Doſi, ut Mutinæ fieri ſolet, indiſcriminatim eſſe exhibendum, ſed modo adhibito: quandoque remedium iſtud empiricum prorſus, & amathodicum noxas plurimas ſolet progignere, & ob improprium illius uſum, & ob occultam ejuſdem malitiam*. Quibus omnibus generaliter, & indefinite hic illic prolatis, quin plurima inſit veritatis ſpecies, forſan ambiget nemo, ſed facto, ue decet, ſcrutinio, proh quantum vacuitatis ſubeſt, deceptionis, & falſitatis! Si quiſpiam igitur rumoribus hiſce Viri Cl. fortaſſe præventus, calculum præcocem opinioni illius ſtatim apponendum cenſuerit (quod conſuevit factitare nonnemo) ſuffragium tantiſper ſuum æquum eſt ut ſuſpendat: *Sceleſtum* ſiquidem, *& crudele judicium eſt, ſi quid ſtatuatur antea quam cum accuſatione comparata ſit defenſio*, clamat Lucianus *De non temere credendo calumniæ*, ſubdens inſuper illud Phocylidis.

Ne Judex fueris, partes ni audiveris ambas.

Ad hæc ego reſpiciens, e re fore cenſui, priuſquam ad criticam Cl. Auctoris *Diſſertationem* meas *Reſponſiones* apponam, Propoſitum Lucubrationis illius, æque ac Therapeutices meæ, ſummatim præmittere, ut ex juxta poſito utriuſque noſtrum germano ſenſu, clarius inde eluceſcat conſenſus, ac diſſenſus noſter: mox erutis ab eadem Diſſerratione potioribus textibus Peruviano Cortici infenſis; aliis vero e directo conſitis eidem Cortici aprime faventibus, quos ex variis Cl. Auctoris Operibus, ante meæ Therapeutices evulgationem editis, placuit excerpere, atque tranſcribere ad literam, quid ab utriſque ſimul collatis

tis reſultet, haud fruſtraneum credidi nudis terminis, & citra fucum exponere; ultimoque tandem loco ipſam Viri Clariſſimi Diſſertationem in Paragraphos conciſam (quam percurrenti ſi forte alicubi hæreat aqua, ſciat is, primi Exemplaris, non ſecundi, prout jacet illud hic adamuſſim recuſi, id eſſe vitium) cum Notis meis membratim reſpondentibus, propleniori, nedum Profeſſorum Artis, ſed & aliorum quoque Eruditorum notitia ſubnectere. An vero per hæc omnia neverim quod Coloaptavi, ſcilicet an ſatis oſtenderim, cæſim licet, ac interrupte, Virum Cl. *malo ſuo* (quod ajebat Seneca *De Vita beata*) *vim ſuam exercuiſſe*, ipſumve clare demonſtrarim vel præter intentionem nonnumquam conſentientem mihi; cæterum præter rationem prorſus, & a me, & a ſe, & ab ipſa re diſſentientem, *Judicet*, ut verbis illius utar, *Judicet*, inquam, *cui cor ſapit*.

D I-

DISCREPANTIA

INTER

Clariſſimum RAMAZZINUM, & Me;

SIVE

SUMMARIUM

Propoſiti Cl. Ramazzini, ex illius Diſſertatione fideliter excerptum.

OPinatur ille in hac Diſſertatione (quidquid alias ſenſerit) Chinam Chinam poſſe obeſſe Febricitantibus, tum ratione tempeſtivæ ſuppreſſionis Febrium, tum etiam ratione *malitiæ* cujuſdam *occultæ* illi inſitæ, quam pluribus in locis innuit, ſed nuſquam probat. Ex eo pariter quod *occulta* ſit *virtus febrifuga* illius, arcanuſque modus, quo ipſa operatur in nobis, cum nullam ſenſibilem pariat evacuationem; imo ex eo quod in Europa quicquam ei analogum non reperiatur in Vegetabilium familia, concludit ille, rationalem eſſe non poſſe hujuſce Corticis uſum, ſed mere *empiricum*; & *amethodicum*. Experimenta enim, ad explorandam ejus virtutem antefebrilem hactenus inſtituta, etſi plane non improbet; plurimis tamen hallucinationibus putat obnoxia, ut inde nil utilitatis quis valeat eruere.

Illam æquo animo nuſquam admittit, niſi in *diuturnis* tandem *Intermittentibus*, ſalvis etiam limitationibus infra recenſendis: & quidem ſemel tantum exhibitam *ad drachmam unam*, vel

Propoſiti mei ſaltem præcipui, ex Therapeutice meæ Speciali fideliter excerptum.

OPinor ego in Opere meo, Chinam Chinam nonnunquam obeſſe poſſe, ut poſſunt omnia Remedia ſelectiora, omneſque etiam cibi, quantumvis optimi, ſi *intempeſtive* illa uſurpetur, hoc eſt ſi per eam aliquando ſiſtantur Febres, quas expediat omnino ſinere progredi, vel ſi ſiſtantur præmature, quæ ſerius tantum eſſent ſupprimendæ. Poſſe vero ipſam obeſſe ob *malitiam occultam*, quam habeat, vel ex eo quod *arcana* ſit illius *virtus febrifuga*, nedum non conſentio, ſed oppoſitum rationibus, auctoritatibus, & experimentis ſatis abunde conor ibidem oſtendere.

Illam in Intermittentibus omnibus admitto quidem, cum adeſt indicans; ſed ut ab aliis vel invite admittatur inſudare detrecto: neque enim hic eſt Therapeutices meæ ſcopus præcipuus. Hanc unam tamen limitationem adjunctam volo, ut ſcilicet Febres hujuſmodi tunc ſolum curentur Peruviano Cortice, quando naturam *Corruptivam* habeant, vel ſenſim adipiſcantur, ſecus ſi *Depurativæ* ſint, vel tales probabiliter ſint evaſuræ: tunc enim Febres ſui ipſius, ſuæque cauſæ Remedium eſſe ſum faſſus. Adeoque ferme ridicula Quæſtio eſt penes me diſputare, an Febris aliqua curanda ſit ope Chinæ Chinæ, an *alterius* cujuſvis *Specifici Febrifugi*; ſi etenim ea vere ſiſtenda ſit, nec melius, nec certius id aſſequi licet, quam uſu Peruviani Corticis. Sed prudentis Medici eſt potius quærere, ac ſerio perpendere, num vere eam Febrem ſiſtere expediat, & an eo tempore, an alio; quod ex dignotione Depurativi, aut Corruptivi Febrium generis plane dependet. Quomodo autem dignoſcantur ab invicem hujuſmodi *Depuratoriæ*, aut *Corruptivæ* Intermittentes, ibi per extenſum docentur Tyrones.

Et quia ego relapſum Sanatorum in priſtinas Febres, quas Corruptrices cenſui, cum Chinam Chinam præſcripſi, prohibere conor pro viri-

vel duas, ad impetrandas aliquot dierum inducias, ut nonnihil reparentur vires, quemadmodum fieri solet oblatione Opii ad sedandos dolores. Cæterum usum repetitum, aut diuturnum improbat, ne illo scilicet impediatur recursus Febrium, quas iterum expectandas, exoptandas, imo & excitandas dicit remedii loco; nisi enim redeant, male consultum putat rebus Ægrotantium: ignem namque febrilem penes prudentes Medicos suum usum habere, novum non esse commemorat.

Liberaliorem illius usum in quibusvis casibus aperte damnat. Et licet de hoc generaliter tantum, & nonnihil etiam hyperbolice loqui videatur, quasi pro certo habeat, exuberantem admodum Chinæ Chinæ profusionem fieri *Mutinæ* (Urbem quippe hanc inter tot reprehendendam seligit) quia tamen nulla alia uspiam reperitur taxatio licitæ dosis, quam supra recensita unius, vel duarum ad summum drachmarum, quamlibet idcirco dosim, quæ hanc excedat, ab eodem damnari censendum est.

Quamvis autem, ut dictum superius, in Febribus Intermittentibus, tunc solum cum illæ nimis protractæ Ægros fatigant, Drachmam unam, vel duas Peruviani Corticis admittat, præscribatque juxta Methodum senioris, ut ait, ætatis suæ; nihilominus eundem Corticem locum opportunum minime habere autumat in Regionibus, Anni temporibus, Aerisve Constitutionibus humidis; in siccis vero felicius, sive, ut castigatius loquatur, minori damno inquit exhiberi. In temperamentis pariter Pituitosis Febrifugum hoc suspectum putat: adeoque Corpulentos, & præpingues hobus: idcirco Remedium semel oblatum, pluries cum moderamine repeto. Dosis tamen mea minime transcendit in hujusmodi Febribus dosim *vulgarem*, imo plurimis etiam vulgaribus *parcior* est. Primo siquidem haustus non excedit unquam *Drachmas duas*, quod summum est. Alias *sex Drachmas* ad summum pariter impendo *trium hebdomadarum spatio* ad præcautionem. Atque ita quantitas universa *unciæ unius* pondere continetur. Nonnunquam etiam, ubi lentiorem curationem citiori præferendam putem (ut si præ sola Febrium diuturnitate Chinam Chinam præscribam) per *semidrachmas* tantum, ad *quindecim* circiter dies exhibitas, negotium absolvo.

Ingenue tamen ibidem fateor, me *raro* in *vulgaribus* Intermittentibus Corticem præscribere consuevisse, quippe quas sæpissime, ac quibusdam potissimum tempestatibus, pro *Depurativis* habeo, melioremque eo casu, cæteris paribus, reputo curationem sponte Naturæ absolutam, ubi liceat eam sperare, quam Specificorum, sive *Chinæ Chinæ* adjumento quæsitam. Imo si quando ob suppressam, vel *ad preces* Ægrotantium *importunas*, vel ob *metum* forte *præcocem*, qui me corripuerit, Febrim, aliqua mihi suspicio incidat de Febrifugo nonnihil præmaturæ administrato: Febris autem ipsa non multo post redeat: diuturniorem eo casu illi cursum denuo permitto, priusquam remedium repetam: illudque etiam sæpe non repeto, quoties Febre rationabiliter quoque depulsa, sed nihilominus redeunte, *levior* est, & ad spontaneam solutionem facile vergens illius recursus.

De sexuum, ætatum, temperamentorum, institutorum, vitæ, & similium diversitate *accidentali*, & quo ad Chinam Chinam exhibendam, vel non exhibendam plane *superstitiosa*, non minus quam ad tot alia, quæ sine hisce cautionibus quotidie offeruntur Remedia, sum parum solicitus; atque ad ea omnia tantum respicio quo ad dosim plus minus *liberalem* usurpandam, ut in aliis quoque Pharmacis præscribendis mos est, & quo ad vehiculum illius plus minus activum, aut energeticum seligendum. Cæterum indicationem offerendi, vel non offerendi, sumo a *natura* & *causa* Febris, nec non etiam ab *accidentibus* ejusdem, si *graviora* sint præter ordinem. In hunc finem ipsam Febrium omnium Periodicarum naturam diligenti indagine pluribus in locis Operis mei ex instituto prosequor, & Causas illarum productrices inquiro, placita Scholarum, tam Veterum, quam Recentiorum perpendens: atque inde ad quævis medendi Systemata, & ad quasvis Scriptorum Hypotheses accommodatum esse Peruviani Corticis usum, pro curandis in quovis Subjecto iisdem Periodicis Febribus, luce meridiana clarius ostendo.

Vim nullam fluida nostra *figentem* Chinæ Chinæ inesse, & rationibus, & practicis experimentis perspicue demonstro, admittoque solum in ea Fermenti febrilis *absorptionem*, meliori quo possim mechanemate explicatam. *In*

mi-

quo

mines in Cachexiam ſenſim delabi, ac tandem longum poſt tempus obire, ſe obſervaſſe refert. In temperamentis vero Melancholicis graviores adhuc noxas Chinam Chinam parere, nervoſe aſſerit, de humoris atrabilaris ferocia ibidem nonnulla commentus.

Sed & inſuper ſexus, ætas, & vitæ conditio parum proficuum reddere ſolet, ipſo Judice, Peruviani Corticis uſum. Talem reputat, ut ſummatim dicam, in Pueris, Adoleſcentibus, & Mulieribus, exceptis gravidis, & operoſis, cujuſmodi ſunt Textrices, Lotrices, & ſervilibus operibus addictæ. Item ablegat a Monialibus, ab ædibus Nobilium, & Potentium virorum, & tandem (quod fortaſſis erat illi intentum primarium) a *Principibus*; tutioremque uſum habere antifebrile iſtud in Populari gente, quæ ex manuariis operibus victitat, quam in cæteris quibuſcumque, tandem concludit.

Neque vero illud prætereundum, quod quamvis hujuſmodi remedium admittat ſemel tantum in diuturnis Febribus, ad impetrandas aliquot dierum inducias; nihilominus neque id plane tutum cenſet, omnibus licet expletis conditionibus ſupra recenſitis, ob ſuſpicionem, ne Febris, quæ ad tempus ſiſti creditur, Medicum eludat, & ſiſtatur omnino, quod peſſimum reputat: quam ob cauſſam non ſemel illum pœnituit, eo Febrifugo ſe uſum fuiſſe.

Remedio huic ineſſe facultatem *figentem fluida quæque* humani corporis, in *Sanguinem*, *Spiritus &c.* pro re certa ſupponit, ne lites agat: atque ob id fortaſſe Nepotem ſuum ſerio admonet, ut diligenter animadvertat, Febres Intermittentes poſt epotam Chinam Chinam *numquam* ad veram, & *quo ſenſu* ſi quis contendat, a Peruviano Cortice *figi* nudum ipſum *febrile Fermentum*, dum ab illo *abſorbetur*, me nequaquam diſſentientem habet; dummodo hoc idem dicat *de cæteris abſorbentibus*, citra diſſidium apud omnes innocuis habitis, ſi rite uſurpentur. Neque enim abſorptio materiæ adeo exiguæ, cujuſmodi eſt Fermentum febrile, ullam ſubinde neceſſario exigit ſenſibilem evacuationem: quod pariter quarumlibet Scholarum Theſibus cohærere, facto prolixiori celebriorum examine, Indigito. Et quotieſcumque etiam ſenſibilis evacuatio quæratur, illam ſatis ſuperque patefacit, quæ Chinæ Chinæ actionem perpetuo ſub ſolis naturalibus excretionibus minime adauctis facile tota poſſit deliteſcere Fermenti febrilis abſorpti materia, & hac demum via integre excerni.

In Febribus porro *Intermittentibus Malignis*, non ſolum admitto Peruvianum Corticem, ſed ita admitto, ut nullo pacto patiar omiſſionem illius; unicum enim hoc eſt, verum, germanumque Propoſitum Therapeutices meæ. Harum Febrium multiplex *differentia*, imo & tempeſtiva *diagnoſis* hactenus parum nota, dilucidata eſt ex profeſſo pro viribus a me, exemplo etiam Mercati & Mortoni. In his caſibus, ubi dignotio ſit *tempeſtiva*, non plus, aut paulo plus Chinæ Chinæ præſcribendum dico, ac in *vulgaribus* Intermittentibus: & hac proportione, imo etiam parcius procedendum aſſero, ſi *maligna* Intermittens ſit ex earum ſpecie, quæ nil aliud pernicioſi præſeferunt, quam diſpoſitionem quamdam proximam ad acquirendam continuitatem, quam *Febrim* idcirco *Subcontinuam* appellavi.

Quod ſi vel ob Medici incuriam, vel ob Ægri calamitatem, *ſerius* dignoſcatur *Perniciofæ* Intermittentis *malignitas*, ſitque *repente* conſtitutus homo in anguſtia fere *extrema*, dummodo victurus ſit per horas 24. quatenus per totidem diſtet a futuro lethali acceſſu, etſi *frigidus*, & *arteriæ micatione deſtitutus*; in eo ſtatu conſtanter ſtatuo, inculco, & doceo, ſaltem Tyrones (neque hoc unum, quod mordicus ſuſtineo in Therapeutice mea, ab ullo Viro culto in circumſtantiis hujuſcemodi refutari poſſe cenſuerim) aſſero, inquam maxima, ne dicam certa ſpe felicis exitus, offerendum eſſe Peruvianum Corticem, ſed aucta doſi: itaut primus hauſtus, de quo mihi ſumma anxietas) ſecus eventu fruſtrarer) conſtet Drachmis, modo *tribus*, modo *quatuor*, modo *quinque*, modo etiam *ſex*, ſi opus ſit, pro diverſa caſus plus, vel minus *præcipitis* exigentia; dummodo tamen in progreſſu, tranſactaque unius, aut alterius diei procella, admodum *temperanter* agatur in oblatione Remedii, ſuapte licet natura prorſus innoxii.

Uno verbo ea regula, menſuraque procedendum volo in his caſibus, ut non plus quam *unciæ duæ* Chinæ Chinæ, pro *curatione* ſimul, & *præſervatione* impendantur; *una* ſcilicet, vel etiam quod minus pro *ſubita* extinctione Febris, & ſpatio *trium hebdomadarum* ad præ-

per-

cau-

perfectam apyrexiam pertingere; non enim, inquit ille, Febres vere fugantur, sed potius concentrantur; ideoque non recurrunt quidem Paroxysmi; verumtamen Febris ipsa, quæ creditur recessisse, tacite cubat, ut ignis sub cinere doloso, & tacite Corpus depascitur: adeoque optandum est, ut in apertam flammam erumpant, sitque reditus illius remedii loco.

Utiliorem *forsan* diceret Corticem Peruvianum in Febribus Intermittentibus *malignis* a Mercato descriptis, si tales ab initio dignoscerentur; sed illas quoque a Medicis Mutinensibus, tumultuarie, ut inquit, ad sacram Anchoram Chinæ Chinæ, ad uncias in Vino infusæ, incassum confugientibus, minime curatas vidit; perpaucos enim ab hujusmodi Febribus correptos evasisse, sibi observatum testatur. Et si exemplum aliquod oppositum afferatur, hujusmodi portenta, inquit ille, visebantur quoque antequam Chinæ Chinæ nomen innotesceret.

In hujus, aliorumque etiam assertorum suorum confirmationem auctoritates nonnullas, quodque magis refert, casus etiam nonnullos adducit: quibus tamen omnibus quænam vis insit, & quænam facti veritas, nonnisi invite quidem, suo loco patefiet.

Denique in Febribus nullis, quibus obtigerit *continuitas*, qualiscumque ea sit, ne in iis quidem, quæ de Intermittentium natura quodammodo participare creduntur, aut sunt de earum *prosapia*, quamvis etiam *quod malignum portendant*, Peruvianum Corticem (quam adversus eas nimis liberaliter, ut dictum supra, *Mutinæ* usurpari putat) exhibendum censet; plurimas enim deceptiones hac in re ait contingere, cum Febres ipsæ Continentes,

cautionem *altera*. Et hanc methodum, quam *meam*, ac *peculiarem* voco, possumque *novam* jure vocare, saltem in regione mea, immo & alibi, non abnuo, quin pro libito quisque appellet, vel *suam*, vel *alienam*, dummodo in commune beneficium eadem utatur.

Pro assertorum quorumcumque meorum veritate confirmanda, non modo *auctoritates* affero Scriptorum *expertorum* (inexpertos enim, vel sine methodo expertos fidenter appello quot quot oppositum sentiant, quamvis expertos se jactitent) verum etiam *historias* quamplurimas *insignes* æque ac *fideles*, de quarum certitudine ipse Cl. Ramazzinus expresse, uti socius in curatione, ita & testis a me non semel adducitur; neque tamen earum ullam pro ea, qua pollebat honestate, in Dissertatione sua vel minimum inficiari aggressus est. Utinam vero liceret mihi quas ipse adducit ex adverso, me sontem, seque testem criminis faciens, meo liquet suppresso nomine; pari silentio dissimulare; sed justa dignitatis meæ tutela, & multo magis communis causa, quæ defendi debet, inofficiosam hujusmodi moderationem non patitur.

Ad *Continuas* denique *Continentes* omnes, sive *minime* Remittentes Febres Chinam Chinam & ipse inutilem censeo, ut & ad plures alias diversorum generum nulla interstitione notabiles. Ad *Continuas Proportionales* sic dictas in Scholis, sive *Periodicas*, minime proficuam pariter dico, si illæ ex radice *Continuarum ab essentia* prodeant, secus si sint de Stirpe *Intermittentium ab ortu*, vel *Subintrantium*, dummodo nondum continuitatem *essentialem* sint assecutæ: quousque enim illuc non pervenere, eas etiamnum dico curabiles Cortice modice exhibito.

Ne tamen ulla hinc oriantur in praxi confusio, Febris *simpliciter Remittentis*, a me sic appellatæ, naturam, & signa diagnostica minute sum prosecutus, eamque, licet obscure, confuse, aut inordinate periodica videatur, Cortice inexpugnabilem profero; non sic mere *Subintrantem*, quam quoque describo, suisque signis a *simpliciter Remittente* distinguo. Atque hac posita duplicis generis Febre, Continuæ quoque *Proportionalis*, ex hisce duabus quodammodo mistis, seu potius ex diversi Febris utriusque Fermenti commixtione conflatæ, naturam ancipitem, Chinæ China quandoque curabilem, & quandoque nequaquam curabilem, sub utraque hac conditione considero, propriisque clare, quantum fieri potest, signis indigito.

Ac tandem ne quis error possit obrepere, distinctas omnium plane Febrium species juxta seriem practicæ earumdem Geneseos (quarum plurimæ Peruviani Corticis conatus eludunt, aliæ plurimæ eidem cedunt, aliæ denique modo cedunt, & modo non, pro varia ipsarum natura, ortu & successiva nonnumquam Metamorfosi) in Icone peculiari ob oculos legentium, præsertim Juniorum, pono: ut ideo laborem frustraneum assumsisse videatur Cl. Ramazzinus. Opus meum eatenus tantum convellens,

tes, & ab essentia Continuæ, quæ Cortici certe non auscultant, quosdam præseferant nonnumquam parvos motus, quales sunt iis, qui, Febribus Intermittentibus competunt: qua demum vana spe seducti Mutinenses Medici, Chinam Chinam ad uncias integras in Vino infusam pluries in die propinant; sed perperam, etsi illis curationes nonnullæ Ægrorum pro conclamatis habitorum *fortuito* feliciter cesserint.

Interim hanc Methodum, neque *novam* esse contendit, neque inclytæ *Scholæ Bononiensis* usui consonam: miraturque ideo, Peruvianam hanc Plantam altas adeo radices egisse *inter Scultennam, & Gabellum*; non ita vero in Solo Bononiensi finitimo, cum cæteroqui apud Medicos temporibus Viri Cl. *Mutinæ* florentes, valde raro, & valde caute præscribi consuevisset Peruvianus Cortex, utpote *infidus*, atque *suspectus*. Hæc ille. Dispiciendum posthac particulatim, quo singula consistant robore.

lens, ut perspicue visitur, quatenus quæ ipse clare disposui, & secrevi ab invicem, ille denuo simul confundit, mox susque deque declamatorie perturbat.

An vero singula, quæ huc transtuli, in ipsa Therapeutice mea satis digesserim, ac ad umbilicum perduxerim, perduxerimve ratione duce, & comite experimento, qui distincte cupit dignoscere; prolixam autem nimium, quippe in gratiam Tyronum conscriptam, eandem Therapeuticen detrectat percurrere, adeat solummodo Cap. 1. 3. 7. & 8. Libri primi, Cap. 3. & 4. Libri tertii, Cap. 5. Libri quarti, & Cap. 2. & 3. Libri quinti, cunctaque ibidem comminuta, forsan & supra modum, reperiet.

DISCREPANTIA

Clariſſimi RAMAZZINI a ſemetipſo,

SIVE

COLLATIO

Potiorum Textum ſummatim huc translatorum, quos in noviſſima Diſſertatione ſua De Abuſu Chinæ Chinæ, *Anno* 1714. *evulgata, edidit Clariſſimus Ramazzinus in contumeliam Chinæ Chinæ*, præſertim ne poſthac Juvenes relinquantur dubii (*ut eos antea reliquerant Auctores ab invicem diſcrepantes*) in quam partem ſe dedere debeant, *quemadmodum infra deducitur ex eadem Diſſertatione, Paragrapho ſeptimo.*

Plurium Textum hic ad literam tranſcriptorum, quos in diverſis Operibus ſuis, non juvenili, aut conſiſtente ætate, ſed in medio, ac ultimo Senio, ab Anno ſcilicet 67. *ad* 79. *ætatis ſuæ, ſive a* 1700. *ad* 1712. *Æræ Chriſtianæ, idem Cl. Ramazzinus edidit in laudem Chinæ Chinæ, non Oratorem agens, ſed* Documenta Theorica, & Practica ſtudioſæ ſuggerens Juventuti, *ut in Orat. Jatr. argum. ipſe ad Lectorem præfatur.*

A

NOn eſt tam inſons, ut vulgo creditur, Americanum iſtud Febrifugum. *Ramazz. Diſſertat. de Abuſu Chinæ Chinæ Epiſt. nuncupat. lit. c.*

A

PEruvianum Febrifugum, non arte quidem, aut induſtria repertum eſt; ſed nobis *divinitus* conceſſum. *Ramazz. Orat. Jatrici Arg. pag.* 104. *Orat.* 3. *Edit. Patav.* 1708.

B

Remedium iſtud natura ſua *doloſum* eſt. *Diſſert. ead.* §. 50. *circa finem.*

B

Peruvianus Cortex Antipyreticorum omnium, quotquot excogitavit Antiquitas, & Chymicorum ſolertia conflavit, eſt facile Princeps. *Idem ibidem pag.* 101.

C

Noxa hujus Febrifugi tanto *perniciofior* eſt, quanto occultior. *Diſſert. ead.* §. 15. *lit. b.*

C

Utinam favore Numinum, & commiſeratione, qua ſolent in res humanas, aliud Febrifugum reperire daretur, quod *eadem ſecuritate*, qua Peruvianus Cortex Periodicas ſanat, reliquas Febres, quas Synochas, & continentes vocant, ſanandi facultate polleret. *Ibidem pag.* 103. *&* 104.

D

Hoc Febrifugi genus apud me tanti non eſt pro Febribus Intermittentibus curandis, ut Medicina æque bene hoc præ-

D

Quot ſeculis deſudarunt Artis Primores, ut Febrifugum aliquod reperirent, aut arte conflarent? Modo e Peruviana Regio-

præsidii genere carere non posset, & Veterum Febrifugis, quæ si non tam cito, tutius tamen operantur, non posset esse contenta. *Ibidem* §. 18. *lit. b.*

E

Certe constat, longe tutiora fuisse Veterum Febrifuga, quæ olim usui erant, quam Indum istud. *Epist. nuncupat. ejusd. Dissert. lit. c.*

F

In quacunque Febre Intermittente, in qualibet Regione, quocunque anni tempore, ætate, sexu, temperamento &c. Chinam Chinam indiscriminatim exhibere velle, magnum abusum esse judico. *Dissertat. ead.* §. 8. *lit. c.*

G

Chinæ Chinæ Fautores in ea laudanda modum nesciunt, sed summis laudibus ad Astra efferunt, *Arborem Vitæ* illam appellantes. *Ibid.* §. 7. *lit. a. b.*

H

In Febribus Tertianis Intermittentibus Malignis Medici Mutinenses ad sacram Anchoram Chinæ Chinæ incassum confugiebant; perpaucos enim ab hujusmodi Febribus correptos, evasisse vidi. *Ibid.* §. 30. & 32. *lit. a.*

I

Cum post tot conatus Magnorum Virorum, & facta tentamina, adhuc *ignotus* sit operandi modus hujus celebris Antipyretici, asserere necesse est, *rationalem non esse* illius usum, sed mere *empiricum*, & *amethodicum*. *Ibid.* §. 6.

Regione Cortex ad nos defertur *divinum plane* remedium ad male natam Febrium sobolem *exterminandam*. *Ibid. pag.* 34. *Orat. Secular.*

E. F. G.

Quam diu a peritioribus Artis Magistris insudatum est ad Febrifugum aliquod conflandum, ex triplici Regno materia petita? At omnes hactenus illorum labores frustrante diligentia in irritum cessere; & si aliquod Antipyreticum in illorum monumentis extat, nonnisi sub Grypho descriptum legitur, ut Delio Natatore opus sit, si mens Auctoris sincera habenda sit. *Solus* Peruvianus Cortex, nobis a Divina beneficentia munus concessum, sine alterius rei mixtura, in qualibet regione, quocunque anni tempore, ætate, sexu, temperamento, Febres saltem recurrentes, atque intervallatas fugat, & *exterminat*, quamquam non defuerunt qui *hieron* hoc *picron* ex *Arbore Vitæ* decerptum temerare pertentarint Opio, aliisque rebus adjectis, ut solitis mangonis vulgo imponerent. *Ibid. pag.* 212. & 213. *Orat. sept.*

H

Equidem hoc præsidii genus in Febribus Periodicis miranda præstat, & præsertim in Tertianis Intermittentibus Malignis, quæ in ipso impetu accessionis Ægros interdum necant &c. hoc enim Febrifugum fermentum illud malignum sive penitus restinguit, sive ita enervat, ut periculum illud tollatur, ne Æger in ipso Febris accessu intereat. *Idem Dissert. de Contagiosa Epidemia, quæ in Boves irrepsit pag.* 37. *Edit. Patav.* 1712.

I

Licet autem in Peruviano Febrifugo &c. nondum teneamus quid vere sit Febris, nec satis constet quid in nostris corporibus præstet hoc remedium &c.; magnum tamen mortalitati nostræ solamen foret, si consimile præsidium haberemus, quo contra Febres vere continuas, quæ nobis exitium interminantur, *cæco licet modo*, & Andabatarum.

K

In Periodicis Febribus *continuatus* hujus Febrifugi usus Obstructiones, & Cachexias invehit, Hydoprem & mortem. *Ibid.* §. 21.

L

Sicuti Opium, pro sedandis doloribus semel oblatum, rursus ad prophylaxim repetendum non est; ita *nec repetendus* ad prophylaxim Peruvianus Cortex, pro sedanda febri semel præscriptus. *Ibid.* §. 48. *lit. a.*

M

Ab hoc remedio Febres Intermittentes fugari videntur: sed Medicis nimis credulis imponunt: non enim vere fugantur, sed potius *concentrantur tacite cubantes*, ut ignis sub cinere doloso, & corpus tacite depascentes. *Ibid.* §. 24. *lit. b.* §. 25. *lit. a.* & §. 27. *lit. b.*

N

Aliquando Medico, qui Americanum istud Febrifugum exhibuit, in votis est Febrem repetere, sed fortiorem, ut tollantur ea mala, quæ China China ob Febris extinctionem invexit *Epist. nuncupat. lit. c.* & *d.*

O

Optandum esset, ut in apertam flammam erumperet Febris, post quam Æger ad aliquot dies, ea silente, roboris aliquantum reportasset; nam reditus Febris remedii loco esset. *Dissertat. cad.* §. 25. *lit. b.*

Ægri more pugnaremus, quando idem pene *de omnibus Remediis*, quotquot habet Ars medica, proferre liceat, posse nos quidem pro lubitu fingere quid agant, quove modo operentur, ubi nostri corporis penetralia subierint; *modum* autem, & *ingenium*, quo morbum, & causas morbificas oppugnet, vere, ac scienter nequaquam posse pertingere. *Idem Orat. Jatr. argum. pag.* 104. & 105. *Orat.* 3.

K. L. M.

Profecto postquam hujus remedii usus innotuit, & præmissis justis purgationibus, *non semel tantum*, ut olim, *sed plures ad dies* exhiberi cœptus (*ita habet Auctoris Codex*) donec febrile Miasna fuerit *penitus exantlatum*, talem circa Febrium doctrinam, ac illam curandi methodum factam fuisse fateri oportet (*hic quoque ita habet Auctoris exemplar*) qualem in re militari post inventum pulverem pyrium omnes norunt. Quemadmodum autem abjectis Catapultis, & Arietibus, solo tormentario pulvere terræ cuniculis incluso, & accenso alta propugnacula temporis momento solo æquantur, & Arces obsessæ ad deditionem coguntur; sic valere jussis tot pharmaceuticis præsidiis, modico Quinquinæ pulvere exhibito *contumaciores* Febres *victas* dant manus. *Ibid. pag.* 102. & 103.

N. O. P.

Cum in universa morborum classe nullus extet nobis hostis infensior, & cui minus fidere oporteat, veluti Febris, attamen eo audaciæ ventum est, ut inter Quæstiones Medicas sit, num ad alios morbos curandos Febrem excitare liceat, eo quod interdum in quibusdam affectibus, veluti convulsione, & hypocondriorum dolore, superveniens Febris remedii loco fuerit, quasi in nostra potestate si ignem febrilem accendere, ac pro lubitu ipsum restinguere. Quam libenter scirem, quodnam corpus, sive de genere simplicium, sive compositorum prosset, quo quis Tertianam Febrem, Quartanam, Synocham, vel quamcumque aliam *excitare* possit. Pro

P

Ægri Febris obſtinationem faſtidientes, inſcio nonnumquam Medico Quinquinam capiunt; ſed magno ſui damno pœnas luunt, Hypochondriacis poſtmodum affectibus, Cachexiis, ac lentis Febribus correpti; ut poſtea cogantur Medicos accerſere, qui multis remediis Febres *excitando* morbum vincant, & remedia quærant ad ſepultum ignem ſuſcitandum: in quem finem Spiritus Salis Armoniaci commendatur, & *Ficus Pharaonis*, qui Tertianas Febres *excitare* creduntur. Novum enim non eſt, ignem Febrilem penes prudentes Medicos ſuum uſum habere. Sic Celſus ſcripſit, *licere Febres parvas augere; fortaſſe enim curationi opportuniores fient Ibid.* §. 38. *lit. a. b. c. d.* Pro fabula enim accipitur, quod quidam de *Pharaonis Ficu* referunt, quam ajunt, Tertianam Febrem *excitandi* vim habere. Non abſimilis priori eſt alia Quæſtio, non adeo tamen audax, quam habet Celſus, num *Febrem lentam augere liceat, ut curationi opportunior fiat*: verum quam ſuſpecta, & quam infauſti ominis ſint beneficia, & dona, quæ ab hoſte proveniunt, ſatis compertum eſt, ut vetus proverbium admonet, *Heſtium munera non munera*. O quam egregie in hanc rem Seneca. *Graviſſima infamia eſt Medici opus quærere; multi quos auxerant morbos, & incitaverant, ut majori gloria ſanarent, non potuerunt diſcutere, aut cum magna miſerorum vexatione vicerunt. Ibid. pag.* 94. 95. *&* 96.

AN-

ANTITHESES RAMAZZINIANÆ

Ex unius nempe Viri Gl. Textibus hucusque citatis, atque regestis excerptæ,

SEU

VERSICOLOR PAVONIS CAUDA.

Caudæque Pavonis larga cum luce repleta est,
Consimili mutat ratione obversa colores. Lucr. lib. 1.

China China est Remedium

I.

NOn tam insons, ut vulgo creditur, sed natura sua dolosum, noxium; & pernicioſum.

II.

Arboris vitæ nomine perperam appellatum.

III.

Veterum Febrifugis eo longe tutioribus posthabendum.

IV.

Quo nempe pro Febribus Intermittentibus curandis æque bene carere posset Medicina, & iis tantummodo, quæ antea habuit, esse contenta.

V.

In quacumque Febre Intermittente, quacumque Regione, anni tempore, ætate, sexu, temperamento indiscriminatim non usurpandum.

VI.

Semel oblatum, non amplius ad Prophylaxim repetendum.

VII.

Non continuandum, ne Obstructiones inferat, Cachexias, & Hydropem.

In

I.

PLane divinum, a beneficientia divina nobis concenssum, & Antyreticorum omnium facile Princeps.

II.

Hieron picron ex Arbore vitæ decerptum.

III.

Veterum Febrifugis eo longe infirmioribus anteponendum.

IV.

Quo nempe contra Febres Intermittentes reperto, magnum mortalitati nostræ solamen foret, si Medicina consimile aliud haberet contra Continuas.

V.

In quacunque Febre saltem Intermittente, quacumque Regione, anni tempore, ætate, sexu, temperamento indiscriminatim usurpandum.

VI.

Non semel tantum, ut olim, sed ad plures dies exhibendum.

VII.

Continuandum, donec penitus exantlatum sit febrile miasma.

In

VIII.

In Tertianis Intermittentibus Malignis, e quibus perpaucos evasisse observatum est, incassum adhibitum.

IX.

Quippe Febres Intermittentes vere non fugans, sed potius concentrans.

X.

Ejus enim operandi modus ignotus cum sit, usum quoque ejusdem irrationalem esse, empiricum, & amethodicum asserere necesse est.

XI.

Ad tollenda ergo mala, quæ ob Febris extinctionem illud invexit, excitare Febrem debent Medici, & ad sepultum ignem suscitandum, remedia, quæ huic usui præstant, exhibere.

XII.

In hunc finem commendantur Spiritus Salis Armoniaci, & Ficus Pharaonis, qui Tertianas Febres excitare creduntur.

XIII.

Neque enim novum est in Arte nostra, ignem febrilem penes prudentes Medicos suum usum habere. Sic nos docuit Celsus, cum scripsit, licere Febres parvas augere; fortasse enim curationi opportuniores fient.

VIII.

In Tertianis Intermittentibus, præsertim Malignis, miranda præstans; adeoque ne Æger in accessu intereat fidenter adhibendum.

IX.

Quippe Febres Intermittentes omnes fugans, & exterminans.

X.

Ejus enim operandi modus ignotus sic licet, nil officit, quando idem pene de omnibus Medicinæ remediis asserere necesse est.

XI.

Et tamen eo audaciæ ventum est, ut ad alios morbos curandos contendatur, num liceat Febrem, qua nil nobis infensius, excitare, quasi in potestate nostra sit ignem febrilem accendere, ac pro lubitu restinguere.

XII.

Nullum tamen, aut simplex, aut compositum corpus prostat, Tertianam, aut Quartanam excitare potis: pro Fabula enim accipitur, quod Ficus Pharaonis Tertianam Febrem excitandi vim habeat.

XIII.

Cum ergo inter morbos nullus extet nobis hostis infensior, & cui minus fidere oporteat, quam Febris, suspectum est, & infausti ominis, quod habet Celsus; licere nempe Febrem lentam augere, ut curationi opportunior fiat.

Præter hactenus recensitas, aliæ supereſſent pugnantes invicem Propoſitiones, ex una tantum Viri Cl. noviſſima Diſſertatione facile depromendæ; quas tamen hic juxta ponere ſuperſedeo, quoniam mutua illarum repugnantia in Reſponſionum mearum decurſu ſatis patefiet. Interim ſuperius exaratas, neque ab hac una Cl. Auctoris Lucubratione, ſed & ab ea, & ab aliis ſimul ejuſdem Operibus excerptas, placuit uno intuitu ob oculos ponere, ut me illico quiſque cernat ea ineluctabili neceſſitate compulſum, ut quicquid ſcribam in hac gravi, atque inter nos controverſa

materia, velim, nolim, cogar dissentire a Viro Cl. vel septuagenario; vel octogenario; ita tamen, ut quacunque ex parte illi adversor, ex alia semper adhæream: quapropter, si ex iis partibus meliorem forte selegerim, eidem Auctori æquius adhærere dicar, quam adversari; idque eo magis, si ab illo quoque ipsa dignoscendæ melioris, aut deterioris partis documenta depromam. Cum itaque ille §. 7. suæ nuperæ Dissertationis Nepotem doceat, fidem potius adhibendam esse iis Scriptoribus, *qui de China China judicium suum tulerunt data tantum occasione tractandi de Febribus, utpote qui de hoc Febrifugo sana mente, ac ingenue disquisierunt, quam iis, qui ex professo de eadem China China scripsere, ac edidere Tractatus*; ipse autem Scriptorum utriusque Classis personam diverso tempore indutus, steterit pro Cortice Peruviano per annos 15. tunc scilicet cum de *Febribus tractavit, earumque remediis*, ut in Orat. 3. Patavina, & in Dissertatione De Contagiosa Boum Epidemia; & quidem non *juvenili, aut virili, sed provectiori*, atque, ut ipse alibi vocat, *saniori ætate* (quam unam *inter varias, quas percurrit*, attendendam esse præcipit. §. 3. & 8. ejusdem Dissertationis) steterit vero adversus Peruvianum Corticem vix ante paucos menses, sive ultima provectissimæ ætatis periodo, cum videlicet *de ipso Cortice ex professo* acriter *scripsit, ac Tractatum edidit*: idcirco meliorem partem me selecturum, nec illi vere me adversaturum putarim, si eum potius sequar pro China China, quam adversus Chinam Chinàm scribentem. His præmissis, evestigio rem ipsam aggredior.

ANI-

ANIMADVERSIONES
IN TITULUM
A CLARISS: RAMAZZINO
CONSTITUTIONIBUS SUIS EPIDEMICIS,

Annexæque Diſſertationi De Abuſu Chinæ Chinæ conjunctim præpoſitum, qui ſic habet:

(*a*) *Conſtitutionum Epidemicarum Mutinenſium Annorum quinque Editio ſecunda* BERNARDINI RAMAZZINI *in Patavino Gymnaſio Practicæ Medicinæ Profeſſoris Primarii.*

(*b*) *Accedit Diſſertatio Epiſtolaris de Abuſu Chinæ Chinæ Ad D. Bartholomæum Ramazzini Mutinæ Medicinam facientem. Patavii* 1714.

(*a*) *Conſtitutionum &c.*) PRior hæc Tituli portio nihil ad me, quemadmodum nihil ad me Conſtitutiones ipſæ, quas non alio certe conſilio recudere ſtuduit artificioſus Auctor, niſi ut ab his colorem mutuatus, annexæ Diſſertationi viam ſterneret; quandoquidem in illis quoque parum amice identidem ſenſerat de Peruviano Cortice. Scripſit ille quidem (atque hoc referre non erit inutile) hujuſmodi Conſtitutiones ab anno ætatis ſuæ 56. uſque ad 61. & cum *Juvenili ætate, ac in virili etiam ſtatu Chinam Chinam in magno pretio habuiſſet; præcedente tamen ætate* (cum videlicet eaſdem Conſtitutiones conſcripſit) *a priori ſententia receſſit non parum*, ut de his omnibus in ſubſequenti Diſſertatione §. 3. nos monet. Adeoque in Conſtitutione prima, ſcilicet anni 1690., uſum Chinæ Chinæ *improſpere ceſſiſſe* ſibi obſervatam refert; in ſecunda vero anni 1691., ejuſdem Febrifugi adminiſtrationem *ſaluberrimam fuiſſe* reſtatur pag. 126. nuperæ Patavinæ Editionis, confirmatque pag. 131., ſubdens inſuper pag. 132. ex vi oppoſitarum invicem obſervationum, in oppoſitis hiſce Conſtitutionibus a ſe habitarum, *ſecuriorem probabiliter eſſe Chinæ Chinæ uſum, quando humores fræno potius egent, quam ſtimulo*; quod in Conſtitutionibus calidis, & ſiccis evenit; ſecus in frigidis, & humidis. Atque idipſum tandem *ulteriori*, ut ait, *facta obſervatione* incunctanter ſtatuit ſub finem ultimæ Conſtitutionis trium ſubſequentium annorum 1692. 93. & 94. ubi Chinæ Chinæ uſum pro curanda lenta Febre, Peticulari male judicata identidem tunc ſuccedente, *parum ſalutarem* fuiſſe adnotat. Omnibus porro hiſce obſervationibus haud ſemper uniformis inter ſe collatis, pro coroinde demum concludit pag. 192. earumdem Conſtitutionum -- *In frigidis, & humidis Conſtitutionibus, quæ corpora noſtra craſſis humoribus infarciunt, parum ſalutarem eſſe Corticis Peruviani uſum, in calidis vero, & ſiccis Conſtitutionibus, in quibus humores aliquo egent ſufflamine, Remedium iſtud egregiam operam præſtitiſſe.* Hæc ille tunc. Ejus vero ſenſa, qualiacumque ea fuerint, huc compendioſe retuliſſe ſufficiat, omiſſa earumdem Conſtitutionum recuſione, quippe fruſtranea, ut earum connexionem cum ſubſequenti Diſſertatione minime videar de induſtria diſſimulaſſe. Quid vero, & quanta quidem diverſitate, poſt annum 61. ætatis ſuæ, nempe poſt annum 1694., ſenſerit de eodem Cortice, poſtquam ſcilicet memetipſum vidit, ſociumque non ſemel habuit, eo Febrifugo feliciſſime ſemper utentem, in arduis præſertim circumſtantiis, tam Intermittentium quem Subcontinuarum Febrium lethaliter malignantium, quidve in illius commendationem planam ſcripſerit ab anno 67. uſque ad 79. ejuſdem ætatis ſuæ, ſcilicet ab anno Chriſti 1700. uſque ad annum 1712. ſatis conſtat ex ipſius Auctoribus Textibus ſuperius tranſcriptis; ut ideo tam inſignis mutatio ſententiæ, relapſuſve in priorem, cæteroqui ab eodem repudiatam, contigerit ultimo biennio vitæ illius: quo tempore, & Exedræ addictus, & Ægros inviſendi vix capax, quantum potuerit in praxi proficere, ut experientia ulteriore edoctum ſe nobis oſtentet, nemo non novit.

(*b*) *Accedit &c.*) Altera hæc Tituli pars magis ad me. Hic autem nonniſi de *Abuſu Chinæ Chinæ* conſtituit agere Cl. Auctor: egi

ego in Opere meo de *Usu*, & *Abusu*. Ille universim, ac indefinite: ego definite, ac particulatim. Vide ergo Titulum meæ Therapeutices. Præfationem ad Lectorem editionis primæ 1712. totumque ferme, si lubet, Librum quintum; nec non Cap. 8. Libri primi, Cap. 5. Libri quarti &c. & me æque inimicum abusui, ac recto usui amicum ubique deprehendes. In eandem ergo metam tendimus: disquirendum supereſt, an eodem itinere, dum quinam sit rectus usus, & quinam abusus intimus examinabitur. Vereor tamen, ne hujusmodi examine minus castigate instituto, sibique propterea nimium fidens: & nimium placens, *Ollam auxeris ante Lentem* Cl. Auctor.

ANIMADVERSIONES
IN
EPISTOLAM NUNCUPATORIAM;

Quæ ſic inſcribitur:

Illuſtriſſimis, atque Excellentiſſimis D. D. Marci Procuratoribus, & Patavini Gymnaſii Moderatoribus, D. CAROLO RUZINO, D. FRANCISCO LAUREDANO, D. ALOYSIO PISANO, *Bernardinus Ramazzini Felicitatem.*

(*a*) CONſtitutiones *meas Epidemicas, quas olim circa finem prægreſſi Seculi evulgavi, & Mutinenſes dixi, quia modo Agros, modo Civitatem afflixerint, denuo in publicum prodire volui, ſed nonniſi ſub Nominum Veſtrorum auſpiciis, Patavini Lycei MODERATORES AMPLISSIMI; neque ab hoc propoſito quidquam me dimovit, quod novum aliquod Opus non ſint, ſcio enim Autoritatem Veſtram eam eſſe*, ut Antiquis gratiam, Obſcuris lucem *conciliare valeat.*

Hiſce tamen novum aliquid accedit, Diſſertatio nempe de Chinæ Chinæ abuſu, quem (*b*) ubique *tam grandem, ac familiarem factum video, ut caſtigatione aliqua, & animadverſione indigeat.* (*c*) Non eſt enim tam inſons, *ut vulgo creditur, Americanum iſtud Febrifugum, ut aliquando Medico, qui illud exhibuerit, in votis non ſit febrem repetere, ſed fortiorem, ut tollantur ea mala*, (*d*) quæ China China *ob febris extinctionem invexerit.* (*e*) Certe conſtat *longe tutiora fuiſſe Veterum febrifuga, quæ olim uſui erant ad febris cauſam ſenſim eliminandam, quam Indum iſtud, cujus operandi modum in noſtris Corporibus, admirari potius licet quam intelligere.* (*f*) Vos autem *CLARISSIMI VIRI, quorum, Incolumitas ad publicum bonum tanti intereſt, ita valere volo, ut Medicorum nullus Peruvianum Corticem, aut quidquam aliud pharmaceuticum Vobis unquam præſcribat.*

DABAM PATAVII
Die 20. Julii 1714.

(*a*) (*Conſtitutiones &c.*) QUemadmodum prima pars Tituli nihil rei habuit cum Animadverſionibus meis, ita nec quicquam habet prima pars Epiſtolæ Nuncupatoriæ, quippe quæ Conſtitutiones a me ſepoſitas æque connotat. Sat igitur ſit & hanc ordinis gratia integram recuſiſſe, ne mutila in publicum conſpectum veniret. Cæterum cum altera tantum illius parte nonnulla mihi res eſt.

(*b*) (*Ubique* &c.) Animadvertant Geographi, hoc *Ubique* ſumi a Cl. Auctore per ſtrictam quamdam Synecdochen pro eo tantum terrarum ſpatio, quod *inter Scultennam, & Gabellum* intercipitur. Quod ſi illud idem *Ubique* ſemel ſaltem in tota Diſſertatione occurreret, neque is, qui ſatis immerito inſonti Mutinæ affigitur, illi uni imputaretur Chinæ Chinæ abuſus, ferenda utique, dum amplior etſi adhuc animoſa plurimum, Cenſoria hujuſmodi caſtigatio.

(*c*) (*Non eſt enim tam inſons &c.*) Non eſſe inſons iſtud Febrifugum, facile eſt aſſerere; difficillimum nervoſe probare. Naturam illius innoxiam ex oppoſito ſatis, ſuperque me oſtendiſſe puto Cap. 1. & 2. Libri 1. meæ Therapeutices Specialis, & ſignate a pag. 4. uſque ad 14. incluſive. Id nihilominus ex abundanti ultro confirmabitur in progreſſu ex ipſis Reſponſionibus meis ad peculiares Paragraphos Ramazzinianæ Diſſertationis, & præſertim ad §. 47. ubi fuſius de indubitabili, & patente hujuſce remedii innocentia. Et ſane quidni ſit inſon Febrifugum, quod Cl. Ramazzinus *in ſaniori ætate* appellavit (ut vidimus in *Collatione* Textuum illius) *Remedium plane divinum, ex Arbore vitæ deceptum, Antipyreticorum omnium facile Princeps &c.?*

(*d*) (*Quæ China China &c.*) Satius fuiſſet dicere, *quæ Medicus*, non quæ *China China*, ob Febris extinctionem intempeſtivam *invexerit*. Si enim præciſe ob Febris extinctionem quid-

quam mali contigit, idem, ut patet, contigiſſet effectus, ſi per aliud quodvis Febrifugum ſpecificum, puta Gentianam, Centaurium &c. *eo tempore* Febris extincta fuiſſet. Medicus ergo rationem reddat præſcripti *eo tempore* Febrifugi Corticis, non ipſe tunc forſitan male præſcriptus Febrifugus Cortex. Num forte culpabitur ut pravus cibus optimus, quem male tulit Æger, quia illum Medicus ſumendum præſcripſit invadente acceſſione, cum debuiſſet ingerendum præſcribere eadem ſoluta? Ad evitandos hujuſmodi ſcopulos in Chinæ Chinæ oblatione, circumſtantias omnes examinavi, in quibus liceat, vel non liceat Febres ſupprimere. Hoc eſt, quod methodicum reddit illius uſum, quodque talem reddit uſum cujuſcumque remedii, nempe ut illud *tempeſtive* adminiſtretur: poſito enim quod ſupprimendæ vere ſint Febres, & cognito opportuno tempore ſuppreſſionis earum, quod ex Medici peritia dependet, non aliud quærendum Febrifugum, quam China China, qua certius, aut tutius nullum. Vide propterea totum nuper citatum Caput octavum, ni te pigeat, Libri primi Therapeutices meæ, ut & decimum, ſi exempla tempeſtivæ, & intempeſtivæ oblationis noſſe velis in Intermittentibus benignis; ſi vero in Subcontinuis malignantibus, ac præſertim in earum principio, ne graveris inſpicere a fronte ad calcem citatum parirer Caput quintum Libri quarti; & ſi exempla deſideres, etiam Caput ſextum ejuſdem Libri, ubi in hiſtoria prima occurret tibi curatio Ægrotantis a Cl. Ramazzino pro conclamato habiti, ſubinde tamen Peruviani Corticis adminiſtratione reſtituti. Sane eo caſu perſpecto, miraberis cum idem Auctor, nulla etiam ratione habita aliorum plurium, artis adeo limitibus rectum Chinæ Chinæ uſum reſtrinxerit.

(*e*) (*Certe conſtat &c.*) Veterum Febrifugis quales olim laudes, ſive, ut aperte loquar, quas criminationes in concurſu Peruviani Corticis attexuerit Cl. Ramazzinus in ſuis Orationibus Patavinis, vidimus ſupra in *Collatione* Textuum illius lit. E. F. G. ubi *fruſtrantem Priſcorum Medicinæ Patrum diligentiam, laboremque in iis, tam reperiendis, quam arte conflandis plane irritum*, parum abeſt quin ore pleno derideat: ut proinde & hic ſubeat mirari, quo pacto iiſdem Ampliſſimis Patavini Lycei Moderatoribus hæc tam facile obtrudat in Veterum Febrifugorum commendationem, coram quibus ante paucos annos tam effuſe effatus erat oppoſitum. Sed nec id inglorium prorſus dixerim Viro Cl. Carneadem in hoc imitato, qui coram Catone priſco, Galba, aliiſque principibus Viris elegantem, & acutam habuit Orationem *pro Injuſtitia*, cum oppoſitam haud minus elegantem *pro Juſtitia* pridie habuiſſet *eiſdem audientibus*. Quid de Veterum Febrifugis, partim noxiis, partim inertibus ſentiam ipſe, legi poteſt in mea Therapeutice a pag. 10. & 11.

(*f*) (*Vos autem &c.*) Non erat, ut in Epiſtolæ fine officioſo incolumiratis omine averti ab Ampliſſimis, proſperaque longævitate digniſſimis Viris Peruvianum Corticem deprecaretur, qui ſevero Interdicto Medicis omnibus obſervando, *ab Ædibus Nobilium, & Potentium Virorum*, ut infra §. 10. vulgare iſtud Antipytecum *proſcripſit*, Exedræ Practicæ Patavinæ Profeſſor Primarius. Quemadmodum tamen ille Nobilium, & Pontentium Virorum genus egregium jam bene valens ſine Peruviano Cortice jugiter *valere voluit*: ita ego, ut revaleſcat non raro male valens ex Periodicis Febribus quodcunque genus hominum, univerſam Viri Cl. Diſſertationem, ut in ſequentibus, valere jugiter volo.

RE-

RESPONSIONES
JATRO-APOLOGETICÆ
AD IPSAM
DISSERTATIONEM

In Paragraphos divisam, cujus tota series hæc est.

DE ABUSU CHINÆ CHINÆ

Dissertatio Epistolaris.

§. I.

Quæsisti a me per litteras, nec semel (*a*) *Nepos* carissime, quidnam ego sentiam de celebri Febrifugo Peruviano, cujus usum (*b*) *isthic* tam frequentem, tam magnum sensim factum ais, ut qui sine hoc præsidii genere ad febrem oppugnandam velit accedere, tanquam inermis accedat, ac si forte æger intereat (*c*) *præ magno piaculo* habeatur remedium istud non fuisse pertentatum. Quosdam tamen adhuc esse, ut scribis, ingenuos Medicos, qui sui juris sint, & hujusce remedii usum quidem non abhorreant, sed (*d*) *modum adhibendum* velint, ut nec tam facile, nec in tanta copia sit exhibendum, sed potius hac in re rationem, & experientiam consulendam, longe tamen vincere illorum numerum, qui sibi plaudunt ex hoc solo remedio curatas febres, quas Natura si non tam cito, tutius tamen curasset non ita facile redituras.

(*a*) (*Quæsisti &c.*) *Piscit primum a Capite fœtere incipit*, Nepoti pluries sciscitanti, usumque Chinæ Chinæ vere immodicum describenti (siquidem tam late, ut in hoc Paragrapho asseritur, illo scripserit) æquum erat certe, ut hujuscemodi excessum minime probans rescriberet Patruus: neque enim is sine stomaco aliquo audire poterat, Mutinensibus Medicis fere omnibus pravum hunc esse morem (quod tamen longe abest) ut Febrim quamlibet armata semper Peruviano Cortice manu indiscriminatim aggrediantur, imo apud eos hodie piaculum reputari, hoc intentato præsidii genere Febricitantem quempiam interire. At minime æquum, ut a seipso paucos ante annos scribente, novis nullis emergentibus causis, dissentiret, ac percunctantis opinionem plane oppositam, inexplorata rerum narratarum veritate, me-

diis typis publicis, præceps deſcenderet. Sane ſi minus frigide Urbis hujus Medicos, magis vero ſobrie Nepotem ſuum dilexiſſet Cl. Auctor, æquius, ut opinor, hac de re judicium tuliſſet: *Oportet* ſiquidem ſolum *diligere cum judicaveris, non cum dilexeris judicare*, inquit Cic. de Amicitia. Cæterum Relatori ad præſcribendam Chinam Chinam tunc temporis parum propenſo, mirum non eſt, ſi forte uſus laudabilis, a ſcrupuloſiore tamen ipſius methodo nonnihil recedens, impoſuerit nomine abuſus; multoque minus mirum, quod accedentibus partium ſtudiis, iſthæc tandem Nepotem non modo, ſed & Patruum ipſum tranſverſum egerint. Quod inter nimis auſteros in oblatione Corticis collocandus tum fuerit Nepos Cl. Auctoris, ſatis ſuperque nunc poteſt eruere quilibet pluribus ex locis Therapeuticæ meæ, ut pag. 193. hiſtoria 9. pag. 162. hiſt. 2. pag. 181. hiſt. 11. nec non etiam pag. 206. hiſt. 2. Idem namque ille eſt, cujus nomen locis citatis ſemper officioſe ſubticui; modo vero ſcriptæ Diſſertationis occaſione cum indicetur a Patruo, totius quoque Cauſæ cognitioni admodum conducit haud amplius occulere; quemadmodum nec grave eſt mihi, eum in hac materia opinabili, & libera palam ferre diſcrepantem a me, qui diſcrepat, aut diſcrepabat ſaltem, ut legitur in contextu, a *longe majore Medicorum Mutinæ degentium numero*. Occaſione ſcribendi, quam captare ſibi complacuit Cl. Ramazzinus, quantum ſufficit explicata, minus forſan poſthac habebit unde obſtupeſcat quiſquam, Cl. Auctorem ab iis, quæ pro Cortice nuper ſcripſerat adeo inſigniter deſciviſſe in hac Diſſertatione, ubi Cauſam inſtantis Nepotis jam facit ſuam. Etſi enim profiteatur §. 49. *ad publicum beneficium iſthæc ſe conſcripſiſſe*, nihilominus & in Rempublicam (ut puto) inofficioſus, & ſibimet ipſi, quæ antea docuerat refelliens, quodammodo injurius, ſolis *Nepotis* ſibi *clariſſimi* votis, Cenſuram in *longe majorem Mutinenſium Medicorum numerum* præſtolantis, obſecundavit. Sed ſatius forſan fuiſſet reſpondere ſciſcitanti: *Ipſe Teſtudines comede, qui cepiſti*.

(*b*) (*Iſtic &c.*) Vaſtiſſimum illud *UBIQUE* Epiſtolæ Nuncupatoriæ ſtatim ad breve *ISTIC* Mutinenſis Pomœrii contrahit Cl. Auctor. Liceat ergo & mihi hoc idem *ISTIC*, quatenus ſolas connotat Mutinenſium Medicorum domos, reſtringere ſenſim in pulcherrimum, & æquali extenſione præditum *NUSQUAM*.

(*c*) *Pro Magno Piaculo &c.*) Piaculum certe foret ſinere, ut hoc remedio minime pertentato Æger occumberet, ſi ex *Febre Intermittente Perniciosa* interiret, aut alia ſimili, ejuſdem *tantummodo*, non alterius cujuſvis remedii viribus ceſſura, unique *Naturæ* palam ſuccumbenti linqueretur jam deſperanda curatio, ne forte aliquando rediret Febris per Chinam Chinam fugata. Si vero obiret ex Febre, remedium hocce reſpuere, aut eludere ſolita, cujuſmodi ſunt omnes Synochi, aliæque ab eſſentia continuæ, tunc potius illud pertentaſſe, ridiculum. Neque vero, ut quis *ingenuus* dicatur, & *ſui juris Medicus*, neceſſe eſt illi, uſum proficuum hujuſce Febrifugi ab aliis præmonſtratum, ſibique cognitum ut talem, rejicere, alienamve Methodum, ne ſervus videatur, etſi res exigat, minime amplecti.

(*d*) (*Modum adhibendum &c.*) Modum adhibendum eſſe, ne nimis *facile*, aut nimia *copia* exhibeatur Remedium iſtud, *rationemque, & experientiam hac in re conſulendam*, ipſe quoque in Opere meo pluries inculcavi (ſi quis enim tam ferreus, ut aliter ſentiat?) quodque magis refert, perpetuo etiam utramque conſului. Quamobrem ſi forte me collocet Cl. Auctor in Claſſe illa numeroſiore Mutinenſium Medicorum, qui, ut inquit, in hujuſce Febrifugi uſu modum non ſervant, ſciat ſe hallucinari quamplurimum, cum debeat me potius reponere in eorum Claſſe, qui modum adhibent. Et primo quo ad nimiam in Peruviani Corticis adminiſtrationem, an ego vicem hujuſmodi culpæ, manifeſte viſitur ubicunque de abuſu illius, vel de tot cautionibus, pro caſuum varietate hic, & nunc in eo præſcribendo adhibendis, locutus ſum. Atque ut rem minutius perſequar, ſi ſermo ſit de hac facilitate in Febribus *Intermittentibus vulgaribus*, ſeu, non malignis, videndum Caput octavum Libri primi, præcipue a pag. 64. uſque ad finem Capitis, & duæ priores paginæ Libri ſecundi, videlicet pagg. 84. 85. quibus in locis me nedum cautum, ſed & ſcrupuloſum prodidi. Si vero ſit ſermo de *Subcontinuis malignantibus* (in *Intermittentibus enim malignis*, ac præſertim in præcipiti earum periculo me facilem non ſolum fateor, ſed & profiteor) videndum Caput quintum Libri quarti; imo, & Caput ſextum ejuſdem Libri a pag. 254. uſque ad finem ipſiuſmet Capitis. Si denique ſermo ſit de *Continuis* abſolute cujuſcumque ſpeciei, legendum Caput ſecundum, tertium, & quartum, præcipue vero tertium Libri quinti, tandemque luſtranda Icon Febrium China China curandarum, vel non curandarum, quæ proſtat Cap. quinto ejuſdem Libri. Ex quibus omnibus clare eluceſcet, me hujuſce Febrifugi uſum a quamplurimarum Febrium curatione plane proſcribere, ad alias plane admittere, ad alias vero, imo etiam ad eandem in diverſis illius ſtadiis modo admittere, modo rejicere, ſumma in hoc adhibita circumſpectione, tantaque interdum, remedium iſtud, quantumvis natura ſua prorſus innoxium, alias tamen ob cauſas ſæpius contra Graviſſimorum Scriptorum placita minime verear excludere, vel alicubi nonniſi cunctanter admittere, aut potius permittere, ut latius de his omnibus in Reſponſionum proceſſu.

Quo vero ad exuberantem illius profuſionem, ſi quis me ab hoc quoque crimine immunem velit dignoſcere, legere ne gravetur Caput ſeptimum Libri primi, quod eſt ad quantitatem in *diuturnioribus Intermittentibus* præſcribendam, ubi me non tranſcendere inter hebdomadas tres, pro earum curatione ſimul, & præcautione, pondus unciæ Chinæ Chinæ clare deprehendet. Quod ſi loquamur de *Intermittentibus malignis*, aut etiam de *Subcontinuis*, ut vocitavi, pariter *malignantibus*, & in *acutas* ſenſim migrantibus, diſpiciendum eſt Cap. 3. Lib. 3. præſertim a pag. 147.

147. usque ad finem, & Cap. 4. ejusdem Libri a pag. 156. usque ad 158. inclusive. Atque ibi me pro harum validissima curatione in occasione præcipiti non plus Corticis impendere, trium pariter hebdomadarum spatio, quam sesquiunciam, aut ad summum uncias duas, peculiariter tantum distributas, cuique obvium est cernere. Ast hæc quantitas, imo & longe minor, quæ in *Benignis* impenditur, quo jure poterit improbari a Cl. Auctore, qui, ut vidimus in *Collatione* Textuum illius Cortici favorabilium, Textu literis K. L. M. signato, admittit usum Corticis hodiernum *ad pluries dies, donec scilicet febrile miasma sit penitus exantlatum*? Ad quod equidem opus absolvendum, eam requiri ad minimum, quam taxavimus quantitatem, nemo non videt; quotidiana siquidem idipsum experientia confirmat. Denique si de omnibus antedictis varia identidem, attentaque determinatione a me statutis, præter scrutinium rationis, quis etiam *experientiam* desideret, quam quoque *consulendam* esse monet egregie Cl. Auctor, præter historias omnes, tribus primis Capitibus Libri 4. comprehensas, quæ Methodum meam, & proficuam, & rationalem ostendunt, præter illas inquam, ut meam insuper cautionem quoque, imo, & nonnunquam hæsitantiam in præscribendo Cortice, in experimentis ipsis, & observationibus plurium, ac plurium annorum fundatam queat dispicere, adeat Cap. 10. Libri primi, Cap. 6. Libri quarti, & Cap. 4. Libri quinti, ni velit insuper expiscari casus alios innumeros per totum Tractatum meum dispersos. Quæ omnia in ipso Dissertationis limine per extensum indigitasse sufficiat, in reliquo clarius adhuc exponenda ejusdem Dissertationis, ac Responsionum mearum progressu. An vero his omnibus satis patefiat, non solum *modum* ubique *adhibitum* fuisse a me in China China præscribenda, verum etiam fuisse definite indicatum, quinam esse debeat, & qua religione servandus sit hujusmodi modus, a Cl. Auctore generaliter tantum deprædicatus: item an ipse *nimis facile*, aut *nimia copia* in Therapeurice mea illam præscribam, aut præscribendam doceam, ut fortasse visum est Nepoti, & Patruo, penes Practicos judicium sit. Quod si forte quispiam ex Nostratibus Medicus, me inscio, revera sit, vel videatur nimius in usu Chinæ Chinæ, illum, illosve, quotcunque sint, sicuti si regulis, & cautionibus a me positis eadem utantur, recte utentes dicam; ita si secus, forsitan abutentes. Sitne vero Mutinæ major Medicorum sibi ex hoc plaudentium, vel non plaudentium numerus, ego sane, qui gressus alienos non dinumero, calculum hunc nequaquam subduxi.

§. II.

Quæris ulterius an salutare consilium esset usum Chinæ Chinæ pertentare ad solam prophylaxim, num scilicet antequam ingruat solita febrium periodicarum tempestas per æstatem, sive autumnum, bonum esset Chinam Chinam adhibere ad præcautionem, ne generetur fermentum illud, quod hujusmodi febres excitare solet.

(*Quæris ulterius &c.*) Fucatum hoc Quæsitum abnuo scalpere, ne color Dissertationi obductus repente concidat. Cum vero jam præ crassitie sua incipiat ille concidere, quamvis non scalptus, *alium* idcirco

---- *Dic Quintiliane colorem.*

§. III.

§. III.

UT honestis petitionibus tuis satisfaciam, ad primum Quæsitum respondeo, juxta varias ætates, quas Divina Beneficentia percurrere mihi indulsit, (*a*) *varie ac diversimode* de Peruviano Cortice me sensisse, juvenili ætate, ac in virili etiam statu, fateor mihi in magno pretio habitam Chinam Chinam, & illa familiariter usum, non ita tamen ab illius vesano affectu me fuisse infatuatum, ut illam tanquam Panaceam omnibus remediis præferrem, procedente vero ætate, (*b*) *experientia edoctum* a priori sententia recessisse me non parum, & non nisi cum summa cautione remedium hujusmodi præscripsisse. Sic frequenter evenit non solum in re Medica, sed in aliis quoque facultatibus, quod ajebat De mea ille Terentianus.

Nusquam ita quisquam bene subducta rationem ad vitam fuit,
Quin res, ætas, usus semper aliquid adportet novi,
Aliquid moneat, ut illa quæ te scire credas, nescias,
Et quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies.

(*a*) (*Varie, ac diversimode &c.*) VArie, ac diversimode sensisse, aut saltem scripsisse Cl. Auctorem de Peruviano Cortice diversis temporibus, verum est nimis. *Juvenili ætate ac in virili etiam statu eam magno in pretio illi habitam quidem fuisse; sed procedente ætate a priori sententia ipsum recessisse non parum*, bona ejus venia, distinctione indiget; enormis etiam hic latet æquivocatio. Ante annum ætatis suæ 57. ac ideo tum in juvenili, tum in virili etiam statu fuisse Cl. Virum usui Corticis satis addictum ea vulgari, quæ tunc vigebat methodo, minime inficias iverim: id enim & me non prorsus latet. Ab anno 57. usque ad annum 61. ejusdem ætatis suæ; nempe ab anno 1690. usque ad annum 1694. (quo tempore Constitutiones Epidemicas Mutinenses conscripsit) recessisse ipsum nonnihil a priore sententia, itaut nonnisi cunctanter, & cum recensitis paulo ante limitationibus, quas modo ferme ad proscriptionem usque remedii coarctat, illius usum admiserit, ultro patet ex iisdem Constitutionibus. Ast progrediente adhuc ætate, & praxi, æque patet, illum incomparabili huic Febrifugo strictiore longe fœdere, quam in ipsa juvenili ætate se devinxisse. Id statim patefecit, ac Patavinam Exedram cœpit conscendere, fretus, ut reor, ulteriore experientia ab an. 1700. acquisita: quo anno primam habuit in eodem Patavino Athenæo Orationem, quam *Sæcularem* dixit; in cujus decursu non vulgaribus Peruvianum Corticem laudibus extulit. Multo magis extulit in *Tertia* anno 1702. ibidem habita, & in *Septima* habita anno 1706. Tandemque anno 1712. in Dissertatione *De Contagiosa Epidemia, quæ in Boves irrepsit*, eosque devenit, ut sphæram activitatis hujusce remedii propagare conatus fuerit, quousque illam tunc me propagaturum spoponderam in Synopsi Tractatus mei antea edita. Quamobrem quasi iis, quæ ipse promulgaturus eram, prævium calculum vellet apponere, ad *Tertianas perniciosas* curandas mirabile remedium esse Chinam Chinam pronunciavit: Quorum omnium veritas, absque eo quod hanc crambem ad nauseam usque recoquam, satis liquet ex *Collatione* Textuum illius supra prolatorum, ad quos Lectorem iterum remitto. Constat itaque evidenter, illum in provectiori, gravique ætate nempe ab anno 67. circiter ejusdem ætatis usque ad 79. eam mutasse strictiorem sententiam, quam anno tantum 57. ad 61. professus erat, ut in mea Therapeutice asserui pag. 289. Adeoque toto vitæ suæ cursu quater saltem diversimode sententiis videlicet alternatim oppositis, oppinatus est de Peruviano Cortice Cl. Auctor. Juvenili siquidem ætate, ac in virili statu illam in magno pretio habuit, ut hic fatetur. In prima senecta habuit in minori, ut patet ex Constitutionibus Epidemicis. In secunda senectute usque ad decrepitam ætatem (siquidem menti tam vegetæ ulla unquam obtigit ætas decrepita) habuit in maximo, ut Opera illius palam commonstrant. Ultima tandem Vitæ periodo, ab anno scilicet 79. usque ad 81. quo satis cessit, habuit in minimo, ut nupera hæc Dissertatio rursus testatur.

(*b*) (*Experientia edoctum &c.*) Hanc ergo, qua edoctum se profitetur Cl. Auctor ulteriorem experientiam, ab editione tantummodo Tractatus mei, Fungorum more, citra cultum repente prognatam, sterile biennium octogenariæ ætatis produxit. Ast reclamat ille §. 18. hujusce

hujuſce Diſſertationis. *Obſervationes iſtæ*, ſcilicet uſui Corticis infenſæ, *multorum annorum ſunt fructus* (rectius dixiſſet *duorum*, quos retuli) *& longævitatis a divina beneficentia mihi conceſſæ*. Quid ergo? Inſequarne amplius Virum, qui vel in dolo aliquo deprehenſus, *unum* pro re nata *pedem habet in calceo, & unum in pelvi?*

§. IV.

A*Bſit tamen*, ut febrifugi hujus vim arcanam contemptui habeam; etenim ingenue fateor Peruvianum Corticem unum eſſe ex iis quæ facilius admirari poſſumus, quam intelligere. Sicuti enim divinum illud Hippocratis aliquando in morbis reperitur, ideſt quiddam abditum, quod humanum captum excedat, ita etiam in aliquibus remediis obſervatur non raro τὸ θεῖον & potiſſimum in Peruviano Cortice. Admirandum eſt profecto quomodo ad exiguum pulviſculum quomodocumque exhibitum febris periodicæ furor conquieſcat, interdum etiam extinguatur, quod de quocunque alio remedio pharmaceutico non tam facile obſervatur, quod ſciam. Opium equidem, ex quo Nobile illud Nepenthes dolorum ſedativum, paucarum horarum ſpatio dynamin ſuam oſtendit, ſpiritus animales conſopiendo, ſed hujuſmodi virtus ephemora eſt, nam altera die dolor redit, aſt Chinæ Chinæ beneficium non tam paucis diebus clauditur.

(*Abſit tamen &c.*) *Malo nodo malus Cuneus*, dici ſolet; aſt hic duro nodo mollis, & iners Cuneus a Cl. Auctore adhibetur: artificioſa quippe iſthæc laudum pondere carentium congeries encomiaſticis Textibus, alias a Cl. Ramazzino editis, nequit ſupplere Commentarii vicem, ut ille fortaſſis autumat; niſi Commentarii nomine veniat hic explicatio germano textui plane contraria. Aliud namque eſt aſſerere, ut hic aſſeritur, ineſſe Chinæ Chinæ neſcio quid arcani, quid abditi, quid tandem divini, uti quid divinum, aut potius quid divinandum latet in morbis, & aſſerere in eum præciſe finem, ut in progreſſu poſtmodum oſtendatur illud idem *Arcanum illudque mirabile*, *quod humanum captum excedit*, & Chinæ Chinæ ineſt, illud inquam, ob hoc ipſum quod *arcanum* eſt, eſſe in praxi *amethodicum*, *irrationale*, *mere empiricum*, *natura ſua doloſum*, *ac noxium*, *malitiamque habens occultam*, & *noxam inferens tanto pernicioſiorem*, *quanto occultiorem*; ut infra §. 6. 8. 15. 47. 50. &c. aliud eſt ſcripſiſſe, & ſine ulla limitatione pluries promulgaſſe, eam eſſe *Remedium*, non habens tantummodo quid divini (id uempe divini, quod etiam in morbis malignis, & in venenis exitialibus deliteſcit) ſed *divinum plane*, *tanquam munus a divina beneficentia nobis conceſſum*, *ad male natam Febrium ſobolem*, non conſopiendam tantum, ac interdum etiam extinguendam, ſed abſolute *exterminandam*, & *exantlandum febrile miaſma*, *dummodo ad plures dies exhibeatur*; *cui remedio ſimile aliud optandum eſt favore Numinum*, & *commiſeratione*, *qua ſolent in res humanas*, *ad Febres vere Continuas*, & *Continentes pari ſecuritate ſanandas*, *ac ſanantur ab eo Periodicæ &c.* quemadmodum latius legitur in *Collatione* pluries indicata. Certe Gloſſa recens minime cohæret veteri Codici, digna tantum quæ *apud Mulieres*, & *imperitam plebeculam* (ſi Cl. Auctoris verbis uti licet) *locum habeat*, *non apud eos*, *qui ſapiunt*.

§. V.

§. V.

(*a*) CÆtera *Remedia*, uti omnia emetica, cathartica; hydrotica in morbis quibuſdam promptam opem quam ſpondent, re ipſa præſtant, ſed cum ratione, dum e corpore peccantes humores eductos adſpicimus; aſt exhibito Cortice, ſive in mediocri, ſive in larga doſi, ſaltem, ut plurimum nihil ſenſibile propelli videmus, fortuitum enim eſt ſi aliquid per vomitum rejiciatur, ſive propinata China China contingat alvi dejectio, (*b*) *virtute ergo ſecreta*, & adhuc incomperta Febrifugum iſtud agit id, quod agit,

(*a*) *Cætera Remedia &c.*) QUOD perfunctorie, ut ſic dicam, habet hic Cl. Auctor de carentia, ſaltem utplurimum, ſenſibilis evacuationis ab epota China China, non videtur prolatum per modum objectionis; ſed etſi eo etiam nomine intelligatur, vulgarem hujuſmodi oppoſitionem ad ultimas uſque ineptias ſolutam vide Cap. 3. 4. 5. & 6. Libri primi Therapeutices meæ. Quod ſi te pigeat hujuſce generis *Pandectas* evolvere, & nihilominus Catharticorum, Emeticorum, aliorumque ſimilium remediorum inutilitatem, ac noxam, in concurſu Febrifugi Corticis nil ſenſibile propellentis, paucis expreſſam noſſe deſideres; ade tantummodo Cl. Auctorem Orat. 3. Jatrici Argum. pag. 101. ubi hæc reperies: *E ſingulari hujus remedii præſtantia* (loquitur de Peruviano Cortice) *quod in Periodicas Febres vim ſuam potiſſimum exerat, id beneficii fuimus aſſecuti, ut verum diſcrimen inter Febres Intermittentes, ac eas, quæ vere ſunt Continuæ, nec non inter illarum focum teneamus; neque amplius unica methodo Febres omnes curentur, tam Gaſtricæ, quam Venenoſæ, continuato ſcilicet refrigerantium, & humectantium uſu, tot repetitis venæ ſectionibus, tot iteratis purgationibus, quæ humani corporis machinam potius infirment*; en ergo quid præſtent in curandis hujuſmodi febribus remedia, quæ *humores e corpore educunt*, quæque in hoc Paragrapho tam fidenter dicuntur *re ipſa præſtare promptam opem, quam ſpondent*) *ſed illæ tantum Febres, quæ de Intermittentium familia ſunt, pulveris exigui hauſtu in vino ſoluti, aut comoreſſæ quieſcant, aut etiam penitus aboleantur*. Aboleri poſſunt igitur ſecundum ipſum Cl. Auctorem Febres, *quæ de Intermittentium familia ſunt, hauſtu pulveris exigui nihil ſenſibile propellentis*. Quomodo autem tuto, & rationabiliter id fiat, videre eſt per extenſum locis nuper citatis Therapeutices meæ.

(*b*) *Virtute ergo ſecreta &c.*) Hocce effatum per modum Conſequentiæ hic loci prolatum, ſine ullo etiam antecedente, nemo, quod ſciam, unquam negavit. Ratio tamen potiſſima (ſi velimus ingenue fateri) cur tam *ſecreta* ſit virtus hujuſce Febrifugi, eſt quia *ſecreta* eſt *Cauſa* Febrem Intermittentem gignens, hac enim cognita, facile forſan eſſet dignoſcere quidquid habet in ſe China China, quod hujuſmodi Cauſæ opponatur. Ita quoque ſi Chinæ Chinæ in febres agentis ratio intima innoteſceret, ad incompertam febrium ipſarum notitiam vis facilis ſterneretur. Ob hanc rationem Villis, Borellus, & alii ominati ſunt, fore, ut ex hujuſce Corticis virtute, quamvis adhuc occulta, lumen ſufficiens aliquando trahatur ad detegendam *occultam* pariter Febrium Intermittentium naturam. Sed hi fortaſſe Viri, inquiet Cl. Auctor, ut in §. ſeptimo, haud ſatis *ſana mente diſquiſiverunt de hoc Peruviano Febrifugo*. Audiamus potius illum nulla præoccupatione detentum, *neque* (quod maxime cavendum præcipit eodem §. ſeptimo) *de China China Tractatus edentem, ſed ingenue data occaſione tractandi de Febribus ſuum judicium ferentem. Hariolari licet*, inquit ille Orat. 3. Jatr. argum. pag. 103. *hariolari licet, ex admirando hujus Corticis virtute Febris naturam medullitus aliquando erutam iri; paſſim enim hujus celeberrimi Febrifugi Chymica Analyſis inſtituitur, &c.* Conſequentia igitur, quæ ex hiſce omnibus debet inferri de *virtute abdita* Chinæ Chinæ, reſpectu habito ad virtutem patentem aliorum remediorum, mediis evacuationibus ſenſibilibus morbos nonnullos curantium, ea non eſt, quam illaturus eſt Paragrapho ſequenti Vir Cl. quod nempe *amethodicus* idcirco ſit illius uſus; ſed eſt ea, quam infert, ab ipſo Cl. Auctore ſæpiſſime laudatus Sydenham, in Præfat. ad Lectorem lib. de *Obſervationibus Acutorum*, videlicet Peruvianum Corticem hac de una cauſa, quod *virtute ignota ſine evacuatione ſenſibili* determinatam morbi ſpeciem delet, ac deſtruit, jure merito *Remedium Specificum* appellari; imo *unicum* eſſe in Medicina, cui vere competat *Specifici* denominatio: remedia vero, quæ mediantibus evacuationibus

ad va-

ad varios morbos curandos adhibentur, æque improprie appellari *Specifica*, ac quis *Scalpellum Phlebotomum* Remedium Pleuritidis *Specificum* vocitarut.

§. VI.

Diu equidem, seu frustrante diligentia a sagacioribus Medicis allaboratum est circa hunc Corticem, ut aliquid proferrent quod animum veritatis avidum expleret, *sed vincit adhuc natura latendi*, ut olim de Nili origine cecinit Lucanus. Cum ergo post tot conatus magnorum virorum, & facta tentamina per varia experimenta, num saltem pro solamine laborum in Vegetabilium familia in Europa aliquid analogum Peruviano Febrifugo reperiri posset, adhuc ignotus sit operandi modus hujus celebris Antipyretici, asserere necesse est rationalem non esse illius usum, sed mere empiricum, & amethodicum.

(*Diu equidem &c.*) EX eo quod Febrifugum istud agat virtute *adhuc incomperta*, ut supra adnotavit Cl. Auctor, *sitque adhuc ignotus*, ut modo repetit, *illius operandi modus*, haud satis percipio, cur *necesse sit asserere*, ut asserit, *rationalem non esse illius usum, sed mere empyricum, & amethodicum*. Hoc facto fundamento, numquam China China licebit uti; semper enim obstabit, qui semper *occultus*, & *ignotus* est, illius operandi modus: cum tamen aliquando utendum esse, & quomodo utendum sit, per varia ratiocinia, variasque regulas, quæcumque illæ sint, doceat idem Cl. Auctor in processu Dissertationis, & signate §. 48. remediumque istud, quod modo *amethodicum* dicit, tandem *methodicum*, & *rationale* affectet reddere, etsi modo illi etiamnum incomperto vim suam exerat antipyreticam. Sic egomet illud idem, in prima licet inventione sua, ut alia remedia fere omnia, prorsus empiricum, ad rationales demum, & insolitos usus extendere pro viribus conatus sum, præeuntibus mihi aliis non paucis, egregii hujusce Febrifugi fortuito quondam detecti utilitatem eximiam legibus Artis promovere, & ampliare studentibus. Scilicet non pudet Medicos culti hujusce Seculi (inquit doctissime suo more Eruditissimus D. Antonius Franciscus Bertini in præclarissimo Opere suo, cui Titulus -- *La Medicina difesa* pag. 171.) non pudet, inquam, Medicos hujusce Seculi; imo referunt ii in decus suum, Chinam Chinam qua primo a Barbaris uti didicere ad Quartanas tantum expugnandas, ad meliores usus quotidie transferre, nedum ratione, & observationibus fulti; verum & auctoritate ipsius Hippocratis, sic, illo notante, docentis: *Neque vero pigeat ex plebejis scisciari, si quid ad curandi opportunitatem conferre videatur*. En igitur quo pacto ex mente Divi Senis remedia empirica parum nota, & a plebeiis ipsis petita accedente demum Medicorum observatione, studio, & industria, ad rationales Canones redigi possint. Verum quidem multis? Nonne ignota nobis est virtus cujuscumque Specifici, quorum tam creber est usus, & copia tam ferax in Medicina, ut series eorum, si cuncta vellem persequi, facile volumen impleret? Nemo certe virtutem novit, seu modum actionis, qua Lapis Aetites abortum dicitur præcavere, Judaicus mederi Nephritidi, Hæmophthysi, tot Amuleta Quartanæ, aut Tertianæ Febri, tot alia lectero, Epilepsiæ, Hystericæ affectioni &c. An igitur horum virtus, & actio, quantumvis *occulta*, *methodica* vocabitur, & *rationalis*, quia utplurimum futilis, aut nulla est? Si hac ratione methodicus est rerum hujusmodi occulte agere creditarum usus inanis, vere ex Contrariorum regula erit amethodicus, nedum usus Peruviani Corticis apud Medicos, sed & apud Nautas usus Acus nauticæ, qui *ignota*, & adhuc incomperta est virtus utique certa, qua vere Magnes constanter respicit Polum. Extraordinarium magis est id, quod additur a Viro Cl. nempe amethodicum esse Chinæ Chinæ usum, eo quia *in Vegetabilium Familia nihil illi analogum adhuc reperiri potuerit in Europa*. Anne quidquid ab Indis ad nos defertur, cui simile non sit in Europa, vocabitur amethodicum in Medicina? Exulent igitur a Pharmacopolis quævis Aromata. Si vero Cortex Peruviano Cortici analogus in Europa reperiretur, numquid propterea methodicus una evaderet Americanus, & Europæus Cortex? Sed hæc frustra obtruduntur a me Cl. Auctori, qui decreto irrevocabili jam sancivit, ex eo quod *ignotus sit adhuc operandi modus hujus celebris Antipyretici, necesse esse asserere, rationalem non esse illius usum, sed mere empiricum, & amethodicum*. Appello itaque a D. Ramazzino Cortici irato ad D. Ramazzinum Cortici benigniorem, & ante paucos annos ingenue fassum, æque *ignotum* esse operandi modum *omnium* ferme, quot quot habet Ars Medica, *remediorum*: ideoque optan-

optandum esse simile aliud Febrifugum pari *securitate* Febres vere Continuas sanans, ac istud anat Periodicas; neque referre quicquam, etiamsi *ignoto* illius operandi modo, *cæco nos modo Andabatarum more* contra easdem Febres pugnaremus. Vide propterea, tum Textum notatum lit. C., tum maxime alium notatum lit. 1. in *Textibus Ramazzinianis* Cortici favorabilibus, &, ni obstupescas, obstupescam.

§. VII.

SUppono Te clariores Scriptores legisse, non eos solum qui ex professo de China China scripsere, qua de re tot in dies prodeunt novitates, ut de hoc remedio jam habeamus Pandectas, sed etiam eos, qui data occasione tractandi de febribus, ac illorum remediis, de hoc Peruviano Febrifugo (*a*) *sana mente*, ac ingenue disquisiverunt, facile enim Tibi fuisse existimo observare quam parum conveniant qui ex professo de China China tractatus edidere, & illi qui data occasione de hoc remedio judicium suum tulere, priores enim (qualis mos est eorum, qui de aliquo novo medicamento tractatus Integros edunt, in eo quod laudandum assumpsere modum nesciunt, ac ut ait Juvenalis *de magnis majora loquuntur*) summis laudibus remedium istud ad Astra efferunt. (*b*) *Arborem vitæ* illud appellantes, alii vero suspenso pede de China China procedunt, (*c*) *bona & mala* quæ non raro inferat ingenue exponentes, sic (*d*) *laudatur ab his*, culpatur ab illis, ut legentes, ac præsertim Juvenes dubios relinquant in quam partem se dedere debeant.

(*a*) *Sana mente &c.*) QUasi sana mente non disquisierint, *qui ex professo de China China scripsere, ac edidere Tractatus*. Sed hoc in obsequium defuncti missum faciamus. Sana certe mente de hoc Febrifugo disquisivit Cl. Auctor in suis Orationibus latrici Argumenti, ubi tot, quas partim recensuimus, partim etiam non recensuimus laudes effudit; & quidem majores, ac umquam effuderunt ii, qui, ut inquit ille, *in ea laudanda modum nesciunt, ac de magnis majora loquuntur*. Sana inquam mente tunc disquisivit de China China Cl. Auctor, tum quia non aliter potis erat quicquam scribere; tum quia, non ad augendas de hoc Remedio *Pandectas* ullo scripsit perculsus affectu, *sed data tantum occasione tractandi de Febribus*, & signare in tertia ex iisdem Orationibus (quæ circa Febres versatur tota) ut fuse jam vidimus. Qua postmodum, & quam sana Minerva scripserit ille in hac Dissertatione, ubi *ex professo de China China agens*, sentit oppositum, decernere meum non est.

(*b*) *Arborem vitæ &c.*) Ego certe, qui de hoc Remedio *Tractatum integrum edidi*, Arborem Vitæ illud me appellasse non memini. Memini tantum, pag. 4. ejusdem Tractatus dixisse hæc obiter, cum videlicet facilem relapsum in Febres, assumpta semel, ac unica tantum dosi China China, circa contentionem concessio... *Nisi hoc unum obstaret, Arborem Vitæ in China China superstitem divina clementia crediderim*. Sed hic Vir Cl. incidit solus in foveam, quam fecit. Mihi enim obstitit aliquid, ne Chinam Chinam appellarim *Arborum vitæ*. At illi, *nullum de eadem Tractatum edenti*, nil obstitit, quo minus asseruerit; ut in præmissa Collatione Textuum, *Hieron hoc Picron ex Arbore Vitæ fuisse decerptum*. Sic dum Vineta mea cædere satagit Cl. Auctor, cædit sua.

(*c*) (*Bona & mala &c.*) Satis memetipsum citavi, ut ostenderem, quam *suspenso pede processerim* in Opere meo, usum Chinæ Chinæ methodicum omni adhibita cautela ibidem indigitans. *Malos* vero æque ac *bonos* eventus an ingenue *exposuerim*, quos ab illius administratione, vel præpostera, vel præpropera, vel minus castigata, vel minus circumspecta procedere observavi, facile est cernere a pag. 252. usque ad 253. & a pag. 283. usque ad 287. ut & pag. 295. & 297. ejusdem Operis. Imo si quis ultroneam quoque ingenuitatem meam velit adhuc clarius dignoscere, lustret historias defunctorum, quibus, vel plane desperatis, vel constitutis in aliis quibusdam difficillimis circumstantiis inutiliter solum (neque enim noxie) propinatus est Cortex: eas vero reperiet a pag. 166. usque ad 169. Tractatus ejusdem. Ut proinde, si forte modo me petat, me certe nequaquam attingat Cl. Auctoris Censura.

(*d*) *Lau-*

(*d*) (*Laudatur ab his &c.*) Laudari ab uno, & culpari ab alio, eſt Fatum pluribus aliis Remediis commune, ut laudari ab uno, & ab eodem culpari, unius eſt Chinæ Chinæ in Scriptis Cl. Ramazzini. Inde puto & ego, fore poſthac, ut non amplius ambigant Juvenes, *in quam partem ſe dedere debeant*. Viro enim Cl. in *Collatione* ſuperius allata viam utramque præmonſtrante, tam *dextrorſum* vergere impune potuerunt, quam *ſiniſtrorſum*. Niſi forſan illis in eo bivio, cui ſimile raro viſitur, conſtitutis contingat, quod ſibimetipſi, Veterum, & Recentiorum volnmina, ut naturam Febrium exploraret, evolventi, contigiſſe refert idem Cl. Auctor pag. 89. Orat. Jatrici Argumenti, recolens illud Terentiani Senis. *Incertior multo ſum, quam dudum*.

§. VIII.

(*a*) IN *provectiori* ergo ætate experientia edoctus, & obſervatis noxis ab illa prognatis, cautius in illius uſu proceſſi, & mediocri ſolum doſi præſcripſi (*b*) *ad drachamam unam* vel duas in febribus intermittentibus, quando nimis protractæ ægros fatigarent: in hunc præcipuum finem, ut aliquot dierum induciis impetratis æger recreareturr, & vires reſumeret, (*c*) *non ſine ſpe*, imo cum certitudine febrem redituram, quæ una cum natura roborata, morbi cauſam expelleret, ſeu mutata aeris temperies, quæ in morbis diuturnis magnam vim habet, febris hiſtoriam abſolveret; hæc mea eſt methodus, qua in ætate ſaniori ſum uſus. (*d*) *Cæterum* in quacumque febre intermittente, quacumque ætate, ſexu, regione, tempore, temperamento, corporis habitu, Chinam Chinam indiſcriminatim exhibere velle, magnum abuſum eſſe judico.

(*a*) (*In provectiori &c.*) PRæter, id quod diximus §. 3. dicturi ſumus §. 18. de *experientia* per Cl. Auctorem acquiſita *in provectiori*, ut inquit, *ætate* pravorum effectuum Peruviani Corticis, hic quoque loci animadvertat Lector, Virum Cl. ab anno 67. ad 79. ætatis ſuæ (quæ quidem ætas videtur nonnihil provecta) tot, tantaque ſcripſiſſe, ut vidimus, & poſthac videbimus, in commendationem Chinæ Chinæ, ut minime veriſimile ſit, noxas ullas ab ea prognatas illi tunc obſervatas fuiſſe. Univerſam ergo experientiam noxarum hujuſmodi eo ipſo anno ætatis 80. quo Diſſertationem hanc conſcribebat; praxique Medicæ exercendæ vitio corporis impar evaſerat, ipſum acquiſiviſſe neceſſe eſt, & tunc tantum Chinam Chinam cautius præſcribere didiciſſe. Hæccine ergo longa illa multorum annorum experientia tam inconcuſſa, quam jactitat?

(*b*) *Ad Drachmam unam &c.*) Præſcribere tamen ad Drachmam *unam*, & *ſemel* tantum, idem eſt fere ac non præſcribere. Ad Drachmas autem duas in iſtiuſmodi diuturnis, benigniſque Intermittentibus Febribus, vere ſat eſt, ad impetrandas aliquot dierum inducias, quandoque etiam ad extinguendam Febrim: neque ego hiſce caſibus hanc doſim vulgarem tranſcendo, ut alias ſum eſſatus; nec raro quoque unam tantum Drachmam prima vice præſcribo. Sed ſive unam præſcribam, ſive duas, ſequentibus ſemper diebus nonnullas iterum Drachmas, vel ſaltem ſemidrachmas ſumendas præcipio, ne ſi fieri poſſit, Febris, ut vere nocens depulſa, iterum redeat. Idipſum commendavit alias Cl. Ramazzinus, tum in Diſſertatione *De Contagioſa Boum Epidemia*, faſſus ibid. pag. 38. taciteque approbans, ut ex contextu, quod noſtris temporibus *hujus remedii doſis largior eſſe cœpit, quam olim*, tum in Orationibus Jatrice Argumenti pag. 102. his verbis. *Poſtquam hujus Remedii uſus innotuit, & non ſemel tantum, ut olim, ſed plures ad dies exhiberi cœptus donec Febrile miaſma fuerit penitus exantlatum, talem Febres curandi Methodum factam fuiſſe fateri oportet, qualem in re Militari poſt inventum pulverem pyrium omnes norunt &c.* ut fuſius in Collatione Textuum illius lit. K. L. M. Immerito ergo nunc ad unam, vel alteram Drachmam reſtringit rectum uſum Corticis idem Cl. Auctor. Alia profecto menſura, & quidem pro Febrium varietate varia, ſtatuenda eſt. Verum de congruente ſingulis Febrium generibus Chinæ Chinæ doſi, pleniorem in ſequentibus ſuo loco ſermonem habebimus.

(*c*) (*Non ſine ſpe &c.*) Plura hoc loco ſunt perpendenda. Inquit Cl. Auctor, ſe Chinam Chinam præſcripſiſſe *non ſine ſpe, imo cum certitudine Febrem redituram*. Quoad *ſpem redituræ Febris*, alicui forſan luſui locus eſſet,

eſſet, ſi viveret Vir Cl. cui placuit olim in ſuis Conſtit. Epidem. pag. 125. annotare, quinam *fuerit Medicis annus quæſtuſior* : modo cum cineribus jocari non decet : atque ob id etiam, quod Viro, non quæſtus, ſed famæ cupido, minime congerunt hujuſmodi ludicra. Relinquamus ergo hanc *ſpem* cuipiam Agyrtæ, aut Circulatori, cotium humanum cum ſe præbet occaſio, lubenter negotianti. Quo ad *certitudinem* vero reditus Febris, quam habuit idem Vir Cl. cum Chinam Chinam præſcripſit *ad impetrandas tantum aliquot dierum inducias*, quiſpiam me doceret velim, quomodo conciliandus ſit Textus iſte cum alio Textu Paragraphi 27. qui ſic habet. *Hic nimirum Medicorum eſt error, ut ſi Chinam Chinam in hunc ſolum finem præſcribant, ut paucos a paroxyſmis dies liberos obtineant, interdum eludantur, Febre amplius non redeunte ſed tacite corpus depaſcente.* Anne igitur unus ille potuit cum Febre paciſci, ut ea rediret? atque ita quidem ex privilegio ſpeciali, ut quod ei licuit, cæteris Medicis nequaquam liceat? Ad hæc ſi ſatis caute ſe Chinæ China uſum putat *in ætate ſantori*, quia uſus eſt *in hunc præciquum finem, ut aliquot dierum induciis impetratis Æger recrearetur, & vires reſumeret, quando Febres nimis protractæ Ægros fatigarent*; cur æque caute ſe, vel alios non putares uti, ſi Febribus modice tantum protractis, ea uterentur ad tollenda *gravia Symptomata* quandoque ſupervenientia, quæ vires etiam conſtantes non raro opprimunt, Ægrumque tandem in vitæ diſcrimen adducunt. Hunc ſane titulum pro præſcribenda rationabiliter China China, Viro Cl. cæteroqui ſuſpecta; potiorem crediderim, quam ut Æger a *diuturnitate* morbi *recreetur*, & vires reſumat.

(*d*) *Cæterum &c.*) Huic Textui ante annos octo hunc alium Textum præmiſit, & poſt biennium ſponte recuſit Cl. Ramazzinus : feratque Lector coactam hanc repetitionem *provocante materia*. *Solus Peruvianus Cortex, nobis a Divina Beneficentia munus conceſſum, ſine alterius rei mixtura* (ſunt illius præciſa verba, quæ in ſeptima Oratione Patavina leguntur pag. 212. ſecundæ Edit. & pag. 19. primæ Edit.) *in qualibet Regione, quocumque anni tempore, ætate, ſexu, temperamento, Febres ſaltem recurrentes, atque intervallatas fugat, & exterminat*. Si adverſarii ſibimetipſi in eadem provectori ætate non eſt hoc, quodnam erit? Certe quiſquis non ultra conſcius hæc legeret, facile Cl. Ramazzinum diceret anno 73. ætatis ſuæ quo hæc primo conſcripſit, & 75. quo ea recuſit, *infatuatum eo veſano affectu* erga Corticem Peruvianum, quo nec fuiſſe inquit *juvenili ætate, cum Chinam Chinam habuit in magno pretio*. Sed tantam rerum diſcrepantiam in tanta verborum ſimilitudine miretur nemo : ſic namque *iiſdem literis Comœdia, & Tragœdia componitur*.

Si qua tamen limitatio extra tot fruſtraneas a Vito Cl. recenſitas conſtituenda videatur, ea una potius eſt, quam ego indicavi pluries in Opere meo, locis antea citatis, & alibi; ſcilicet, ne quocumque morbi tempore (non quacumque Febre Intermittente, niſi videlicet ea *Corruptiva* ſit, Cortex adhibeatur; ne vel præmature ſiſtarur Febris, quæ ſerius ſiſti debuiſſet, vel ea ſiſtatur, quæ abſolute non erat ſiſtenda. Quamobrem ſi arrideret Sholarum diſtinctio, dicendum eſſet, Chinam Chinam convenire in quacumque Febre Intermittente *ſpecifice*, puta, tam in Quartanis, quam in Tertianis &c. non in quacumque *individualiter*; ſed in una convenire, non in alia : imo ubi etiam individualiter convenit, modo uno tempore illius convenire, modo alio. In hoc conſiſtit, magna ſaltem ex parte, uſus methodicus. Cætera ab eo recenſita non prohibent Chinam Chinam uſurpari; ſed ad ſummum eorum nonnulia dici poſſunt quoquo modo prohibere quo ad quantum, ut, ſi Puero ea ſit præſcribenda, minori doſi præſcribatur, ac præſcribatur Adulto. Sed hæc quibuſvis remediis communia cum ſint, & vel Tyronibus nota, non eſt cur illis Practicos velit morari Cl. Auctor.

§. IX.

CErte in (*a*) *Pueris*, & *Adoleſcentibus*, ubi per æſtatem febribus intermittentibus, quæ ut plurimum ſunt tertianæ ſpuriæ, raro autem ſimplices, & exquiſitæ, parum proficuum obſervavi Chinæ Chinæ uſum, licet enim videantur aliquantulum miteſcere, hoc febrifugo exhibito, ſæpiſſime redeunt, & ad multos menſes (*b*) *contumaciores perſtant*, nec niſi ad oppoſitas anni tropas receptui canunt. (*c*) *Vidi* anno elapſo Patavii in familia quadam, quæ multas puellas habebat, eodem tempore febribus iſtiuſmodi laborantes, cum ferina tuſſi in principio acceſſionis, quibus cum varia remedia fuiſſent adminiſtrata, ſed incaſſum, & Mater inſtaret, ut illis præſcriberetur China China, nec Medici qui curationi aderant annuere

nuerè vellent, Mater libere dixit se tale remedium, cujus vim fuerat experta, esse exhibituram, quod cum feciſſet febres ſemper contumaciores ſunt factæ, ac per totum autumnum, ac hyemem, uſque ad veris principium perdurarunt; ætas enim hujuſmodi ob errata in victu, & minorem per ambitum corporis humorum diffflationem, ab hoc remedio, quod nihil e corpore educit, (*d*) *ſed potius concentrat*, nil opis obtinet; fortior autem ætas, qualis eſt Juvenum & virorum, facilius ſuſtinet incommoda, quæ poſſet China China inferre.

(*a*) *Pueris, & Adoleſcentibus &c.*) NE tempus inutiliter terram, oſtendendo proficuum Pueris, & Adoleſcentibus Peruvianum Corticem, (quod nonniſi experimentis poteſt nervoſe probari) neve caſus propemodum innumeros in medium adducam, qui in dies hoc idem evincunt: ſat erit eos tantum rurſus indicare, quos in Therapeutice mea protuli, ubi tam diuturniorum *Intermittentium*, quam *Subcontinuarum*, atque etiam *Lentarum*, non contemnendæ curationes viſuntur. Adeat ergo Lector Tractatum meum pag. 78. hiſtor. 7. pag. 84. hiſt. 17. & pag. 85. a principio ad finem. Item pag. 188. hiſt. 3. pag. 204. hiſt. 2. & pag. 213. hiſt. 9. Item pag. 286. hiſt. 1. pag. 286. 287. hiſt. 2. pag. 286. hiſt. 3. pag. 287. hiſt. 4. & pag. 286. hiſt. 6. Non ergo *parum proficuus Pueris, & Adoleſcentibus eſt Chinæ Chinæ uſus*, ſi ea ſolum cum decet, atque ut decet adminiſtretur. Potius non adeo frequens in illis eſt utendi occaſio; quippe quibus facilius eſt, & febres ſortiri *depurativas*, & eas ſine gravi incommodo diutius perferre.

(*b*) (*Contumaciores perſtant &c.*) Si perſtant Pueris ad multos menſes contumaciores Febres, cum redeunt ab epota China China, quomodo *illarum reditus* denuo poſt Chinam Chinam exoptatur a Cl. Auctore §. 25. *loco remedii*? Vel ſi *remedii loco* ſtat *reditus febris*, cur modo ab eo damnatur hoc idem remedium, cujus actio ſi diutius perſtet, diutius juvabit? Hac data occaſione, quærerem inſuper, ſi liceret, cum Peruvianus Cortex commendetur ſæpius a Viro Cl. in Conſtitutionibus ſuis Epidemicis ad Vermes Puerorum necandos, ut pag. 14. & pag. 161. ipſarum Conſtitutionum; & in præſenti Diſſertatione dicatur habere *malitiam occultam*, qua noxas plurimas ratione ſui poſſit progignere, qui fiet, ut ſolam *virtutem*, qua Vermes necat, non *malitiam*, qua homini nocet, exerat in Pueris induſtrius Cortex?

(*c*) *Vidi &c.*) Quidquid Patavii contigerit in Puellis unius Familiæ, quibus forſan *ſemel tantum* (ſcitque Deus qua doſi, qua lege, qua methodo, & quo morbi tempore) invitis Medicis Chinam Chinam exhibuit impatiens Mater, certum eſt, Mutinæ mihi longe aliter ſæpius contigiſſe, ut retuli; nec ab uno tantum eventu male parto aſſurgit Regula, ſed a multiplici. Interim eo quoque caſu nil magis profecerant *alia remedia incaſſum*, ut legitur, *antea adminiſtrata*. Neque proinde adhuc mente aſſequor, unde habuerit Vir Cl. durationem ulteriorem earum Febrium adſcribendam potius fuiſſe Chinæ Chinæ, quam aliis remediis æque incaſſum adminiſtratis. Quoniam ergo, ut ſubdit, *Contumaciores Febres per totum Autumnum, & Hyemem* his Puellis *factæ fuerunt*, cur illas Veterum Febrifugis, ipſo judice, longe *præſtantioribus*, licet e corpore *nihil ſenſibile* pariter *propellentibus*, *quibuſque ſolis*, ut inquit §. 18. *Medicina poſſet eſſe contenta*, non fugavit Cl. Auctor, unde erubeſcerent, & Chinæ Chinæ Fautores, & audacula Genitrix?

(*d*) (*Sed potius concernat &c.*) Si quis Tractatum meum legere non renuat, inveniet paſſim in hiſtoriis, ut in 19. & 20. Cap. 2. Lib. 4. nempe pag. 202. 203. ab epota China China urinam copioſiorem redditam; atque hoc quidem perpetuum eſt. Inveniet inſuper, idem Febrifugum propinatum erumpentibus Corticis Sudoribus, fluentibus Menſtruis, Puerperis, Alvo &c. numquam haſce evacuationes interturbaſſe; ſed eas ſolum ſiſtere conſueviſſe, quæ Symptomaticæ ſunt; inquantum ſcilicet tollendo Febrem, inde quoque producta tollit Symptomata: non autem quia vi peculiare polleat eaſdem evacuationes ſiſtente. Cur itaque tam fidenter, & gratis aſſerat Cl. Auctor, *hoc Remedium nihil e corpore educere, ſed potius concentrare*, non video. At de his fuſius alibi, præſertim §. 41.

§. X.

(*a*) AST *hoc de muliebri* ſexu dici neqùaquam poteſt, ſexus enim muliebris ex ſua natura minus aptus eſt ad beneficia reportanda ex uſu Chinæ Chinæ, minus enim operoſus eſt hujuſmodi ſexus, & larium domeſticorum magis amans; (*b*) *Monialibus præſertim* intra ſua Clauſtra concluſis, parum ſalubrem eſſe Chinæ Chinæ uſum, ſatis compertum habeo; perraro etenim induci potui, ut illis Chinam Chinam exhiberem, nec niſi cum proteſtatione (*c*) *febrem redituram*, & pertinacius duraturam, Medici enim non ſolum ab ægris, ſed etiam ab aliis Monialibus interdum compelluntur præſcribere ea, quæ nollent remedia, quod obſervavi pariter in puellis, quæ apud ipſas educantur. A Monialibus itaque antifebrile iſtud exoticum longe ablegare bonum judico, ab experientia ſic edoctus, febres enim Sacrarum Virginum, ut ut parvæ, habent neſcio quid abhibitum, cui malo abigendo potius alchalia volatilia, quam fixa conveniunt. (*d*) *Ab Ædibus quoque Nobilium*, aliorumque potentium Virorum, in otio urbano, ſeu rureſtri cum victus lautitia degentium, Chinam Chinam proſcribi utile judico, licet enim ubi interdum ex aliqua febre intermittente decumbant, quamvis caſſiæ modico purgentur, aut vena ſecetur, non tam facile diſponi poſſunt, ut ſatis tuto iis præſcribi poſſit febrifugum, ut ab aliis malis poſtea non plectantur.

(*a*) (*Aſt hoc de muliebri &c.*) DE hoc Ligno vitæ poteſt fructum carpere etiam poſt lapſum fœmineus æque, ac virilis ſexus, ut diutius vivat. Si exempla cupiat Lector, adeat (ſecluſis hinc Mulieribus *Gravidis*, & *operoſis*, quæ plures forent) adeat inquam Therapeuticem meam pag. 74. hiſtoria 4. pag. 79. hiſt. 5. pag. 79. hiſt. 6. pag. 83. hiſt. 14. pag. 183. hiſt. 9. pag. 184. hiſt. 10. & 11. pag. 185. hiſt. 12. pag. 199. hiſt. 10. pag. 201. hiſt. 12. pag. 201. hiſt. 13. pag. 210. hiſt. 4. pag. 226. hiſt. 5. pag. 295. & 296. hiſt. 1. pag. 227. hiſt. 2. tandemque pag. 232. a fronte ad calcem, ubi proſtant inſignes Mulierum China China ſanatarum hiſtoriæ. Sed forſan id contigit, quia hiſce temporibus ſequior ſexus *Larium domeſticorum* eſt *minus amans*, ac olim.

(*b*) (*Monialibus præſertim &c.*) Quod eſt ad Moniales, adeat idem Lector pag. 73. hiſt. 2. pag. 80. hiſt. 9. pag. 81. hiſt. 10. pag. 203. hiſt. 16. pag. 214. diſt. 6. &c. Id unum ſciſcitarer a Cl. Auctore, ſi adhuc eſſet in vivis, num ſcilicet ad Veſtales quoque illas quas Tertiarias vocant, quæque Moniales cum ſint, extra Clauſtra tamen vagantur, extendatur illius Interdictum. Nec feſtive tantum ſciſcitarer, ſed ad rem quoque: nuper enim dum hæc ſcripitarem, venit domum meam Tertiaria quædam ex ordine S. Franciſci, cui nomen *Soror Maria Franciſca Righi*, ut me de invaletudine ſua conſuleret. Narravit illa mihi (narro ego, quæ ipſa retulit) ſe Quartanam Febrem diutius geſtaſſe; pro cujus curatione cum Chinam Chinam jugiter reſpuiſſet, tandem aſſumptis, nunc Medicorum, nunc Mulierum ſuaſu, pluribus Veterum Febrifugis, id opis reportavit, ut *Febrium cauſa extenuata*, & *ſenſim exantlata* (quemadmodum loqui conſuevit Cl. Auctor) elapſo integro *decennio* convaluerit: poſt vacationem autem duorum menſium a Febre, ſibi ex improviſo ſuccreviſſe in infimo ventre Tumorem quemdam dolorificum, ferme ac ſi Corticem Peruvianum, *obſtructiones*, *cachexias*, & his ſimilia, ex eodem Cl. Auctore, mala progignentem, potaſſet. His ita ſe habentibus, quærerem, an Peruviano Febrifugo poſt ſex V. G. priores menſes aſſumpto, citius illa, tutius, atque jucundius convaluiſſet necne. Jam vero rurſus ad nos. Siquid cavendum eſt in Monialibus China China curandis, illud eſt, ut diligenter diſpiciamus, num Febres earum vere pendeant a Fermento ordinario Febrium Intermittentium, an potius, ut perſæpe accidit, a nervoſo, vel lymphatico genere univerſo, atque occaſione potiſſimum vitæ cœlibis: quo caſu longe minus efficax eſt actio Corticis. Has vero diverſi ordinis Febres, per ſua ſigna ab invicem dignoſci aptas, nonniſi peritis datum

eſt

eſt internoſcere, iiſque tantum, qui callent ex praxi, quantum ab æqualibus abſint ſimilia, &

---- *Quid diſtent æra lupinis.*

(*c*) (*Febrem redituram &c.*) Ne me quidem latet, Febrim fere ſemper *redituram*, ſi *ſemel* tantum *ad Drachmam unam*, *vel duas* exhibeatur Peruvianus Cortex, ut Auctor conſuevit: non ita, vel non tam facile, ſi *repetatur*. Si vero Febres poſt aſſumptam Chinam Chinam redeuntes, redeunt contumaciores, & *pertinaciùs duraturæ*, cur (quod pluries cogor repetere) cur inquam ex eodem Auctore §. 25. *optandum, ut redeant remedii loco, ad abſolvendam Febris Hiſtoriam*? Aut cur Chinam Chinam præſcribit & ipſe *ad impetrandas inducias*, ſi has inducias eſcepturus eſt longior cruciatus?

(*d*) (*Ab Ædibus quoque Nobilium &c.*) Quo ad Viros Nobiles in otio urbano, vel ruſtri degentes China China curatos, neque tamen *ab aliis malis*, quæ aſſerente Cl. Auctore, Chinæ Chinæ potus portendit, *ſubinde vexatos*, videnda pag. 186. hiſt. 14. pag. 190. hiſt. 2. pag. 196. hiſt. 9. pag. 218. hiſt. 13. &c. Forſan ſi Cl. Auctoris Edictum aliquanta citius emanaſſet, non auſus eſſem præſcribere plebejum iſtud Febrifugum Nobiliſſimis quibuſdam Viris, ut puta Neapolitano Principi Limatulæ Duci, Tertiana duplici Subcontinua, & ad Acutam properante detento; feliciſſime tamen illius ope ſanato: ſicut neque Nobili Hiſpano Viro, & (quod ſecundum Cl. Auctorem auget difficultatem felicis curationis) præpingui, Domino Joſepho Marchioni de Borda, & Aragon, modo pro Sacra Cef. Cath. Majeſtate in Regno Neapolis totius Hiſpanæ pedeſtris Militiæ Generali Caſtrorum Præfecto, qui cum Tertiana pariter duplici, nedum Subcontinua, ſed & Malignante, ac ferme Lethargica Mutinæ laboraret, ignobilis hujuſce Febrifugi auxilio convaluit: neque tandem Parmam accitus ad inviſendum Marchionem Joannem Franciſcum Gonzagam, unum ex Generalibus Tribunis Militum Regis Chriſtianiſſimi, Tertiana ſimplici Intermittente, ſed in Cardiacam Perniciosam converſa male vexatum, calculum meum appoſuiſſem tam facile, ut illi methodo valida, quemadmodum in hiſce repentinis Febrium mutationibus mihi mos eſt, exiberetur exoticum iſtud, *doloſum*, & vile Antipyreticum, quantumvis hoc idem a Doctiſſimis Viri, Parmenſibus curationi præſentibus (inſtante præſertim D. Clerico) etiam ut mihi, qui nondum illuc perveneram, pro eorum humanitate morem gererent, & præcipiti exitio occurrerent, in uſum jam revocaretur, favente ſtatim communibus noſtrum omnium votis eventu, Doctiſſimiſque pariter plaudentibus fortunato operi Mantuanis Profeſſoribus, ſubinde cum Fratre decumbentis Equitis illuc patitet accedentibus. Has, inquam, Curationes recentes Nobilium Virorum tam feliciter abſolutas fortaſſe non auſus eſſem hoc remedio pertentare, aut eo ab aliis jam pertentato, meis quoque ſuffragiis additus tam facile perſequi, ſi mihi Animadverſio hæc ſevera Viri Cl. dictatorio plane ſupercilio prolata, & experimentis imaginariis feriantis biennii extremæ illius ſenectæ firmata, paulo prius innotuiſſet. Sed quoniam poſt res jam feliciter geſtas tempeſtive illa non exiit, ſatius eſt, eam repetito pluries ſucceſſu inanem deprehenſam negligi, quam Praxim hanc auſpicatiſſimam.

§. XI.

(*a*) SEd *quid Medico Aulico* agendum, inquies, ubi aut Conjugem, aut Filium Principis, ſive ipſum Regnantem Principem, febre aliqua intermittente inter æſtivos ardores decumbere contingat? (*b*) *Num ſuo Principi*, apud quem multoties glorioſas curationes, in hoc atque illo a ſe factas ſolo Peruviano Cortice, celebrarit, tam fidenter, tam animoſe (*c*) *potionem hujuſmodi* porriget, ut illi (*d*) *præcordia non ſudent* ob metum de aliquo improſpero eventu? Hac in re ſi Galenum conſulere velimus, optimum habebimus documentum, ille etenim, ut refert in Libro de *Præ. Ad Poſt.* ab Imperatore, paſſione quadam ſtomachi ab aſſumpto cibo laborante, per noctem accerſitus, & ab ipſo interrogatus quo remedii genere hujuſmodi paſſioni mederetur cui Romani Medici nil opus eſſe potuiſſent, prompte reſpondit ſe cæteris hominibus ſic affectis (*e*) *vinum pipere inſperſum* exhibere ſolitum, Regibus autem, non niſi *tutiſſima remedia* a Medico debere præſcribi; (*f*) *num autem* Peruvianus Cortex inter tutiſſima remedia recenſeri debeat, judicet qui Cor ſapit.

(*a*) (*Sed quid Medico Aulico &c.*) HIC piis Auctoris Manibus pro ſilentio litanda, quæ cæteroqui congrueret acrior reſponſio. Nec enim illi fuerat ſatis, generalia ſibi treaſſe ab exordio, quæ pro arbitrio reſolveret Quæ-

fita, nisi peculiare hoc quoque de rebus, ut juvat speare, ne futuris quidem, esset denuo commentus, ut jocari visus cum Nepote, *es alienum* interim *luderet vel nondum cusum*. Emphaticus tamen, quo usus est citra opportunitatem, loquendi modus, etsi indefinitus, casusque respiciens tantum possibiles (nullus enim hujusmodi hactenus deo dante, saltem hic loci, contigit) videtur *fidenter* admodum, atque *animose* ab Auctore vivente usurpatus; sed liceat modo defuncto, quod forsitan minus licuisset viventi. Liceat, inquam, illi hæc impune profere, atque ab Aulis Principum pro libito suo Chinam Chinam proscribere. Monendus tantum Typographus, qui omnia simul Viri Cl. Opera quamprimum recusurus dicitur, ut Tractatui illius, *De Principum Valetudine tuenda*, Præceptum hoc tanti ponderis, ab Auctore ipso tunc omissum, peculiariter adjiciendum curet.

(*b*) (*Num suo Pricipi &c.*) Nisi duos de eadem Fidelia velit Cl. Auctor denigrare, non dealbare parietes, sed unum tantum, adeoque si Medicus ille Aulicus forem ego (ut in me unum conversa facile hariolatur Urbs tota) quem pictorio veluti calamo studet ille circumscribere, coloribus a Nuncupatoria Epistola mea forsan peritis, sed alteratis, & ad omnimodam usque mutationem confusis, sine ulla prorsus hæsitantia hæc responderem. An apud meum Principem *gloriosas curationes jactarim*, an laudibus minime promeritis, prout modestum hominem decet, potius obstiterim, tribuerimque divino tantum favori, quos ad Principem fama detulerat faustos eventus: item an ea, quæ modo minus humaniter in me vibrantur spicula a longe præviderim,

---- *ipsos divinarimque facertos*,
Queis juculanda forent;

tandemque an his de causis Therapeuticem meam, nedum suadente, sed & fere dixerim imperante eodem Principe invitus ediderim, ipse scit, qui mihi & Dominus clemens est, & æquus Judex. Id insuper addam (quæ mihi est gloria non levis) eumdem Serenissimum Dominum meum, post editam, sibique jam notam Dissertationem Cl. Auctoris, cum forte haud leviter ægrotaret Vir quidam Principis existimatione dignus, de cujus idcirco salute solicitus erat ipsemet Princeps, mihi animum, & stimulos addidisse, ut Ægro inspecto, repertoque in talibus circumstantiis, ut ei China China judicio meo posset opitulari, posthabitis, si quæ obstitissent adversis cavillationibus, id remedium prompte, statimque præscriberem. Cui cum facile id me præstiturum respondissem, quoties ea se mihi præbuisset opportunitas ex parte morbi, quæ se præbebat ex parte Subjecti, videlicet privatæ personæ, non æque facile idem acturus, si fuisset in discrimine salus cujuspiam Principis, quibus Chinam Chinam minime offerendam docet Cl. Ramazzinus, repositi ille subridens, *Cavendum esse pro viribus ab occasione hujusmodi*: *cæterum necesse est, ut Principes, qui commune cum reliquis hominibus habent morborum fatum, communia quoque cum illis habeant remedia*. Ægrum itaque invisi (ne desit complementum historiæ) Tertiana duplici Subintrante nonnihil violenta detentum; quam tamen, cum ad depurationem ea vergere viderentur, nondum Peruviano Cortice attingendam censui; quamobrem methodo tantum vulgari adhibita, ad vigesimam primam usque diem protracta est illius judicatio, quamvis negotia Principis Ægrotanti commissa, citiorem exigerent curationem. Cum vero post dies nonnullos incidisset, suspicio non levis de Febre eadem recidiva, Corticem ipsum ad præcautionem præscripsi, facile annuente curante Medico, in hocce remedium suopte genio pro re nata propenso. Paucis horis elapsis ab assumpto Febrifugo, quæ jam prope imminebat, successit Febris; eo tamen repetito, hæc statim penitus suppressa est sine reditu, simulque expleta sunt Principis æque, ac Ægrotantis vota.

(*c*) (*Potionem hujusmodi &c.*) Si ex Croco Metallorum, ex pulvere Algorethi, ex Elaterio, Esula, aut Gummi gutta conflata esset *hujusmodi potio*, possetne acerbius illa, nullo quidem colore quæsito, proscribi, a Cl. Auctore, apertam hoc loco *temeritatis* notam Aulico Medico apud Principem præter rationem prorsus inurente? Nolo hic historiolam recensere accusationis, ab Antiphilo Pictore ad Ptolemæum Regem delatæ adversus Apellem, Luciano referente: quæ insimulatio, probabilitatis limites, non parum excedens, evanuit statim ac Rex animadvertit, *Antiphilum Apelleæ artis æmulum esse*: nolo inquam recensere historiam hujusmodi; neque enim Apelles sum ego in Arte medica, aut Viri defuncti æmulatione dignus; neque fuit ille capax umquam livoris Antiphili. Sed ad quid quæso pavorem, quem vere nullum habebat Vir Cl. imo quem in reliqua Dissertatione, *dummodo adhibeatur modus*, se non habere profitetur, tam strenue simulavit? Certe neque timuit ille, neque sensim quæ protulit. *Nolim quis inferat, velle me ex Albo medicaminum Chinam Chinam expungere* (inquit ille, §. 48.) *absit hoc; habeat suos usus remedium istud: beneficium, quod afferre potest, ab illo excipiamus &c.* Si ergo *suos usus habere debet remedium istud, si beneficium aliquod potest afferre*, quo jure postea potio illius ex arte parata, sudores e præscribentis Medici præcordiis, ob metum sinistri eventus, debebit ciere?

(*d*) (*Præcordia non sudent &c.*) Sudent inexpertis precordia; non millies, & innoxie semper expertis. Mihi fortassis ea sudarent, si quando in Febre aliqua, non tantum Intermittente benigna, de qua sum parum solicitus, quippe sæpius depurativa, sed nonnihil graviore, præsertim in circumstantiis, in quibus Peruvianum Corticem, vel opportunum, vel absolute necessarium censeo (quas omnes tamen

tamen avertat Deus, ut hucusque avertere dignatus est) præsentaneum hoc auxilium vano quopiam timore perculsus, vel obstrepentibus hujusmodi terriculamentis inaniter divexatus, me omisisse dignoscerem, a munere meo, officioque Principibus meis debito turpiter declinans. Piget me sane Cl. Auctorem tam emfatice hic locutum, redarguere statim inconstantiæ, ac erroris; sed materiæ pondus vulneratæ veritatis dissimulationem non patitur. In toto Dissertationis decursu, & signate paulo supra §. 8. ubi revelat ille Methodum sanioris, ut inquit, ætatis suæ, universaliter loquendo, Peruviani Corticis usum admittit, & approbat *in hunc præcipuum finem, ut aliquot dierum induciis impetratis Æger recreetur, & vires resumat*, additque insuper infra §. 48. *ad eundem finem obtinendum, scilicet ad obtinendum aliquod intervallum pro virium reparatione admittendum, & laudandum esse Chinæ Chinæ usum in Febribus præsertim intervallatis*; quin imo §. 22. Ægris ipsis quandoque citra rationem poscentibus, *in mediocri dosi, ut lædere non posset* (potest ergo ita exhiberi, ut lædere non possit) *eam exhibui cum eventu*, ut fatetur, *satis felici*: id; quod vere cohæret præceptis illius, ut scilicet usus Chinæ Chinæ in Febribus *sit qualis est Opii ad sedandos dolores*; utriusque enim remedii, ipso docente eodem §. 48. eadem esse debet, & regula oblationis, & cautio. At hoc solamen saltem, quod fatigatis Ægris cujuscumque conditionis, imo & fœminis ipsis utero gerentibus (quibus §. 13. non solum tuto, sed & cum *beneficio* asserit Chinam Chinam exhiberi) concedit, & donat Cl. Auctor, quomodo *tam fidenter, tam animose* Magnatibus denegat, quibus tamen dolore aliquo afflictis Opium præscriberet, quamvis, nisi caute exhibeatur, haud neget eodem §. 48. periculum forte subesse, *ne ex somno excitari possimus, quem obdormire volumus* (Si vero in Principibus quoque Chinam Chinam admittat, eo saltem nomine, ut tantummodo reparentur vires; cur in eumdem finem, *sine præcordiorum sudore, ac æstu, potio hujusmodi in dosi mediocri, quæ* ut ait ille *nequit lædere* a Medico Aulico porrigi data occasione non poterit, imo & in dosi nonnumquam liberaliore, ut reparentur simul vires, & periclitans salus?

(*e*) (*Vinum Pipere insperſum &c.*) Sano consilio abstinuit eo casu Galenus a pipere, ut qui forsan prævidit, fore tandem longo seculorum tractu, ut exotica *Vegetabilia, quibus aliud analogum non sit in Europa*, cujusmodi est piper, *irrationabilia* a Cl. Ramazzino declarentur, & *amethodica*, ut nuper vidimus §. 6. Documentum autem, quod inde trahere debet Posteritas, illud est ut Viris Principibus ea ipsa præscribantur remedia, quæ sæpius per experientiam profuere plebeiis. Imperator enim ille, *Commodus* nempe, intellecto Galeni effato, statim *Vinum Sabinum pipere insperſum, in vulgari gente remedium expertum, sibi laboranti adhiberi jussit, & sanitati feliciter fuit restitutus*, ipso nedum fatente, sed & iisdem verbis modo relatis aperte docente Cl. Ramazzino; Orat. Jatr. argument. pagin. 46.

Non omnia quidem remedia (ut nugas etiam has persequar) præsertim sumptuosiora, quæ sibi potest comparare dives, æque potest pauper, ut facile quæcumque potest pauper, potest & dives; quæ tamen uni vere conveniunt, quæcumque ea sint, conveniunt & alteri. Profecto non hominum, sed morborum varia conditio varietatem remediorum exposulat. Menti nunc subit, Virum Cl. mecum olim risum effusum risisse, cum forte utrique nostrum nuntiatum fuisset, Medicum quemdam afflictæ Mulieri, filii sui unigeniti acerbum funus lamentanti, illudque ipsi Medico, qui morbo adstiterat, acriter exprobranti, hæc fidenter reposuisse: *Unicum tibi hunc esse filium quare incauta non monuisti? fortassis enim aliter, aliisve remediis curationem illius peregissem*. Sed quid, si Viri hujusmodi testimonio uteretur alicubi in sua Dissertatione Cl. Auctor, cum cæteroqui ex veteri Paræmia, *Nunquam Paterfamilias qui semel Scurra*.

(*f*) (*Num autem &c.*) Num inter tutissima recenseri debeat *Remedium plane divinum; Antipyreticorum omnium, quot quot excogitavit Antiquitas, aut Chymicorum solertia conflavit, facile Princeps; Febrifugum non arte repertum, sed a divina beneficientia concessum, ad male natam Febrium sobolem exterminandam; Sacrum Amarum ex Arbore vitæ decerptum, cui simile aliud optandum a commiseratione Numinum in res humanas, quod eadem securitate Febres vere Continuas sanare sit potis, ac istud sanat Periodicas*; num, inquam, Medicamentum hujusmodi *inter tutissima remedia recenseri debeat, Judicet cui cor sapit*. Nisi fortasse tussis morum nomine audiant hic ea solum Remedia inertia, & varia, quæ nihil agunt: quæquæ tantum ostentant magnificentiam, & pretium. Scilicet apud Magnates vel in ipsis remediis latet adulatio. Pernicioſa profecto hujusmodi dogmata (ut universim loquar) affectatæ circumspectionis, & vigilantiæ plena, quibus ad captandam principum benevolentiam, usi sunt omni tempore Aulici præsertim Medici, non sine aliquo ipsorum quoque Principum detrimento, replevere jam superstitionibus Aulas quamplurimas: non hanc quidem, ubi decora tantum Majestatis custodia, sed excessus nullus. Nimirum communiter male audit, quod Medicus Aulicus accedat ad morbos immediato, diuturno, intimoque contactu vix communicabiles, ut ad Febrem mali moris, Scabiem, Variolas, Morbillos, & hujusmodi; ne scilicet illæsus ipse, morbi tamen effluvia, quasi semina in vesti-

mentis fuscepta, in Aulam deportet, perinde ac si in Xenodochiis vera peste Infectorum noctu æque, ac interdiu assidue ministraret, conviveret, ac obdormiret; cum tamen securitate domi suæ, & familiares, & Liberos illotis persæpe manibus contrectet, osculetur, & amplexetur innoxie: a quibus procul dubio caveret amplexibus, nisi vacuitatem aereārum hujusmodi circumspectionum didicisset expertus. Cautela, quæ ad summum devenit subtilitatis, plerumque noxia. Hinc fit, ut in Constitutionibus Epidemicis nonnumquam grassantibus Medicus Aulicus, ut ut doctus, sed tantum ex Libris, si præ scrupulositatibus hisce a morbis communibus invisendis abstineat, cum neque signa diagnostica, neque prognostica, neque remedia ipsa callere queat illius Constitutionis peculiaria, ad curandos eosdem morbos, si forte in Aulam irrepserint, plane ineptus evadat, in incertum denuo Tyronem conversus. Populares morbi Magnum fecere Hippocratem, quæsitum Regibus, & Posteris admirabilem. Sed caveam, ne longe nimis ab instituto excurrat calamus.

Ut ergo ad *Remedia tutissima* redeam, si ab illorum censu excludat Peruvianum Corticem Cl. Auctor, necesse erit remediis tantum usualibus, & quotidie obviis, iis præsertim, quæ in Veterum monumentis extant, quippe tutissimis (etenim *qui veteri utuntur Vino Sapientes putat* ex Plauto) periodicas aggredi Magnatum Febres. Statim itaque in usum vocanda erunt celeberrima duo (neque enim alia peculiariter usurpari legimus a Viro Cl. in suis Operibus) & usitatissima Artis præsidia; Venæ sectio videlicet, ac Purgatio, vel horum saltem alterutrum; ut his præmissis, Specificorum dein Febrifugorum usus ab Antiquis celebratorum, quorum plurima, si arte facta sint, ex Mercurio, aut Antimonio erunt parata, minime vero Peruviani Corticis, quippe parum tuti, sensim succedat. At bone Deus, *Tutissima erunt Remedia* in Febribus, præsertim intervallatis, Venæ sectio, & Purgatio, quæ & vires dejiciunt, & spiritus dissipant, & humores perturbant, & Venas exhauriunt, nisi summa cautione usurpentur, ut cæteroqui a prudentibus Medicis solent usurpari; & tutus non erit debita circumspectione adhibitus, qui vires non dejecit, qui spiritus non fatigat, qui humores non perturbat, qui Venas non exhaurit, sed ex Cl. quoque Auctore Ægrum *recreat*, *& instaurat* Peruvianus Cortex? Id sane non aliud est, nisi nobismeptipsis effingere Spectra, & pueriles metus incutere.

Nam veluti pueri trepidant, atque omnia cæcis
In tenebris metuunt: sic nos in luce timemus
Interdum, nihilo quæ sunt metuenda magis, quam
Quæ pueri in tenebris pavitant, fugiuntque futura.

Hæc tamen Lucretii neutiquam congruunt Viro Cl. qui alias minime trepidanter purgationi, & Venæ sectioni, utpote remediis minus tutis, tutissimum Peruviani Corticis antepositi præsidium. Hic ergo ipse sibi responsionem adornet, ne præfervide forsitan quis me locutum arbitretur. Adeamus itaque rursus pag. 101. Orat. Jatrici Argumenti, & videamus, an tutius putet ille, ad Febres, *quæ de Intermittentium familia sunt*, curandas, uti Methodo ante hanc recepta, an potius Peruviano Cortice. Inquit igitur de Chi-na China verba faciens; & inquit tam apposite, ut minime tædio futurum sit, alibi transcriptum huc denuo summatim transferre: tanti enim Viri eflata etiam repetita placebunt. *E singulari hujus remedii præstantia id beneficii fuimus assecuti, ut non amplius unica methodo Febres omnes curentur, continuato scilicet refrigerantium, & humectantium usu, tot repetitis Venæ sectionibus, tot iteratis Purgationibus, quæ humani corporis machinam potius infirment, quam confirment; sed illæ tantum Febres, quæ de Intermittentium familia sunt, Pulveris exigui hausto in vino soluti, aut compressæ quiescant, aut etiam penitus aboleantur.* Num ergo *inter tutissima Remedia* Principibus exhibenda, in concursu cæterorum, ac præsertim Venæ Sectionis, & Purgationis, *recenseri debeat*, ex ipsius Cl. Auctoris decreto, *Peruvianus Cortex*, iterum *Judicet, sui cor sapit.*

§. XII.

§. XII.

EX *nuperis Ephemeridibus* hebdomadariis, pro curioſorum pabulo ad nos deferri ſolicitis, accepimus in Regia Perſona pertentatum fuiſſe Corticis Peruviani uſum, ſed non multa Medicorum laude & fortuna, in caſu intermittentis febris, ut reor, cum illius non expreſſa fuerit mentio, fugata enim, ſeu ſopita febris prohiberi non potuit, quin rediret, continuato licet ad prophylaxim Febrifugi uſu, at id forſan pro Regiæ Majeſtatis beneficio accipiendum, ut febris hiſtoriam ſuam perfecte abſolveret.

(*Ex nuperis Ephemeridibus &c.*) Ephemerides hebdomadarias non vacat legere: propterea quo tendant hæc ſpicula, obſcurum mihi. Qui præſcripſit Corticem, repellat ictum, ſi operæ pretium putet: ſi ſecus, negligat. Rumores iſtiuſmodi, re bene perſpecta plerumque vacui, Invictiſſimum certe Galliarum Regem LUDOVICUM XIV. nuperrime extinctum, & China China, ut fertur, valde familiariter utentem dum viveret, neutiquam terruere.

§. XIII.

TUtiorem ergo uſum habet hoc antifebrile in populari gente, (*a*) *quæ ex manuariis operibus* vivit, quales ſunt Artifices continuis laboribus exerciti, quibus cum non vacet diu in lectulis ægrotare, ſuam ſi velint alere familiam, propinare licet potionem hanc febrifugam, (*b*) *etiam ab initio*, paucis præmiſſis, ad conſuetos enim labores redeundo, congeſtos humores, & ſi quid noxæ Febrifugum affixerit, ſudore diſcutiunt. Hoc itidem dicendum de Mulieribus operoſis, & quales ſunt, quæ ſervili operi ſunt addictæ, uti lotrices, textrices, & aliæ hujuſmodi. (*c*) *Gravidis* quoque mulieribus, ſicubi a febre tertiana, ſeu quartana corripiantur, facta aliqua levi purgatione, ſcilicet etiam V. S. lubenter remedium hoc præſcribi poterit, & cum beneficio, præſertim in poſtremis graviditatis Menſibus, prævalet enim metus, ne concuſſio illa, quæ in febribus periodicis, & præſertim quartanis contigit, fœtum cum Matris periculo poſſit excutere, quod ſi ex China China præjudicium aliquod ſubſequi poſſit, remedio futuram uterinam proluviem, quæ partum conſequitur.

(*a*) (*Quæ ex manuariis operibus &c.*) Poſtquam per Varios Virorum, & Mulierum ordines vagatus eſt Cl. Auctor, nondum quemquam Cortici Peruviano impune potando aptum dignoſcens; reperit tandem ex infima Plebe nonnullos, in quibus ille tutiorem uſum poſſit habere, in iis nempe, *qui ex manuariis operibus victitant*. Mirum profecto, quod Viri Cl. animadverſiones ſubterfugerit paſſim obvia Gens Recutita; cum neſcio quid peculiare inſit huic populo, ſive victum conſideremus, ſive genus ipſum Vitæ, in activæ, in illis ſedentariæ, & plerumque citra manuarii operis exercitium. Id ſi forte addidiſſet, ut facile poterat, non aliud defuiſſet in poſterum ad complendos Annales, niſi tandem inveſtigare, quid præſtet hoc Antifebrile in Ægyptiis apud nos identidem irrequieto pede circumvagantibus.

(*b*) (*Etiam ab initio &c.*) Scrupuloſiſſimus alibi Cl. Auctor, hoc tamen loco Peruviano Cortici præter inſtitutum favens. Quæſtionem non parvi ponderis duobus tantum verbis li-

beraliter abſolvit : quam quæſtionem , agens ego de vulgaribus Intermittentibus , toto ferme Capite 8. Libri primi ; agens vero de Subcontinuis in celerem malignitatem pronis , toto pariter Capite 5. Libri quarti nonniſi hæſitanter ſum auſus reſolvere ; nempe , *Nun in hujuſmodi Febrium principio Chinam Chinam liceat exhibere* . Certe hic videtur oblitus noſter Auctor eorum , quæ paulo ante ſancivit §. 8. ad leges *ſanioris* Methodi ſuæ : cumque illi antea Culices hæſiſſent in Cribro, modo Camelum illinc *tranſmitti* facile patitur . Cum enim ibidem docuerit , præſcribendam eſſe Chinam Chinam *ad drachmam unam , vel duas* in Febribus , tunc ſolum *quando nimis protractæ Ægros fatigant , ut aliquot dierum induciis impetratis . Æger recreatur , ſine ſpe , imo cum certitudine Febrem redituram* : modo recedens a lege , quam poſuit , vult , Plebem , *quæ ex manuariis operibus vivit , cujuſmodi ſunt Artifices , quibus non vacat diu in lectulis ægrotare , curari poſſe propinata potione febrifuga Peruviani Corticis , etiam ab initio morbi , ſuam ut poſſint alere familiam* . Sed niſi ſtatim poſt Febrem una , vel altera Corticis drachma ſuppreſſam , incerto pede , nutante greſſu , a lectulis ipſis ad Officinas migrent (quod difficile , ac periculoſum ſimul) poſt aliquot autem dies pro voto Viri Cl. revertatur Febris , ad conſuetos profecto labores non admodum feſtinanter redibunt . Si vero tempeſtive redeant , totque , & tanta , quæ ex hujuſce Febrifugi uſu ſecundum Virum Cl. imminent pericula , ut *Cachexiæ , Obſtructiones , & hydropes* , avertuntur tam facile mediantibus laboribus , & exercitiis , ad quæ ipſimet denuo redeunt Artifices ; cur non poterit idem effectus obtineri , ſi poſt propinatum idem Febrifugum , & Febrem depulſam , Civibus quoque , Nobilibus , & Principibus , luſum Pilæ , Choreas , Equitationem , Venationem &c. auctoritate Artis imperemus? Hos puto labores , tanto etiam penſatos fœnore , multo libentius ſubibunt Potentes , quam diros , & diuturnos labores Febrium . Nec cæteroqui putarim expedire abſolute , quod avidis forſan , ſi qui ſint , expediret Pharmacopolis , Febres nempe Divitum diutius durare , quam Pauperum , ut illis ſcilicet *annus fiat quæſtuoſior* .

(c) (*Gravidis &c.*) Facilem quoque ſe præbet Cl. Auctor in exhibendo Gravidis Mulieribus Peruviano Cortice ; & quidem recte : atque adhuc rectius , ſi abſque prævia ſaltem *Purgatione* exhiberet . Sed hic inſurgit difficultas non contemnenda (fatum nempe quoddam illius eſt , ut in contradictionem aliquam vel dicti , vel facti adeo frequenter impingat) ſi enim ex una parte China China *poſtremis præſertim* , ut ait , *geſtationis menſibus* offeratur ; *habeat autem* ex alia parte eadem *Quinquina facultatem figentem* , ut ille §. 41. *pro re certa ſupponit , motumque ſanguinis compeſcat , fluida quæque in noſtris corporibus cogat , omneſque evacuationes per ſe , & non per accidens ſupprimat* ; qua ratione *præjudicio , quod ex China China ſubſequi poſſet , futura erit remedio* , ut hic aſſeritur , *uterina proluvies* , quæ partum amplius (hoc Febrifugo humores quoſque *figente* , & quaſvis evacuationes *ſupprimente*) non poterit conſequi ? Heu quot in Scopulos agimur , cum a cognita nobis veritate ſponte deflectimus !

§. XIV.

CUm autem varia , ac diverſa ſint hominum temperamenta , & corporis habitus , varios , ac diverſos effectus operatur China China . (a) *In temperamentis melancholicis* graviores noxas parere obſervavi , humor enim atrabilaris ferox eſt , nec tam facile auſcultat remedio febrifugo , licet ab initio primarius uſus Chinæ Chinæ in febribus quartanis ſibi famam , & nomen comparavit , aut ſi paululum febrem infringat , non multo poſt ferocior caput exerat . (b) *In temperamento quoque pituitoſo* ſuſpectus eſt Chinæ Chinæ uſus , & quamvis paroxyſmi febriles in febribus ſpuriis poſt longum uſum Chinæ Chinæ conquieſcant , prolixior eſt reſtitutio ad priorem ſanitatis ſtatum , craſſi enim & pituitoſi humores poſt hujuſce remedii uſum fixores fiunt , & minus difflabiles ; homines corpulentos , & præpingues ſenſim cachecticos factos ex uſu febrifugi , ac tandem (c) *longum poſt tempus* obiiſſe obſervavi ; (d) *licet aliæ* culparentur cauſæ .

(a) (*In Temperamentis &c.*) QUod de Temperamentorum diverſitate , de humoris Atrabilaris ferocia &c. profert hic , & in ſubſequentibus prolaturus eſt Cl. Auctor , ea præſertim , qua utitur male ſonante Recentiorum auribus ſe explicandi forma , ejus dignitatis ratione habita dictum nollem : ſic enim loqui Medici eo vix tempore conſueverunt , quo illis barba femoralibus erat prolixior .

Atque

Atque ſupercilio brevior coma ----

Jamque mihi videor quempiam audire a Viro Cl. vel a ſuperſtite ſaltem illius Minerva ſciſcitantem, cujuſnam ſpeciei, aut differentiæ ſit *ferox iſte humor atrabilaris*, an ſcilicet ex *Melancholia naturali putrefacta, & exuſta*, *an ex flava bile torrefacta, & in cinerem redacta progenitus*, poſtquam ei placuit per obſoleta hæc nomina, quaſi per imaginaria quædam Veterum formidamina terrere ignarum vulgum. Ego vero, qui hujuſmodi nomenclaturam retinui in Febribus, *Atrabilaribus* a me vocitatis, ſignificatione licet longe diverſa, ut ſcilicet ſolis Antiquiorum terminis me accommodarem, non rei, quemadmodum & terminis, & ipſi rei fictitiæ hic ſe accommodat Cl. Auctor; ego inquam, datis illi omnibus hiſce commentis, ſciſcitarer potius quid intelligat, aut ab aliis velit intelligi per hæc, quæ in præſenti Paragrapho, & alibi ſcripſit idem Vir Cl. fateor enim, me ab hoc Labyrintho neſcire tam facile memet ipſum extricare. Nimirum inquit ille, *In Temperamento Melancholico Chinam Chinam graviores, ac altbi noxas parere, quia humor atrabilaris* (qui pro cauſa Quartanæ Febris manifeſte hic aſtruitur) *ferox eſt, nec tam facile auſcultat remedio Febrifugo, licet ab initio primarius uſus illius in Febribus Quartanis ſibi famam, & nomen comparavit: aut ſi paulum Febrem infringat, illa tamen non multo poſt ferocior caput exerit.*

Tot contradictiones propemodum quot ſyllabas continet hæc Viri Cl. brevis aſſertio. Primo namque per hanc aperte ſupponit ille cum Antiquis, ut annotavimus, fictitium humorem illum atrabilarem, in corpore univerſo prædominantem, eſſe Cauſam Quartanæ Febris. At §. 46. ſtatuit omnino, ſecundum Ettmullerum, alioſque recentiores, *Febres Intermittentes pendere a ſalſo acido Fermento exiſtente intra ventriculum*. An forte intelligendus etiamnum per hoc Fermentum humor atrabilaris, aut melancholicus per vas breve a Liene ad Stomachum inverſo motu tranſmiſſus? Nugæ, Somnia. Secundo clare aſſerit, Chinam Chinam noxas parere in caſibus ſupra recenſitis, eo quod idem *humor atrabilaris non facile auſcultat remedio Febrifugo*, quaſi Quartanæ Febres conſueſcant eludere actionem Peruviani Corticis, cum tamen ſit vel ipſis Mulierculis notum, eas de more hujuſmodi remedio perpetuo vinci, ac edomari. Septem ego Ægrotos (nec enim inviſi plures) Quartana laborantes prægreſſa Hyeme feliciſſime curavi ſolius Corticis ope, quorum duos tantum Febris rurſus corripuit, priuſquam plane dimitteret, reliquis ſtatim perfecte convaleſcentibus, robuſtis, ac pinguioribus redditis: quos inter peculiari mentione dignus eſt Co: Johannes Andreas Valentinus, e citrino, fere dixerim, Sceleto in carnoſum paulo poſt, & bene coloratum Athelam converſus. Sed demus, humorem atrabilarem, qui pro cauſa Quartanæ hic habetur a Viro Cl., vere *non auſcultare remedio Febrifugo*. An proinde dicetur ab eo noxam parere ipſum Febrifugum? Nonne §. 40., & 41. illi tribuit Auctor Cl. *facultatem figentem*, qua toſ. noxas ibidem inferre dicitur? Quam ergo noxam inferet, ubi humor, qui figi deberet, *eidem non auſcultat*? Inſuper ſi hoc ipſum *non auſcultare Febrifugo* in boniſ habetur §. 16., ubi tutior aſſeritur illius uſus in Temperamentis, & Febribus bilioſis, præciſe per hoc, quod *bilioſus humor non ſe patiatur adſtringi vinculis ejuſdem Febrifugi*, cur in malis habebitur, quod iiſdem vinculis non ſe patiatur adſtringi humor atrabilaris in Febribus atrabilaribus? Tertio tandem concludit Vir Cl., noxam graviorem inferri a Peruviano Cortice, quia *etiamſi paululum Febrem infringat, ea nihilominus non multo poſt ferocior caput exerat*. Aſt ſi de *ſimplici* Febris reditu ſit ſermo, nonne ex §. 25. *Optandum eſſet, ut Febris in apertam flammam erumperet, poſtquam Æger ad aliquot dies ſilente Febre roboris remedii loco eſſet?* Et ex §. 27. nonne *Medici a China China eluduntur interdum, Febre amplius non redeunte?* Si vero ſit ſermo de reditu ipſius Febris, ſed *fortiore*, velut de graviore noxa, nonne ex ipſa nuncupatoria Epiſtola lit. d. *Sæpe Medico in votis eſt Febrem repetere, ſed fortiorem, ut tollantur noxæ, quas China ob Febris extinctionem invexit?* Et §. 27. nuper citato, nonne *Rem felicitus ceſſiſſe annotavit, quibus Febris denuo caput erexit etiam ferocior, quam quibus Febris viſa eſt prorſus extincta, & obliterata, ſeu parva ſubſecuta?* Infelix China China, quid tibi agendum, *ſananti* & *non ſananti* æque rejectæ, *redeuntibus*, & *non redeuntibus* Febribus iiſque vel *levibus*, vel *ferocibus* æque proſcriptæ?

(*b*) (*In Temperamento quoque pituitoſo &c.*) Hic quoque loquendo de Temperamento pituitoſo, Febres ſtatim ſpurias in medium adducit Cl. Auctor, quaſi ab humore *pituitoſo*, & *craſſo* pendentes, non vero a *Salſo-acido Fermento Ventriculi*, ut ex profeſſo autumat §. 46. Confundit pariter & hic, unumque, & eumdem efficit humorem in Temperamento prædominantem, & humores Febres Intermittentes producentem; cuilibet nimirum Temperamento ſuam Febrim correſpondentem aſſignans, & cuilibet Febri, Antiquorum more, ſuum humorem: quæ omnia jam ſunt e Scholis exſibilata, & exploſa. Hiſce tenebris involutus, mirum profecto, quam clare introſpiciat Cauſas phyſicas effectuum, quos nondum in rerum natura obſervavit quiſquam, dum rationes omnium malorum aſſignat, quorum nulla in pituoſis Temperamentis, aut Febribus comperiunt alii, a China China illatorum. Sed audiamus, quæ probationis loco in ſequentibus eſt allaturus.

(*c*) (*Longum poſt tempus &c.*) Longum poſt tempus obeunt & Pingues, & Macilenti, obeuntque China China curati, & non curati, Medicis utentes, & non utentes. Fieri ve-

ro *Cachecticos ex uſu hujuſce Febrifugi* eoſdem *Præpingues*, *& corpulentos homines*, mihi certe non obſervatum; potius enim oppoſitum compertum habui. Et ne videar gratis refellere quod plane gratis aſſeritur, vere præpingues, ac corpulentos homines, tam Mares, quam Fœminas, plurimis retro annis China China curatos, curataſque, *cum facili reſtitutione ad priorem ſanitatis ſtatum*, & in hanc uſque diem inculpata valetudine utentes, vide Lector in Therapeutice mea pag. 79. hiſt. 6. pag. 80. hiſtoria 9. pag. 185. hiſtoria 5. pag. 195. hiſtoria 7. pag. 198. hiſtoria 9. pag. 207. hiſt. 1. &c. Adde recenſ curatos ope Corticis, & quidem de Vita quam maxime periclitantes (numerum enim pinguium Hominum ex vulgaribus Intermittentibus feliciſſime ſanatorum quis meminit?) corpulentos, ac ætate provectos, D. D. Johannem Baptiſtam de Carandinis, Paulum Æmilium de Bignardis, & Antonium de Zanellis, Viros huic Urbi plurimis nominibus notos: quos omnes, ut & alios ſupra recenſitos, ferme quotidie ſanos, ac robuſtos intueor; poteſtque intueri, & audire quilibet alius, cui grave non ſit ſolutionem oppoſitionis Viri Cl. ex viva illorum voce repetere. Quod ſi eos, qui maturo jam Fato deceſſerunt e vivis, memorare liceret, pinguiſſimus certo omnium hujus Urbis erat Æger pag. 86. hiſtoria 18. deſcriptus, annoque 1678. (curante illum Præceptore meo colendæ memoriæ) per accidens China China oblata ſervatus: pinguiſque pariter, ac corpulenta erat Ægra octogenaria pag. 210. hiſtoria 4. relata. Sed hos, alioſque omnes, etſi vel longævum ſimpliciter, vel diutinum ab epota China China vitæ ſtadium emenſos, *tandem longum poſt tempus obituros*, jam divinavit Cl. Auctor.

(*d*) (*Licet aliæ &c.*) Quicumque dicuntur eſſe *præpingues* iſti *homines* innominati (quorum nempe ſaltem nomen a Viro Cl. indicatum optaſſem, quemadmodum nomina ſimul & hiſtorias Sanatorum ipſe indicavi, tum in Therapeut., tum in hiſce Reſponſionibus meis) quicumque inquam eſſe dicantur imaginarii iſti Ægrotantes, indefinita tantum, & cuique arbitraria hic enuntiatione prolati, qui *ex uſu hujus febrifugi ſenſim cachectici facti*, *longum poſt tempus obierint*, poſito quod illius infortunii *aliæ*, *ut inquit*, *culparentur Cauſæ*, unde habet Cl. Auctor, certe culpandam fuiſſe *longum* illud *poſt tempus* Chinam Chinam, minime vero cauſas eaſdem forſitan evidentes? Si ab ingurgitatione fructuum horariorum ſuccedat Diarrhæa, num culpandum potius, quam fructus recens comeſti, epotum ter, aut quater ante biennium, vel triennium Cocolate? ita & qui moritur *longo* poſt Chinam Chinam aſſumptam *tempore*, aliis licet exiſtentibus proximis interitus cauſis, annue ob eam olim cum juvamine aſſumptam mortuus dicendus erit, quaſi hoc Pharmacum ſit Pomum Adami, quo cæteroqui non deglutito homines ſint æviterni.

§. XV.

(*a*) NOn *paucos* hic memorare poſſem Mutinæ mihi obſervatos, in quibus hanc principalem cauſam credidi extinctam fuiſſe intempeſtive febrem; (*b*) *verum noxa* hujus Febrifugi tanto pernicioſior eſt, quanto occultior, cum enim ægri ab illius uſu, non autem Naturæ beneficio evaluerint, ſi poſtea poſt aliquod tempus in morbos recidant, creditur a Medicis ab aliis cauſis prognatum morbum.

(*a*) (*Non paucos &c.*) NOn paucos Mutinæ ſibi obſervatos, quos memorare poſſet, non memorat Vir Cl., & quidem conſulte, nam quos alicubi memorat, non raro illum juviſſet ſubticuiſſe, ut in decurſu videbimus. Quod ſi nomina ſupprimat, eo quod fuerint ab ipſo *potionati*, tunc forſan cum *Chinam Chinam habuit in magno pretio*, ut ſupra §. 3., *affectuque ſuo in eam nimis effuſe ferebatur*, ut infra §. 18., ſintque idcirco de eorum numero, pro quorum curatione *illum pœnituerit*, *hoc remedio ſe uſum fuiſſe*, ut §. 27., ſciat, Chinam Chinam fuiſſe inſontem, & ſuo munere bene functam, dum Febrem ſuſtulit; ipſum autem erraſſe in præſcriptione, ſi malorum *hanc principalem cauſam credidit*, *extinctam fuiſſe intempeſtive Febrem*; quod idem eſt ac dicere, oblatam fuiſſe *intempeſtive* Chinam Chinam. Sed hoc perperam patratum quis negat? His non obſtantibus, ego Febrifugum hoc a Barbitonſoribus, Pharmacopolis, imo & Medicis haud multum circumſpectis, non ſemel minus opportune (ut mihi tunc viſum ſine ulla, neque tum, neque mox ſuborta noxa, oblatum novi; cum videlicet Fermentum Febrile, utut præmature forſitan, & ut ita dicam in ſtatu ſuæ cruditatis a Febrifugo abſorptum, ſubinde tamen potuerit expelli, aut diſcuti, priuſquam rurſus exal-

exaltaretur : quemadmodum probabiliter, & quidem facilius, vel expellitur, vel discutitur, vel perfecte subigitur, cum tempestive offertur idem Remedium. Nihilominus illud ego semper inopportune saltem usurpatum suspicor, idque ipsum in Opere meo profero ubique; quotiescumque vel vitæ imminens, certumque periculum non adsit, ut in Febribus *Intermittentibus Pernicioſis*, vel probabiliſſimum, ut in *Subcontinuis Malignantibus*, vel denique nisi corruptivæ naturæ indicia certa sint in *Vulgaribus Intermittentibus*, quas utplurimum, nisi valde diuturnæ fuerint, pro *Depurativis* habeo, vel tales nonnumquam evasuras spero. Quo ad hanc ergo intempestivam Febris extinctionem, ne actum agam, me refero ad ea, quæ supra dixi in Animadversionibas ad Epistolam Nuncupatoriam, lit. d. & in Responsionibus ad §. 1. pariter lit. d. & alibi.

(*b*) (*Verum noxa &c.*) Noxa hujus Febrifugi, iterum repeto, nulla est; ex se enim Febrem submovet, quod ex se pariter bonum. Si malum aliquod nonnumquam sit subsecutum (quod non repugnat) ob tempus inopportunum, quo Febris *præmature* suppressa fuerit, expectanda erat opportunitas oblationis, nullaque fuisset *noxa* Febrifugi, quamvis eadem fuisset illius actio in corpus Ægrotantis. Sed jam æquivocatio isthæc pluries sublata, eo turpior est, quo patentior, & crebrior. Cum vero ex istiusmodi æquivocationis repetito abusu gratis omnino affigatur Chinæ Chinæ beneficæ qualitas quædam *pernicialis*, ratione cujus in contextu imputatur illi quilibet *novus morbus ab aliis causis, longe postquam ejus beneficio Ægri evaluerint, prognatus*: adeoque cum a Cl. Auctore sustineatur mordicus, cavendum esse ab eadem China China, statim licet juvante, quippe tractu temporis nocitura; æque gratis quis posset asserere, tum quod Salsæ parillæ V. G. insit *occulta noxa*, qua homini in Febrem, aliumve morbum delapso, detrimentum attulerit; postquam hic *ab illius usu, non autem Naturæ beneficio evaluerit* a Lue Celtica; tum quod veneno cuipiam vis insit balsamica, postquam eo per sua Antidota tempestive debellato, prosperam nonnemo valetudinem fuerit subinde sortitus. Ut ego ad Chinam Chinam redeam: *Proba est*, dicam, *materia, si probus illam adhibeat Artifex.*

§. XVI.

(*a*) IN *temperamento bilioso* securior forsan Peruviani Febrifugi usus, bilis enim humor subtilis, & facilis motus, non tam arctis vinculis adstringi se patitur, ut propriis viribus se non expediat. (*b*) *Tempus quoque*, regiones, & annorum constitutiones observandæ; æstivo tempore felicius, seu minori damno exhibetur hoc remedium, & sub finem Autumni, hyemali parum fausto successu, per totam enim hyemem fatigantur ægri, nec nisi ad primum veris accessum liberantur. Hoc idem evenit in regionibus humidis, ubi aer crassus, & humidus, magis, quam in siccis quæ puriori aere gaudent, quales sunt Civitates Montibus proximæ, sive Montanæ.

(*a*) (*In temperamento &c.*) REditum facimus ad consuetas contradictiones, seu potius ab iisdem numquam recedimus. *In temperamento bilioso securior reputatur* a Cl. Auctore *Peruviani Febrifugi usus, quia bilis ab eo non tam arctis vinculis adstringi se patitur, ut propriis viribus se non expediat*. Hic ergo bilis supponitur Causa Febris alicujus Intermittentis, puta Tertianæ, cum tamen §. 46. hujusmodi opinio ab eo rejiciatur his verbis -- *Neque novum Intermittentes Febres Æstate pervagantes pendere a Salso acido Fermento, licet utplurimum opinio sit; a luxuriante bile progigni*. Sed pergamus. Cur quæso modo tutum est, quod humor biliosus *non sinat se adstringi vinculis Chinæ Chinæ*, si noxium nuper erat §. 14. quod iisdem vinculis se adstringi non sineret, seu quod hujusmodi *Febrifugo non auscultaret* humor Atrabilaris? Forsan quia bonum est, flavam bilem non figi, Febrimque ab ea pendentem minime infringi? At malum erat, interque *noxas Corticis graviores* numerabatur, non figi bilem atram, nec infringi Febrem ab ea pendentem. An denique tutius est modo, *ut propriis viribus se expediat* febrilis humor, quia ex §. 25. & 27. *optandus est remedii loco reditus Febris* a China China fugaræ; imo reditus Febris *fortioris*, ac *ferocioris*, ut ex eodem §. 27. & ex ipsa nuncupatoria Epistola? At nulla major noxa recensetur §. 14. a Peruviano Cortice illata, quam quod Febris paululum enervata, aut ad aliquod tempus depulsa, *denuo ferocior exerat caput*. Quidnam igitur inter hæc omnia bonum est, quidnam malum? Certe tota hæc Dissertatio nonnisi acervus contradictionum videtur.

(*b*) (*Tem-*

(*b*) *Tempus quoque &c.*) Expectabam hoc insuper, ut scilicet dilucidaretur a Viro Cl. an tutius sit exhibere Peruvianum Corticem crescente, an decrescente Luna, die Martis, an die Veneris &c. Sed non vacat amplius minutiora hæc, utilia, & vana singillatim persequi. Et quoniam adversus auctoritatem illius haud satis videntur posse experimenta mea, meæque ratiunculæ, illam demum pro me refellat, deleatque æqualis auctoritas. Ex ipso itaque tandem Bove lora sumamus. Idem nempe Vir Cl. una Periodo sua sibi responsum faciat : pensetque prolixiores, quæ occurrerent animadversiones, repetita quidem, sed pressior illius confessio, tum paulo supra, tum in notæ jam *Collationis* textibus etiam allata litteris E. F. G. videlicet. *Peruvianus Cortex nobis a divina beneficentia munus concessum, in qualibet Regione, quocumque anni tempore, ætate, sexu, temperamento, Febres saltem recurrentes, atque intervallatas fugat, & exterminat*. Ita ante sexennium Cl. Ramazzinus

Ipse sibi Judex, & Reus ipse sibi.

§. XVII.

Curiosum porro est quod in Constitutionibus meis Mutinensibus annotavi, nam cum anno 1690. in australina, & pluviosa tempestate a veris principio per totam æstatem campestris regio infra Mutinam Padum versus aquis exundaret, quam ob causam pessum ivere fruges cujuscumque generis, Rustici fere omnes eodem tempore ex tertianis febribus intermittentibus decumbebant, observatum est in illis, quibus fuit administrata China China, infeliciter cessisse illius usum, tardius enim convaluere, quam ii qui soli Naturæ negotio commisso citius ad Agrorum culturam rediere ; sequenti vero anno vagante urbana Epidemia tertianarum febrium in constitutione valde sicca, & æstate præfervida Cortex Peruvianus in usum adhibitus, honorem, & famam, quam priori anno amiserat, visus est recuperasse.

(*Curiosum porro &c.*) Huic Paragrapho, partim pro usu Chinæ Chinæ, partim pro illius omissione militanti, non aliud reponam, nisi quod Autumnali tempestate anni 1714. nuper elapsi, inter omnes, quas meminerim, summe pluviosa, vixque integram ob id seminum, segetumve sationem permittente, æque felicem, & æque certum illius usum comperi (eam siquidem ad multiplicis generis Febres sæpius præscripsi) ac quavis sicca, & suda tempestate. Quod si in *Rusticis* anno 1690. observavit oppositum Cl. Auctor ; me vel tunc hujusmodi diversitatem saltem in *Civibus*, non observasse sum conscius : quemadmodum plura alia, quæ de Constitutionibus eorum temporum ipse conscripsit, haud semper cohæsisse memini observationibus meis, etsi præ multitudine Ægrotantium, quos invisebam quotidie (*Urbi nota loquor*) longe major mihi, quam illi obtigerit opportunitas despiciendi, quæ generaliter, quæ peculiariter in iis morbis acciderent. Profecto hujusce Febrifugi actionem semper ego uniformem deprehendi ; efficacem scilicet semper in iis omnibus febribus, in quibus revera convenit ; in iis, in quibus non convenit, semper inefficacem. Qui propterea nullos unquam Medicos audire consuevi dicentes -- *Hoc anno longe melius, ac prægressit purgat Senna, aperit Chalybs, Alchermes roborat, attenuat Salsa*, rideo quoties eorum nonnullos audio identidem exclamantes. *Vere hoc anno mirabilis est Peruvianus Cortex, proficuusque longe magis, ac annis elapsis* ; hujusmodi enim assertio, ex observata forsitan illis eventus diversitate procedens, infirmam, & cæspitantem eorum praxim accusat ; quippe quæ ex eo solum oritur, quod cum satis non distinguant ab invicem febres Cortice curabiles ab aliis Cortice non curabilibus, aliquam tamen vicissim similitudinem allucinationum Matrem habentibus : quotiescumque regnant universaliter febres Cortici suapte natura obsequentes, alius vero generis ferme nullæ, in earum medelam uno Cortice indiscriminatim adhibito fortuito impingunt, & remedium eo anno *Mirabile* prædicant, quoties vero diversæ intrinsecus inter se febres vagantur, aliquam licet symboleitatem primo aspectu præ se ferentes, easque omnes sine delectu curare satagunt eodem Febrifugo, res male cadit, & Chinam Chinam eo anno ut *Maleficam*, vel saltem sæpius *Inutilem*, summa quidem injuria, criminantur ; haud secus ac olim Vetula cæcutiens fortuito casum passa, suæ domus, non sui visus obscuritatem execrabatur.

§. XVIII.

OBſervationes iſtæ quas memoravi, (*a*) *multorum annorum* ſunt fructus, & longævitatis a Divina Beneficentia mihi conceſſæ; hæ affectum, quo a principio in Peruvianum Corticem nimis effuſe ferebar, paulatim attemperarunt, & varium, ac ſuſpenſum in hujus remedii adminiſtratione reddidere: ſummatim igitur hoc Febrifugi genus apud me tanti non eſt pro febribus intermittentibus curandis, (*b*) *ut Medicina* æque bene hoc præſidii genere carere non poſſet, (*c*) *& Veterum Febrifugis*, quæ ſi non eam cito, tutius tamen operantur, febrium cauſam extenuando, (*d*) *& ſenſim exantlando*, non poſſet eſſe contenta, (*e*) *qui veteri utuntur vino ſapientes puto*, ajebat Plautus in Caſina.

(*a*) (*Medicorum annorum &c.*) QUot annorum ſint fructus ſingillatim quatuor opiniones alterne oppoſitæ, quæ Cl. Auctorem *varium*, ac inconſtantem *reddidere in adminiſtratione Peruviani Corticis*, oſtendit ſupputatio a me facta §. 3. ex qua infertur aperte, confuſam hanc, & indigeſtam obſervationum Chinæ Chinæ infenſarum reminiſcentiam (nullas enim, aut fere nullas recentes tam brevi, ſibique tam inopportuno tempore potuit ille inſtituere) initium ſumpſiſſe ab editione Tractatus mei, paucorumque proinde menſium ſobolem plane abortivam fuiſſe. Etenim ſi anno 1712. de Contagioſa agens ille Boum Epidemia argumentum ipſum meum ex præmiſſa ejuſdem Tractatus Synopſis mea eluceſcens, ſibi ferme adoptavit, ut patet ex Textu *in Collatione* tranſcripto lit. H. edito autem immediate poſt a me anno eodem 1712. ipſo Tractatu, tam repente ſententiam mutavit, ut ſubſequente ſtatim anno 1713. Diſſertationem hanc Criticam e diametro oppoſitam ſcripſerit (quod deducitur ex Paragrapho 37. obitum Comitis Torricini; qui eo ipſo tempore contigit, connotante, quamvis in annum 1714. protracta fuerit ejuſdem Diſſertationis editio) ſatis conſtat, fallacium hujuſmodi obſervationum reminiſcentiam paucorum tantummodo menſium, non *multorum annorum fructum* extitiſſe, obliterata illico penitus, vel ſaltem neglecta favorabilium omnium, quæ antea ſcripſerat, memoria. Niſi hanc Camerinam moviſſet Vir Cl. neque ego in damna illius moviſſem fortaſſis. *Suo igitur ipſius indicio periit Sorex.*

(*b*) (*Ut Medicina &c.*) Medicina olim carens hoc præſidii genere, Tertianas Perniciоſas, atque lethales a Mercato deſcriptas non ſanabat, quamvis innumera tentaret remedia: hodie feliciſſime ſanat, etiam rebus in præceps ruentibus: ſitque teſtis Urbs Mutinenſis tota. Æque bene ergo hoc præſidii genere Medicina carere non poſſet. Sed aſſerta mea Cl. Auctori nequaquam probantur: etenim inquit ille infra §. 33. *Antiquam Chinæ Chinæ nomen innoteſceret, hujuſmodi portenta viſebantur, ut in incerto eſſet, num Medicamentorum, an Fortunæ beneficio Ægri convaluiſſent*: Probata igitur erunt mihi aſſerta illius; eaque præſertim, quæ in Tertia Oratione Jatrici Argumenti proſtant a pag. 101. uſque ad 105. quorum plurima tranſcripta cum ſint in *Collatione* Textuum illius Chinæ Chinæ favorabilium, præſertim litera C. litera I. & literis K. L. M. idcirco ad evitandam prolixitatem, ea hoc omittere ſatius duxi, atque illuc Lectorem relegare.

Hunc tamen inſuper rogatum velim, ut Textum appoſitum noviſſime, tum §. 5. tum in fine §. 11. rurſus adire non renuat, ubi ait Vir Cl. -- *E ſingulari hujus remedii præſtantia, id beneficii fuimus aſſecuti &c.* Ex his enim omnibus conjiciet, illum nova, quæ hodie cernimus Medicinæ incrementa, novoſque progreſſus in explorandis Febrium, præſertim Intermittentium Cauſis, & inſtituenda meliori earum curatione, uni inventioni auſpicatiſſimæ Peruviani Corticis adſcripſiſſe: & quaſi eo reperto multa quidem, ſed non adhuc omnia expleta ſint Medicinæ vota, ſimile aliud inſuper remedium ad Febres Continuas, pro ejuſdem Medicinæ complemento, a Numinibus implorantem videbit. Quibus equidem tam manifeſte, ac per extenſum ab eodem prolatis, decernet facile quilibet cohærenter. *Hoc Febrifugi genus apud ipſum potius tanti fuiſſe pro Febribus Intermittentibus curandis, ut Medicina atque bene hoc præſidii genere carere non poſſet.* Aſt reponet ille fortaſſis, tunc illud Febrifugum, anno videlicet 1708. apud ipſum tanti fuiſſe: modo *tanti non eſſe*. Videamus ergo quanti ſaltem apud eum etiamnum ſit. Aſſerit ille §. 48. hujuſce nuperæ Diſſertationis *admittendum, & laudandum eſſe Chinæ Chinæ uſum, ad obtinendum aliquod intervallum pro virium reparatione*: aſſerit §. 22. *Corticem Peruvianum in Febribus Intermittentibus revera aliquid poſſe, quia paroxyſmos ſiſtit per aliquot dies, atque interdum etiam omnino, ut amplius non redeant*: aſſeruitque ſupra §. 4. *Admiran-*

mirandum esse, quomodo ad exiguum pulviſculum Peruviani Corticis, quomodocunque exhibitum, Febris Periodicæ furor conquieſcat, interdum etiam extinguatur; quod de quocunque alio remedio pharmaceutico non tam facile obſervatur, quod ſciat. Hæc ſunt effata Cl. Auctoris anni 1714. quæ in hac ipſa Critica illius Diſſertatione leguntur. Quomodo ergo Medicina, quæ, ipſo fatente, tot habet ab hoc uno Febrifugo, & quæ *nullum aliud habet remedium pharmaceuticum, de quo quid ſimile obſervetur, quod ſciat*, æque bene hoc præſidii genere carere poſſet?

(*c*) (*Et Veterum Febriſugis &c.*) De Peruviano Cortice, quem modo Veterum Febrifugis poſtponit immerito, ſic olim exclamavit Cl. Ramazzinus, ut in *Collatione* Textuum lit. D. *Quot ſeculis deſudarunt Artis Primores, ut Febrifugum aliquod reperirent, aut arte conflarent? Modo a Peruviana Regione Cortex ad nos defertur divinum plane remedium ad male natam Febrium ſobolem exterminandam.* Eundem Corticem alias appellavit ille, ut in citata Collatione lit. B., *Antipyreticorum omnium quotquot excogitavit Antiquitas, & Chymicorum ſolertia conflavit, facile Principem.* Tandemque de eodem cum Veterum Febrifugis comparato hæc protulit, ut in eadem Collatione lit. E. F. G. *Quamdiu a peritioribus Artis Magiſtris inſudatum eſt ad Febrifugum aliquod conflandum, ex triplici Regno materia petita? At omnes hactenus illorum labores fruſtrante diligentia in irritum ceſſere, & ſi aliquod Antipyreticum in illorum monumentis extat, nonniſi ſub Grypho deſcriptum legitur: ut Delio Natatore opus ſit, ſi Mens, Auctoris ſincera habenda ſit. Solus Peruvianus Cortex &c.* Hujuſcemodi ergo Febrifugis diu, ſed fruſtra quæſitis a Peritiorum, Antiquiorumque Magiſtrorum Artis induſtria, ſine Peruviano Cortice, *Solus*, ipſo docente, Febres fugare, & exterminare perhibetur, *Medicina poſſet eſſe contenta?* Illis, illis ergo in Chinæ Chinæ dedecus oportebat curare Puellas Patavinas §. 9. ab Auctore viſas, nec tamen ſanatas, Nobilemque Virginem ab eodem pariter §. 26. infra deſcripram, ſoliqueque tempori, & domui paternæ medicatrici commiſſam.

(*d*) (*Et ſenſim Exantlando &c.*) Profecto *ſenſim*: & adeo ſenſim; ut ad biennium ſæpius protrahatur in Quartanis iſta Cauſæ febrilis extenuatio, Veterum Febrifugis, quæcunque in uſum revocata fuerint, facile adſcripta a Cl. Auctore, tanta quidem fiducia, ac ſi *recens ab Academia venerit*; praximque medicam nunquam exercuerit. Contra, non raro *valere juſſit* illiuſmodi *Febrifugis*, ubi ſimul quis tenuat uti Peruviano Cortice, intra quatuor, plus minus, menſes ſolet contingere plurium Quartanarum ſpontanea ſolutio. Saltem *unum* ex tot Veterum Antipyreticis, cui magis fidat; indicaſſet Cl. Auctor, ut facto experimento, & aſſerti tam ululis veritate detecta, *tutius* iſtiuſmodi Remedium, China China ſepoſita, totis ulnis poſſemus amplecti, *Sed iſthæc* (ut infra ipſemet inquit) *apud mulieres, & imperitam plebeculam locum habent, non apud eos, qui ſapiunt.*

(*e*) *Qui veteri &c.* Sapienter admodum in commendationem Febrifugorum a Veteribus uſurpatorum, ſubdit Cl. Auctor effatum Plauti -- *Qui veteri utuntur Vino, ſapienter puto* -- Deſideratur tantummodo commentarium, quod in Orat. Jatr. Argum. pag. 183. huic ipſi Textui addendum cenſuit idem Cl. Ramazzinus, quod ſic habet. *Qui veteri vino utuntur Sapientes puto, ajebat Comicus; recte quidem, niſi tamen Vinum in vappam, ſeu acorem tranſierit. Non minus tamen ſapientes judicandi, qui recenti utuntur Vino, ſi defæcatum fuerit, hoc enim Vini genus plus nutrit multoque plus ſpiritus ab eo elicitur.* Ita ille. In hiſce terminis tam bene quadrat caſui noſtro collatione facta vappeſcentium, ac mucidorum Febrifugorum Antiquitatis cum recenti, & vivifico Peruviano Febrifugo, expoſito Cl. Auctoris, ut volupe mihi ſit, abſque ulla hæſitantia eidem ſubſcribere.

§. XIX.

Equidem ſi damni dati, & collati beneficii a Chinæ uſu ineatur ratio, non tam facile crediderim, ut ab æquis judicibus illa poſſit abſolvi a crimine objecto, magis damnoſam illam eſſe, quam utilem, ſeu num liceat de Peruviano Cortice proferre, quod de Ottone ſcripſit Tacitus *tantummodo apud poſteros meruit bonæ famæ, quantum malæ.*

(*Equidem ſi damni dati &c.*) Omne damnum, quod China China poſſit inferre (ſi quod poteſt inferre) eo ſolum nomine inferre valeat, quod eſt vere Febrifuga. Niſi ea talis eſſet, neque eſſet in poteſtate imperiti Medici Febrem ſiſtere, *ubi*, vel *quando* non convenit; Hoc eſt damnum unicum, quod ab uſu illius, intempeſtivo tamen, queat fortaſſe procedere. Contra, ab uſu recto quot bene-

beneficia prodeant ; satis patet vel ex uno Tractatu meo , & ex adductis ibidem historiis . Si ergo *damni dati* , *& collati beneficii* ineatur justa ratio , *ab æquis Judicibus* facile crediderim ; posse deceni , *minime damnosam illam esse* , *sed utilem* . Quod si ratio ineatur ; laudum , & probrorum , quæ a Viro Cl. ea retulit , tunc vere crediderim , licere de ipsa proferre , quod ex uno tantum defuncti Auctoris versatili calamo (quandoquidem velit ei Posteritas fidere) *tantumdem bonæ famæ apud Posteros ea meruit* , *quantum malæ* . Ita nimirum nobismetipsis haud satis faventes

Cædimus , *inque vicem præbemus crura*
Sagittis , Pers. Sat. 4.

§. XX.

Possem funestos casus referre non paucos, quos observavi toto eo tempore, quo Mutinæ Medicinam feci , sed prolixior essem , & Epistolæ leges transgrederer : unicum tantum in Viro insigni satis noto referam , dum casus , qui in gente vulgari contingunt sine rumore terra obtegit . Comes Joannes Carolus Morandi Placentinus , olim Sereniſſimo Principi Cæsari Estensi Eques percarus , media æstate simplici quartana correptus est , cui Medicus magnus Peruviani Corticis Fautor , facta ut puto levi aliqua purgatione , seu etiam V. S. Chinam Chinam ad plures dies pro more suo præscripsit , ast Eques ille contumaciori febre facta in pejus ruere semper cæpit , donec appetente hyeme hydrops ascites factus Placentiam asportari voluit , ut in Majorum sepulcro tumularetur .

(*Possem funestos Casus &c.*) MAgnam potius esse dixerim Cl. Auctori penuriam funestorum casuum , quos possit obtrudere , si quem primo loco producit , a septem retro lustris cogitur emendicare . Verum nec rem plane tangit acu , neque me imparatum invadit ; sed strenue jam præmunitum . Atque hinc dignoscat quilibet , me *ingenue bona* , *& mala exposuisse* in Tractatu meo , non eneomia tantum , laudesque Chinæ Chinæ profusas , *qualis mos est eorum* , *qui de aliquo novo medicamento Tractatus integros edunt* , ut acute notavit §. 7. Cl. Auctor . Hunc igitur eundem Casum vide Lector in Therapeutice mea , pro animi mei candore primo tantum obiter indigitatum in quadam parenthesi pag. 3. dein expositum quidem breviter , sed ad trutinam longiuscule expensum a pag. 83. ad pag. 85. suppresso licet Ægrotantis nomine : atque ob id solum suppresso , ne viderer in infausti eventus discrimen velle me trahere , præter Experientissimum *Frassonum* Præceptorem meum , qui primo solus curæ adfuit , & ab Obrectatoribus suis ob id male audiit , ipsum quoque superaccitum eidem curationi Cl. Ramazzinum , cujus propterea mentionem facere opus erat . Neque enim satis memineram , quemadmodum neque modo satis sum memor , an Vir iste Cl. qui tunc *Chinam Chinam habebat in magno pretio* , *& affectu suo nimis effuse in illam ferebatur* , ante oblationem Peruviani Corticis , an solummodo post oblationem curationi a Præceptore meo susceptæ superveneriit ; atque ideo an calculum suum pro administratione Febrifugi hujus addiderit necne . Discrepat tamen in nonnullis a mea ; in aliis manca est historia a Cl. Auctore laconice nimis expressa ; quam ideo nonnihil fusiorem , usque tamen sinceram , apud me videre est loco citato his verbis . *Meus itaque colendæ semper memoriæ Præceptor Frassonus Nobili cuidam Viro* (fuit is idem Comes Jo. Carolus Morandus , de quo hic Cl. Auctor , etsi nomen illius tunc retinuerim) *Quartana Febre per mensem circiter detento* , *& supra modum vexato cum notabili anhelitus difficultate* , *atque œdematoso pedum tumore ante Febrem exortis* , *& cum ea in dies crescentibus* , *Chinam Chinam exhibuit* , *& Febrem sustulit* . *Post aliquot alios successive dies tumor œdematosus* , *suapte natura in incrementum pronus* , *major est factus* , *ad tibias* , *& crura sensim procedens* , *ventre non immuni* . *Atque ita* , *increbrescente anhelitus difficultate* , *intra paucos tandem menses* , *a serosa colluvie universaliter obrutus Æger* , *fato cessit* , *Hydropicus Abdominis simul* , *& Pectoris* .

Hæc cum ita vere se habuerint , minime consonat veritati , quod Febris ab epota China China *facto fuerit contumacior* ; ut asserit Vir Cl. sicut nec idem veritati pariter consonat , quod Frassonus *ad plures dies* ipsam Chinam Chinam præscripserit . Prescripsit illo quidem *pro more suo* ; sed mos illius , omniumque tunc Medicorum erat præscribere ad Drachmas duas , & semel tantum *juxta Methodum* etiam *senioris ætatis* Cl. Ramazzini .

zini. Quod si Febris, ut subdit ille, *facta fuit inde contumacior* cum Medici tunc solum *eludantur, quando ea non redit, sed tacite corpus depascitur*. ut §. 27. imo cum *res felicius cedat* §. eodem, *quando illa caput erigit etiam ferocior*, quomodo hinc modo colligit Vir Cl. Chinam Chinam obfuisse, & Hydropem asciviſſe, si Febris ex ejus effato nequaquam abiit, sed *contumacior evasit*? Prodeat tamen iterum e latebris in apertum Veritas. China China *semel* tantum ad Drachmas duas propinata fuit, & Febris receſſit; sed Hydrops antea genitus incrementum, quod eo etiam Febrifugo minime epoto susceperisset, æque susceperit. Rediit quidem pro more post nonnullas hebdomadas paroxysmis levioribus uno tantum Corticis hausta depulsa Febris; sed nulla fere amplius habita est illius ratio: quandoquidem conatus omnes ad se trahebat Hydrops usque succrescens, dum tractu temporis in lentiorem symptomaticam Febriculam sensim conversa, paulatim obliterabatur Quartana.

Hæc est germana facti series: & præterquamquod vivit adhuc in luctu Comitissa defuncti Viri tunc Conjux, omnium facile memor, ipse nequeo non meminisse qui eidem Comiti Johanni Carolo Placentiam proficiscenti, *ut in Majorum Sepulcbro*, cum obiret, *tumularetur*, de mandato ipsius Præceptoris adstiti, Medicinæ sacris vix initiatus, circa annum videlicet 1678. Causæ morbi procatarticæ, quas brevitatis gratia ibidem subticui, modo vero cogor innuere, fuerunt labores insueti, & incommoda lata præsertim Liburni; ut Principi, cui famulabatur, morem gereret, non semel sub dio pernoctans in ipso Portu nebulis confertissimis obsitus; interdiu vero ferme assidue, ac violenter equitans ad plures dies per juga, & montes, tam in profectione, quam in reditu. Quæ quidem omnia omnino præter consuetudinem perpessus, cœpit paulo post lumbis dolere, imminuto sensim lotio, domi hærere, pallere, sibi gravis fieri, subtumidusque, & anheloſus nonnihil ad quemcumque motum evadere, ac mox Febre Quartana corripi, succedentibus postmodum iis omnibus, quæ supra retuli, transcripsique ex Therapeutice mea; ut inde cuique pateat, Casum hunc unicum minus favorabilem, lapsu annorum (vel tunc plusquam triginta mihi observatum, ac quodammodo pro suspecto habitum, fideliter manifestasse. Et quamvis pro Frassono curante tot, tantique ponderis militarent rationes) quas fusius ibidem sum persecutus) ut ob illas Practici eximii placentini, *Eques Moraggius*, & *Stanislaus Homatus*, quibus Ægrum tradidi gravissime habentem, ipsum Præceptorem meum omni culpa vacare pro sua ingenuitate asseruerint; eum nihilominus ego severior, ac forsan minus æquus Judex, in ipso Tractatu meo ab omni suspicione parum cautæ oblationis remedii solam Febrim, non Hydropem præortum mulctare valentis, nequaquam absolvi.

Interim tamen Lectorem enixe rogatum volo, ut dempto sibi, mihique repetitionis tædio, examen integrum hujusce casus videat in fonte, paginis supra citatis Therapeutices meæ: ubi quando Hydrops China China curari possit, si nempe a Febribus pendeat, & quando non possit, si nempe Febres ipsas præcedat: crebris tum experimentis tum Scriptorum expertorum auctoritatibus, statutum reperiet, planeque discussas intuebitur nebulas omnes, quæ hinc Peruviani Corticis usui cavillosus quispiam vel tunc studuisset offundere: tandemque noscet, me, his non obstantibus, de Febrifugi administratione haud satis fortasse cauta, ipsum quadantenus Præceptorem meum (æque audacter quidem ac sincere) notasse. Sed hoc idem si detur etiam Cl. Auctori; quid contra Remedium, cum tempestive, atque ubi prodesse debet, non ubi nequit, offertur? Verum rancescunt hæc a Viro Cl. nunc allata, imo dixerim, putent, quippe extincti jamdudum Frassoni Manibus, prout ab Opponente appinguntur, heu nimis infensa.

§. XXI.

Hujusmodi exemplum in quartana intermittente, multaque alia postmodum mihi observata in febribus periodicis, in quibus continuatus Febrifugi usus obstructiones & cachexias invexit, ut ægri cum sanitate in gratiam numquam redierint, ac tandem hydropici objerint, ut postremo contigit Domino Comiti Marsiano, alia inquam exempla cautiorem me fecere in præscribendo hoc Febrifugo, licet febres essent de genere intermittentium.

(*Hujusmodi &c.*) CL. Auctor suadere contendens, *continuatum Febrifugi usum obstructiones*, & *Cachexias invehere*, *ac tandem Hydropem*, & *mortem*, exemplum insigne *inter multa*, ut inquit, *alia* selectum (quæ tamen minime indi-

indigitat) in medium proferre ſatagit , quaſi per tranſennam memoria recolens obitum Generoſi Viri D. Comitis Ludovici de Marſciano , anno 1703. Bononiæ vita functi , poſt ſeptennium tamen (quod ille ſubticet) integræ valetudinis ab epota China China , quam D. Davinius anno 1696. curationi adſtans , ad vota ſoliciti Ægrotantis propoſuit pro curatione Quartanæ Febris , qua tunc tenebatur Nob. ille Patiens , D. tandem Ramazzino , meque ipſo , cunctanter quidem ante , facilius vero poſt rem diſcuſſam , eo caſu remedium admittentibus . Hanc quoque hiſtoriam nominatim expreſſam , atque deſcriptam videſis Lector in Therapeutice mea pag. 82. hiſtor. 13. ſciaſque illam non ibi relatam , ut ſimplicis Quartanæ curationem China China abſolutam , velut quid Cedro dignum , promulgarem ; puduiſſet enim trivialia hæc pro magnificis venditare : ſed ut Lienis intumeſcentiam (quæ nobis curantibus negotium faceſſebat non leve) a Quartana prognatam , ope vero Corticis una cum Quartana ipſa deletam , male credulorum oculis ſubjicere , faſſus hac in re nonnullam quoque hæſitantiam meam ; quamvis in Sententiam Cl. curantis Viri , D. ſcilicet Davinii , qui votis Ægri enixe inſtantis annuerat omnium facillime , revera deſcenderim . Ad calcem hiſtoriæ , quaſi futuræ cavillationis extitiſſem præſagus , hæc quoque reperies , quæ placuit tunc ſubdere ſeriorem ejuſdem Ægrotanti obitum connotantia , ſi quando & hunc in crimen Corticis quiſquam vertere non erubuiſſet . Sunt hæc præciſa verba pag. 83. meæ Therapeutices exarata . *Niſi forte moroſus quiſpiam recidivam morbi illius* (videlicet Quartanæ China China curatæ) *appellare velit lethalem ejuſdem ægritudinem , poſt ſeptennium a cauſa evidenti productam , Febrim videlicet acutam , ex ſuppreſſa cutanea quadam habituali affectione oriundam , & intra 14. dies per abſceſſum ad annum imperfecte judicatam : quo demum abſceſſu prius in Gangrænam converſo , mox difficulter curato , translatoque interim Ægro in aerem paluſtrem , Febris erratica ſubſecuta eſt , quæ tractu temporis Lienis tumorem aſcivit , dein Icterum , mox Hydropem , & mortem* . His adde modo , radicem omnium malorum vere fuiſſe ſuppreſſionem , nedum cutaneæ cujuſdam affectionis habitualis , ut ſupra , ſed & antiquæ ſimul *Fiſtulæ* ad annum (quod tunc ſubticui , quippe quod paucis notum) unde profundioris poſtea , altioriſne abſceſſus origo cum Febre acuta , inde Gangræna , & partium imi ventris intimiorum , ac connexarum labes , Hydrops denique , & mors . Ita ſenſit diſtincte inter cæteros Vir Cl. D. Paulus Piela in Conſultatione poſtrema , quam cum plurimis aliis celeberrimi Bononienſis Archilycei Viris illuſtribus , de mandato Sereniſſimi Ducis ibidem habuimus Davinius , & ego . Atque hinc ſane petenda Cauſa obitus Viri Generoſi , non ex Peruviano Cortice ante tot annos epoto . Certe tot Medici inſignes ex inclyto illo Athenæo , qui ad longum tempus curæ illius Equitis adſtitere , quibuſque univerſa prægreſſorum morborum ſeries apprime innotuerat , quicquam mali a China China progenitum , ne per ſomnium unquam ſunt ſuſpicati . Vivit unus ex iis Cl. Simonius , quæ circa hoc ſentiat valens teſtari , & parum candidam hanc oppoſitionem , facilelve potius has nugas potens diluere , ſi ſit opus.

§. XXII.

INdulgentior tamen fui in hujus remedii adminiſtratione , quando obſervabam ægrum ipſum inſtanter appetere tam decantatum præſidii genus , & quodammodo conqueri de mea procraſtinatione : novi enim quanti momenti ſit ægri confidentia in hiſce remediis aſſumendis , quæ ſibi profutura animo conceperint . Ne igitur tam magnam confidentiam fruſtrarer , Chinam Chinam (*a*) *in mediocri doſi* , ut lædere non poſſet , & cum ſatis felici eventu exhibui , hac in re Celeberrimum Sanctorium noſtrum imitatus , qui , ut in Methodo Vitandorum errorum Libro 13. Cap. 4. ſuadet Lapidem Bezoar , licet fictitium , aliquando exhibendum , propter nimiam ægrorum confidentiam , & ut vitentur calumniæ propter confirmatam opinionem (*b*) *quod malignæ qualitati* obſiſtat : Hæc nimirum opinio de Lapide Bezoar , a veneranda Antiquitate in tanta exiſtimatione habito , fuit penes hunc noſtrum Profeſſorem , ut illum præſcriberet in fide Parentum , a qua opinione non multum abludunt noſtrorum temporum Medici peritiores modicæ fidei circa omnia bezoartica , & alexipharmaca , de quibus Virgilianum illud dicere liceat , *poſſunt quia poſſe videntur* ,

tur, quod dictum tamen Peruviano Cortici non videtur congruere, nam revera in febribus intermittentibus aliquid potest quia paroxysmos sistit per aliquot dies; atque interdum etiam omnino, ut amplius non redeant.

(*a*) (*Mediocri dosi &c.*) Mediocrem dosim Chinæ Chinæ a Cl. Auctore constitui in *una* tantum Drachma, maximam vero in *duabus*, vidimus jam ipso fatente §. 8. Quantitas autem Drachmæ unius, vel paulo major, præsertim *semel* tantum oblata, nedum *lædere non poterat*; verum nec fere prodesse, nisi de Febre Intermittente plane facili sermo sit, & sponte ad solutionem vergente. Profecto si forte hujusmodi, aut simili Methodo religiose semper hæsit in Praxi Cl. Auctor, ægre admodum de activitate remedii ferre poterat Judicium undequaque absolutum, ut illud damnaret. Neque jure crediderim potuisse ab illo decerni; an siniştri successus, quos identidem memoravit, aut perhibuit se posse memorare, unique Cortici fidenter attribuit (nisi ab inopportuna forsan oblatione processerint) a Cortice vere processerint, an a dosi illius enervi, ac invalida, remque propterea infectam relinquente. Sed urget ille, asserens, eo pacto se *Chinam Chinam exhibuisse cum satis felici eventu*. Hic, fateor, curiosus quærerem, si liceret; cum vero non liceat, mente saltem mea scrutabor, quinam fuerit eventus ille, qui dicitur felix. Vel enim (repetitæ occasioni donari velim repetitiunculas quoque nonnunquam mens) Vel enim *post aliquot dies Febris denuo caput erexit etiam ferocior*: *sic enim rem felicius cessisse Ægrotantibus* annotat §. 27. annotavitque in Epistola Nuncupatoria, *Febrem sed fortiorem* redeuntem, pensare damna Chinæ Chinæ, ob ejusdem Febris extinctionem Ægris illata: & hunc eventum, quidquid dicat Auctor, procul dubio parum felicem dixerit Æger ipse. Vel Febris non amplius rediit: & hic eventus secundum eundem Cl. Auctorem omnium pessimus est; ex §. enim 25. *Optandum esset, ut Febris, quæ diebus a paroxysmo vacuis tacite cubat, ut ignis sub cinere doloso, in apertam flammam erumperet, nam reditus illius remedii loco esset*. Sive ergo reciderit Æger a Cl. Viro China China curatus, sive non reciderit, difficile est eruere ex Theorematis hujusce Dissertationis, quinam fuerit eventus felix, & quinam siniştr, Ad lubricas istiusmodi angustias persæpe redactus, quocunque tandem se vertat Cl. Auctor, semper illi *A fronte Præcipitium est, a tergo Lupus*.

(*b*) (*Quod malignæ qualitati &c.*) Gratias tandem habeo quamplurimas cineribus Viri Cl. quod in re obvia quidem, sed in casu nostro plurimi æstimanda: quippe quæ prima forsan, ut mox declarabitur, Controversiæ nostræ jecit semina, partes meas tam liberaliter, tamque ingenue susceperit. Decernit ille cum celeberrimo Sanctorio, *confirmatam* apud Medicorum vulgus *Opinionem, quod Lapis Bezoar malignæ*; ut ajunt, *qualitatis obsistat*, vanam esse, *Medicosque peritiores nostrorum temporum esse modicæ fidei circa omnia Bezoartica, & Alexipharmaca, de quibus Virgilianum illud dicere licet*,

---- *Possunt, quia posse videntur*;

atque ideo, subdam ego, diligenter reponenda erunt inter *tutissima* illa *Remedia*, de quibus §. 11. Regibus præscribenda. His præjudiciis explosis comparat in contextu eundem Lapidem Bezoarticum Peruviano Cortici, fateturque, cuncta hæc, *quæ de Bezoarticorum, & Alexipharmacorum invaliditate ab eo dicta sunt, nequaquam congruere huic Febrifugo, nam revera* (inquit ille) *in Febribus Intermittentibus aliquid potest; quia paroxysmos sistit per aliquot dies, atque interdum etiam omnino, ut amplius non redeant*. Lectorem hic, quæso, ne pigeat adire Therapeuticen meam pag. 196. histor. 9. vel saltem pag. 197. Ibi videat, totam discrepantiam, quæ anno 1709. inter me, & Cl. Auctoris Nepotem Relatorem abusus Chinæ Chinæ in Urbe nostra, insurrexit, quæque forsan Scriptis hisce Cl. Viri ansam præbuit non minimam, in hoc uno constitutam fuisse, quod ille Febres Tertianæ duplicis, ab ortu suo Intermittentis, aut Subintrantis, mox recens Continuæ, ipsoque Judice, malignæ jam factæ, cum totali asphyxia, frigidisque circa Pectus, Caput, & Collum sudoribus, curationem (quam ego Chinæ Chinæ ope certam pollicebar, ut contigit, inhibito per eam superventuro novo paroxysmo, cæteroqui plane lethali) ille inquam Lapide potius Bezoartico, quam China China absolvendam, contenderet, eo præcise titulo, ut *malignæ obsisteret qualitati*. Quid ergo mihi, tam secunda ne cogitanti quidem, propitium magis poterat obvenire? Profecto

---- *Insperata accidunt magis sæpe, quam quæ speres*.

inquit Plautus in Mostell. Etenim nonne ultronea ferme hæc est Cl. Patrui ingenuitas, quæ Corticem Peruvianum, *Paroxysmos Febrium revera sistentem*. Lapide Bezoartico anteponit, *peritioresque nostrorum temporum Medicos* eos vocat, qui virtutem alexipharmacam illius celeberrimi Lapidis parvi faciunt, opinionem ipsam, confirmatam licet, quod *malignæ*, ut vulgus Medicorum loquitur, *obsistat qualitati*? Sed nonne simul rationalis erat in casu tam præcipiti solicitudo mea, ut rationalis felixque sint ipsa Febrifugi oblatio? Nimirum ope illius Pernicioſa Febris recessit sine reditu a Subjecto *Præpingui*, *Pituitoso*, *Adole-*

Adoleſcenti, *Nobili*, *& lautitia victus utenti*; quæ conditiones, nedum conjunctim omnes, ſed & ſeorſim ſingulæ, Peruviani Corticis uſum prohibent ex Cl. Auctore, ut ſupra vidimus: jamque ſeptennium interim inculpatæ valetudinis labitur a China China aſſumpta. Hujuſmodi *noxam* ex vi *occultæ malitiæ* ſuæ intulit illa, intra menſem ad uncias duas epota. Nec majorem forſan, magiſve noxium abuſum mox vidit, aut ante viderat Mutinæ ſtudioſus Relator.

§. XXIII.

ATque id eſt, quod valde admiror, & in variis meis Operibus (*a*) *virtutem*, *hanc arcanam* commendavi, & nunquam ſatis admirari ceſſabo, (*b*) *ſed optandum* eſſet, ut in periti, & prudentis Medici manibus eſſet hoc remedium, eo enim ventum eſt, ut vulgaris quiſque Medicus, & juvenis, qui recens ab Academia venerit, non vereatur periodica febre laboranti ægro Febrifugum iſtud ad multos dies, & in liberali doſi præſcribere ea ſecuritate, qua Magiſtros ſuos operari vidit.

(*a*) *Virtutem hanc &c.*) NOn ſolum *virtutem arcanam* Chinæ Chinæ (cujus *uſum* ex hoc ipſo quod *arcana* eſt illius *virtus*, §. 6. hujuſce Diſſertationis vocat *amethodicum*) ſed *uſum* ipſum *liberalem*, & *amplum* ejuſdem virtutis, illamque poſſidentis Peruviani Corticis, cum excluſione fere omnimoda cæterorum præſidiorum Artis, *in variis operibus ſuis commendavit* Cl. Auctor, ubique aſſeverans, ut vidimus, -- *An ipſe reticum iſtud eſſet Remedium cum ſecuritate Febres Periodicas ſanans; in Tertianis malignis, Fermentum illarum, ſive penitus reſtinguendo, ſive quamplurimum enervando miranda præſtans, Ægrumque ob id vindicans ab interitu: in qualibet Febre recurrente, quocunque anni tempore, Regione, Ætate, Sexu, Temperamento exhibendum; non tamen ſemel tantum, ut olim, ſed ad plures dies, donec febrile miaſma ſit penitus exantlatum; valere juſſis tot pharmaceutices præſidiis, tot repetitis venæ ſectionibus, tot iteratis purgationibus quæ humani corporis machinam potius infirmant, quam confirmant &c.* Vulneribus hiſce conſolidandis, quæ ſibimetipſi gladio veritatis inflixit Cl. Auctor, Emplaſtrum tergiverſationis hujuſce Paragraphi profecto eſt impar, interim tamen nequit ſaltem non commendati ſagax ſolertia, qua ſemetipſum expreſſæ contradictioni ſubtrahere ſtuduit. Sed jam jacta erat alea, nec ullus ſupererat amplius (manu licet magiſtra calamum contrectaret) induſtrioſæ defenſioni locus. Quod ſi quis vere fuiſſet, Viri certe ſollertiſſimi dexteritatem nequaquam ſubterfugiſſet, ut de illo merito dici poſſit,

---- *Si Pergama dextra*
Defendi poſſent, certe hac defenſa fuiſſent:

(*b*) *Sed optandum &c.*) *Optandum* omnino, *ut in periti, & prudentis Medici manibus ſit hoc Remedium;* & magis adhuc optandum, ut in periti, & prudentis Medici manibus ſint *alia Remedia*, non ob præpoſteram aliquando adminiſtrationem tantum, ſed *ſuapte natura* inſimul periculoſa, cujuſmodi ſunt Cathartica, & Emetica, Opiata omnia, Diaphoretica, ea præſertim, quæ vocant Spirituoſiora, Venæ ſectio, & alia hujuſmodi generoſiora præſidia. Ex horum quippe uſu minus caſtigato longe majora impendent damna, quam ex uſu promiſcuo Peruviani Corticis; licet ſine rigidiuſcula, ut hic, Cl. Auctoris animadverſione, *vulgaris quiſque Medicus, & Juvenis qui recens ab Academia venerit, non vereatur illa quotidie præſcribere, ea ſecuritate, qua Magiſtros ſuos operari vidit.* Non eſt tamen ideo, quod approbem nimiam, ſi ſit nonnunquam, Juvenum facilitatem, quam vere corripiendam & ipſe judico: dico tantummodo, errorem ipſius præcocis Febrium extinctionis ſæpe leviorem reperiri a poſteriori (ut cum Scholis loquar) ac priori apparuerit: errorem vero Febrifugi oblati in Febre, cui nullatenus illud convenit, ut in Synocho, aut alia quavis Febre per eſſentiam Continua, ad ſolam ferme palati fruſtraneam mulctam forſan reſtringi; damnum enim, ſaltem ſenſibile, nullum exinde viſitur. Propterea, quam jure exquirimus Cl. Auctor, & ego, peritiam, prudentiamque in Medico Chinam Chinam præſcribente, eam non ſolum, ſed & majorem exopto ego in Medicis, *alia Remedia*, ſi male adminiſtrentur, vere periculoſa, quotidie tamen, ac ſi bellaria forent, facillime præſcribentibus:

§. XXIV.

SEd hoc etiam eſſet tolerandum, niſi quoque (*a*) *Chirurgi*, *Pharmacopolæ*, inſcio Medico hanc arrogarent auctoritatem, ſibi plaudentes quod pauca impenſa ægrum e lecto cui diuturnæ febres affixiſſent citiſſime exemerint non ſine prævia purgatione, & venæ ſectione; quæ duo magna remedia præmittenda cenſent, ut methodice videantur operari; quod ſi febris omnes illorum conatus eludat redeundo, in promptu habent ægrotantium errata in victu, & rebus non naturalibus, ſeu non exibitam ad plures dies debitam Chinæ Chinæ quantitatem, ſed iſthæc apud mulieres, & imperitam plebeculam locum habent, non apud eos, qui ſapiunt, febres enim intermittentes ab hoc remedio fugari videntur, ac Medicis nimis credulis facile imponunt, (*b*) *non enim vere fugantur*, ſed potius concentrantur, & quia paroxyſmi non repetunt, putant nonnulli febrem abiiſſe.

(*a*) (*Chirurgi*, *&c.*) SCandalum hoc an ipſe præviderim, ab excellentia, & præſtantia ipſa remedii facile oriundum: imo prognatum olim apud extraneos quoſdam Chirurgos, nec plane innoxie tunc Mutinæ, propagatum, an obſervarim, enunciarim, & male tulerim, videre eſt in Therapeutice mea; primum quidem pag. 170. ſecundum vero a pag. 252. uſque ad finem Capitis. Id bonæ frugis, quod ex malo ſemine, & tunc, & poſtea collegi; nempe ex profuſa, & amethodica Corticis oblatione, ignaris hiſce gentibus identidem uſitata, fuit ab hac ipſa cæteroqui reprehenſibili, ac temeraria praxi, non malos eos ſemper, quos ſuſpicatus eſſem, ſed non raro potius bonos, & felices, quos non ita facile expectaſſem, eventus ſucceſſiſſe. Quamobrem etſi adminiſtrationi præpoſteræ illius male aptetur excuſatio de erratis Ægrotantium, vel de non ſatis continuato uſu remedii, ſi Febris redeat: nihilominus hæc eadem excuſatio plane contemnenda non eſt, ut illam videtur plane contemnere Cl. Auctor, ſi verax alioqui ea ſit, & candida. Cum ergo ſæpe, ut dictum ſupra, res bene ceciderit, quamvis remedium minus congruenter fuerit adminiſtratum, colligo ego, nullam vere ab hoc Febrifugo *ratione ſubſtantiæ ſuæ* noxam hominibus invehi; ſed eam ſolummodo nonnunquam (nec enim ſemper) quam mera *intempeſtiva Depurativæ Febris extinctio* poteſt inferre. *Bonæ* ſcilicet *leges ex malis* quandoque *moribus* etiam in Re medica *procreantur*.

(*b*) *Non enim vere fugantur &c.*) Sciebam equidem, objici a Medicis Cortici Peruviano infenſis, illum, qui ſolam Cauſæ febrilis quaſi ſopitæ *actionem* ab iiſdem creditur impedire, ſolas per conſequens *Febres* fugare conſueviſſe, minime vero Febrium *Cauſam*, pro illis iterum ſuſcitandis intus latentem: ſed *Febres ipſas vere non fugari*, *imo eas concentrari potius* (apertis adeo ſaltem notis) nondum audivi. Me itaque ſponte recipio inter *Medicos illos nimis credulos*, *quibus facile imponunt* abditæ hujuſmodi Febres, quæ ſinunt Ægrum facile cibum appetere, bene ferre, melius nutriri, optime quieſcere, vires reſumere, equitare, iter facere, ludere &c. ſine laſſitudine, ſine moleſtia, ſine ſiti; uno verbo, ſine ullo Febris indicio. Certe Maligna valde ſit oportet *concentrata* ſic hujuſmodi Febris. Modo infortunium noſco a Cl. Auctore toties deprædicarum, ſi nempe non recidat Æger: neceſſe quippe eſt illi, latentem hujuſcemodi Febrem toto vitæ ſuæ tempore circumferre. Quis tamen ideo vel ſomniaſſet unquam, Cl. Auctorem, de ſuis Ægris cæteroqui ſolicitum, in hunc errorem ſcienter incidiſſe, ut illis non ſemel imponeret, præſcriberetque *in ætate ſaniori*, *jam experientia edoctus*, *& noxis Peruviani Corticis obſervatis*, illud idem Febrifugum (quemadmodum ſe præſcripſiſſe faſſus eſt §. 8. & alibi) ſub vano prætextu, quod *recrearentur ipſimet Ægri*, *& vires reſumerent*; cum tamen ſciret, *ab hoc remedio non fugari Febres*, *ſed concentrari*, *tacitegue ab illis*, ut infra §. 27. *corpus humanum depaſci* potius quam recreari?

§. XXV.

(*a*) *Adverte quæſo* mi Nepos, ac diligenter obſerva, febres intermittentes poſt epotam Chinam Chinam nunquam ad veram, & perfectam apyrexiam pertingere, qualis contingit quando natura ſponte per ſudorem, aut alias vias acceſſionem diſcutit, nam in tertianis exquiſitis in die intermiſſionis vera & abſoluta ex pulſu obſervatur infebricitatio, non ſic vero ubi aſſumpta fuerit China China, nam pulſus percipitur parvus, & cum aliqua frequentia, quod etiam (*b*) *a Doctiſſimo Ettmullero* fuit annotatum, ſic facile decipiuntur Medici qui putant febrem receſſiſſe, quæ tacite cubat, ut ignis ſub cinere doloſo, ſed optandum eſſet ut in apertam flammam erumperet, poſtquam æger ad aliquot dies ſilente febre roboris aliquantum reportaſſet, nam reditus febris (*c*) *remedii loco* eſſet.

(*a*) *Adverte quæſo &c.*) Mulierculorum more a craſſioribus tantum inditiis carentiam Febris eram nuper metitus; ſed Medico *Vena tangenda eſt*, ajebat Seneca. Venam itaque, ſeu potius pulſantem Arteriam attente ſcrutatus Cl. Auctor Nepotem monet, *ut diligenter advertat*, *Febres Intermittentes poſt epotam Chinam Chinam nunquam* (ne toto quidem Vitæ curſu?) *ad veram*, *& perfectam apyrexiam pertingere*. Hæc obſervatio reſpicit Rem, non Ratiocinia: Quamobrem videtur turpe, contrectato pulſu, Medicos non convenire circa exiſtentiam, aut carentiam Febris. Vadem tamen me pretio quolibet dare volo, nullum inter Obtrectatores Peruviani Corticis reperiri Medicum tam exquiſito prædictum tactu, ut ex pulſu (etſi frequens ille dicatur, ac parvus) valeat dignoſcere Hominem hoc febrifugo potius, quam ſponte, aut alia quavis via ex Febre Intermittente ſanatum, ſi aliunde neſciat. *Iſthæc* vere *apud Mulieres*, *& imperitam plebeculam locum habere poſſunt*, *non apud eos*, *qui* ſaltem digitis *ſapiunt*. Haud tamen inficior, quod ſi cuipiam Febricitanti diuturnis ſimul obſtructionibus, aliiſve ſimilibus affectionibus detento, & diebus etiam a paroxyſmo vacuis aliquam pulſus frequentiam de more habenti, offeratur Cortex, eadem ad aliquot dies perſtare non poſſit pulſum frequentia, quæ prius aderat, ut illi perſtaret vel ſponte, vel alia quavis arte ſanato; verum illam eandem frequentiam citius evaneſcere continuato uſu Febrifugi, quam ſi aliter fuerit curatus Æger, non ſemel quoque compertum habui. Cæterum ſi Febris ante aſſumptum Corticem perfecte intermittebat diebus a paroxyſmo vacuis, quomodo ſublato per Corticem paroxyſmo, cæteriſque in ſuo ſtatu relictis, poterit ipſam occupare intermiſſionis diem Febris depulſa? Aliud ſane docet nos Praxis, aliudque docuit ipſum Cl. Auctorem. Si enim Febres ab aſſumpta China China *non receſſiſſe*, *nec vere fugatas eſſe* obſervaſſet ille in Ægris ſuis, *neque ad veram*, *& perfectam apyrexiam pertigiſſe*, *ſed concentratas cubaſſe*, *& corpus tacite depaviſſe*, ut in hoc Paragrapho videtur monere Nepotem, & in §. 27. alios Medicos; dubio procul non dixiſſet in Orat. Jatrici Argumenti, *Febres*, *quæ de Intermittentium familia ſunt exigui hujuſce pulveris hauſtu etiam penitus aboleri*: item eundem Peruvianum pulverem *Febres*, *ſaltem recurrentes*, *& intervallatas fugare*, *& exterminare*, ut qui vere datus eſt nobis *ad male natam Febrium ſobolem exterminandam &c.* quemadmodum in *Collatione* textuum lit. D., & E. F. G. poteſt facile quilibet intueri.

(*b*) (*A Doctiſſimo Ettmullero &c.*) Ettmullerum, cujus auctoritate hic liberaliter nimis abutitur Vir Cl. vidimus in reſponſione ad §. 35. dicentem, *Chinam Chinam eſſe Remedium egregium*, *feliciter* (nota illud *feliciter*) *curans tam Quartanas*, *quam Tertianas Febres etiam duplicatas*, ſeque *veriſſimum arbitrari*, *hunc Corticem fugare* (nota quoque iſtud *fugare*) *ſuo uſu quaſvis Intermittentes*; *nec has ſolum &c.* An hæc cohærere poſſint aliis, prout jacent in hoc Paragrapho, per Virum Cl. adductis, judicet interim Lector, uſquequo germana omnia Ettmulleri ſenſa, in citato §. 35. a nobis aperienda, & ad trutinam expendenda, clarius intueatur.

(*c*) (*Remedi loco &c.*) Febrim aliquando remedii vicem ſupplere poſſe, in Morbis præſertim Herculeis, cujuſmodi ſunt Epilepſia, Apoplexia, & alii, nos docet Hippocrates, & experientia confirmat. Atque hiſce caſibus ſicuti Febrium ſuppreſſio debet eſſe ſuſpecta, ita poteſt eſſe optabilis illarum inopportune depulſarum reditus, ut ipſe in Tractatu meo pag. 75. hiſt. 1. ob-

ſervavi : idque ſemper aſſeram , quotieſcunque Febris habeat characterem *Depurativæ* . Dicam ſcilicet, illam per nullum Specificum Antifebrile, quod eandem valeat ejicere (quodque præter Chinam Chinam nullum eſt adhuc) poſſe fugari ſine metu aliquo erroris. Dixi *ſine metu* , aut *ſuſpicione* erroris, aut damni, non *ſine certitudine* : plerumque enim , ut paulo ſuperius annotavi, Febres quaſdam Intermittentes mihi contingit obſervare, ab ignaris Empiricis hoc remedio abſque ulla inde orta noxa fugatas , quas ipſe in quibuſdam ſaltem circumſtantiis, præſertim temporis, eo tunc remedio non attigiſſem. Quamvis enim aliquid audaciæ ſubſiſtit in hiſce caſibus ; ſi tamen vivida ſit Fluidorum craſis , motus eorum liber , moxque cribrationes ac ſecretiones adamuſſim peragantur, ſæpiſſime probe ſubigitur, aut expellitur Fermentum illud, quod minus caſtigate fuit in ſtatu cruditatis abſorptum . Etſi vero in hujuſmodi tantum ſuppreſſione audacula, & amethodica optandum fortaſſe nonnunquam ſit, ut revertatur Febris ; quando tamen methodice illa depellitur , non eſt cur eandem votis adeo ardentibus revocemus . Neque idcirco vidimus adhuc votivas Tabulas pro Febris reditu in Templis noſtris appenſas.

§. XXVI.

(*a*) *Novi olim* Nobilem Virginem in Monaſterio S. Magdalenæ Mutinæ educatam , cui duplici tertiana ſpuria correptæ , & ad menſem integrum decumbenti , facta aliqua purgatione , aliiſque ſolitis remediis , Peruvianum Febrifugum exhibere conſtitui , ſed non ſine alterius Medici conſilio. Vocato itaque ad conſultandum D. Antonio de Abbatibus , & expoſita morbi hiſtoria , Chinam Chinam propoſui , ut unicum remedium ad febris pertinaciam debellandam , ſeu aliquot dierum vacationem a tam diris paroxyſmis obtinendam , at ille modeſte tamen ac humaniter pro more ſuo profeſſus eſt huic remedio ſe aſſentire non poſſe , rationibus , & (*b*) *experimentis a ſe habitis* , aſt ego tandem ab ipſo obtinui , ut aſſenſum præſtaret , ſed non ex animo , ut reor ; propinata itaque Chinæ Chinæ potione ad aliquot dies , paroxyſmi obliterari viſi ſunt , ſed Nobili ægrotante pejus ſe habente , in ſummum mœrorem , & anorexiam prolapſa , quare mihi in votis erat reditus febris ad priorem ſtatum , ſic ad menſes integros decumbere in lecto coacta eſt , ut de illius ſalute non parum timeretur , e Monaſterio tandem educta , & apud ſuos liberaliori vitæ commiſſa , longum poſt tempus convaluit.

(*a*) (*Novi olim &c.* Hiſtoria hæc a quinque retro luſtris nonniſi ob inopiam petita , imo & repetita , eſt illa eadem, quam in Conſtitutionibus Epidemicis Mutinenſibus habet Auctor Cl. pag. 42. Edition. Mut. pag. vero 57. nuperæ Patav. Edit. , etſi aliqua in narratione noviſſima hujuſce Diſſertationis obſervetur a prioribus diverſitas . In Conſtitutionibus ſiquidem tam primæ , quam ſecundæ impreſſionis dicitur oblata China China *in forma boli , cum in Vino infuſam Ægra veſpueret* ; neque ibi ſit ulla mentio de repetitione remedii ; & quidem appoſite ad ejus ævi praxim ; tunc enim apud nos nondum erat in uſu, Febrifugum iſtud ad plures dies exhibere. In hac vero Diſſertatione aliter factum aſſeritur , *propinata* videlicet *ad aliquot dies Chinæ Chinæ potione* . In aliis quoque variat narratio ; imo & diſcrepat nonnihil, quæ in Mutinenſi editione Conſtitutionum epidemicarum repetitur , ab ea , quæ modo legitur in Patavina Editione ipſarum Conſtitutionum in hac enim Domino quondam Antonio de Abbatibus Dignitas Archiatri Sereniſſimi Ducis Mutinæ , quæ viventi a Cl. Auctore in aliis officioſe tributa fuerat hujus hiſtoriæ occaſione, adempta eſt , dum recuderentur , extincto . Sed hæc rem noſtram non ita immutant , quin ſtet propoſitum Viri Cl. quod nempe poſt Chinæ Chinæ uſum Ægra illius pejus habuerit , ſive ad longum , ut in Diſſertatione dicitur, ſive ad modicum tempus, ut in Conſtitutionibus Epidemicis . Aſt quomodocunque Febrifugum fuerit oblatum (certe tamen ſemel) qualiſcunque fuerit jam Ægræ ſtatus , qualiſcunque Febris illius, diuturnioris licet, natura, & qualeſcunque Cauſæ peculiariter illam producentes , concomitantes , atque foventes , mihique Ægram licet non inviſenti , magis fortaſſe notæ , quam Cl. Auctori , hac in re (ſi liceret cuncta perſequi) non parum decepto : poſito nihilominus, quod omni cautela circa ſingula hæc adhibita, fuerit Cortex parum feliciter propinatus , ſubſe-

ſubſequente videlicet laborioſa, difficili, ſeraque, ac diutina, ut hic aſſeritur, convaleſcentia, non tamen morte, quid inde propterea? Nunquid deterior multo ſors Ægrotantis evaſit? Nunquid alia Remedia *ad menſem integrum* prius adminiſtrata, inter quæ dubio procul *Febrifuga Veterum*, *cauſam Febris*, ut aſſerit Vir Cl. *ſenſim exantlantia*, profecerant plurimum? Nunquid ergo ſine Cortice felicius convaluiſſet *a tam diris*, ut Auctor inquit, *paroxyſmis* ea Conſtitutione, qua (ut adnotat pag. 15. earundem Conſtitutionum Edit. Patav.) *nunquam viſa contumaciores Febres, ad recidivandum magis prona, & quæ magis Medicorum induſtriam eluderent? ſiquidem* (ſequitur) *nec repetitæ phlebotomia, nec purgationes, nec mille Alexipharmaca* (en hic involuta Febrifuga Veterum) *quæ pleno gutture tanquam munus Deorum, Receptiorum Chorus adeo celebrat, quicquam profuere*. Adeo igitur mirum non eſt, in tam pervicaci Conſtitutione morboſa repertam eſſe Adoleſcentulam, cui forte uni opem cæteroqui conſuetam Cortex non tulerit, quando id nonnumquam, raro licet, accidere, atque ob idipſum quoque, raro me in benignis Intermittentibus, perſæpe *Deputativis*, Corticem eundem præſcribere conſueviſſe; apertis literis prodidi, allatoque ſimul Exempio confirmavi in Therapeutice mea pag. 69. & 70. Verum quid multis? Tutela Chinæ Chinæ ſemel a Viro Cl. improſpere, forſan & improperie oblatæ, quid ad me?

(*b*) (*Experimentis a ſe habitis &c.*) Ornamentum poſtremæ huic narrationi ſuperadditum eſſe crediderim, non quidem quod Aulicus quondam Profeſſor iſte oblationi Peruviani Corticis nonnihil obſtiterit, ac *minime aſſenſum ſuum præſtiterit*: etenim & ille, & reliqui fere omnes Mutinenſes Medici, præſertim Seniores eorum temporum, uſui, illius quammaxime reluctabantur, ut dixi jam in Therapeutice mea pag. 3. ſed Mantiſta quædam colorata eſt, quod obſtiterit non ſolum rationibus, verum & *experimentis a ſe habitis*; tantum enim abeſt, ut illa ſive fauſta, ſive infauſta de hoc Febrifugo ille habuerit experimenta, ut certo ſciam, ipſum, qui ſympatheticas potius curationes in deliciis habebat, aliquando nugatoriam Febrium tranſplantationem in perterebratos Arborum Cortices tentare maluiſſe, quam implantationem (liceat nonnunquam vocabula condere) hujuſce Corticis in Corpus humanum.

§. XXVII.

(*a*) *Hic nimirum* Medicorum eſt error, ut ſi Chinam Chinam in hunc ſolum finem præſcibant, ut paucos a paroxiſmis dies liberos obtineant, (*b*) *interdum eludantur*, febre amplius non redeunte, ſed tacite corpus depaſcente; non abſimiles caſus alias mihi contigere, ut me pœnituerit hoc remedio uſum fuiſſe. Rem felicius ceſſiſſe annotavi quibus poſt aliquot paroxyſmos febris denuo caput erexit etiam ferocior, quam quibus febris viſa eſt prorſus extincta, & obliterata, ſeu parva ſubſecuta.

(*a*) (*Hic nimirum &c.*) ÆGre admodum cavere poterunt Medici ab errore, a quo nequivit ita cavere Vir Cl. quin illum ob id *pœnituerit*, *hoc remedio ſe uſum fuiſſe*, ut ſubdit in contextu. Sed tunc forte nondum advenerat tempeſtas, qua matureſcunt Ficus, ut *Ficu* febrifera *Pharaonis* præſcripta, de qua §. 38. poſſet errorem corrigere, depulſamque Febrem iterum revocare. Cum itaque Medici poteſtate non ſit, præcipere Febri diſceſſum ea lege, ut poſtliminio brevi revertatur: neque *Ficubus Pharaonis* queat illam vel invitam cogere rurſus ad reditum pro libito ſuo; non aliud agendum ſupererit, ne Febris ipſa *in apertam denuo flammam renuens erumpere*, *corpus tacite depaſcatur*, niſi abſtinere prorſus ab oblatione Febrifugi, etiam *ad impetrandas inducias*, *& ad virium reparationem*; quod cæteroqui faciendum docuit Cl. Auctor §. 8. & magis adhuc expreſſe docebit §. 48. abſque ulla formidine erroris. Atque ideo, vel præceptum Viri Cl. de China China exhibenda *ad impetrandas aliquot dierum inducias*, *& ut recreetur æger viresque reſumat*, plane corruat neceſſe eſt, vel nullus ſit *error* Medici id remedium in ejuſmodi ſiuem præſcribentis, etiamſi febris vim ſibi illatam in receſſu indignata, votis eam reducem exoptantibus minime auſcultet.

(*b*) (*Inter eludantur &c.*) Præſcribant ergo Medici Chinam Chinam repetantque opportune in eum potius finem, ut, ſi fieri poſſint, Ægros, non *ad tempus tantum*, ſed *jugiter* a paroxyſmis reddant: ſic enim *non eludentur a Febre amplius non redeunte*. Sed præſcribant *tempeſtive*, reguliſque ac cautionibus debitis; itaut non uſurpent, niſi *Ubi*, *Quando*, & *Quomodo* decet, ut in Terap. mea pag. 156. & alibi. Si ita ſe gerant, nunquam eos pœ-

nitebit, ſe fuiſſe uſos tam ſtrenuo Febrifugo: pœnitebit potius poſt rem proſpere geſtam tam ſero uti didiciſſe. Tunc & Ægri ſibi *rem felicius ceſſiſſe* dignoſcent, nec *tacite ſe depaſtos* a Febre ſuſpicabuntur (quomodo enim ſe depaſtum ſuſpicabitur a febre, qui, ut nuper fatebatur §. 25. ipſe Cl. Auctor, eadem *Silente per Chinam Chinam febre reportat robur?*) non ſuſpicabuntur, inquam, a ſe depaſtos a febre, ſed ſibi rem longe felicius ceſſiſſe dicent, ſi ea vel *non revertatur amplius*, vel ſaltem nonniſi *mitior*, *ac parva*, quam ſi *ferocior caput extulerit*. In primo etenim caſu illam fuiſſe a Febrifugo opportune mulctatam, ſenſu ipſo experientur; in altero minus opportune, abſque eo quod alienum, & quidem ſatis paradoxum, de rebus ſuis judicium exquirant. Neque enim homini China China ſanato, qui jam, ipſo notante ut ſupra, Cl. Auctore, *roboris aliquantum reportet in dies*, opus eſſe crediderim conſulere Oracula, & trepidanter quærere, ſit ne ſibi melior continuata ſanitatis poſſeſſio, an relapſus in Morbum.

§. XXVIII.

(*a*) *Dominus Auguſtus* Quirinus Rivinus Scriptor recens, in ſuo Libro Elegantiſſimo Medicarum Diſſertationum, Typis Lipſienſibus anno 1710. edito in Diſſertatione de Febribus Intermittentibus, eos ſugillat, qui poſtquam aliquo ſpecifico febrem propulſatam, videant ut illam amplius non eſſe redituram prædicent, ſibi plaudunt, & gaudent, ait enim *Medicos quoſdam gratulari, quando ægrotantes e Charibdi in Scillam deduxerunt, ideſt febrem feliciter profligarunt, ægro interim vel contabeſcente, vel intumeſcente ab humoribus pravis, atque hydrope*, & paulo poſt mentione facta de Veterum Febrifugis, qualia ſunt Centaurium minus, Abſinthium, Carduus Benedictus, radix Gentianæ, & alia hujuſcemodi quorum uſum commendat, hæc ſubdit verba. (*b*) *Idem hoc de Cortice Peruviano, Gannaperide, vel ut alias vocatur China China, cenſeo, ut pote qui præ cæteris amaris, aut Febrifugis revera nihil peculiare, aut tanta laude dignum præſtet certe ſive genuinum, ſive adulteratum ſit, quod venditur, ab ejus uſu interdum quidem febre aliquando delituiſſe, ſeu plerumque ſubſecutam pejorem recidivam, in aliis & fruſtraneam, & nocivam extitiſſe.*

NIL minus me terret ratione ſatis, & experientia munitum, ſed me ſimul nil magis angit, quam Auctoritate impugnari. In id namque diſcriminis non ſemel adducor, ut Scriptoribus omni honore, ac exiſtimatione cæteroqui digniſſimis, ullo pacto hac in re nequeam ſubſcribere: imo cogar, impellente me nota nimium veritate rei, non modo contrariis aliorum illuſtrium Virorum adductis teſtimoniis eos refellere, verum & iis memetipſum fidenter opponere omnium infimum, ſed fortaſſe præ multis expertum. Puderet me ſane cum quoquam tanta decertare fiducia, ſi de ſubtili quapiam doctrina lis ageretur; ſed ubi diſquiritur factum, quæ de illo ſummillies expertus, ingenue referre, & adverſus Opponentem quemlibet conſtanter ſuſtinere haud erubeſco. Ob id penes me nulla auctoritas in hac materia experimentali magni penditur, niſi ab Auctore illa proficiſcatur, qui per quatuor ſaltem, vel quinque luſtra hoc remedio liberaliter ſit uſus. Atque ob id ipſum in Tractatu meo inter tot Auctores huic Febrifugo uſque ad exceſſum addictos, paucos ſelegi pro Anteſignanis, eos nempe, qui longam, crebram, & rationalem de illo experientiam nacti fuerunt; relictis tor aliis; qui, quamvis miranda prædicent, forſan toto Praxeos illorum decurſu vigeſies Antifebrile iſtud non præſcripſere. Quod de Auctoribus faventibus aſſero multo magis aſſero de adverſantibus; quos inter impoſſibile fere crediderim numerari quemquam, qui pluries, ac pluries, ut opus eſſet, Febrifugum iſtud adminiſtraverit. Atque id duplici quidem de cauſa: primo nempe, quia poſſibile vere non eſt, hujuſmodi Pharmaco crebro uti, & crebro falli, ſaltem ut de noxa poſſit merito quis ſuſpicari, niſi præter rationem prorſus utatur: ſecundo, quia credibile non eſt, quod Vir honeſtus, ac probus, qui ſemel, bis, aut ter eodem uſus, quacunque demum de cauſa, quantumvis irrationabili, ſed ſibi apparenter vera, umbram non levem ſuſpicionis admiſerit, audeat remedium ſibi ſuſpectum deinceps præſcribere, atque, ut cæteroqui expediret hoc caſu, ulterius experiri, ſua jam ſatis ſuſpicione occupatus. Atque hæc præmiſiſſe lubuit, ne poſthac Lector nimiam mihi facile imputet in rejiciendis oppo-

oppositis auctoritatibus confidentiam ; licet hanc quoque omni, quoad sinet veritas, modestia me ubique temperaturum polliceat.

(*a*) (*D. Augustus &c.*) Jam vero objicitur mihi statim auctoritas D. Augusti Quirini Rivini, *Scriptoris*, spectata saltem Libri impressione, *recentis* ; quæ quidem qualitas non parvi facienda in casu nostro. Etenim (ne vel hoc ipsum subticeam) Auctores fere omnes, quantumvis famigeratissimi, qui ante annos plus minus viginti quid sinistri, quidve suspecti de hoc Cortice sibi tunc haud satis noto scripsere ; cum scilicet nondum universalia, ut modo, peracta erant de illo experimenta felicia ; mirum non est, si solo ducti conjecturarum suapte natura fallacium, & rariorum, incertorumve successuum lumine id egerint, suisque in Scriptis mistas identidem laudibus exceptiones, aut suspiciones quasdam protulerint, accuratiori Posterorum indagine discutiendas. Persæpe quoque absque ulterioris veritatis scrutinio *ad unius Cuculis cantum cecinere plures* ; quo dein factum, ut etiam hodie remedium istud egregium damnent nonnulli tantummodo *in Fide Parentum*, aut ad modulum sui captus ; cum tamen, si eis invisendum detur, futurum sit fortasse, ut illud ægre internoscant a Cassia, vel Cinnamomo. Ut igitur redeam ad recentem Scriptorem, cujus Librum, ob locorum distantiam, nondum est datum posse mihi tam facile comparare, omissio illius priore Textu generali, qui nec de *China China*, vel alio *Specifico* Febrifugo quicquam loquitur, neque me (quoscunque fugillet) ullo pacto afficit, cum de qualibet præpostera Febres pellendi methodo possit intelligi, sive id fiat per insigniter evacuantium, refrigerantium, aut humectantium absum, sive per exuberantem sanguinis effusionem, sive alia quavis via minus laudabili, omisso inquam hujusmodi Textu, quippe Corticem Peruvianum usque adhuc minime improbante, ad alterum me converto magis specialem, usuique hujusce Febrifugi minus faventem : siquidem misellus hic Textus, qui per omnes errans Grammaticæ Regulas undique claudicat (luxationem, ut reor, passus, dum dimotus e sede sua) graviore insuper vitio aliquo non laboret.

(*b*) *Idem hoc &c.*) In hoc Textu cum statim ambigat Scriptor ipse, *an adulteratus sit, an genuinus, qui Lipsiæ venditur Peruvianus Cortex*, omnino dicendum erit, ut mos eidem geratur, Corticem illum adulterinum esse, non quidem ob facilem Febrium recursum, quæ post assumptum etiam quandoque germanum Corticem solent recurrere, nisi diutius ille usurpetur, ac repetatur ; imo etiam nonnunquam, rarius licet, quamvis & continuetur, & repetatur usus illius, ut fassus sum in ipso Tractatu meo : sed adulteratum suspicabor ex hoc solum, quod ille *præ cæteris*, ut inquit, *amaris*, *aut Febribugis*, *qualia sunt*, *Radix Gentianæ*, *Centaurium minus*, *Absynthium*, *Carduus Benedictus &c.* *revera nihil peculiare*, *aut tanta laude dignum præstet*. Hic ergo cum non ausim, quasi Corchorus inter Olera, cum Professore Botanices, qualem agnosco D. Rivinum, de re Botanica disputare, quæram saltem, num tanti sit apud ipsum Rivinum Ramazzini auctoritas quanti est apud Ramazzinum auctoritas Rivini. Si pari utrinque, ut reor, passu procedat res, dicam statim ex Cl. Ramazzini effato, ut in *Collatione* alias citata litera B, Chinam Chinam, nedum vulgarium antifebrilium, cujusmodi sunt Gentiana, Absynthium, Centaurium, &c. sed & *Alexyperitorum omnium*, *quotquot excogitavit Antiquitas*, *aut Chymicorum solertia conflavit*, *esse facile Principem*. Cum vero hoc ipsum Judicium suum in præsenti Dissertatione retractare, aut revocare studeat idem, qui protulit Cl. Ramazzinus, appellare demum liceat ad supremum Tribunal universæ Reipublicæ Medicæ, instando enixe, declarari communibus Medicorum Febrifugum hoc expertorum suffragiis, an *sincerus*, & *genuinus* Peruvianus Cortex in sistendis, & statim, & semper, Febrium Intermittentium paroxysmis, præstet revera aliquid peculiare *præ cæteris amaris*, *aut Febrifugis* superius recensitis. Proh magna Europæorum Mercatorum cæcitas, qui ex America Chinam Chinam ad nos asportant, cum satius foret, Absynthium, & Centaurium nostrum ad Americanos devehere ! Quod si ad Posteritatis Tribunal Causæ hujuscemodi examen placeat prorogare, nullus dubito, quin decantatis Veterum Febrifugis cum China China collatis id sit eventurum, quod olim Cristis Gallinaceis in Pavonis Caudam velitantibus contigisse, falsæ fabulatur Celius Calcagninus in suis Apologis. Cum enim illæ in *summo* capitis *fastigio* promittentes, Pavonis Caudæ insultarent, quod *postremissimo loco* nata esset, scopæque instar terram verreret ; *Respondeo his*, *inquit illa*, *quum vos pallidulæ*, *ac ætate exesæ*, *e militari cono me hostibus minitantem suspicietis*. Sed ad nos iterum.

Evincit quoque, Chinam Chinam, quæ Lipsiæ venalis prostat, *sinceram* non esse (quod suspicatur & Langius Professor Lipsiensis) evincit, inquam, idipsum assertio altera ejusdem D. Rivini, nempe, a Peruviani Corticis usu *interdum* tantum, & *aliquando Febrem detulisse* : *in aliis illum*, *& frustraneum*, *& nocuum extitisse*, bono enim, & *germano* assumpto Cortice, si depulsa Febris dicatur etiam solum *velitescere*, id saltem non contingit *interdum*, sed *semper* ; adeoque in hoc sensu ne evadit ille unquam *frustraneus* ; dummodo Febris sit, vel Intermittens vel de Intermittentium prosapia, quod omnino requiritur. De *noxa* vero, quæ nonnisi ab uno præpostero, ut diximus, potest procedere, loqni amplius plane directo, Revera ut hæc omnia, quæ obtruduntur, queant subsistere, non aliud conjectare licebit, nisi quod hic Scriptor loquatur promiscue de Febribus omnibus, tam continuis, quam

Inter-

Intermittentibus : quo ſolo caſu plura ex dictis poterunt haud difficulter admitti. Nec forſitan emendicatam quis dixerit iſtiuſmodi conjecturam ; quandoquidem §. 35. hujuſce Diſſertationis ex Cl. Ramazzino habemus, abſque eo quod aliunde quæremus, in Actis Lipſienſibus improbari uſum Chinæ Chinæ, in Conſtitutione quadam Uratislavienſi anno 1699. univerſaliter adhibitæ (& quidem perperam) ad *Febres continuas populariter graſſantes*. Forſan & illuc reſpicit hujuſce Lipſienſis pariter Scriptoris.

Cæterum cum adducta illius auctoritas, prout jacet, non congruat experientiæ meæ ; neque id ego præſumam, ut mihi potius, quam illi acquieſcat quivis hoc remedium nunquam expertus Lector (expertos enim jam inter meos connumero) fas ſit, omiſſis tot aliis, qui ſimul congeſti efficiunt, ut *de hoc Remedio jam habeamus Pandectas*, recentem aliquem Auctorem Lipſienſem pro Conciliatore noſtro ſeligere, cujus Scripta approbet, ac magni faciat ipſe D. Rivinus. Sit iſte celebris Chriſtianus Johannes Langius ; cujus Opera Medica omnia, duobus ampliis voluminibus comprehenſa, edita ſunt Typis pariter Lipſienſibus anno 1704. *curante*, ut legitur in fronte illorum, eodem *D. Auguſto Quirino Rivino Patholog. atque Botanices P. P.* ut nempe ſui *conjunctiſſimi Affinis* (quemadmodum ipſe ad Lectorem præfatur) labores ac Scripta Cedro digna, & Orbi perutilia commendaret immortalitati. Cum ergo in his Langianis operibus reperiatur part. 3. Volum. 2. pag. 361. *Diſputatio* diſertiſſima *De Chinæ Chinæ virtute febrifuga*, in qua quicquid ferme in eam uſque diem a diverſis Auctoribus tum in approbationem illius, tum etiam in contemptum prolatum fuerat collectum, examinatum, & diſcuſſum viſitur ad pag. 375. idcirco ad id ſaltem me refero, quod in ea Diſputatione adverſus Obtrectatores Corticis adſtruit Vir ille Celeberrimus : etſi fatear omnia, quæ in ea Lucubratione ab eodem Langio traduntur, etiam de favorabilium numero, mihi non ſemper probari, ut qui ſuſpicor, haud completam ſufficienter fuiſſe defectu temporis Viro illi Clariſſimo, anno ætatis ſuæ e vita functo, hujuſce Febrifugi elegantiorem praxim. Interim ſaltem ; quod nobis præcipuum eſt, reponere liceat, illa eadem quatuor Amara Febrifuga, a D. Rivino Chinæ Chinæ, non quidem prælata (ut illa huic præfert Cl. Ramazzinus) ſed tantum æque parata, & æque commendata, nempe *Centaurium minus*, *Abſynthium*, *Carduum Benedictum*, & *Gentianam Radicem*, illa inquam eadem nominatim in citata Diſputatione a Cl. Langio Chinæ Chinæ ita poſthaberi, ut ſecundum ipſum pag. 372. *His, aliiſque*, ut inquit, *hujus generis pluribus Medicamentis Antifebrilibus, quæ ordine recenſere nimis eſſet prolixum, extra controverſiam præripiat palmam China noſtra Chinæ, dubio ſine ex ſua ſingulariſſima textura &c.*

Tandem quoniam hiſce Langianis Diſputationibus D. Rivino *Placuit* (ipſe ſic Lectorem admonet) *in margine breviter annotare, quæ prolixius in contextu pertractantur, ut hoc felicius contenta evolventi, & vel obiter inſpicienti appareant*, referam ipſius D. Rivini verba, pag. eadem 372. Paragrapho 50. in margine appoſita, quæ ſic habent. *China China reliquis Antifebrilibus antefertur*. Antefertur equidem, fateor, a Langio, ſed a Langio Practico egregio, Scriptore recenti, D. Rivini Diſcipulo, illiuſque conjunctiſſimo Affini ; atque idipſum patitur, & ſponte ſtudet exſcribere, ac annotare ſine ulla limitatione Præceptor ipſe D. Rivinus, forſan ut quadam veluti approbatione fortuito appoſita, propriis ipſius verbis lis hæc dirimatur. Quod ſi denique ipſi D. Rivino Scriptori recenti recentiſſimum aliquem quis opponendum velit, is legat D. Bernardinum Zendrinum, qui in ſuo de China China Tractatu, Typis Venetis hoc ipſo anno 1715. edito, ſenſa ubique profert ſenſibus D. D. Ravini, & Ramazzini aperte contraria (reliqua ejuſdem Tractatus non eſt quod perſequar, aut perquiram curioſus) ne verbum quidem habens de hac Ramazziniana Diſſertatione, paulo ante Patavii impreſſa, & apud Venetos Bibliopolas publice proſtante : indicio manifeſto, tam rationes Cl. Ramazzini, quam auctoritates D. Rivini, & aliorum contra Chinam Chinam allatas, libero huic Scriptori nullum negotium faceſſere valuiſſe ; ſed exoleviſſe neglectas.

§. XXIX.

(a) UTilior *forſan* eſſet Corticis Peruviani uſus in febribus intermittentibus, ſi tales ab initio dignoſcerentur, obſervantur enim aliquando tertianæ febres vere intermittentes, ſed mali moris & perniciosæ, (*b*) *de quibus Mercatus* peculiare Caput habet, quales febres Hippocrati non prorſus fuerunt ignotæ, in ſeptimo enim Epidemiorum hæc habet verba. (*c*) *Cholericæ affectiones magis in æſtate fiunt, & febres intermittentes, & quibus horrores accedunt, hæ quandoque malignæ fiunt*. In hujuſcemodi caſu (*d*) *ſi aliqua* pravitatis ſigna ſe prodant, quæ ut plurimum obſcu-

obſcura ſunt, & Medicos fallunt, non alienum erit hujus Febrifugi uſum pertentare, *periclitari enim oportet, cum morbus periculoſiſſimus eſt*, ajebat Hippocrates.

HActenus conatus eſt Cl. Auctor oſtendere, *amethodicum* eſſe, & *irrationalem* uſum Chinæ Chinæ, *ſuapte natura*, ut inquit, *doloſæ*, ac ſuſpectæ, tum univerſaliter loquendo, tum etiam peculiariter in Febribus Intermittentibus, nullam malignitatem præſeferentibus, in quibus, ut vidimus, non ad cautionem omnimodam (quæ hoc remedio obtenta ipſo Judice noxia foret) ſed ad inducias ſolummodo aliquot dierum impetrandas, dummodo adſit certitudo de illarum reditu, nonnumquam permittit: doſi tamen ſatis exili, quippe non repetita, imo & in nonnullis tantum, non omnibus uſurpanda Ægrotantium generibus. Cuncta hæc fere ex diametro opponuntur iis, quæ de innocua hujus Remedii ſubſtantia, uſu illius, & doſi, ad Febres Intermittentes *non malignas* abigendas, toto primo Libro Therapeutices meæ præmiſi; ut propterea idem primus ſcopus unicus hucuſque fuerit caſtigationis a Cl. Auctore in anteactis tentatæ. Huic tamen labori ſuo forſitan pepercifſet, ſi primam, & alteram tantummodo paginam Libri ſecundi non renuiſſet evolvere; ubi apertiſſimis notis (quod a Lectore velim conſiderari) me nullatenus repugnantem polliceor cuilibet, qui in *benignis* Intermittentibus Peruviani Corticis opera uti recuſet: cum eo Febrifugo ipſe quoque in iiſdem Intermittentibus non admodum frequenter utar, quippe pro *Depurativis*, ſeu *Perfectivis* ſæpius a me habitis.

Enimvero etiamſi contendere velit Cl. Auctor, vel alius quiſpiam, ſolam efferveſcentiam febrilem etiam periodicam, eſſe inſtrumentum *unicum* depurationis Fluidorum; atque hanc depurationem eſſe igitur a Natura, pauco adminiculante remediorum apparatu, nobis expectandam, uſquequo ſaltem magnum non ſuperveniat, impendatque periculum: adeoque *nullum* unquam eſſe locum, hac ſemota conditione, oblationis cujuſvis *Specifici*, quod cito paroxyſmos ſiſtat abſque criſi valde copioſa, & palam ſenſibili cujuſmodi nullum adhuc præter Chinam Chinam repertum eſt) ego ſane ita ſentientem nullo pacto refellere aggrediar, quantumvis forſan rigide nimis ſentientem. Neque me ab hoc propoſito dimoveret quiſpiam alius, qui minime innixus hujuſmodi ratiocinio, haud plane forſitan contemnendo, ſed quavis inepta, aut futili motus ratiuncula, hoc ipſum tamen in re faciendum vellet. Etſi id rigoroſe ſemper exigere in praxi, ſæpe non cedat in proximi utilitatem; neque tamen cedit in evidens, & graviſſimum damnum illius, ut contingit, quoties quis in periculo, & *certo*, & gravi, *certum* pariter hujuſce Febrifugi a Deo dati ſpernit auxilium. Cuilibet propterea, qui duræ adeo cervicis non ſit, at in extrema etiam anguſtia Remedium iſtud ablegandum judicet (iis videlicet in Febribus, iis in circumſtantiis, eaque Methodo adhibita, de quibus abunde in Tractatu meo) cuilibet inquam hæc, quæ putarim negari non poſſe, facile admittenti, etſi in reliquis dein omnibus adverſanti, abſit, ut unquam ſuccenſeam, ut qui nullam hinc aſſertis meis, ſaltem potioribus, injuriam, nullumque grave (quod majoris momenti eſt) Praxi Medicæ damnum fateor inferri.

Sola itaque oppugnatio *Methodi* meæ in *Perniciosis* a me deſcriptis evulgatæ, ſola inquam hæc, ſi forte a Viro quopiam exiſtimatione digno (quod vix crediderim poſſe contingere) tentaretur, potis eſſet me commovere nonnihil; nullus tamen impugnatoris, utut Celebris, rationem haberem, niſi ſe profiteretur ſatis expertum; qui autem rite expertum poterit ſe profiteri, rationem impugnatoris habere nequibit. Pro uſu vero qualicunque alio Peruviani Corticis in *vulgaribus* Intermittentibus, pro quarum curatione nil fere ſpeciale prodidi, quod a pluribus ante me non fuerit annotatum; nec ea mihi propenſio eſt, nec illud otium, ut velim decertare, & Cauſam, quam cum tot Viris pari voto mecum ſentientibus habeo communem, mihi uni advocare. Atque ideo ſi intra hoſce cancellos ſubſtitiſſet, ut hactenus ſubſtitit, Cl. Viri diſſenſus, omne profecto illius, etſi alicubi valde peculiares, ac acerbiuſculas animadverſiones tuliſſem tacitus; verum eas jam uſquequaque ad nimietatem exuberaſſe, in bonæ ſimul praxeos, & veritatis detrimentum; atque ita quidem, ut tantum qui ſteterit non videat, paulo infra clarius patebit. Quod autem palam cœpit.

Omnibus & Lippis notum & Tonſoribus eſſe, id certe a me citra quoddam dedecus amplius diſſimulari non poterat. Et porro diſſimulare religioni mihi ducerem, cum publica potius res agatur, quam mea; nec exinde minus quam exiſtimatio mea, periclitetur Reipublicæ utilitas. Jam vero his interjectis pro Lectorum pleniore notitia, Animadverſionum Cl. Auctoris ſimulque Reſponſionum mearum filium reſumo.

(a) *Utilior forſan &c.*) In hoc Paragrapho Vir Cl. tertii præcipue Libri Therapeutices meæ, quippe potioris, aſſerta quadantenus infirmare aggreſſus (id enim ex aſſe conficere haud ita planum) progreditur ad expendendum, quem locum in Tertianis Intermittentibus *Perniciosis* a Mercato deſcriptis, queat habere Peruvianus Cortex. Atque hic, priori depoſita ſeveritate, duo admittit non exigui ponderis; unum quidem abſolute, alterum conditionaliter tantum. Quod abſolute concedit, eſt, Febres Tertianas *malignas*, & *Pernicioſas* a Mercato deſcriptas eſſe *vere Intermittentes*; itaut (quemadmodum ſubdit §. ſequenti) *ad perfectam apyrexiam deveniant*. Mirum autem viſum eſt mihi, quod Cl. Auctor admittat, Febrem adeo ferocem,

quæ

quæ fieri hominem peſſime exercuit, & cras eſt nedum reverſura, ſed & eundem ſtatim interemptura, hodie illum plane dimittat, *nec concentrata tacite cubet, nec corpus illius tacite depaſcatur*; cum omnia hæc mala contingant, neque *unquam amplius homo ad veram, & perfectam apyrexiam pertingat* ex Cl. Auctoris effato §. 25. & 27. quoties Tertiana Febris *benigna* curatur Peruviano Cortice, poſt duas tantum hebdomadas forſitan reverſura, & facile iterum receſſura. Alterum, quod conditione appoſita admittit pariter Vir Cl. eſt, Febrifugum iſtud utilius *forſan* (nec enim certo) eſſe poſſe *in Malignis Intermittentibus, ſi tales ab initio dignoſcerentur*. Addo ego & *etiamſi tales ab initio non dignoſcerentur*, ſed Medicum fallerent, dummodo in illa ipſa acceſſione, qua tandem dignoſcuntur, Æger non pereat, ſed in alteram acceſſionem prorogetur illius vita, ut ut frigidus, & arteriarum pulſu fere omnimode deſtitutus, expirare videatur: in his enim quoque circumſtantiis ille, fere dixerim certo, China China ſecundum Methodum meam oblata reſtituitur. Imo ſæpe etiam, etſi non tam certo, reſtitui poterit ſola uſurpata Mortoni Methodo, qui Febres haſce in extremum, quod modo diximus, diſcrimen hominem adducentes, graphice deſcribit, & China China non raro feliciter curat, ut videre eſt, tum apud ipſum, tum Lib. 2. Tractatus mei pag. 113. ubi Caput peculiare iſtius Auctoris recuſum viſitur, & Scholiis meis additis etiam ulterius dilucidatum. Quod ejus Methodo in uſum ducta poteſt *ſæpe* contingere; mea ſimiliter adhibita ſolet contingere *ſemper*, aut fere *ſemper*. Experiantur ter ſaltem, aut quater increduli, dummodo ingenui: meque tunc, ſi tanta illos teneat fiducia, mendacii redarguant. Quod ſi eas *ab initio* per ſua ſigna, perque ſuos peculiares characteres *dignoſcendas* velit Cl. Auctor, ut curationi ſuſcipiendæ fiant opportuniores; id ex profeſſo me per extenſum ſcio tentaſſe haud oſcitanter, forſan & integre præſtitiſſe, Cap. primo Libri 3. Mercato præſertim, & Mortono præeuntibus.

(*b*) (*De quibus Mercatus &c.*) Mercatus itaque non *unum peculiare Caput habet* de hujuſmodi Febribus, ſed *multiplex*; illiuſque Tractatulus de hac materia vere aureus eſt, ac utiliſſimus, etſi non admodum comptus; adeoque plurimis philologico ornatu luxuriantibus longe anteferendus. Primus ille fuit, qui ferociſſimas haſce Febres obſervarit, exactiſſime ſecundum varias illarum ſpecies deſcripſerit, ac pro more ſuorum temporum peculiariter curare docuerit. Et tamen incurioſa Poſteritas nullum inde traxit emolumentum, adeout major Scriptoribus omnibus fuerit ſolicitudo ſcribendi quodammodo ad pompam, ne dicam ad Lectoris ſtomachum, de *benigna* Intermittente Tertiana, quæ neminem, quouſque talis manet, tollit de medio, quam veſtigiis Mercati inhærendo, quidquam ſcribendi de *Perniciosa*, & ex ſe fere ſemper lethali. Excipe Lector Mortonum qui de Mercati Scriptis, ut licet conjicere, minime conſcius, propria nihilominus obſervatione eaſdem Febres (minus dilucide quidem) expoſuit; quodque laudaudum magis, feliciter curare docuit Peruviano Cortice, rebus etiam in præceps lapſis, liberaliter oblato. Utriuſque Auctoris ſcripta circa hanc materiam habens recuſa in Therapeutice mea Speciali, Scholiiſque meis haud plane forſan inutilibus adaucta: quæ ſimul omnia ſecundum Librum conſtituunt ejuſdem Operis, ut nuper innui.

(*c*) (*Cholericæ affectiones &c.*) Textus hic Hippocratis a Cl. Ramazzino allatus quaſi quid peregrinum, ille idem eſt, quem primo obſervavit Mercatus, biſque de eodem meminit, Valleſii ſimul expoſitionem indigitans. Ego & Textum a Mercato citatum, a Cl. vero Ramazzino nunc recitatum, & ipſam Valleſii expoſitionem in Scholiis adduxi. Cuncta videbis apud me, primo pag. 90. ſecundo pag. 98. & 99. Sed hæc forſan, utut repetita, debiliorem Viri Cl. obtutum ſobterfugere.

(*d*) (*Si aliqua &c.*) Tandem fatetur Cl. Auctor, in hiſce Febribus; *ſi aliqua pravitatis ſigna ſe prodant; quæ ut plurimum obſcura ſunt, & Medicos fallunt, non alienum eſſe* (rectius dixiſſet, neceſſarium eſſe) *hujus Febrifugi uſum pertentare*. Hæc una confeſſio mihi ſufficeret, niſi ea ſtatim infirmaretur ab exemplis per eum allatis; quodque pejus eſt, commentitiis. Sed de his quam mox. *Non alienum* itaque putat ille uti China China in intermittentibus Perniciosis, *ſi aliqua pravitatis ſigna ſe prodant*: cum vero iſtiuſmodi ſigna, ut inquit, *obſcura ſint, & Medicos fallant*, Theſis vix ſtatuta ſtatim vacillat. Saltem (fidenter ſubdam) obſcura non erunt ſigna pravitatis, cum Æger in anguſtiis ſupra recenſitis conſtitutus, non ſine maxima difficultate febrilem paroxyſmum incipit vix vivus tranſigere. In hujuſcemodi caſu, ni prius dignota ſit Pernicioſa Intermittens, offeratur a curante Medico Peruvianus Cortex; ſed bona venia Cl. Auctoris, non ad drachmam *unam*, vel *duas* (neque tamen *ad uncias, & uncias*) exhibeatur: ea ſiquidem puſilla doſi præſcriptus, nec cito dein, ac pluries, ſaltem ad Mortoni, vel Sydenhami mentem repetitus, id aget ſolummodo, ut Vir Cl. poſſit jure, ac vere teſtari, quod nonniſi declamando teſtatur Paragrapho ſequenti, *paucos* nempe *qui evaſerint, ſibi fuiſſe obſervatos*. Secus vero fiet, ſi exhibeatur idem Cortex Methodo validiore, ſed congrua, & rationali, qualem in Therapeutice mea docui Cap. 3. Lib. 3., felicemque jugiter perplurimis Exemplis oſtendi.

§. XXX.

Memini me vidiſſe Mutinæ variis temporibus Conſtitutiones quaſdam tertianarum febrium intermittentium, ſed malignarum, quæ tertia quaque die ſuas habebant acceſſiones cum rigore, & more ſolito per ſudorem fiebat ſolutio, ut ad perfectam apyrexiam devenirent, ſed quarta, aut quinta acceſſio tanto rigore invadebat, ut ægri non amplius incaleſcerent, concentrato pulſu, ac toto corpore perfrigerato, nec multo poſt interierint. In tam gravi, ac ſubita tempeſtate Medici tamquam e gravi ſomno excíti, cum antea ſuper utramque aurem, ut dici ſolet, obdormirent nil tale expectantes in febribus, quæ cum frigore, & rigore accederent, abſoluta infebricitatione poſtmodum ſubſequente, tumultuarie ad ſacram ancoram Chinæ Chinæ ad uncias in vino infuſæ confugiebant, ſed incaſſum, paucos enim evaſiſſe obſervavi.

(*Memini &c.*) MEmini & ego quod meminit Vir. Cl. varias ſcilicet Mutinæ contigiſſe Conſtitutiones Perniciosarum Intermittentium, quæ non ea ſolum, qua narrat via, ſed valde multiplici, in Tractatu meo ordinatim expoſita, Ægrotantes non paucos *ante repertam Methodum meam* (id namque addere neceſſe eſt) *Peruviano Cortice penitus intentato*, trahebant repente, ac inopinato ad interitum. Sed ſimul memini, debuiſſetque & ille meminiſſe teſtis de viſu, plurimos alios ejuſdem generis Ægrotos, ne dicam omnes, eadem Methodo curatos, ocyſſime pariter, ac inopinato *evaſiſſe*. Saltem quot vidit ille Perniciosis hujuſmodi Febribus laborantes, quibus ego meam Methodum adhibuerim, tot vidit repente reſtitutos; pereuntem vero neminem. Et ſiquidem ullus ſiuceræ Inductionis locus concedatur; nonne vidit ille me duodeviginti abhinc annis, cum mihi graviter decumbenti tam humaniter adſtitit (medicas enim manus nobis invicem pro re nata præbebamus adjutrices) nonne inquam vidit, poſt latam a memetipſo, atque ab eo citra diſſimulationem admiſſam de imminente mea morte ſententiam, epoto, doſi quidem maxima, unoque hauſtu, ad ſex videlicet uſque Drachmas Peruviano Cortice, omiſſa poſtmodum conſulto repetitione Remedii, ab Orci faucibus illico ereptum, ut fuſe in Therapeutice mea pag. 187. atque ita quidem ereptum, ut ab eo tempore (ſuperato videlicet novo Febris inſultu, quem tunc præcavere non libuit) firmiorem ac antea in hanc uſque diem traxerim valetudinem? Nonne pariter alios Ægrotos inſpexit hujuſce ordinis, quandoque etiam mihi ſocius in curatione, eodem remedio ſtatim ſanatos, nec ullo amplius morbo tentatos; Hujuſmodi ſortem fauſtiſſimam experti ſunt, tum Æger ibidem a me deſcriptus pag. 85. anno videlicet 1695. uſu Corticis Peruviani, Viro Cl. tunc ſalice conſentiente, curatus; tum alter eodem remedio, me præſcribente, ipſo vero deſperante reſtitutus an. 1707. de quo pag. 255. & adhuc vegetus, etſi jam ſenex: ut plures omittam, de quorum Ægritudine, & cura omnimoda pariter certitudinem habuit, quamvis ad eos invilendos vere non acceſſerit. Aſt hæc narrantur, & narrata ſunt a me; fortaſſe vero non admitterentur (inquiet aliquis) a Cl. Ramazzino, ſi reſpondere potis eſſet. Scripta ſunt a me (ſubdam) & a Viro Cl. lecto, nec tamen negata; licet omnem lapidem moverit ille, ut aſſerta ſua exemplis quibuſcumque, ac undecumque conquiſitis, imo etiam interdum minus germanis, fulciret; mea vero enervaret. Uſque tamen libet eumdem audire, hæc ante biennium, anno ſcilicet 1712. de China China locutum in Diſſertatione *De Contagioſa Epidemia*, *quæ in Boves irrepſit* pag. 37. ut in retuli in *Collatione* Textuum illius lit. H. *Equidem hoc præſidii genus in Febribus periodicis miranda præſtat, ac præſertim in Tertianis Intermittentibus malignis, quæ in ipſo impetu acceſſionis ægros interdum necant &c. hoc enim Febrifugum fermentum illud malignam ſive penitus reſtinguit, ſive ita enervat, ut periculum illud collatur, ne Æger in ipſo Febris acceſſu intereat.*

Hic ergo quæro: Si Cortex Peruvianus *in Malignis Intermittentibus*, ipſo Judice, *miranda præſtat: ſi Fermentum illud malignum, vel penitus reſtinguit, vel plurimum ſaltem enervat*; tandemque *ſi periculum illud tollit, ne Æger in ipſo Febris acceſſu intereat*; cur tot additis limitationibus, cur tanta incertitudine, ac mutatione, verboque *forſan* interjecto, protulit §. antecedenti, *Peruvianum Corticem in iiſdem Malignis Intermittentibus eſſe poſſe forſan utilem, ſi tales ab initio dignoſcerentur?* item, *non alienum eſſe, uſum illius pertentare, ſi malignitatis ſigna ſe prodant, quæ tamen obſcura ſunt, & Medicos fallunt &c.* Rurſus ſi ve-

re, ac absolute ille utilis est in hujusmodi casibus, & incunctanter usurpandus, eo quod in *Malignis Febribus, præsertim Tertianis vere miranda præstet*, ut ante biennium asseruit, ubinam gentium quæso, ubinam terrarum miranda hæc observavit, aut commodius observare potuit ille, quam Mutinæ; imo etiam, ausim dicere, quam me præscribente? Si vero Mutinæ, ea miranda vidit, quæ prædicat, ubi vere vidisse certum est ex antedictis, qua animi fiducia nunc jactat, Mutinenses Medicos pro curandis hujusmodi Febribus *tumultuarie ad Sacram Anchoram Chinæ Chinæ incassum confugisse, ac perpaucos evasisse sibi observatum?* Habet profecto quid admirabile hæc inconstantia, eoque admirabilior ea est, quo brevioribus distincta temporum intervallis. Etenim Textus nuper citatus, ingenuus plane ac etiam ultroneus, vix quatuor mensibus præcessit ortu Therapeuticen meam, ea vero vix in lucem edita, statim conceptum suum sortita est, ortaque nuper hæc Viri Cl. Dissertatio, Auctori æque suo infensa, ac Operi meo.

§. XXXI.

Succurit nunc mihi funestus casus Domini Francisci Guidoni, qui ex hujusmodi febre misere oppetiit; laborabat Vir iste Nobilis media æstate tertiana febre, quæ exquisitæ speciem referebat, ut altera die prorsus apyretos esset, & e lecto si vellet posset exurgere, die quinta h. e. quinto circuitu accessit febris tanto rigore, & frigore una cum mentis stupore, pulsu exili ut vix perciperetur, unde Medicus ad visitationem pro more accedens, ad ægri adspectum attonitus institit me non procul habitantem subito pro Consultatione acciri, in qua Vir ille cæteroqui doctus ingenue confessus est se deceptum a febre, quæ tertianæ exquisitæ morem, & leges omnino servabat, nullo se prodente pravitatis signo. Proposuit ille Peruvianum Febrifugum more suo propinandum, annui ego memor dicti illius, quod habet Celsus, *in præcipiti periculo multa recte fieri alias omittenda*, sed altera die aphonus, & gelidus æger mortuus est.

HUcusque tribus, vel quatuor Casibus a tempore valde diutino emendicatis, inter tot, quos ipse referre se posse identidem obtrudebat, parum profecit, nihilque probavit Cl. Auctor. Et quotiescumque etiam ii pleno robore constitissent, nec potuissent rejici a me ea facilitate, qua sunt rejecti, ut exempla probationis invalidæ, quid quæso a Viro Cl. probatum foret, ubi agebatur de usu Peruviani Corticis in Intermittentibus tantum diuturnis, & cæteroqui *benignis*, cujusmodi curationum felicissimarum ipse plusquam quingenta, si omnium memor essem, tribus illis, aut quatuor ab eo recensitis opponere possem exempla? Forsitan modo, ubi agitur de re valde gravi, videlicet de oblatione ejusdem remedii in Febribus Intermittentibus quidem, sed *Perniciosis*, atque lethalibus, fortioribus exemplis utetur, nec ullam exceptionem admissuris; ut nempe Quartum Librum meæ Therapeutices impugnaturus, Historias in eo contentas, quippe felices, funestis ab ipso mox afferendis infirmet.

(*Succurrit &c.*) Jamque memetipsum armis meis confundere aggreditur, unius ex meis Ægris Perniciosa Tertiana confecti casum opponens, ipse paulo ante mortem ejusdem Ægrotantis in consilium accitus. Sed hæc quoque narratio variat in pluribus; & primo in circumstantia gravi, quæ vel ipsa dirimit Matrimonia: adest quippe *error personæ*. Non enim *D. Franciscus* Guidonius, qui multo ante obierat Apoplecticus, neque a me fuit umquam curatus; sed *D. Antonius* Francisci, & Opizonis frater fuit, quem Pernicios illa Febris sustulit; ille vero Medicus ego fui (atque hinc dignoscat quilibet, an Censoria virgula Viri Cl. me peculiariter petat, & an ictum, auras licet, non me sugillantem, queam dissimulare) ille inquam ego fui, qui me deceptum fassus sum a tam celeri prolapsu in illud exitium, quod tardiuscule forsitan, & lentius eventurum a longe fueram suspicatus. Neque enim adeo deceptus fui, quin futurum mentis stuporem tempestive prænoscens, priusquam scilicet Æger in præceps rueret, curarim, ut ille rebus suis, animæque consuleret: cujus rei solicitudo me impulit, ut D. Marco Antonio Origono Sacerdoti, Ægrotantis familiari, viventi adhuc, & memori, negotium anxie committerem (quod ille egregie præstitit) quoniam Uxorem de imminente periculo haud rebar satis adhuc persuasam. Cæterum nec morbi series, qualis a Cl. Viro describitur, nec alia minutiora mihi uni nota, non illi, qui cuncta habuit ex relatu meo, & quorum

rum facile poſtmodum erit oblitus, cum re ipſa concordant. Utcumque tamen hæc fuerint, certum eſt, Virum illum Nobilem ex Pernicioſa Febre, primo Intermittente, mox Subcontinua, & repente ſoporoſa (quo caſu quis forſan alius, ſubortam ex improviſo Apoplexiam, vel vafre, vel ſtolide pronunciaſſet) præcipiti lapſu occubuiſſe. Me veſperi faſſum eſſe Cl. Ramazzino, qui poſt adminiſtrata ob prævifum opportune periculum Sacramenta Eccleſiæ fuit in conſilium vocatus, deceptum memetipſum a motu morbi ſupra ſuſpicionem quoque meam matutinam citiore verum eſt, ultroque fateor, me alias etiam magis deceptum, inſcio licet Viro Cl. ac ſi diutius vivam, magis adhuc forſan decipiendum. In hoc tamen uno me tum deceptum ſum faſſus; quod tempus adhuc mihi ſufficiens pro China China venturis acceſſibus exhibenda futurum eſſe antea conjectaram; cum tamen ob excidium immodice præceps amplius ea nequiret adminiſtrari. Hoc ergo ſolum nomine, quod nullus ei locus eſſet, de Peruviano Cortice mentionem habui. Oblatum vero fuiſſe huic Ægrotanti, aut propoſitum a me Remedium hujuſmodi, ut fidenter aſſerit, brevique verborum ambitu affabre circumſcribit Cl. Auctor, ſumma dixerim illius etiam non viventis pace, ne per ſomnium quidem conſonat veritati. De aſſertorum meorum honeſtate, nec ipſi, ſi quos novi, Obtrectatores mei ſolent ſuſpicari. Proſtant nihilominus apud Pharmacopolam *Hortenſium Candrinum*, Virum probum, honeſtumque Schedulæ meæ, Adverſaria propria, & Codices fideles, ac integerrimi, lituram non admittentes, unde cuicumque lubeat, vel curæ ſit, facile datum eſt certiorari. Ibi cuncta cernuntur, quæ uſui fuere, & inter cætera a Cl. Viro propoſita, mihique ſtatim probata, Ceratum Veſſicatorium, & Lapis Bezoarticus, quæ forſan Celeberrimum imitatus Sanctorium, *in fide Parentum* propoſuit.

Hallucinationem tam maſculam, quod nempe obtrudat ille pro oblato minime oblatum hoc caſu, imo neque propoſitum Peruvianum Corticem, abſit ut exprobrem Cl. Auctori, pie quippe quieſcenti, deque his omnibus ſibi nunc vanis forſan ridenti; in cujus obſequium lapſam forte longa die memoriam tantum culpabo. Id unum innuam Lectori; obſtupuiſſe me non parum, cum primo hæc legiſſem, miratus nempe quomodo Vir circumſpectus, ubi de Facto agitur, hujuſmodi commentitia *tam fidenter, tam animoſe* ſcripſerit, *ut illi non ſudarint præcordia* (quemadmodum loqui conſuevit ille §. 11. *ob metum de improſpero eventu*: improſper namque illi eventus eſt, ſe fuiſſe iſthæc narrando deceptum, vel eum videri, cui fuerit animus alios fortaſſe decipere. *Atque hæc Corinthiis audientibus, & ſatis ſcientibus recitat?* ajebat olim Lucianus de quodam Hiſtorico nugatore, apud Corinthios ſe vidiſſe jactante; quæ illum neutiquam vidiſſe ipſimet norant Corinthii.

Obiit itaque Vir ille Nobilis, Peruviano Cortice ne propoſito quidem plane jejunus; quandoquidem præceps illius lapſus, in Subcontinuis cæteroqui Febribus, cujuſmodi hæc evaſerat, haud ita repente fieri ſolitus, contigit præter ordinem quoque; inclinante videlicet die minoris afflictionis: erat enim ea Febris Tertiana duplex, ab initio tamen penitus intermittens. Cum vero paucis horis diſtaret potior, & plane lethalis acceſſio; jamque patenter incœptum eſſet præcox præter morem exitium, lethalia prorſus de more paulo poſt incrementa ſuſcepturum, ab exhibendo incaſſum imo & proponendo Febrifugo abſtinendum duxi, *ne quem ſervare* illud *non poterat, occidiſſe videretur*. Scilicet Virum jam conclamatum, & poſtridie, ut patefecit eventus, moriturum, poſtridie quoque ab epoto minime cruciante Peruviano Cortice (ſi forte fuiſſet exhibitus) occubuiſſe, fuiſſet certe, ut infra §. 48. *amaris Chinæ Chinæ potionibus miſerum Ægrum conficere*: interiiſſe vero deglutito Lapide Bezoartico, & Veſſicantibus Emplaſtris inaniter divexatum, fuit, illum pro viribus Artis dubio procul reficere. Sicuti ergo perperam culpatur hoc caſu non aſſumptus, neque præſcriptus Cortex; ita perperam culparetur, ſi morituro fuiſſet incaſſum exhibitus. Revera nonne quotquot obeunt, obeant neceſſe eſt non multo poſt aſſumptum, vel cibum, vel potum, vel cardiacum meditamentum, vel quid aliud æque innocuum, niſi ex inedia deficiant? Nonne pariter identidem poſtridie ab epoto ſolvente, aut leniente Medicamento pereunt Ægroti, quos tamen non Leniens illud pro innoxio habitum, ſed Fatum eorum dicitur ſuſtuliſſe? Exempla ſane hujuſmodi, inculpato nihilominus Remedio ſimul ac Medico, haud infrequenter occurrunt in praxi. Unum liceat hic referre, non quidem ut defunctum Antagoniſtam retaliem, ac quodammodo viciſſim criminer, ſed ut inopinata quodammodo quandoque artis infortunia haud intempeſtive commemorem; unum, inquam, liceat referre de Viro Nobili, *dum caſus, qui in gente vulgari contingunt*, ut ajebat §. 20. Cl. Auctor, *ſine rumore terra obtegit*. Nimirum *ita res accendunt lumina rebus*: quemadmodum enim ſub initia hujuſce Paragraphi *ſuccurrebat* in rem ſuam eidem Cl. Auctori *funeſtus caſus D. Antonii Guidoni*, Franciſci nomine inconſulte appellati, ita in rem meam

Succurrit nunc mihi, & quidem ſuccurrit certa reminiſcentia (multoque magis hujuſce eventus deberet meminiſſe, ſi viveret, idem Cl. Auctor) *funeſtus caſus D. Honorii Barocci, qui ex hujuſmodi infortunio miſere oppetiit. Laboraverat Vir iſte Nobilis* levioribus quibuſdam ſed diuturnis Febribus, a quibus jam ferme convaluerat, vel ſaltem adeo leviter affici videbatur, *ut jam e lecto exurgeret, poſſetque, ſi vellet, etiam e cubiculo egredi*. Uſque tamen obſtinata alvi ſtipticitate premebatur; pro qua ſolicitanda Medicus illi præſcripſit ſex

tan-

tantum drachmas Electuarii Lenitivi. Eo remedio assumpto, Æger superpurgationem passus, in deliquia subinde incidit, Febremque intensissimam *una cum pulsu exili, ut vix perciperetur; unde Medicus ad visitationem pro more accedens, ad Ægri aspectum attonitus institit, me non procul habitantem subito pro Consultatione acciri; in qua Vir ille cæteroqui doctissimus ingenue confessus est, se deceptum* a Remedio tam blando, tamque parca dosi exhibito in morbo tam levi, *ubi nulla unquam se prodidere infausti ominis signa*: sed vix Febricula quædam mitior superstes remanserat, actiones tamen minimum lædens. Irrita fuere nihilominus quævis in eo præcipiti periculo licuit experiri Artis auxilia: *Altera enim die aphonus, & gelidus Æger mortuus est*.

Loripedem rectus derideat, Æthiopem albus. Juven. Sat. 2.

§. XXXII.

(*a*) *Eodem fato* obiit D. Comes Fortùnatus Cortesius, D. Joannes Altimanus, & complures alii eodem pene tempore, perpaucos enim ab hujusmodi febre correptos evasisse vidi. (*b*) *Credo equidem*, quod si attentius hasce febres, quæ æstate potissimum aliquando caput exerunt, observarent Medici, credo inquam quod signa quædam pravitatis deprehenderint; magnarum enim calamitatum parva solent esse ab initio signa, ut in morbis pestilentibus evenit. *Sæpe exiguus mus augurium tibi triste dabit*, ajebat Doctissimus Fracastorius de Contagione.

(*a*) (*Eodem Fato &c.*) EOdem vere Fato obiit; China China videlicet nec assumpta, nec ei præscripta, D. Joannes Altimanus, ut habetur ex Consanguineis, ex Pharmacopola, & ex ipso curante Medico ordinario, nempe D. Riccio: neque enim casus iste, ut nec subsequens quicquam ad me; quod quis crederet, oppositum indicante prævio contextu? Asserit is, qui vere adstitit, Febrem fuisse ab initio Intermittentem, mox in Malignam generasse: cui tamen curandæ, nec ipse, nec D. Ramazzinus superaccitus opportunum umquam putassent Peruvianum Corticem: tantum abest, ut vel propositus ille fuerit, vel in usum ductus. Ita ille: cujus effatum quo ad non oblatam Chinam Chinam nequit in dubium revocari, cæteris etiam adminiculantibus: quo vero ad carentiam opportunitatis illam exhibendi, standum erit amborum placitis, cum non aliter deceat.

D. autem *Marchio* (non *Comes*, ut habet Cl. Auctor) Fortunatus Cortesius in quadam Ægritudine vere fuit olim curatus (nec quicquam reticeam) & a Cl. Ramazzino Medico illius ordinario, & a me simul in consilium vocato. Evasit tamen ille tunc a diuturnioribus Febribus; puto etiam ope Chinæ Chinæ sed non satis memini, ut asseram, in ultima vero Ægritudine, cui compendiario succubit, solus illi adstitit Vir Cl. proinde quibus pharmacis (dicam & ipse verbis illius ex §. 34. petitis) Æger iste *fuerit potionatus in postrema Ægritudine, omnino mihi ignotum*. Hæredes Defuncti, consuetusque illius Pharmacopola Joseph Sallarolus censent, nullum, aut fere nullum (nullis videlicet hac de re extantibus monumentis) brevissimo illius morbi tempore præscriptum fuisse remedium: nullam propterea exegit idem Pharmacopola, nullam Hæredes solverunt expensam. Certe Corticem Peruvianum minime usurpatum fuisse, asserit hoc quoque casu idem D. Riccius, qui & hunc ægrum pessime habentem invisit, cum forte Mulierem quandam de Nobilis ejusdem Viri famulitio tunc Ægrotantem curans, ad eum quoque officii causa non semel accessisset. Chirurgus pariter Andrea Tassonus, qui pro suo quoque munere eidem adstitit, de solis Vesicantibus paratis, sed ob præcocem illius obitum nequaquam appositis, memorem se perhibet, de Cortice nil conscius. Quod si nihilominus, omnibus insciis, Chinam Chinam se exhibuisse contendat Cl. Auctor; cum Methodus illius non transcendat drachmas duas; hæ autem in præcipiti periculo nequeant sufficere; habet hinc potius unde eum pœniteat suæ Methodi, pusillæque, ac invalide suæ dosis, quam unde alias exprobret abusus nomine usum liberalioris, virilemque adeo fidenter traducat Methodum, qua nullatenus usus est; qua vero uti necesse est hisce casibus, ut Cortex prosit. Quamobrem qua ratione inferret ille, noxium, vel frustaneum saltem fuisse funestis hujusmodi casibus ipsum Peruvianum Corticem, si vere fuisset oblatus; eadem ratione saltem, forsan & potiore, mihi modo liceret inferre, funestos probabiliter illos extitisse, eo quia non fuit oblatus vel non oblatus saltem Methodo mea.

Expectassem proinde potius, ut retulisset hoc loco, ubi proprios luctus alienis intermiscere

ſcere non renuit, Caſum antiquiorem, quem ſibi olim contigiſſe, centies mihi narravit Cl. Auctor de quodam Laico Oblato ex Cœnobio Canonicorum Regularium Rhenanorum, quos vulgo S. Salvatoris; Mutinæ vero, ab Eccleſia deſumpto nomine, S. Hieronymi appellant. Hic ergo cum Quartana Febre ab aliquot menſibus detineretur, adeoque jam valde debilis, ut & valde ſenex exiſteret, atque ex Catarrho intra bronchia deliteſcente aſſidue ſubſtertens, Cl. autem Ramazzinus invadente acceſſione (cui a nonnullis jam diebus non ut antea præibat amplius omnimoda apyrexia) duas, pro more illius temporis, Corticis drachmas illi exhibuiſſet, *ad impetrandas*, ut puto, *aliquot dierum inducias*, ea ipſa acceſſione deceſſit e vivis: quo pacto recedente febre, vere *optandum eſſet*, *ut ea rediret*. Hunc inquam caſum potius, quam ſupra recenſitos expectaſſem ut referret Cl. Auctor, ad innuendam, ſi non *malitiam occultam*, & prope veneficam, ſaltem invalidam, ac enervem in arduis hiſce, ac *Perniciosis* Caſibus Chinæ Chinæ virtutem. Sed forſan meminit, quod ſicuti ſe mihi quondam faſſus erat ab eventu hoc inopinato adeo terrefactum, ut hac una de cauſa in Conſtitutionibus ſuis Epidemicis nonnihil meticuloſe ſcripſerit de uſu hujuſce Febrifugi (licet cauſam hanc ipſam ſubticuerit, ne ſibi magis noceret, quam Cortici) ita poſtquam mecum rem eandem melius examinavit, viditque poſt editas Conſtitutiones ſuas eam crebro quid poſſit, quidve præſtet remedium iſtud rite uſurpatum, faſſus erat pariter ingenue mihi, ſe clare jam dignoviſſe, protractam ſero nimis eo caſu fuiſſe Febrifugi oblationem ac propterea perperam expoſitum infamiæ Remedium ſaluberrimum, cujus magis intempeſtiva eſſe poteſt ſerior, quam præcox adminiſtratio; cum ob ejus innocentiam, atque ſalubritatem de ipſo dici queat oppoſitum, ac de alio quovis remedio dici ſolet; videlicet, in eo uſurpando *leviora eſſe perpetuo peccata commiſſionis*, *quam omiſſionis*. Ita ille tunc.

Ut ergo rem contrahamus, ea tantummodo, quam ſupra vidimus, eſt vis, & veritas omnium Hiſtoriarum, a Cl. Viro allatarum, quibus probare ſatagit, ſe *Mutinæ perpaucos vidiſſe Perniciosis Intermittentibus correptos*, *qui China China epota ab iis evaſerint*; cum tamen contra viderit nonnullos, ſi eorum placuiſſet illi tantulum meminiſſe, & noverit alios plurimos, in Hiſtoriis octoginta circirer, toto ferme Libro quarto, & alibi a me deſcriptos, iiſdem quidem Febribus confoſſos propemodum: ſed ejuſdem nihilominus Febrifugi ope priſtinæ incolumitati, qua etiamnum a tot annis integre utuntur, feliciſſime reſtitutos.

(*b*) (*Credo equidem &c.*) Credo & ipſe, Medicos, ſi attente advertant animum, poſſe tempeſtive per ſua ſigna, ſi non perpetuo clare cognoſcere, ſuſpicari ſaltem rationaliter morem peſſimum harum *Febrium Perniciosarum*. Niſi enim id credidiſſem, ecto diſtinctas illarum ſpecies, ac differentias cum ſignis omnibus earum diagnoſticis, prout mihi obſervare licuit, non eſſem exactiſſime perſecutus toto Capite primo, imo & ſecundo Libri tertii, quemadmodum pro viribus exequi conatus ſum. Neque Tractatulum Mercati idipſum docentis, nec non etiam Mortoni deſcriptionem compendiariam præmiſiſſem Libro ſecundo; ut ex illorum Auctorum, meiſque obſervationibus ſimul collatis, facilior, & clarior evaderet obſcura cæteroqui hujuſmodi Febrium tempeſtiva Diagnoſis. Sed & inſuper quando Medicum etiam oculatum decepit nonnunquam fraudolentus hic hoſtis, dummodo eo ipſo acceſſu, quo ſe prodit, hominem non interficiat, ſat habet idem Medicus ex obſervationibus, & Methodo mea, unde hoſtem eundem, ultimum licet excidium interminantem, confodiat. Ut propterea ſuis Hiſtoriis, tum paucis, tum veritati minus conſentaneis, everſionem Tertii mei Libri, praxim hanc utiliſſimam, totque inſignibus Hiſtoriis in Quarto expoſitis confirmatam, continentis, irrito plane conatu tentarit Clariſs. Auctor.

§. XXXIII.

(*a*) IN *Febribus porro continuis*, dummodo de periodicarum proſapia ſint, ſi malignum quid portendant, jamdudum ſcio familiarem eſſe iſtic Chinæ Chinæ uſum, & in larga doſi, ſed multæ deceptiones hic etiam contingunt, nam febres continentes, eſſentiales ut vocant, interdum etiam inflammatoriæ, perſæpe de natura intermittentium participare creduntur, cum enim febribus vere continuis obſerventur (*b*) *aliquando parvi motus*, & horrotes ex internis vellicationibus, quales febres intermittentium naturam ſapere exiſtimant, unde conſuetum remedium præſcribere non dubitant; habent enim id omnes fere morbi, ut veſpertinis horis graviores ſint, *Quale eſt ad veſperam exacerbari*, *ita & in omni morbo*, ajebat Hippocrates 4. Epidemiorum, omnibus pene ægrotantibus commune eſt, ut acce-

dente Sole ad occasum magis molesti sint, atmosphæra etenim tunc gravior est, ac perspiratus debilior, quod in morbis melancholicis manifeste deprehenditur. Quartana febris, annotante Farnelio in Libro de Abditis morborum causis, numquam, vel raro antemeridianis horis, sed pomeridianis suas habet accessiones]. (c) *Quod si unum* vel alterum exemplum afferatur eorum, qui in aliqua febre continua pessimis accidentibus comitata, ut pro conclamatis haberentur, Chinæ Chinæ potione ad uncias integras in vino infusæ pluries in die exhibita, evaserint, ut hoc solo remedio ab Orci faucibus videantur erepti, talia exempla tanti non sunt, ut animum faciant ad Chinæ Chinæ usum indiscriminatim, ac tam liberaliter adhibendum. Antequam Chinæ Chinæ nomen innotesceret, hujusmodi portenta visebantur, ut in incerto esset num medicamentorum, an fortunæ beneficio ægri convaluissent; *quemadmodum enim*, uti ajebat Celsus, *moritur aliquis de quo Medicus securus fuit*, quod non raro evenit, *ita aliquando quidem deserti a Medicis convalescunt*.

(a) *In Febribus &c.*) Non recedendo penitus a tertio, & quarto, ad convellendum progreditur Librum quintum Therapeutices meæ Cl. Auctor. Ut ergo cunctis ab eo turmatim objectis singillatim a me satisfiat, pauca hæc pro responsione lubet innuere. In Febribus *recenter tantum* Continuis factis (de Continuis enim ab ortu, seu *Continentibus originariis*, tam *Solitariis*, quam *Comitatis*, tam *Essentialibus*, quam *Symptomaticis &c.* hic sermo non est, utpote quibus, nec meo, prout late in Therapeut. nec Viri Cl. judicio, China China quicquam prodest) in Febribus, inquam, *recenter tantum* continuis factis, ac ideo Subcontinuis a me appellatis; dummodo de *Periodicarum*, hoc est de *Intermittentium*, *aut Subintrantium prosapia sint*, *si malignum quid portendant*, idque contingat in morbi *progressu*; familiarem mihi esse Chinæ Chinæ usum non in tam larga, sed in modica, & opportuna dosi, ex Libro tertio Tractatus mei Cap. pariter 3. potest certe Lector habere a pag. 150. usque ad 152. Si vero Continuitas illis accidat citius, ac in *ipso* fere morbi *principio*, plurima cautione, ac circumspectione agendum esse, & perpendendum, an ope Chinæ Chinæ, an *Methodo* potius *ordinaria* tractandus sit morbus, expresse inculcavi; omnesque problematicas rationes hinc inde pugnantes fuse examinavi toto Cap. 5. Libri Quarti: imo & exempla insuper cohærentia retuli Cap. 6. ejusdem Libri. In Continuis autem de *Periodicarum* quidem, sed *Continuarum prosapia*, hoc est de *Proportionatarum*, sive *Proportionalium*, ut vocant, Stirpe, quæ modo ad *Subintrantium* tantum, modo ad *Continuarum originalium* genus reducuntur: nonnisi cum distinctione procedendum dixi in oblatione Peruviani Corticis, in uno casu proficua, in altero frustranea forsitan evasura; prout scilicet fermentum peccans, vel est præcipue insitum sanguini, & febrem natura sua Continuam gignit, vel præcipue ab extrinseco accedit eidem sanguini, & febrem natura sua producit Intermittentem. Ac tandem ipsam Theoreticam distinctionem ad praxim contraxi, docendo Signa ipsa diagnostica ejusdem Febris, modo ad unum genus, modo ad alterum pertinentis; adeoque modo Cortice curabilis, & modo non, Cap. tertio Libri Quinti, præcipue a pag. 278. usque ad 282. neque enim eundem calceum omni indiscriminatim pedi inducendum uspiam asserui.

Quibus omnibus a Lectore consideratis, facile erit illi decernere, an *multæ illæ deceptiones*, *quas hic contingere* autumat Cl. Auctor, sive de activis intelligat, sive de passivis, se teneant ex parte mei, cuncta minute explicantis, & dividentis (quod omnino requiritur, ut cum utilitate exhibeatur hisce Casibus China China; secus saltem frustra exhibetur) an potius se teneant ex parte illius, cuncta, quæ ipse clare distinxeram, turbulenter iterum confundentis; quasi ut damnare queat sic commistum, quod damnare nequibat tam clare secretum.

(b) (*Aliquando parvi motus &c.*) Quænam sint hæ Febres *Continuæ*, *nonnumquam etiam Inflammatoriæ*, *quibus aliquando parvi motus*, *& horrores ex internis vallicationibus*, aliisque causis obtingunt Intermittentium ad instar, quæque tamen Peruviano Cortice non sunt curabiles; adeo perspicue explicare, illasque ab aliis eodem Cortice vere sanabilibus, per sua diagnostica signa distinguere, ac unam Speciem ab alia vicissim sejungere conatus sum in citato Libro Quinto Therapeutices meæ Cap. 3. & signate pag. 277. ut omnino supervacaneum censeam aliud addere. Imo aliquando eousque perrexit cautela mea; ut in Febre *Inflammatoria* nequaquam Continua, sed plane *Intermittente* (quam semel tantum licuit observare) a Corticis nihilominus oblatione abstinen-

ſtinendum duxerim pag. 271. ejuſdem Tractatus mei : ut proinde modo minime repetendum ſit mihi quoad alias luculenter aperui . Dicam tantummodo in gratiam Tyronum ; diſtinctiones illas practicas unius *Continuæ* Febris ab alia , inter quas Febres nonnulla ſit Symboleitas , & ſimilitudo , quæ pluribus identidem erroribus anſam præbet , eſſe hujuſmodi , ut ſi probe attendantur , Medicum in Chinæ Chinæ adminiſtratione apprime verſatum oſtendant , efficiantque , ut vere nunquam incaſſum illam exhibeat cum non exhibeat niſi ubi eam propemodum certo profuturam prænoſcat , atque etiam prænuntiet ; ſi vero minus exacte obſerventur , aut intelligantur , deregant illum eo remedio cæſpitanter tantum , aut fortuito utentem , ac non raro iis , quibene uti norunt , etiam ridiculum . *Non omnes , qui habent Citharam , ſunt Citharœdi .*

(*c*) *Quod ſi unum , vel alterum &c.*) Octoginta circiter exempla , non *unum , vel alterum* attuli in Therapeutice mea Febrium lethaliſſimis perſæpe accidentibus comitatarum , & China China , *non ad uncias integras pluries in die exhibita* , ſed doſi decenter liberali , ut alias dictum eſt , & clarius etiam dicetur §. 48. feliciſſime expugnatarum . Iſtas omnes appellare *Continuas* non recuſo , etiamſi ab ortu fuerint , vel *Subintrantes* tantum , vel prorſus etiam *Intermittentes* ; pernicie ſiquidem in apertum prodeunte , ſtatim in Continuarum caſtra ſe receperunt : adeoque & Continuæ tunc dici potuere ; eo tamen modo , quo in eadem Therapeutice mea locutus ſum pag. 128. An vero *talia exempla tanti ſint , ut animum faciant ad Chinæ Chinæ uſum liberaliter adhibendum* , judicent Practici . *Quod ſi etiam* (jure merito reponam ego) *unum , vel alterum exemplum afferatur eorum , qui in aliqua Febre Continua , peſſimis accidentibus comitatam , ut pro conclamatis haberentur , Chinæ Chinæ potione exhibita nequaquam evaſerint : talia exempla tanti non ſunt , ut animum faciant ad illius uſum* , quaſi noxius ille fuerit , *tam liberaliter prohibendum : antequam enim Chinæ Chinæ nomen innoteſceret , hujuſmodi portenta crebro viſebantur .*

At vero portenta , quæ viſuntur poſtquam Chinæ Chinæ non tamen tantum , ſed uſus melior , me promulgante ſaltem , innotuit , ſunt , ut Pernicioſa Febris de Intermittentium , vel Subintrantium Stirpe , ſed mox Continua recenter reddita , & graviſſimis accidentibus comitata , quæ proinde in extremum vitæ periculum Ægrotantem redegerit , poſt biduum , vel triduum ab epoto hoc Febrifugo *ſtatim* ſolvatur : idque non ſemel , aut bis ; ſed decies , vigeſies : ſexagies neque etiam fortuito ; ſed ex præmiſſa Prognoſi expreſſa , quod ita ſit eventurum . Adeo celer , adeo conſtans , & adeo certa moraliter eſt vel in hiſce anguſtiis Peruviani Corticis actio . Quæ vero nonnumquam , ſed perraro , in hujuſmodi caſibus , ſive Naturæ opera , ſive Fortunæ , aut Artis ordinariæ beneficio contingit reſtitutio *Ægrotantium pro conclamatis habitorum* , nonniſi lente , ægre , ac difficulter contra ipſam Medici expectationem , atque Prognoſim ſuccedit . Ad hunc Lydium Lapidem examinanda eſt acquiſita ſalus ; atque ita unde illa proceſſerit vel ipſæ dignoſcent mulierculæ ; ea quidem facilitate , qua Cuminum diſpiciunt a Pipere , & fiſſa a non fiſſis , cocta a non coctis fictilia Vaſa : ſiquidem & hic , ſi qua ſubeſt labes ,

---- *Sonat vitium percuſſa , maligne*
Reſpondens viridi non cocta fidelia limo ,

ut cecinit Perſius . Sanitas per Corticem obtenta (dixi pluries in Opere meo , & ſignate pag. 286. 287. 252. & 269.) *facile dignoſcitur ex inſolita , qua acquiritur celeritate ;* id , quod fuſius explicui in Schol. ad Mortonum , pag. 119. ejuſdem Operis , iſtiuſmodi cavillationem jam tum prævifam explodens . Sed pergamus .

Virtutem hanc certam *ſiſtendi paroxyſmos* , quam Chinæ Chinæ tribuit in diuturnis Intermittentibus Cl. Auctor , ut videre eſt in fine §. 22. eo quod ſcilicet eas *illico* poſt remedium illud aſſumptum cernit ſubſiſtere , quantumvis etiam non raro , & ſponte , & ex improviſo ſubſiſtant : cur illi denegat in *iiſdem* Febribus *recentem* Continuitatem adeptis , adeoque difficilius ſponte ſua , tam cito ſaltem , ſolubilibus , adſcribitque ſalutem Fortunæ potius , quam Cortici ; cum tamen eundem prorſus , æque certum , & æque celerem in his , ac in illis intuetur effectum ? *Febres , quæ de Intermittentium familia ſunt* (ajebat ille in Orat. Jatrici Argumenti pag. 102.) *pulveris exigui hauſtu in vino ſoluti , aut compreſſæ quieſcunt , aut etiam penitus abolentur* . At de Intermittentium adhuc familia ſunt , ſi me Deus juvet , ſaltem quo ad ſuſcipiendam actionem Corticis , Intermittentes illæ , quæ ab eodem etiamnum Fermento Intermittentium majori ex parte pendentes , vix cœperunt ſe reponere in Continuarum claſſem . *Admirandum eſt profecto* (ajebat nuper idem Vir Cl. §. 4. hujuſce Diſſertationibus) *quomodo ad exiguum pulviſculum quomodocumque exhibitum Febris Periodicæ furor conquieſcat , interdum etiam extinguatur ; quod de quocumque alio remedio pharmaceutico non tam facile obſervatur , quod ſciam* . At Febres iſtæ , de quibus portenta viſuntur , *Periodicæ* ſunt . Si ergo eas oblata China China *ſtatim* ſanatas videat , ut ſaltem octogies videre poteſt in hiſtoriis meis ; cur earum extinctionem Naturæ potius , vel Caſui velit adſcribere , quam *admirando Pulviſculo , cui nullum , quod ſciat æquiparare poteſt remedium pharmaceuticum ?* Quid vero , ſi ante pulviſculi exhibitionem Medicus fiat ſponſor de ſubſecuturo ipſam felici eventu ? Prognoſim de certa , & cita morte , omiſſo Peruviano Cortice , & de certa , ac cita ſalute , eodem aſſumpto , a me in praxi præmiſſam ante oblationem illius , & quidem in circumſtantiis graviſſimis , vide in Tractatu meo pag. 196. Hiſtoria nona ubi hanc , quam Clar. Auctor obtrudit cavillationem , penitus exploſam competes .

§. XXXIV.

Cum decem ab hinc annis clauſo jam Lyceo Mutinam veniſſem ad otia captanda, nec ſatis cavere poſſem, quin implicarer in curandis ægris, ac forte ex febre continua decumberet inſignis Juris Conſultus, vocatus ad conſultandum cum Medico, qui curæ aderat, ac poſtmodum quoque accerſito Domino Paulo Piela Clariſſimo Medico Bononienſi, qui paucis ab hinc annis omnium dolore e vivis exceſſit, varie quidem adminiſtrata ſunt remedia, ſed ægro in pejus labente, unde alter Medicus, magnus Chinæ Chinæ virtutum aſſertor, declamare cœpit, nullum aliud ſupereſſe remedium, quam Peruvianum Corticem ſuo more exhibere; modeſte reſponſum febrem eam non eſſe, cui conveniret tale remedium, ſed illo inſtante, ac domeſticis omnibus nos arguentibus, quod in re deſperata unicum remedium arceremus, prædictus D. Piela, & ego aſſentiri neceſſarium eſſe credidimus, ne quidquam relinqueretur inauſum. Per duos vel tres dies, ſi bene memini, quolibet mane, & forſan etiam pluries in die propinata Chinæ Chinæ potio pro more, ſed ægro in deterius ruente, & pulſu ita depreſſo, ut vix perciperetur; quo viſo aperte proteſtati ſumus, ab hoc Febrifugo deſiſtendum, quo facto pulſus paulatim cœpit aſſurgere, ac ſenſibiliter percipi, torpore quo prius æger tenebatur diſcuſſo, ſic tandem poſt multos dies ſolo victu, remediis omnibus ablegatis, præter ſpem prioris Medici, qui inter mortuos illum referebat, perfecte convaluit Vir ille, dignus ſane qui longum tempus viveret, ſed paucos poſt annos communi fato cedere illi neceſſe fuit, num autem in poſtrema ægritudine ſolito Febrifugo potionatus fuerit, omnino mihi ignotum.

(*Cum decem ab hinc &c.*) CAſus hic, quem pro libito magna ex parte fabrefacit Clariſſimus Auctor, eſt ille idem, quem obiter egomet innui in Tractatu meo pag. 163. hiſtoria prima. Ibi namque ultimum, lethalemque deſcribens morbum eximii hujus Juriſconſulti (cujus nomen modo ſupprimit Vir Cl. ego vero candide tunc patefeci) hanc aliam, quæ jamdudum præceſſerat ægritudinem; imo & tentatum in illa Peruviani Corticis uſum paucis hiſce lineis adumbravi.. *In alia difficillima Ægritudine ejuſdem Patientis non ſine fructu remedium illud* (videlicet Peruvianum Corticem) *vix vix indicatum, cum aliis tamen quamplurimis, longo temporis tractu* (in hoc uno me fefellit memoria; brevis enim, ut infra, fuit ille temporis tractus) *præſcripſimus; & ab eo morbo contra ipſam expectationem noſtram evaſit. An Cortex ſimul cum aliis remediis, an ſola Naturæ actio opus illud abſolverit, ignoro..* Ita ego tunc loco citato.

Si minus ingenue ſcripſiſſem, tribuiſſemque abſolute curationem graviſſimi illius morbi, qui ad extremum uſque maraſmum Ægrotantem perduxerat, ſoli Peruviano Cortici, mihique uni arrogaſſem dignotionem opportunitatis illum utiliter exhibendi, *poſt alia remedia adminiſtrata; ſed Ægro*, ut inquit Vir Cl. *in pejus labente*; imo, ut ſubdit, *re jam deſperata*, dubio procul hoc adamuſſim quadraret narrationi illius, utut in plurimis plurimum alteratæ. Etenim ſi *re deſperata*, & cum *Æger in pejus labebatur*, *propinata fuit per duos, vel tres dies*, ut inquit, *Chinæ Chinæ potio*: item ſi brevi illo oblationis tempore (ſcilicet vere per biduum tantummodo) quo nondum actio Corticis ſe ſe poterat exerere, Ægrotus ille in *deterius* quidem, ut cœperat, etiamnum ruere videbatur (ſiquidem poterat non moriens pejus habere) ſed tamen aſſumpta jam intra illud biduum modica quantitate Febrifugi, duarum nempe drachmarum quadripertituram; illiuſque virtute in actum; ut mox aſſolet, paulatim deducta, *pulſus*, ut pariter inquit, *cæpit aſſurgere, torpore, quo prius Æger tenebatur, diſcuſſo*; itaut *ſolo victu, remediis omnibus ablegatis, convaluerit* ipſemet Æger;

pro-

profecto aliquid non alienum a probabilitate ſcripſiſſem, ſi adſcripſiſſem Febrifugo curationis gloriam, mihique meritum oblationis, qui tanta efficacia dicor illud propoſuiſſe. Et tamen eo moderamine, eoque neglectu hæc omnia tranſegi, ut mihi abunde ſuffecerit mere dixiſſe, *illud non ſine fructu fuiſſe præſcriptum*: neque a me uno quidem, ſed ab omnibus ſimul curantibus Medicis, ut vere fuit unanimiter, & electum, & exhibitum. Oblatio autem illius inſtituta fuit per modum levioris alterantis, videlicet ad ſimplicem ſemidrachmam, mane, & ſero, non tamen in forma potus, ut ait Vir Cl. ſed in forma boli, per duas tantum dies, nempe die 25. & 26. Septembris anni 1704. ut habetur ex Schedis meis, & ex Adverſariis. Codicibuſque Pharmacopæi Hortenſii Candrini ſimul collatis. Ex quibus conſtat, duas ſolummodo Peruviani Corticis drachmas intra biduum partitis, & exiguis doſibus, nonniſi lente, ac imbecilliter agentibus, fuiſſe præſcriptas. Propoſitum autem, uſurpatumque fuit eo modo, eoque caſu id Febrifugum in Febre Continua (quæ tamen ab exordio ſui talis non fuerat) ſolum tentandi gratia, nullaque ferme ſpe, etiam ut Domeſticis illud feliciter pluries expertis, morem gereremus; cum cæteroqui vix ulla tunc eſſet offerendi Corticem indicatio, ullave ſaltem ſolida ratio. Propterea ſubdidi, nos præſcripſiſſe quidem *Remedium hujuſmodi*, *ſed vix vix indicatum*.

Qua ergo ſui ipſius ſecuritate, poſtquam hæc ſcripſerim, quæ a Viri defuncti Uxore, & Filio, bis propter Chinam Chinam vivente, ſemperque deinceps melius ac antea valente, poſſunt confirmari, illudit ille mihi, inquiens, *declamaſſe me* (neque enim cum D. Piela, & Ramazzino ullus erat; qui, ut ait, *declamare* poſſet, & feſtive appellari, *Magnus Chinæ Chinæ virtutum aſſertor* præter me) ut Peruvianus Cortex exhiberetur, ſi remedium illud, non modo *vix vix indicatum* fuiſſe ſum faſſus; verum etiam poſt abſolutam feliciter curationem in dubium revocavi, meque inſuper *ignorare* ſum proteſtatus, *num Cortici ſimul cum aliis remediis*, *num ſoli potius Naturæ* eadem fuerit adſcribenda, quæ contra expectationem noſtram ſucceſſit ſanatio? Neque enim unus ego, ſed omnes, quotquot curæ aderamus, Medici, *Ægrum illum inter mortuos referebamus*. Atque hac una de cauſa, ſi bene meminiſſet Cl. Auctor, *declamavi* (quoniam hoc verbo uti eidem placuit) cum D. Piela, Viro mihi amiciſſimo & humaniſſimo, ut Bononiam reverſus ante morbi exitum, funeſtum illud præſagium, quod nobiſcum privatim edebat, nullo pacto officii cauſa ante diſceſſum ſuum occuleret, ſed aperte potius pro ingenuitate ſua revelaret Domeſticis.

Hæc ſunt, quæ mihi uni obtruduntur de oblato Cortice Peruviano, quando communibus offertur Mutinenſium, & Bononienſium Medicorum ſuffragiis, & quando tandem Æger evadit a Morbo lethali. Quid ſi ſolus præſcripſiſſem, & Æger occubuiſſet? Tunc certe non fuiſſet *ignotum* Cl. Auctori, *num ſolito Febrifugo fuerit potionatus*, ut modo inquit, *in poſtrema Ægritudine*: ſciret enim omnino, fuiſſe potionatum. Sed etſi diſtincte narraverim in citatu hiſtoria quo pacto res tota ceſſerit, ejuſque veritatis, nedum Conſanguinei, ſed & Adſtantes Cives, honeſtique Viri poſſint eſſe Teſtes, id omne nihilominus Viro Cl. *omnino ignotum*. Mirum ſolummodo, ei potius notum non fuiſſe omnino (quandoquidem Chinam Chinam ante ſeptennium epotam minime veretur ille criminari de morte Ægrotantium) inſignem illum Juriſconſultum, qui *paucos poſt annos Fato ceſſit*, occubuiſſe propter illum eumdem Corticem, quæ in præcedente ſumpſerat Ægritudine, licet tunc toxicum illud, quippe Clariſſimi Auctoris ſuaſu opportune omiſſum, ſuis non valuerit *amaris potionibus*, ut eidem loqui libet §. 48. *miſerum Ægrum conficere*.

§. XXXV.

(*a*) CAſus *hic*, *& plures alii*, quos Mutinæ variis temporibus, & hic quoque Patavii, de infauſto ſucceſſu hujuſce remedii obſervavi, mihi in mentem revocant quod in Actis publicis Lipſienſibus Anni 1701. memini me legiſſe de Conſtitutione quadam Uratislavienſi Anni 1699. in qua (*b*) *febribus continuis* populariter graſſantibus, China univerſaliter exhibita cauſa potiſſima habita fuerit, quæ Annum illum nefaſtum plurimorum morte reddiderit, qualis hiſtoria fuſius legitur in Ephemeridibus Curioſorum Naturæ Anni 1703. talia leguntur de Chinæ uſu in continuis febribus. Nimius eſſem ſi referre vellem mala, quæ apud graviſſimos Scriptores de China China leguntur. (*c*) *Videndus Ettmullerus* de Uſu, & Abuſu præcipitantium, ubi ait perſæpe concentrari acidum morboſum,

quod compreſſum ad inſtar ſpiræ contortæ, ubi vim reſumat, ſuos niſus impetuoſiores reddere, quod idem experimur in Automate ubi diu quieverit, motus enim ſuos ab initio velociores efficit. (*d*) *Legendus Thomas Sydenham* de febre intermittente, ubi de Quartana, agens de uſu Pulveris Peruviani, quem magis laudat paulatim ſumptum, & pluribus vicibus, quam in ipſa acceſſione, ut fieri ſolet, ſic enim ait ſenſim ſanguinem turgere, & officium ſuum abſolvere, neque enim bonum putat febrilem motum illico compeſcere, & ſanguinis deſpumationem cohibere. Legi quoque meretur Obſervatio D. Danielis Grugeri in Ephem. Ger. Decadis 3. Anno 3. (*e*) *ubi de intempeſtivo* Chinæ Chinæ uſu varios caſus refert, ſed unum præcipue memoratu dignum de Paſtore quodam, qui prius Epilepſia laborabat, ſingulis menſibus recurrente, ſed Quartana correptus, quæ ipſi remedio erat, & ut ex Hippocrate a magnis morbis liberat, præterlapſo dimidio anno tædii ex longa febre pertæſus Corticis Chinæ Chinæ drachmam unam ad aliquot dies aſſumpſit, febris quidem abiit, aſt Epilepſia rediit.

(*a*) (*Caſus hic, &c.* PRovido ſane conſilio *plures alios caſus infauſtos*, *Mutinæ*, *& Patavii*, ut ait, *ſibi obſervatos*, generalibus tantum, & gratuitis hiſce terminis jactat, ſed ne unum quidem deſcribit, aut memorat Cl. Auctor: ſi enim omnes ejuſdem ſint ponderis, ac recenſiti hucuſque, nullo negotio evaneſcent in auras. Tres, aut quatuor protulit ille, accuſavitque ut nefaſtos ob infortunatum, ut contendit, exitum Peruviani Corticis in *diuturnis Intermittentibus* adminiſtrati: eos tamen nec funeſtos omnes, nec a modico tempore, ſed a ſeptem luſtris, & amplius in hanc uſque diem petitos; omnes vero fallaces a me deprehenſos, atque ut tales Orbi detectos. His nihilominus ab eo tempore uſque ad hodiernum forſan quingentos opponam, ſi opus ſit, in eadem linea plane propitios. Tres alios objecit ſiniſtri eventus in *Intermittentibus Perniciosis*, eoſque nedum fallaces, ſed aperte falſos a me demonſtratos. His quoque octoginta circiter feliciſſimos (minime ſuppuratis, quos communicarunt Amici) in Therapeutice mea, cum ſparſim, tum conjunctim facile opponendos expoſui, & plurimos adhuc in hiſce reſponſionibus meis perquam recentes, compendiario ſaltem, exponam. Unum denique expectationi haud ſatis reſpondentem in *Continuis* obtruſit, eumque partim commentitium, partim invalidum, nec bono tandem ſuoceſſu carentem, ipſo fatente. Huic in ſola Therapeutice mea inſunt, qui poſſunt opponi, ſaltem viginti quinque plane inculpabiles, cum ex *Subcontinuarum malignantium*, tum ex eo *Lentarum* genere; ex eo tamen, de quo clare, quantum ſufficit, ibidem locutus ſum. Neque enim ullam Febrem *Continuam*, quæ talis *ab ortu* jam fuerit, Peruviano Cortice curandam volo; ſed illam tantum quæ per accidens *recenter* ſit talis, quæque fuit ab ortu *Intermittens*, vel ad ſummum *Subintrans*, ut alias dixi.

Cæterum ſi Caſus infelicem nonnumquam eventum ſortitos; eos videlicet, ubi a me incaſſum oblatus eſt Cortex, aucupabatur Cl. Auctor (quandoquidem immortales nequit efficere homines pharmacum iſtud, ſicuti neque iis ita unquam officere, ut ſine calumnia dici queat occiſus, qui ſervari non potuit) eos non aliunde emendicare habebat opus, quam ex Tractatu meo Lib. 3. Cap. 5. & Lib. 5. Cap. 4. ubi quotquot toto vitæ meæ curſu male cecidiſſe obſervavi, ut ſaltem me obſervaſſe memini; eos omnes, nedum ingenue deſcripſi, ſed ea ſimul ratione indigitavi, ut inde regulam elicerem aliis communicandam, qua mediante ab exhibitione fruſtranea Remedii, quod cum non ſanat, ab hominibus male feriatis necare dicitur, in ſimilibus circumſtantiis quiſque caveret.

(*b*) (*Febribus Continuis &c.*) *Continuis Febribus ab eſſentia talibus*, quales rationabiliter fuiſſe puto, quæ in citata Conſtitutione Uratislavineſi *populariter graſſabantur*, & cujuſmodi ſunt omnes, quæ nomine *Continuarum ſimpliciter* ſolent donari, Peruvianum Corticem, niſi noxie, ſaltem inaniter adhiberi, non eſt quod aliorum teſtimoniis conetur probare Cl. Auctor; cum delendo nimiæ hujuſmodi fiduciæ, & Praxeos intemperantis abuſui, ipſe quoque in Tractatu meo, tum rationibus, tum obſervationibus ſedulo allaboraverim. Mihi propterea hæc, quæ ex Actis Lipſienſibus, ac ex Ephemeridibus Curioſorum Naturæ petita eſt Auctoritas, nullo pacto adverſatur. Sed ſi qua alicubi unquam reperiretur, quæ Chinam Chinam excluderet, ubi eam incunctanter neceſſariam ſtatui, ſcilicet in *Perniciosis Intermittentibus*, earumque præcipiti periculo jam detecto, Methodumque meam ex-

expreſſe damnaret, in funeſtis etiam circumſtantiis illarum de more perutilem; hujuſmodi, fateor, auctoritatem, aut auctoritates, quotquot fuerint, celeberrimæ, ſemperque uniformi experientiæ meæ reluctantes, nihili facerem, etiamſi forent Reſponſa Æſculapii, aut Oracula Apollinis. At nulla adverſa, ſaltem quæ rem percutiat, uſpiam profecto reperiri poteſt auctoritas. Si enim Methodum Auctoribus pene omnibus uſque adhuc incomperram tradidi; quo pacto poterit ea ab iis, quibus cognita numquam fuit, aut in uſum deducta, expreſſe damnari? Liceat ergo mihi hac in re peculiarem tantum obſervationem, & longam, rationalemque experientiam promulganti, Scriptorum quorumcumque conjecturas, ſi quæ ſint, quæ generice prolatæ adverſari videantur, ut falſas Magnorum Virorum haud ſatis expertorum ſuſpiciones, aut hallucinationes potius corrigere, quam ut Oracula venerari.

(c) (*Videndus Ettmullerus &c.*) Videndus utique Ettmullerus; ſed ſecundum id, quod §. 7. præcepit Cl. Auctor, videndus ubi *de Febribus* agit, *ac illarum Remediis*: ibi namque hæc ſaltem leguntur pag. mihi 198. *Vocatur etiam* (loquitur de China China) *Antiquartanum Peruvianum, ex eo quod in Quartana ſit ſingulare, utut etiam Tertianas Chronicas, item Tertianas duplicatas etiam Nothas feliciter curet.* Et paulo inferius cum Gentianæ pulverem loco pulveris Chinæ Chinæ aſſumi quoque poſſe prius dixiſſet, ſubdit hæc verba -- *Ut ut certum ſit, Chinam Chinæ egregium remedium, tam in Quartanis, quam Tertianis diuturnis.* Neque ibi quicquam legitur, quod illius uſum vel minimum improbet: tantummodo hanc cautelam ſubjungit. *Sed obſervetur, quod rite præmiſſa debent eſſe univerſalia, & quod poſt uſum Chinæ Chinæ leniter expurgandum ſit Corpus, alias certo recidivant Febres.* Hoc tamen monitum, non tam de præmittendis univerſalibus, quam de purgatione quacumque poſt propinatam Chinam Chinam inſtituenda, ut ſcilicet inhibeatur relapſus in Febres, mihi, ut verum fatear, oſtendit aperte, hunc Auctorem cæteroqui præclarum, in uſu tamen Peruviani Febrifugi fuiſſe parum verſatum, ob rationes etiam infra recenſendas: nullam enim mea, & univerſali expertorum fere omnium obſervatione, medium certius eſt ad revocandas Febres China China depulſas, quam poſt Antipyretici illius oblationem quælibet, utut levis, ſucceſſive adminiſtrata purgatio. Sed hallucinatio hujuſmodi, pluribus aliis Scriptoribus, hoc Febrifugum procul dubio rarius expertis, fallacique tantum ratiocinio fidentibus, etiam communis, maxime condonanda eſt huic Auctori, qui brevi dies ſuos implevit, nec trigeſimum nonum ætatis annum tranſegit (obiit vero anno 1683.) ſcripſitque Poſthuma hæc valde juvenis, eoque tempore, quo vix cœperat (nec forſan cœperat iis in regionibus, ad quas non niſi ſerius pervenit) experimentis increbreſcere fama remedii, illi fortaſſe vix noti.

Hujus rei conjectura eſt valde firma, ne dicam probatio certa, quod ille Remedium deſcribens loco citato, primo illud ſub *Radicis*, mox ſub *Corticis* nomine deſignet, tribuatque illi *ſaporem fere inſtar Cinnamomi*; cum tamen quo ad ſaporem minus diſtent a Cydoniis malis Meſpila, quam China China a Cinnamomo. In Phytologia poſtmodum Schroderi dilucidati melius edoctus, verum Chinæ Chinæ ſaporem ſe paulo magis noſſe indicavit; novis tamen interim & ibi, hallucinationibus eum detentum videas; non modo quia in Italia Medicinam facientem dicat Digbæum Anglum, & in Gallia Redium Italum (hæc enim ſunt de levioribus) ſed maxime quia genuinam Chinam Chinam *ex Roma* afferri aſſerit, quaſi in Romano Solo hæc Planta frondeſcat, aut in Peruviano floreſcat Roma; tandemque quia contendit Gentianam noſtratem (proh lapſus!) eſſe æquiparandam, forſan & præferendam, eidem Chinæ Chinæ:

Verum hæc tantum alias inter caput extulit herbas,
Quantum lenta ſolent inter Viburna Cupreſſi.

Fatetur nihilominus iterum hiſce verbis, eam eſſe *Remedium expertum contra Febres Intermittentes quaſcumque, etiam Chronicas, in ſpecie Quartanas*, item, *uſum illius eſſe in debellandis Febribus Intermittentibus Francofurti quoque ſatis frequentem, nec carere optato ſucceſſu &c.* Quæ omnia, & his ſimilia leguntur Claſſe prima Phytologiæ Schroderi dilnc. pag. mihi 43. & 44.

Si ergo Auctor iſte alibi, nempe ubi *De Uſu, & Abuſu Præcipitantium*, ſui innixus ratiociniis quicquam protulit, quod Peruviano Cortici minus favere videbitur; quanti ponderis in hoc cenſenda ſit illius aſſertio, ex ſuperius dictis, & infra dicendis eruat Lector. Addo nihilominus, Ettmullerum ibidem, in citatæ nempe Diſſertationis De Uſu, & Abuſu Præcipitantium Capite tertio, §. 5. priuſquam ſuas exceptiones adducat, hæc præmittere - *Superius dixi, Corticem Peruvianum fugare ſuo uſu quavis Intermittentes, id quod veriſſimum arbitror: nec has ſolum, quin &c.* ubi vero eaſdem exceptiones protulit, expreſſe loqui de uſu tantum, ut inquit, *illegitimo*, cum videlicet (ſequitur ille) *paulo ante, non poſt paroxyſmum* aſſumitur Cortex, *vel proprio auſu, vel Medici præcoci conſilio, & nedum ad Intermittentes Febres, ſed & ad Continuas quoque, tam benignas, quam malignas, Symptomaticas, Lentas, & quæ ex decubitu materiæ peccantis in quamdam partem oriuntur*: quibus in Febribus, vel perperam, vel ſaltem incaſſum uſurpari eumdem Peruvianum Corticem certum eſt, ut præter Ettmullerum ipſe quoque Libro 5. Therapeutices meæ ſatis admonui.

Cæterum notatu dignum eſt quod nuper innui, nempe omnem ſuſpicionem malorum, quæ ibidem recenſet hic Auctor, quæque ait poſſe contingere *ex uſu illegitimo* Peruviani Corticis, locum habere tantummodo, ipſo quidem late fatente, ubi Cortex *ingruente paroxyſmo* exhibeatur; ſecus ſi exhibeatur *poſt paroxyſmum* ſo-

lutum. *Obtinet hoc* (inquit ille eodem §. 5. capitis tertii) *Obtinet hoc de Cortice dicto, ante paroxysmum more hactenus recepto exhibito* : subdens postmodum ferme immediate. *Concinnior itaque, ac tutior ista videtur exhibendi methodus, qua post paroxysmum, & intermissionis tempore, idque præsertim in infuso cum vino, repetitis tamen crebrius vicibus, exhibetur* : ut ideo hac via, *cita, tuta, & jucunda magis videatur cura*. Hæc ille ; qui proinde *crebram, & repetitam*, ut patet, oblationem Remedii, nedum non improbat, ut eam improbat Cl. Ramazzinus ; verum potius, ea sic instituta, *citiorem, ac jucundiorem* indę curationem emersuram sperat.

Quod si nonnullas hic illic intersevit Scriptor iste querimonias, facilem nonnumquam Febrium recursum connotantes, etiamsi Cortex adhibeatur *ex arte* : id ego quoque, rarius licet, contingere nequaquam diffiteor : sed cum sæpissime, ac de more contingat oppositum, usui potius, quam exclusioni Remedii favet hæc infrequens ejusdem Auctoris obsetvatio. Alias, si quas obtrudit mucidiusculas scrupulositates, partim desumpsit ille a Scriptoribus nonnullis priorum præsertim temporum (quorum alii adeo nervose a Bado fuere impugnati, ut ne hiscere quidem ausi fuerint, alii experientia ulteriore adeo profecerint, ut eo extincto palinodiam sponte cecinerint) partim deprompsit a semetipso : cui & propria brevis ætas, & recens adhuc Corticis in eas præsertim Oras adventus, locum nequaquam reliquere, quo melius præconceptam qualemcumque hæsitationem diutiori, & crebriori usu emendare potuerit. Sed si vixisset, ut facile poterat, in hanc usque diem, & triginta duorum annorum, qui ab ejus obitu usque adhuc præteriere, experientiam fuisset nactus, aliarumque Nationum tot nova, & tam præclara legisset monumenta ; nullus dubito, quin sine ulla trepidatione cum reliquis consensisset, hujus remedii usum, & innocentiam plane incunctanter admittentibus.

Ad rationem denique petitam *ab Acido morboso Spiræ ad instar compresso*, quam adversus, non Chinam Chinam, sed *Præcipitantes omnes generaliter*, & quidem, ut rursus ait, *sub illegitimo usu* adhibitos, adducit idem Ettmullerus, & *Automatis* exemplo illustrat, liceat respondere in casu nostro, Spiram Acidi morbosi haud difficulter forsan ita compressam iri, ut omni elasticitate deperdita nequeat amplius resilire, si sufficienti Absorbentis Corticis *quantitate*, congruo *tempore*, ac *modo*, prout a me indicatum est, propinata, prematur illa fortius ut tandem penitus infringatur.

(*d*) (*Legendus Thomas Sydenham &c.*) Legendus quoque, perlegendus, nocturnaque manu, ac diurna versandus Celeberrimus Thomas Sydenham, quem pro Antesignano & ipse habui toto Therapeutices meæ decursu : proinde qui me renuit sequi, sequatur Sydenham, mecumque vel invitus ferme coincidet. Revera hanc ipsam hujusce Scriptoris cautelam, a Cl. Ramazzino hic loci recensitam, de oblatione Corticis Peruviani partite potius, & extra accessionem, quam acervatim, & in ipsa accessione in Quartanis, aliisve diuturnis Intermittentibus, apposui & ego ; imo & usu proprio confirmatam, exercitamque in illis iisdem circumstantiis expresse tradidi pag. 55. ejusdem Therapeutices meæ. Id nihilominus lubet addere, hanc ipsam videlicet cautelam, etsi rationalem in illiusmodi saltem casibus, appositam tamen fuisse in Libro suarum Observationum Medicarum ab Anglo illo Scriptore, cum nondum usus Remedii, a 25. circiter annis tantum tunc in Europam delati, erat universaliter satis perspectus : neque ipse perfectam illam adhuc erat nactus, quam deinceps acquisivit experientiam, fiduciamque, in reliquis postea ejusdem Operibus abunde patentem. Mirum vero, quod auctoritatem hujusce Scriptoris ullo pacto attulerit Vir Cl. haud satis animadvertens, quod dum inquit, a Sydenhamio *laudari pulverem Peruvianum pluribus vicibus sumptum*, sibi statim officit, qui eundem pulverem *minime repetendum esse* inculcat ibique. Sic & loco ipso per Cl. Opponentem allegato, & innumeris aliis asserta mea ubique confirmat Doctissimus Sydenham ; illius vero dogmata omnia funditus evertit. Liceat ergo, ipso provocante, hic immorari tantisper, varioque ejusdem Sydenhami Textus, prout prostant in Tractatu meo, huc iterum transferre in conspectum Dissertationis Cl. Ramazzini, mala jugiter ad se se attrahentis, ut Cecias nubes.

In hac Dissertatione §. 21. & alibi inquitis, Chinam Chinam *noxas plurimas*, videlicet *Obstructiones, Cachexias, & Hydropem invehere*, quemadmodum & vidimus, & posthac videbimus. Inquit vero Sydenham in Epistola Responsoria ad Bradyum pag. mihi 342. -- *Vere affirmare possum, non obstante tam vulgi, quam perpaucorum e doctis præjudicio, me nihil mali Ægris accidisse ab ejus usu vidisse unquam, vel cum ratione suspicari potuisse* : & paulo post -- *Profecto si tam effectorum durationem ; quam Corticis hujus innocentiam exploratam haberem, principem illi locum inter omnia, quot quot sunt, remedia deferre nullus dubitarem &c. Tantum abest, ut de ejus insalubritate merito quis conqueratur*. Vide Therapeuticem meam pag. 6. & 7. ubique plura etiam alia reperies ab hoc Auctore nonnihil acriter exarata. Scias enim, hæc de innocentia Peruviani Febrifugi scripta fuisse a Sydenhamio etiam ad dissipandas nebulas, qua illius usui, cum primum cœpit in Anglia crebrius adhiberi, offuderat casus aliquis, in quo illud, ut ait, *minus opportune fuerat Ægro ingestum* ; cujus inopportunitatis conjecturam aliquam ulteriorem addidi & ipse in Tractatu meo pag. 161.

Subdit Cl. Ramazzinus, dosim Chinæ Chinæ esse debere *ad Drachmam unam, vel duas tantum, nec eam esse repetendam ad prophylaxim*, pluribus quidem in locis, sed præcipue §. 8. & §. 48. Asserit Sydenham, loco ipso per Cl. Virum nuperrime citato, præscribendam esse

unciam

unciam unam Chinæ Chinæ, pro curatione Quartanæ Febris cum Conserva Ros. commistam, *eamque bis in die paulatim esse assumendam*, donec tota Confectio sit absumpta; subditque hæc verba -- *Repetatur porro ad tres alias vices interjectis semper diebus quatuordecim*. Uncias ergo quatuor, seu Drachmas 32. Chinæ Chinæ impendit Sydenham pro curatione, & prophylaxi Quartanæ Febris. Sed tunc nondum firmo talo incedebat illa in præscriptione Corticis. Efficacius adhuc agit in citata Epistola ad Bradyum pag. 342. & 343. ubi ulteriore experentia confirmatus, unciam unam Chinæ Chinæ *intra biduum intermissionis* ejusdem Quartanæ, duodecim scilicet partitis vicibus, singulo quadrihorio repetitis, integre absumit; *quaterque* renovat, *octo* tantum diebus interjectis, eamdem oblationem unciæ unius, ut supra. Videsis Therapeuticen meam pag. 60.

Contendit Cl. Ramazzinus, *In Malignis Intermittentibus incassum confugere Medicos ad Sacram Anchoram Chinæ Chinæ, cum Febres hujusmodi ab initio difficulter dignoscantur*; de quo late §. 29. & 30. Affirmat Sydenham in eadem Epistola pag. 352. Febres Intermittentes Symptomate insigni Apoplexiam veram æmulante comitatas, quas inter magis *Pernicioſas* collocat Mercatus, quasque ego *Lethargicas* appellavi, *Omissis omnino evacuationibus quibuscumque, in primaria Apoplexia fieri solitis, expectandum esse tantummodo, donec paroxysmus sponte evanuerit; quo tempore Cortex (modo citius idem ingeri non potuerit) quam primum est exhibendus, & in intervallis ab hujusmodi accessionibus liberis idem sedulo repetendus, usque dum perfecte convaluerit Æger*, Ita ille. Vide Therapeuticen meam pag. 116. & 117.

Denique improbat Auctor Dissertationis usum Corticis Peruviani *in Febribus illis Continuis, quæ de Intermietentium prosapia sunt, & quid malignum portendunt*, ut nuper §. 33. Contra in citata Epistola scribit incunctanter hæc Sydenham pag. 349. (vide Therapeuticen meam pag. 251. & pag. 280. *Cum Febres quædam apud nos grassentur, quæ etsi post secundum, tertiumve paroxysmum reponere se in classem continuarum nitentur, tamen ad Intermittentes debeant referri, nulla mihi religio est, Corticem vel in maxime Continuis hujus specie sumendum proponere, qui dicto more* (videlicet ad scrupulos duos quarta quaque hora) *iteratus, ad apyrexiam certe Ægrum perducet*. Atque ita secundum Sydenhamium singulis diebus naturalibus quatuor drachmæ Peruviani Corticis impendentur pro *certa* curatione Febrium *maxime Continuarum*, quæ sint *de Intermittentium prosapia*, pro quibus peculiariter curandis, subdit insuper ibidem. *Hic autem observandum, quod quo magis Febris ad Continuitatem accedit, eo major Corticis quantitas est exhibenda*. Itane igitur ifiiusmodi Patronis suam causam satagit sustinere, & meam prosternere Cl. Auctor? Scilicet dum Chinam Chinam ab horto Medico evellere aggreditur, *Anagyrim incautus movet*.

Legendus itaque (repetam & ipse) *Thomas Sydenham*, nedum in Observationibus Acutorum, sed & in Epistola Responsoria ad Bradyum, & in Dissertatione Epistolari ad Cole. Imo si adeo placeant, quæ Sydenham scripsit, eadem quoque ratione legendi Viri alii Celeberrimi, non alia sentientes, Sebastianus Badus in Anastasi Corticis Peruviæ, Richardus Morton De Cortice Peruviano, & ejus virtute Febrifuga, Christianus Joannes Langius De Febrifuga, pariter ejusdem Chinæ Chinæ virtute, Franciscus Maria Nigrisolus, simnlque Nicolaus Blegnyus, Talbotius, Restaurandus, Monginotius, d'Acquin, & Sponius Lib. cui titulus *Febris China China expugnata &c.* Videndus etiam Guilielmus Cole, Hadrianus Helvetius, Teophilus Bonetus, Antonius Franciscus Bertinus, Joannes Jones, Joannes Jacobus Mangetus &c. *Legi quoque merentur* inter antiquiores Rolandus Sturmius, Gaudentius Brunaccius, Antymus Conygius, & inter Recentiores Ansanus Franciscus de Hieronymis, Carolus Franciscus Cogrossius, Bernardinus Zendrinus, aliique propemodum innumeri, quos modo recensere non vacat, in progressu tamen vacabit opportuniore loco.

(*e*) (*Ubi de intempestivo &c.*) Observationes *de intempestive*, ut ait Cl. Auctor, *Chinæ Chinæ usu* adversus *tempestivum usum* nil probant, ut pluries dixi: quodnam enim tam levidensis texturæ cerebrum, ut remedii, quantumvis optimi, administrationem etiam intempestivam commendet? Quamobrem ad observationem D. Grugeri exclamabo tantum. Quodnam crimen Peruviani Corticis, si Pastor ille ignorabat Aphorismum Hippocratis 70. Sectionis quintæ: *A Quartanis capti non admodum a Convulsionibus capiuntur: si vero prius capiantur & Quartana supervenerit, liberantur* Quænam Febris magis *depurativa*, quam isthæc? Anne propterea ignari Pastoris loco damnabitur Remedium egregium, quod illam sustulit atque ubi Coquus peccavit, vapulabit Tibicen? Suppressionem Febrium Intermittentium, quæ aliorum nonnumquam morborum semina deleant, rejectam vide in Therapeutice mea pag. 67. 245. & alibi. Opportet ergo distinguere *Ubi*, *quando*, & *Quomodo* sit exhibendus Peruvianus Cortex, ut exhibeatur utiliter, quemadmodum expresse monui pag. 156. ejusdem Tractatus. Nec aliter quidem nobis agendum in praxi, nec enim ipse aliter, ac in criptis tradiderim, in praxi exerceo.

Uno Augusti mense currentis anni decem saltem Ægrotos vidi Quartana intermittente recens correptos (hujusmodi enim febrium feraciſſimus fuit hic mensis) quibus nil ferme aliud suasi, nisi temporaneam ipsius Quartanæ gestationem. Nemini eorum Chinam Chinam adhuc præscripsi, cunctis tamen præscripturus, si quando

do

do tempus, & opus id tulerit. Interim citra exigentiam Febris, vel deterioris, vel diuturnioris redditæ, ea utar sobrietate, quam mihi familiarem jugiter prodidi pag. 69. & 88. præcitatæ Therapeut. meæ. Summa itaque negotii hæc est. Febris haud infrequenter homini potest prodesse, ac revera nonnumquam prodest; sæpius vero illi, aut vitam adimit, aut œconomiam vitalem plurimum labefactat. Atque ita sæpius utile, imo & necessarium est China China febrem delere (quoniam inter Febrifuga non aliud æque idoneum prostat) nonnumquam vero temerarium, aut noxium. Munus ergo boni Medici est hæc duo probe distinguere, ut a Barbitonsoribus, & Pharmacopolis distinguatur & ipse. Atque hæc sunt, quæ non adeo facilem reddunt *rectam*, & *rationalem* administrationem celeberrimi hujusce Febrifugi: qua de re vide Therapeut. meam, tum C. 8. Lib. 1. tum maxime C. 5. Lib. 4. Sic & in Febribus frequenter recidivis satius est pedetentim progredi, nec illarum recursum statim reprimere; sed ita præbere se temperantem, ut partim ex se ipsa, partim remedii vi Febris deficiat. Neque pudeat Medicum, Ægris Chinam Chinam pro Febrium quarumdam suapte natura diuturniorum medela intempestive poscentibus, respondere quandoque illud Ovidii.

Quod male fers, assuesce; feres bene; multa vetustas
Lenit ——

§. XXXVI.

(*a*) *Memoratu quoque* dignum est, quod in paulo ante citata Uratislavienſi Constitutione legitur de duobus Clariſſimis Medicis Ricchardo Louver celeberrimo Anatomico, qui Elegantiſſimum Tractatum de Corde edidit, & Sohort, qui in febre continua ex tumulentia orta Peruvianum Corticem ſumpſerunt, qui nono, vel undecimo die, aut circiter utrumque e medio ſuſtulit. (*b*) *Nefas porro ducerem* omittere quod refert Doctiſſimus Joannes willelmus Rhambergius in Ephem. Cur Nat. Decad. 3. Anno IX. & X. ubi narrat hiſtoriam cujuſdam legionis pedeſtris, quæ prope Manhemium æſtiva Caſtra poſuerat, & paulo poſt 400. fere milites febre tertiana correpti fuere, quibus Chirurgus ad aliquot dies Chinam Chinam exhibuit, qui brevi omnes hydropici evaſere cum omnimoda virium & appetitus proſtratione.

(*a*) (*Memoratu quoque &c.*) IN Febre Epidemica *per eſſentiam Continua* citatæ nuper Conſtitutionis Uratislavienſis, qua occubuerunt duo illi Cl. Medici, jam dictum eſt ſupra, Peruvianum Corticem perperam uſurpatum fuiſſe; de quo abuſu ſatis clamat Tractatus meus, ubi ſemper, ſi non ut noxius, (quod profecto non auderem aſſerere) ſaltem ut fruſtraneus in iliiuſmodi circumſtantiis a me rejicitur. Quod ſi contendatur, eam Febrem fuiſſe de genere Subcontinuarum a me deſcriptarum (quod tamen minime admittam) certe, quocumque modo uſurpatus fuerit a duobus illis Medicis Peruvianus Cortex, non fuit ſaltem uſurpatus *Methodo mea*; iiſdem ignota, quod mihi ſat eſt. Neque enim Febres *Perniciosas*, nedum *Continuas*, ſed nec *Intermittentes*, Cortice *ſemper* curabiles dico, niſi ille *mea Methodo*, quam idcirco *Specialem* appellavi, diligenter adminiſtretur, ſecus ſi Methodus quælibet apta *ſemper* eſſet ad opus, *peculiarem* meam promulgaſſem incaſſum. Ita nempe obſervavi Mutinæ; atque haud aliter putarim contingere potuiſſe & Uratislaviæ. Singulari nihilominus animadverſione dignum eſt, quod mors illorum Virorum, quæ contigit exacto, ut mos eſt, Acutorum ſtadio, *tam fidenter*, *tamque animoſe* a Cl. Auctore imputetur Peruviano Cortici, quamvis extra rem aſſumpto; *qui* ſcilicet, ut facile decernit ille, *utrumque e medio ſuſtulit* (quaſi de mortifero quodam pharmacho ſermo eſſet) minime vero tribuatur *Temulentiæ*, aut *Continuæ Febri epidemice graſſanti*, ac *populariter*, ut ſupra, *funeſtæ*. Profecto ego neſcio quid nominis pſeudopropheticæ huic divinationi conveniat.

Divinationem ſane, ſeu potius rationalem conſequentiam valde diſſimilem ex hoc alio Caſu (quoniam de Medicis incidit ſermo) eliciendam ego cenſuerim. Vidi nuper Medicum hujus Urbis laborantem Febre *Continua* generis, cui vere proficuus judicio quoque meo, minime cenſendus erat Peruvianus Cortex, Febris namque vix de *Remittentium ſimpliciter*, non de *Subintrantium* ſtirpe videbatur. Comitabatur illam dejectio valde frequens, jactatio, & faucium ariditas. Poſt ſeptimam circiter morbi diem (quo tempore amicitiæ cauſa ad illum inviſendum acceſſi) Diarrhœæ cœpit adjungi fu-

ctus

dor aliquis inanis tamen, & nullius adhuc juvaminis. Nonnullos post dies, cum rursus ad eum accessissem, narravit ille mihi, se morbi vim, & vehementiam pertesum, eo ipso mane potasse pulveris Peruviani drachmas duas uno haustu; ægre tamen, nec plane ex animo consentiente Docto Amico ipsum curante; subdidit nihilominus, totidem pariter ejusdem pulveris drachmas se potaturum postridie. Admonitus a me de probabili vacuitate hujusce tentaminis, non ideo tamen abstinuit; cum me satis noviſſet a remedii semel jam sumpti repetitione minus alienum, ac a prima illius sumptione, si forte fuissem consultus. Animosior adhuc factus est ille, postquam ab ore meo excerpsit haud difficulter, omnem suspicionem tandem restringi ad irritum tantum, minime vero ad noxium usum Febrifugi quavis malitia carentis. Sumpsit itaque iterum Corticem, prout animo præconceperat, mox tamen cessavit, consilio etiam meo, remedii modica jam dosi adhibiti effectum, quicunque inde emersisset, tantisper expectaturus. Accedente interim morbi statu, & Dirrhœa nonnihil mitiore reddita, largior non parum sudor cæpit erumpere; qui ad vigesimam primam usque diem protensus, visus est Febrim ferme penitus extinxisse. Non proinde tamen ea substitit; sed obscuris motibus quotidie exacerbata, ansam rursus paulo rationabiliorem dedit Ægroto (me quoque non dissentiente) ut Chinæ Chinæ parcioribus dosibus assumptæ vires iterum experiretur. Quod etsi ad plures dies tentasset, semidrachma nempe illius, primo bis, deinde semel in die epota: nihilominus ad trigesimam quintam circiter diem protracta est integra judicatio Febris, consueto temperatioris Diarrhœæ cursu, & spontaneis de more sudoribus tandem soluta.

Post illius solutionem ingenue fassus est ille mihi, se primis quoque morbi diebus morboso pariter nescio quo percitum œstro (cum alias nunquam in suis Ægris curandis quicquam tale peregisset) nonnullas ejusdem Chinæ Chinæ drachmas etiam quidem omnino, sed & incassum potasse. Non ego idcirco unquam crediderim, sanationem hujusmodi, quippe seriusculam, & difficilem, hoc casu adscribendam Corticis; sed Naturæ, opus, quod jamdudum molita erat, tandem perficienti. Id potius exinde concludendum putarim: primo nempe, Chinam Chinam, sicuti hunc Medicum sanitati restitutum: me quidem judice, nequaquam sanavit; ita duos illos Medicos a Cl. Auctore citatos, & vita functos nequaquam interemisse: secundo, eventum hunc, aliosque non absimiles mihi observatos, semper magis in dies suadere posse, usum vere proficuum, & rectum Peruviani Corticis, nec ampliores, nec strictiores pati cancellos iis, qui a me fuere in Tractatu meo constituti: tertio denique, Antifebrile illud vere Specificum, tam cum aperte convenit, quam cum minus videtur convenire; nullas evacuationes criticas, cujuscunque sint generis, a Natura institutas, aut præordinatas interturbare, ipsumque tantummodo forsan obesse posse nonnunquam, ubi præpropere Febrim serius curandam valeat sistere, non ubi vim suam Febrifugam nequit exerere.

(*b*) *Nefas porro ducerem &c.*) Nefas ego duxissem potius recensere historiam hujusmodi. Toxicum certe aliquod paulo ante contulisset necesse est in eo Mortario incautus Pharmacopola, in quo Chinam Chinam postmodum quoque contulit; unde quadringentorum simul Abdominum inflatio subsecuta. Dixerit potius Relator historiæ, ea de causa, qua tota ferme Legio illa decubuit, (forte ob locum, victum, aquas, & aerem) plurimos ex iis militibus, ab imperito etiam Chirurgo China China sine methodo oblata curatos, subtumidos quoque, aut Lienosos factos fuisse; quemadmodum in Urbibus, aut Locis paluſtribus, Febrium æstivarum feracibus, sive adhibito, sive non adhibito Peruviano Cortice, quotannis videmus accidere. Si enim vere *hydropici prope Manhemium* 400. *illi milites omnes evasissent ob Chinam Chinam*, ut asseritur, *ad aliquos dies assumptam*; cum tantus sit apud nos, exprobrante Cl. Auctore, ejusdem Febrifugi abusus, jam hydropicorum chiliades Mutinæ numerarentur. Sed hujus ingenii historias, bona cujusvis venia, inter Fabulas liceat reponere. Scilicet ad has nugas, ad alias vaniloquentias confugere opus est Cl. Auctori, ut suam, cui germanæ non suppetunt historiæ, Causam futilibus tueatur.

§. XXXVII.

FEbres hujus generis, quæ ubi eo pervenerint, ut amplius non recalescant corpora, audio istic algidas a Practicis appellari, (*a*) *sed scito illos decipi*, nam febres algidæ alio nomine castrenses dictæ, a sui initio usque ad finem algorem habent comitem perpetuum, de quo vide Ettmull. de Febr. Helmo. de Febr., Sylvium, & alios. (*b*) *Hinc magnum documentum* habere possunt castrenses Medici, quam periculosum

sit

ſit in febribus hujuſce indolis hoc Febrifugo uti, nam in morbis hujuſmodi generis (quod idem de Epidemicis dicendum) ſanum conſilium eſt pravos & malignos humores ad ambitum corporis per diaphoretica ſenſim promovere, potius quam figere, & concentrare, uti fecit Chirurgus ille imperitus.

POſt tentatas hactenus, & ſucceſſivo particulatim ordine repetitas aggreſſiones Tractatus mei, generale quaquaverſum certamen tandem indicit, & hinc illinc claſſicum canit Cl. Auctor, modo hanc pro re nata, modo illam partem invadens; omnimodam demum totius Operis everſionem molitus. Deinceps ergo quo me trahet identidem Cl. Viri vexatio incoſtans; eo tendet laceſſita, ut tempeſtive occurrat, præſens ubique defenſio mea. Pergendum igitur.

(*a*) *Sed ſcito illos decipi &c.*) Hoſpes adeo non ſum in Medicina, ut Febrium nomenclaturas frequentiores ignorem, earumve differentias confundam, qui aliquando ſaltem novi diſtinguere, Ægrotante ne inſpecta quidem, Buconocelen, ſive Herniam inteſtinalem ab hyſterico dolore, & ſola Subligaculi præſcriptione (admorione vero Peritis commiſſa) ſtatim ſanare inde ortam paſſionem Iliacam, cui antihyſterica remedia, & incaſſum, & perperam quis adhibebat. Quod ſi iſtiuſmodi Intermittentes Febres, quas deſcripſi pag. 127. Therapeutices meæ, quæque Sextam apud me Pernicioſarum differentiam conſtituunt, *Algidarum* nomine, quippe alio peculiari carentes, indigitavi; minime propterea me *deceptum* puto. Qua enim ratione *Continuæ* Febres, quæ *a ſui initio uſque ad finem algorem habent comitem perpetuum*, *Algidæ appellantur*, ut docet ex Tripode Cl. Auctor; eadem quoque ratione *Algidæ* nuncupantur a me *Intermittentes illæ*, quæ ab initio Acceſſionis uſque ad finem illius, conſueti caloris loco, eundem pariter algorem habent comitem perpetuum: hac una differentia adjecta quod illæ *Algidæ Continuæ* vocantur, iſtæ *Algidæ Intermittentes*.

Vix tamen hic riſum continere queo, mente recolens, quod de hujuſce nomenclaturæ novitate me criminari contendat Vir Cl. Auctoritate Helmontii, Ettmulleri, & Sylvii in medium adducta, cum non aliis ferme, quam hiſce Patronis Cauſam ipſe meam poſſim tueri. Si enim de Helmonto ſit ſermo, nemo unquam præ illo Scriptore, in morbis, aliiſque rebus explicandis vocum novitate Medicinam fere dixerim inquinavit; & tamen minus ægre tulerunt Scholæ *Blas*, *Gas*, *Archeum*, *Alkaeſt &c.* Helmontii, ac ferat modo nomen *Algidarum Intermittentium* Cl. Ramazzinus.

De Ettmullero, & Sylvio non aliud dicam, niſi me ab utroque Scriptore *Algidarum*, ſeu *Frigidarum Intermittentium* denominationem didiciſſe. Ettmullerus ſiquidem Cap. 17. De Febribus pag. mihi 187. Febrium *Frigidarum* exemplum aliquod allaturus, ſtatim *Tertianam Intermittentem* deſcribit his verbis huc ſummatim translata -- *Exempla Febrium Frigidarum non tam a Sylvio fuerunt obſervata* (ſtatim igitur auctoritate Sylvii ſemetipſum, & me tuetur Ettmullerus) *ſed & mihi contigit obſervare &c. Artifex, qui laborabat perfecta Tertiana, ſeu recurrebat febris tertio quoque die, anticipando ſemper duabus horis cum nullo ſubſequente calore &c. Paroxyſmus ingruebat cum inſigni rigore, & horrore graviſſimo, qui ultra horam integram durabat; poſtmodum cum deberet ſuccedere calor, nullus apparebat omnino &c. Paroxyſmi obſervabant ordinarium typum, anticipando per horas duas.* Hæc Ettmullerus. Ne vero ulla ſuſpicio incidat hujuſmodi *Tertianam* minime fuiſſe *Intermittentem*, etſi ſymptomatis prædictis ſtipatam, ſed fortaſſe Continuam, obſervetur quid in illius curationis progreſſu manifeſte ſubdat ipſemet Scriptor. *Præſcribo*, inquit, *die Intermiſſionis &c.* & rurſus, *Die Intermiſſionis denuo continuavit Miſturam &c.* Iciens ergo ictus eſt eodem lapide, ut aſtolet, Opponens Cl.

Prodeat tandem in Scenam & Sylvius, qui Cap. 30. de Febribus Intermittentibus §. 7. & 8. pag. mihi 241. hæc habet -- *Ratione Symptomatum graviorum* (*quemadmodum de Synochis jam dictum*) *nomina diverſæ ſortitæ ſunt Febres Intermittentes. Nam primo Algidæ obſervantur nonnunquam, non tantum frigore præſertim, ſed frigore tantum moleſtæ, adeout aliquando, & frequentius levis, aliquando & varius nullus ſequatur Calor. Tales etiam ſemper Algidas in Neſocomio Academico habuimus ita manifeſtas, ut non tantum incipiente, atque augeſcente, ſed etiam vigente, ac declinante, imo ceſſante Paroxyſmo, ideſt ſemper, tum ſuo, tum Aſtantium, aut Medicorum ſenſu moleſte utique frigerent, nunquam teperent, minus calerent ullibi Ægri. Suntque hæ Algidæ graviores ſemper forſan Quotidianæ.* Hæc pariter Sylvius. Et hæc pariter occaſione Alciam cruribus ſuis illiſit Cl. noſter Auctor. Mirumque plane, quod ob tam decentem, quam reſpuit immerito, nomenclaturam, velit auctoritate præſertim Sylvii me redarguere Vir idem Cl. cum potius habeat unde Sylvium ipſum corripiat, qui majore forſan puſillorum ſcandalo haud veritus fuit in Catalogum Febrium plures referre magis peregrinas, *Sputatorias* puta, *Ureticas*, imo & *Cacatorias*, Naſutulis forte plurimis non bene olentes.

(*b*) (*Hinc magnum documentum &c.*) Maximum documentum, quod in *Algidis Intermittentibus* curandis poſſint habere tam Urbani,

bani, quam Caſtrenſes Medici, eſt, ut fidenter utantur Peruviano Cortice, qui teſte experientia illas quotidie ſanat; nunquam vero eaſdem ſanant, quæ incaſſum tunc adhibentur Medicamenta Diaphoretica. Hujuſmodi enim Febrifugus Cortex Fermentum omnium Intermittentium Febrium, etiam Pernicioſarum, cujuſcunque demum naturæ illud fuerit in diverſis earum Speciebus, *abſorbet*, ſive ut explicat citatus a Viro Cl. Ettmullerus de uſu, & abuſu Præcipitantium, *invertit*, *attemperat*, *ſaturat*, aut etiam ſi ita placeat, *figit*, atque *concentrat*: quod perinde eſt, tum apud eundem Auctorem, tum apud me; in eo videlicet ſenſu, in quo explicui in Therapeutice mea a pag. 19. uſque ad 21. & non aliter. Quid igitur mali putat innuere Vir Clar. dum ait, etſi gratis, Chinam Chinam morboſa ſemina *figere*, & *concentrare*, ſi D. Hippocrates Lib. de Vet. Med. docuit aperte, *Concentratione*, & *permixtione meliora*, *ac mitiora omnia fieri in homine?* Tantum ergo abeſt, ut ex hujuſmodi *Concentratione*, aut *Fixatione* Fermenti febrilis mole *perexigui* (intellige idcirco *concentrationem* illius intra poroſam Subſtantiam Corticis, non intra viſcera humani corporis) ſive in *Algidis*, ſive in *Æſtuoſis* Febribus quicquam ſequatur incommodi; quin potius enervato æqualiter, & abſorpto principio illo diverſimode hic fermentante, omnes Intermittentium Pernicioſarum Species etiam oppoſitæ, vel ſaltem, quæ tales nobis apparent, nempe tam de genere *Colliquativo*, quam de *Coagulative*, *victas dent manus*; quemadmodum annotavi, manuducente ſemper experientia, pag. 18. toties memorati Tractatus mei. De hoc itaque Febrifugo rurſus affirmare liceat, quod generaliter olim de Remediis *Antifebrilibus* ſcripſit idem Hippocrates Lib. De Affectionibus, illud nempe *Vim habere in Tertianis*, & *Quartanis Febribus*, *ut totum corpus conſervet in conſueta caliditate*, *ac frigiditate*, & *neque præter naturam calefiat*, *neque frigefiat*, ut cæteroqui in *Algidis* ſolet frigefieri, & in *Æſtuoſis* calefieri; eo enim ipſo, quod inhibet Paroxyſmum febrilem, inhibet ſimul ejus comitem Algorem, ac Æſtum, ut in hiſtoriis propemodum innumeris demonſtravi toto ferme Libro Quarto ejuſdem Therapeutices. Ut quid ergo inutiliter pugnatur amplius ratiociniis hinc inde fallacibus, ubi litem omnem dirimunt facta?

§. XXXVIII.

(*a*) *Vide quæſo mi Nepos* quomodo ex nimia facilitate præſcribendi Peruvianum Febrifugum in febribus, hoc remedii genus factum fuerit adeo commune Chirurgis, Pharmacopœis, Agyrtis, & ipſis quoque fœminis, ut non amplius in Medicorum poteſtate ſit illud rite adminiſtrare, & ſi Medicus rationibus velit obſiſtere, ægri ipſi febris obſtinationem faſtidientes, inſcio illo Quinquinam capiant, quale vitium in hiſce regionibus ſatis obvium & familiare eſt, ſed magno ægrotantium damno, qui pœnas luunt, poſtmodum hypochondriacis affectibus, cachexiis, ac lentis febribus correpti, ut poſtea cogantur Medicos pro curatione accerſere, qui multis remediis, (*b*) *atque febres excitando* morbum vincant, & remedia quærant ad ſepultum ignem ſuſcitandum, in quem finem laudatus Ettmullerus ſpiritum ſalis armoniaci commendat, & (*c*) *ficus Pharaonis*, qui tertianas febres excitare creduntur. (*d*) *Novum eſt ignem febrilem* penes prudentes Medicos ſuum uſum habere. Sic Celſus ſcripſit *licere febres parvas augere*, *fortaſſe enim curationi opportuniores fient*. (*e*) *Aureus* extat locus apud Hippocratem de febre, quæ in Apoplexia interdum accenditur, qualem locum obſervat Ballonius Medicus experientiſſimus, nam ſi Apoplexia ſit ſine febre, venam ſecandam ſuadet, ſi vero cum febre præſertim acuta, a V. S. omnino cavendum, ipſi enim Naturæ arma præripimus, quibus hoſtem ſuum potuiſſet confodere. Alter locus Hippocratis extat in Libris Epidemiorum, *Puerperis convulſivis ignem fac*, ajebat ille, hoc eſt febrem magnam excitato, febris enim continua græce pyr dicitur, parva autem pyretos. Idem præſtat ignis febrilis corporibus male affectis, ac ignis agris humidioribus.

Sæpe

Sæpe etiam ſteriles incendere profuit agros,

ajebat Virgilius in Georgicis, varias quidem rationes inibi affert Poeta vere phyſicas, ſed illa potior eſt, cum ait:

..... ſive illi omne per ignem
Excoquitur vitium, atque exſudat inutilis humor.

(*a*) (*Vide quæſo &c.*) IPſam Peruviani Febrifugi excellentiam ſibimet aliquando obfuturam; adeoque fore, tum ut fauſtorum eventum frequentia illum *abuſum* apud imperitos accerſat; tum ut ex hujuſmodi *abuſu* aliquod quoque fundamentum acquirat Adverſantium dicacitas, pro eo excludendo etiam tunc legitime deberet admitti, jam pag. 170. Therapeutices meæ ſum pridem vaticinatus. Neque tamen uſum rectum apud gnaros ſupprimendum credam, ne apud ignaros invaleſcat abuſus. Quod ſi *nimia in præſcribendo Peruviano Febrifugo facilitati* imputet Cl. Auctor, quod remedium hocce, inter pretioſiora certe ſervandum, *factum ſit commune Chirurgis, Pharmacopæis, Agyrtis, & ipſis Fœminis*, jure potiori imputabo ego *nimiæ facilitati* Obtrectatorum illius *in eo proſcribendo*, quod præſtantiſſimum, & tutiſſimum hujuſmodi Medicamentum hodie apud Vulgus audiat pro Pharmaco ancipiti, quod ut olim de phlebotomia in Apoplecticis ſcripſit Celſus) Ægrotantes *vel liberet; vel occidat*: quo fit interdum, ut illud, magno cæteroqui in pretio, & honore habendum, vileſcat: ſitque non modo (æque indecenter quidem) nunc uſui, nunc ludibrio *Chirurgis, Pharmacopæis, Agyrtis, atque Mulierculis*; verum etiam in Fabulis materiam dicteriorum ſuppeditet vel *Pueris ipſis*, & cuicunque inſimul libet claudicare cum ſimulantibus Claudum, & pro re nata cum Pueris puerascere.

(*b*) (*Atque Febres excitando &c.*) Ad ſuſcitandam iterum Febrem a China China depulſam Remedium certiſſimum eſt, nec ullum aptius proſtat (quid enim aliunde emendicat Cl. Auctor?) quam quælibet paulo poſt inſtituta purgatio, ut dictum eſt nuper, & latius adhuc olim pag. 65. 78. imo & exemplo confirmatum pag. 184. ipſius Therapeutices meæ: niſi forte inter ipſam Chinam Chinam, & Purgans aliquod peculiare, V. G. de amaricantium Stirpe (quod quis obſervarit, quodque ego haud ſatis experiri ſtudui) detur aliqua Symboleitas, quæ mutuum eorum nexum facile ferat, & ſine diſſidio patiatur. Utcunque generalis hæc Peruviani Corticis, neſcio an dicenda mira proprietas, an potius infirmitas: quod nempe ab aſſumpto quovis vel leviſſimo Leniente, hujuſce Febrifugi virtus adeo infringatur, & langueat, ut redeat ſtatim Febris antea fugata, hæc inquam proprietas, Medicis haud ſatis expertis (hujuſmodi ſunt omnes, qui hæc non callent) minus perſpecta, in cauſa forſan aliquando fuit; eſſque etiamnum, ut Auctores nonnulli cæteroqui docti, ad educendam, ut putant, e corpore Cauſam Febrilem, ipſi Chinæ Chinæ admiſceant Purgantia Medicamenta, vel poſt biduum, aut triduum in eundem finem ea præſcribant, vel, ad alvum, ut identidem aſſolet, ſlypticam leniendam, etiam poſt octiduum: quo fit perſæpe, ut fruſtranea vere in primo caſu evadat Febrifugi oblatio; in poſterioribus vero caſibus culpetur idem Febrifugum de inopinato Febris reditu, vel de pejore etiam noxa, ſi Febris per Catharticum revocata redierit gravior, cum tamen culpa omnis vere ſit adſcribenda, purgantibus, utut leviſſimis, perperam commiſtis, aut ſubinde ſuperepotis, ut crebra diligentes Scriptores, Obſervatoreſque docuit experientia. Sic omnino quidem injuſte damnata ab uno, vel altero Auctore minus attento China China inſonte, plures poſtmodum in fide aliena eidem condemnatoriæ jejunii prorſus, & inexperti ſubſcripſere ſententiæ.

Nec minus hodie forſan hallucinantur nonnulli, Chinæ Chinæ virtuti eouſque fidentes, ut illam æque ſartam tectam putent a Purgantium injuria, ſi eadem poſt epotum, ac ſi ante epotum hujuſmodi Febrifugum aſſumantur; quod profecto experientiæ quotidianæ manifeſte repugnat, prout pluries, ac pluries obſervavi. Solvens equidem Medicamentum ante Chinam Chinam præſcriptum futuram Corticis in futurum præſcribendi actionem non impedit; ſubſequens autem delet de more prægreſſam. Quod ſi quis, dum China China utitur, intermiſceat quoque uſum Purgantis cujuſpiam; ſed pari ſimul paſſu, & doſi æque liberali in ejuſdem Chinæ Chinæ oblatione etiamnum perſeveret; is forſan damnum, quod Purgans intulit, neutiquam dignoſcet, quia veneno nova ſucceſſit antidotus; facile tamen dignoſceret, ſi purgante exhibito, a Corticis poſtmodum exhibitione feriaretur pauliſper; Febre ſcilicet ante novam Febrifugi oblationem iterum redeunte. Ad quid igitur Siſyphi ſaxum rotare inutiliter, vel texere viciſſim, atque retexere telam Penelopis; At de hoc jam ſatis Redeamus ad Virum Cl. pro ſuſcitandis Febribus intempeſtive depulſis remedia quærentem.

(*c*) (*Ficus Pharaonis &c.*) De *Ficu febrifera*, quam *Pharaonis* appellant, quamque in Sardinia in Ducatu Galluriæ abunde reperiri ferunt, fuſe loquitur Badus (quam deinde ſecu-

secutus est Morton) de Cortice Peruviæ Libr. 1. a pag. 125. ad 129. adducitque auctoritatem Hieronymi Cardani, & testimonium de visu Petri Apponensis. Hæc tamen, nec forsan immerito, inter fabulosas narrationes referunt plurimi. Sed quid, si Ficum febriferam Pharaonis inter Fabulas recenseret, simulque temerariam assereret, imo & a nostra potestate longe dissitam praxim ipsam excitandi Febres, pro aliorum morborum medela, eamque idcirco rejiceret, & derideret idem, qui modo laudat, Cl. Ramazzinus? Audiamus illum denuo in Orat. tertia Jatrici Argumenti pag. 94. 95. ita loquentem, etsi alias quoque in memorabili *Collatione* Textuum illius audiverimus lit. N. O. P. -- *Cum in universa Morborum classe nullus extet nobis hostis infensior, & cui minus fidere oporteat, veluti Febris, attamen eo audaciæ ventum est, ut inter Quæstiones medicas sit, num ad alios morbos curandos Febrem excitare liceat* (quid ego dicendum de affirmativa sententia, si tam audax est sola Quæstio?) *eo quod interdum in quibusdam affectibus, veluti convulsione, & hypocondriorum dolore, superveniens Febris remedii loco fuerit, quasi in nostra potestate sit ignem febrilem accendere, ac pro lubitu ipsum restinguere. Quam libenter scirem, quodnam corpus, sive de genere simplicium, sive Compositorum prostet, quo quis Tertianam Febrem, Quartanam, Synochum, vel quamcunque aliam excitare possit. Pro Fabula enim accipitur, quod quidam de Pharaonis Ficu referunt, quam ajunt Tertianam Febrem excitandi vim habere.* Sic suis ipsius pennis capitur Cl. Auctor. Sed pergamus.

(*d*) (*Novum non est ignem febrilem &c.*) Ignem febrilem, quando debitam succorum ebullientium *despumationem* promovet, suum usum habere penes prudentes Medicos, late dixi & ego in Opere meo Cap. 8. Lib. 1. præcipue pag. 66. & Cap. 5. Lib. 4. præsertim pag. 244. secus vero, quando eorundem Fluidorum immanem effervescentiam, *corruptelam*, aut in visceribus stagnationem producit, sive illam consequitur. Num vero ad *ancipitem* hanc succorum *dæfecationem* quærendam, *liceat* prudenti Medico sequi Consilium Celsi, *parvas nempe Febres augere, ut curationi fortasse opportuniores fiant*; ex ipso audiamus iterum Cl. Ramazzino, qui ex professo hanc quoque Quæstionem eadem pag. 95. Orat. Jatrici Argumenti resolvit his verbis. *Non absimilis priori* (videlicet nuper expositæ) *est alia Quæstio, non adeo tamen audax, quam habet Celsus, num Febrem lentam augere liceat, ut curationi opportunior fiat. Verum quam suspecta, & quam infausti ominis sint beneficia, & dona, quæ ab hoste proveniunt, satis compertum est, ut vetus proverbium admonet, Hostium munera non munera. O quam egregie in hanc rem Seneca. Gravissima infamia est Medici, opus quærere: multi quos auxerant morbos, & incitaverant, ut majori gloria sanarent, non potuerunt discutere, aut cum magna miserorum vexatione vicerunt.* Ita & hanc Quæstionem adversus semetipsum resolvit Vir Clarissimus, ex eodem ore calidum pariter & frigidum efflans, ut eandem Pultem calefaciat, & frigefaciat pro libito.

(*e*) (*Aureus &c.*) *Aureus* potius uterque *locus* est Cl. nostri Auctoris nuperime recensitus, dignusque plane, quem observaret Ballonius, si modo viveret, ut cum Hippocratis, & Celsi Testibus conciliaret. Sed sive ex auro, sive ex auricalco fuerint loca per Cl. Virum allata, locum certe ullum nequeunt habere, ubi Febris *Corruptiva* per Corticem tempestive, methodice, ac vere ex arte fuerit ante depulsa, An vero eadem posita, quæ solum poni debet, *Corruptrice* Febre, locum opportunum habeant tot alia ex Græcis dictionibus satis notis, & ex Virgilii Georgicis huc gregatim, confertimque translata, ne dicam intrusa, non quæram. Quispiam forte animosior haud plene importune huc traheret Jambos illos Nicorasti,

Loqui si indesinenter, multaque & velociter
Prudentiam indicaret; utique hirundines
Fortasse quam nos sapere dicantur magis.

§. XXXIX.

NOn *semper* terreri Medicum decet, si videat in febribus calorem augeri, *pus* enim *fit* ajebat laudatus Ballonius, hoc est humorum maturatio, merito itaque reprehendit idem Scriptor eos Medicos, qui in febribus cum videant calorem augeri, mittunt sanguinem, quod procul dubio non facerent, si abscessum viderent in parte aliqua externa, nam potius maturantia, & calorem foventia, quam V. S. & refrigerantia adhiberent, *quæ* enim *suppurantur non revertuntur*, ajebat Hippocrates, *ipsa enim maturatio judicatio simul & abscessus*. Haud aliter evenit in periodicis præsertim febribus, ex usu Quinquinæ intempestivo, impeditur illa humorum maturatio, quam Natura intendebat, hinc postea habitus cachectici fiunt, & dispositiones ad hydropem.

(*Non*

(*Non ſemper &c.*) CAlorem Febrium etiam intenſiorem, ac ſenſibiliter adauctum non ſemper debere Medico terrorem incutere ; ſed eſſe pluries verum opificem inteſtinæ ſecretionis heterogenearum particularum diſſidentium ab invicem, turbaſque efferveſcentis ſanguinis excitantium, ac proinde eſſe quoque raro inſtrumentum bonæ Judicationis morbi ; tum locis nuper citatis in Paragrapho antecedenti lit. d., tum alibi in tota Therapeutice mea adeo inculcavi, ut forte nimium. *Neque enim* (ajebat Galenus in Commeat. Aphor. 12. primæ Sect. Hippocratis) *neque enim fieri poteſt, ut magna incrementa ſuſcipientibus acceſſionibus, non proxima ſit Morbi conſiſtentia*, ac per conſequens ipſa impuritarum ebullientium ſecretio. Atque hanc a Natura expectandam potius nobis eſſe, ſi probabiliter queat expectari, quam intercipiendam, aut quodammodo impediendam China China, quam ſolum abſorbetur Fermentum efferveſcentiam gignens, ac fovens ; iiſdem pariter locis, atque inſuper pag. 174. item pag. 270. ac 271. apertiſſime prodidi ; cum vere melior, ac perfectior cenſenda ſit (ut ibi ſum faſſus, atque iterum repeto) judicatio Febris, quæ ſponte fit ab ipſa Natura, *perfecte, ac integre* judicante, quam, quæ obtinetur a Cortice Peruviano, aut alio quovis Abſorbente Specifico. Ac propterea verum nonnunquam erit, aut eſſe poterit (nec tamen perpetuo) quod ubi adauctus Febrium æſtus ad *depurationem* tendat, ex *uſu Quinquinæ* tunc, ut ait Clariſſimus Auctor, revera *intempeſtive*, *impediatur illa humorum maturatio*, *quam Natura intendebat*.

Id autem certe non eſt de nihilo ; etiamſi non adeo facile inde *fiant habitus cachectici*, *aut diſpoſitiones ad Hydropem*, ut ſine ulla hæſitantia ipſe decernit ; quaſi ex ſola Febrium, Cortice nullatenus curatarum *diuturnitate* Cachexiæ nunquam contingant, aut Hydropes, de quo vide Therapeuticem meam pag. 84. & quaſi eodem Cortice rite adminiſtrato non curentur eædem Cachexiæ, aut diſpoſitiones ad Hydropem ab ipſa Febrium *diuturnitate* prodeuntes, ut experientia multiplici confirmarunt Raymundus Reſtaurandus, Cap. *De Hydropis ſuccedentis Febribus curatione ope Chinæ Chinæ*, ac alii quamplures ; imo quaſi ſuppreſſis etiam intempeſtive Febribus, quandoque Natura non queat Fermentum ipſum febrile, præmaturæ licet abſorptum, ſponte ſubigere, aut ad illius perfectam expulſionem converti ; & quaſi denique, redeuntibus nonnunquam poſt Corticem, ſive præmaturæ forſan, ſive etiam tempeſtive adminiſtratum, Febribus, aliquem rurſus iiſdem progreſſum permittendum eſſe ipſemet non ſuadeam, priuſquam repetatur Febrifugum ; vel ad omittendam plane illius repetitionem non hortet Medicos pag. 14. 153. Therapeutices meæ, quoties levior, ut crebro aſſolet, illarum recurſus ſolutionem quoque ſpontaneam, ope ipſius febrilis æſtus *depurativi* jam redditi ſenſim promovendam, haud longe diſtare prænunciet : Ad quid ergo futiles iſtæ Viri Cl. Declamationes nonniſi aerem ferientes?

Quia vero idem ſæpenumero Febrilis æſtus (ut vela contraham) in *diuturniorum Intermittentium* progreſſu ſuccos nutricios potius exhaurit, cruoremque ipſum per repetitas deflagrationes ſpiritibus depauperat, graviaque ſenſim accerſit etiam ſymptomata, ut *corruptionis* potior ſit metus, quam ſpes futuræ *depurationis* : item cum in iiſdem Intermittentibus, mox Subintrantibus, ac dein *Subcontinuis* redditis, cum ſymptomatis peſſimis in dies increbeſcentibus, ille idem æſtus acutiem certo, mox & necem probabiliter interminetur : denique cum in ipſis Intermittentibus quidem, ſed *Perniciofis* (& hæc eſt rerum ſumma) laudatus nuper a Viro Cl. hujuſmodi febrilis calor, nonnunquam & funeſtus algor, certam, ultimam, & inevitabilem, nedum portendat, ſed & jam inferat cladem ; propterea in hiſce caſibus, & circumſtantiis, in quibus tantum Peruvianum Corticem abſolute laudat Therapeutices mea, & quidem adhibitum Methodo pro caſuum varietate pariter varia, ipſum proſcribi eo nomine, *ne videlicet impediatur illa humorum maturatio*, quam in Febribus *ſalutaribus* promovere nonnunquam ſoiet calor adauctus, minime admittam ; etſi mille Hippocratis, & Ballonii Textus ad ſuam ſententiam detorquere conetur idem Clariſs. Auctor.

§. XL.

HÆc *olim* non ignota erant Medicis Mutinenſibus meorum temporum, uti D. Joanni Manzino Viro ſane doctiſſimo, ſed Chinæ Chinæ nimis infenſo, D. Joanni Baptiſtæ de Grandis, D. Scajolæ Equiti, D. Antonio de Abbatibus, D. Antonio Ferrarino, Viro, ſi quis alius, omnigenæ eruditionis Protomedico vere digniſſimo hactenus ultimo eorum, qui in Aula Eſtenſi hujuſmodi titulo fuerint inſigniti, aſt in omnes jamdudum e vivis exceſſere ; vivit tamen adhuc D. Franciſcus Tonanus feliciſſimus

ciſſimus Practicus jam ſenex, Platonis ætatem prætergreſſus, qui eorum quæ diximus teſtis eſſe poteſt, ſcitque ipſe quam raro caute a laudatis Viris præſcriberetur in quibuſcumque febribus Peruvianus Cortex, utpote quem ſuſpectum habebant, & infidum, cum nihil de cauſa morbifica viderent excerni, ac idem evenire, quod interdum in Corporibus a Cacodæmone obſeſſis evenit, quando ab Exorciſta malignus ſpiritus ſolum in aliqua parte figitur, ſed non expellitur.

(*Hæc olim &c.*) MEdici Mutinenſes *temporum Viri* Cl. meorum quoque fuere temporum. Cum enim ille Mutinam primo domicilium tranſtuliſſet Vir jam maturus; tum vero Praxi medicæ primam ego navarem operam Adoleſcens, Concives meos optime noveram ante adventum illius, non in Exedris, ut longe ſerius, ſed in Cuneis tunc ſedentis. Eorum fere omnium trepidationem, cunctationem, imo & averſationem, quo ad recipiendum Chinæ Chinæ uſum, vivente Fraſſono Præceptore meo (qui primus Mutinam advocavit hocce Febrifugum, ſtatim ac illud in Europam cœpit deferri) ſatis in propatulo poſui pag. 2. Therapeutices meæ. Sed antiquiores illi priorum temporum Mutinenſes Medici (rectius dicam omnes ferme illius ævi) quidquid novi Artis acceſſiſſet, quod non noviſſet Galenus, pro commentitio reputantes, nedum de Chinæ Chinæ uſu tunc apud eos naſcente; ſed de ipſa quoque Sanguinis Circulatione, de Chyliferis ductibus, aliiſque ad oculum patentibus Inventis haud modice dubitabant; veterem adhuc Hepatis hæmatoſim, Facultates Viſcerum attractrices, & mile alia figmenta contra mechanicum humani Corporis artificium, quod manibus contrectamus, acriter ſuſtinentes. An propterea Medici hodierni deliramenta hæc nequaquam ſecuti, aliamque cohærenter ad detecta exercentes praxim, ut Nugatores, aut Novatores improbi erunt damnandi?

Addo tamen hic, quod in eodem Opere meo pag. 3. innui, videlicet, poſt obitum egregii illius Viri, qui contigit anno 1680. plures eorum paulatim mutaſſe ſententiam, & Peruviano Cortici humaniores evaſiſſe. Hujuſmodi fuit inter cæteros D. Antonius Ferrarinus Archiater certe dignus, qui ſibi tranſmiſſam ut Schedulis a Celeberrimo Malpighio Talbotii Methodum, mihi de mandato ipſius Malpighii libenter, & ex animo communicavit, laudavitque; cum cæteroqui antea fuiſſet ab hoc Remedio omnimode averſus, ut conſtat pag. 86. Therapeutices meæ hiſt. 18. Ille namque fuit, quem ibidem deſcripſi Fraſſono repugnantem, quamvis nomen illius, quod tunc aperire haud opus erat, ſubticuerim; quemadmodum pag. 193. hiſt. 6. & pag. 195. hiſt. 8. ſubticui quoque nomen D. Franciſci Tonani, ante paucos menſes, poſt editam nempe Cl. Auctor Diſſertationem vita functi; ſed cujus teſtimonio nihilominus non indiget prævia confeſſio mea. Miror vero, quod Catalogum Medicorum Mutinenſium ſui temporis contexens Vir Cl. Virum digniſſimum D. Antonium Fraſſonum unicum Præceptorem meum prætermiſerit, de ſe quoque bene meritum, & Chinæ Chinæ in hac Urbe primum, ac celeberrimum Fautorem, Medicumque experientiſſimum qui unus tot ſaltem Ægrotos quotidie inviſere conſueverat, quot inviſebant conjunctim omnes alii a Cl. Auctore hic recenſiti: ſimulque miror, quod tot alios ſuppreſſerit, eodem Febrifugo, præſertim poſt Fraſſoni obitum, palam utentes; quaſi ſolummodo a Clariſs. Ramazzini diſceſſu irrepſerit in hanc Urbem merx vetita, & contagioſa Peruviani Corticis.

Parcant, quæſo, Manes Viri Critici, Medicos Mutinenſes hodiernos Antiquiorum ſeveritate caſtigare molientis, parcant inquam, ſi & hac in re quæ opinabilis non eſt, ſed hiſtorica, illum inconſtantiæ redarguere cogor, & contradictionis plane inexcuſabilis. Inquit ille hoc Paragrapho, *Medicos Mutinenſes ſuorum temporum raro admodum præſcribere conſueviſſe in quibuſcunque Febribus Peruvianum Corticem, utpote quem ſuſpectum habebant, & infidum &c.* Ante annos vero 24. (quod non breve eſt temporis ſpatium) anno ſcilicet 1690. dum priorem ſuam de Conſtitutionibus Epidemicis Mutinenſibus Diſſertationem conſcriberet, uteretur autem ſatis liberaliter, forſan & præ aliis, Peruviano Cortice; neſcio quo actus tunc ſpiritu, *Medicis Mutinenſibus ſuorum temporum* hac eadem de Cauſa, quod nempe China China ea Conſtitutione fuerint uſi, Num. 15. ejuſdem prioris Diſſertationis pag. 71. Edition. Patav. ita ſuccenſuit -- *Major itaque pars Medentium apud Noſtrates* (ſemper illi cum majore hujus Urbis Medicorum parte lis eſt) *ut vulgi calumniis, & aſſiduis Ægrorum querimoniis ſe ſubducerent, in hac tempeſtate ad Peruviani Corticis ſacram Anchoram confugere, ac parum proſpere; nam in periculoſiores ſcopulos Ægrotantes ſuos perſæpe deduxere. Uſu Febrifugi per aliquot dies equidem ſub doloſo cinere latebat ignis; verum poſtliminio violentior recandeſcebat. Qui tamen peritiores erant, ac rebus Ægrotantium magis quam propriæ ambitioni conſultum volebant, Nabant ſine Cortice.* Major ergo Mutinenſium

sium Medicorum pars anno etiam 1690. Peruviano Cortice utebatur, imo & abutebatur, si Cl. Auctori habenda sit fides. Sed illum fortasse paulo post suasit religio quædam, ut ad leniendam hujusmodi fugillationem molliora hæc verba subdiderit in secunda Constitutione, anni videlicet 1691. Num. 39. pag. 126. -- *Sicuti præcedenti anno Peruviani Corticis usus in Quartanis ac diuturnis Febribus improspere cessit, ita hoc Anno salubervimus fuit; & si qui passi sunt recidivas, Febres mitiores postmodum experti sunt, ac antequam Hyems accederet, perfecte convaluerunt:* quod & prope finem rursus confirmavit Num. 37. ejusdem secundæ Constitutionis pag. 131. sic inquiens -- *Sicuti in superioris Anni Constitutione noxius fuit Chinæ Chinæ usus, ut adnotatum, ita in hac ab illa toto Cœlo diversa valde salubris compertus est; multi quidem Quartanarii hoc Autumno per Urbem vagari visebantur, sed quotquot ad hoc remedium confugere, vel integre sunt restituti* (possunt igitur, ipso fatente, non solum *inducias obtinere*, sed & sine Febris recursu, & sine noxa *integre restitui* Ægrotantes, absque eo quod eadem Febris *tacite cubet, & corpus eorum depascat*) *vel si nonnulli recidivas passi sunt, paulo post convaluere.* Ex his omnibus, ut reor, satis patet, Medicos Mutinenses, non aliquos tantum, sed *majorem*, ut inquit, eorum *partem*, modo quidem *feliciter*, modo, ut asserit ille, *improspere*, temporibus Cl. Auctoris China China uti consueviſſe; atque ita quidem, ut ejus Censuram de intemperantia minime declinare potuerit vetustior ille Virorum Cœtus, qui modo ut maxime temperans in medium adducitur in reprehensionem hodierni.

Quod si curiosus quispiam, qui Catalogum eorum legerit Medicorum, quos Vir Cl. quinario tantum, vel senario numero comprehensos voluit, alium pariter Catalogum, non totidem tantum, sed plures Professores Cortici amicos continentem, præ oculis habere desideret; occurrent primo statim loco recensendi, quippe temporibus Viri Cl. & quidem valde remoris florentes, modo e vivis sublati, laudatus nuper D. Antonius Frassonus Chinæ Chinæ celebris administrator, D. Annibal Cervius Cl. Auctoris antiquus olim Antagonista, adeoque eidem notissimus, nec non D. Marcus Antonius Montagutus Medicus quondam Aulicus eximius, quo vivente nedum ego, sed & ipse non multo post D. Ramazzinus (qui cæteroqui, ut doctrina, ac ætate me longe præibat, ita & ordine temporis, ac dignitatis merebatur præire, nisi aliter Domino placuisset) ad Sereniſſimi Francisci Secundi glorioſæ memoriæ Ducis extraordinarium Famulatum fuimus accîti, ut proinde quinam in usurpanda China China fuerit mos Aulici illius, & doctissimi Professoris, cum viveret nobiscum agentis, ipsum Cl. Ramazzinum nequaquam latere potuerit; occurretque demum inter recenter defunctos D. Joseph Candrinus, eidem Cl. Auctori Præceptori quondam suo sat notus. His accedent secundo loco viventes adhuc, & bene valentes (memetipsum omitto, quem inter Juniores olim merito collocandum diceret Vir Cl. novus tamen & ille in hac Urbe, cum ego novus in Praxi) occurrent, inquam, inter adhuc vivenres D. Joan. Baptista Riccius Practicus pariter notissimus provectioris ætatis, D. Paulus Floranus ætate simul, & experientia spectabilis, qui tempore militaris incendii Genuensis Urbis, ubi domicilium contraxerat, in Patriam concessit iterum, Genuensis pariter Badi Chinæ Chinæ Propugnatoris celeberrimi sensibus imbutus, vivaque ipsius voce etiam instructus; tandemque Aulicus ipse Collega meus, scientia, & eruditione Clarissimus, D. nempe Johannes Baptista Davinius: Viri sane omnes, & Docti, & Peruviano Cortice usi temporibus Cl. Auctoris, eodemque etiamnum pro re nata, nec raro, nec trepidanter utentes, sed simul nec abutentes, ut ex quamplurimis visitur, quos recensere tædiosum foret, meæ Therapeutices locis. Sed quid si inter alios abunde China China utentes numerandus foret Auctor ipse, nec non etiam (ultimis quidem temporibus) illius Nepos, qui tamen dicitur Relator abusus, aut criminis, cujus est complex? Absit tamen, ut id ulli eorum exprobrem, de quo mitius judicium infra ferendum mihi §. 49. An vero quisquam ex iis Professoribus, quorum non meminit Vir Cl. quia illum non meminisse juvabat, putarit, aut putet, *Malignum Causæ morbificæ Spiritum velut exorcizatum figi a China China in aliqua Ægrotantium parte* (ut quodammodo fieri videtur ab illis, qui eam semel oblatam non amplius offerunt, unde febrile fermentum per temporaneam absorptionem nonnihil figitur, sed non plane subigitur) an potius putet, *Spiritum* illum ab ægrotante corpore penitus *expelli*, meum non est investigare. Ad me quod attinet, si forte uspiam, in Ventre porro inflato (lubet seriis ludrica quandoque miscere) quadringentorum illorum Militum, de quibus §. 36. verum Cacodæmonem a Malefica China China, vel a Chirurgo Incantatore illuc relegatum, delituisse crediderim.

§. XLI.

§. XLI.

QUinquinam autem facultatem figentem habere (*a*) *pro re certa ſuppono*, cum motum ſanguinis, & ſpirituum compeſcat, & alvum ipſum denſiorem faciat, obſervatur enim, iis qui ad plures dies hoc remedio uſi fuerint, ventrem adſtringi, ut clyſteribus indigeant: vim hanc hujus Febrifugi fluida quæque in noſtris Corporibus cogendi, talem eſſe credidit (*b*) *Gedeon Harveus*, ut ſcripta hæc verba reliquerit, *omnes evacuationes ſupprimit China China per ſe, ſed non per accidens*.

(*a*) (*Pro re certa &c.*) SUpponit *pro re certa* Cl. Auctor, quod ab aliis Scriptoribus admodum controvertitur & a quamplurimis mordicus negatur, *Quinquinam* ſcilicet *facultatem figentem habere, & vim Fluida quæque in corporibus noſtris cogendi*. Recens tamen acquiſita hæc eſt eidem cognitio, cum §. 4. 5. & 6. *ignotam illius, abditam, ſecretam, & incompertam adhuc virtutem, humanum captum excedere*, conſtanter aſſeruerit, pleno ibidem hæc decantans gutture. *Diu equidem, ſed fruſtraute diligentia a ſagacioribus Medicis allaboratum eſt circa hunc Corticem, ut aliquid proferrent, quod animum veritatis avidum expleret; ſed vincit adhuc natura latendi &c.* Quod ſi iis in locis ſe locutum dicat de ſola Virtute febrifuga ſibi vere occulta, hic vero de ſola figente ſibi nota, tamquam de duabus rebus toto Cœlo diverſis; itaut in vi figente nota nullatenus conſiſtat febrifuga occulta: ut quid, quæſo, in tota Diſſertatione ſoli Virtuti occultæ, quæ febrim pellit, iraſcitur Auctor Cl. nec pugnat unice contra Figentem damnoſam; quam tamen corrigere poſſet (ſi adeſſet illa) per contraria ſua ſatis obvia ſine detrimento Febrifugæ in abſcondito degentis?

Verum ut iſthæc quoque ſileat de Figente Peruviani Corticis Facultate fallax cantilena: aliud eſt, Chinam Chinam compeſcere turbas febriles effervescentis *præter naturam* ſanguinis, abſorbendo fermentum illud *acidum*, ſen *falſo acidum*, quod §. 46. ut videbimus, adſtruit pro Cauſa Febrium Intermittentium idem Cl. Auctor; aliud eſt, figere motum ipſum *naturalem* cruoris, atque ſpirituum cæterorumque fluidorum, ut valde craſſa æquivocatione videtur ille confundere Ocream fronti quaſi applicans, & Galeam tibiæ. Quid quæſo ſpirituum agitatorum, aut irritatorum turbas ſedat, compeſcit, & conſopit magis, quam Opium, ut habet §. 5. & 48. Vir Cl.? Et tamen ex hoc ipſo virtutem eidem Opio rarefacientem potius, quam denſantem fluida, tribuit, mechanica adducta ratione, Pitcarnius adverſus Ettmullerum Diſſert. De Circul. Sang. in Anim. gen. & non gen. Quod ſi cum eodem Ettmullero, quem libentius loquitur Vir Cl. *abſorptionem* ipſam Fermenti febrilis, mole dubio procul perexigui, velimus donare nomine *fixationis*, *attemperationis*, vel *ſaturationis* illius quæ omnia idem ſonant apud eundem Auctorem: facile in Cl. Opponentis caſtra deſcendam: dummodo liberiorem ſubinde fieri fluidorum motum, cum circularem, tum fermentativum concedat; nec plus *figi a China China* ſanguinem velit, quam *figatur a Chalybe*, qui pariter dicitur Acidum obſtruens *abſorbere*, dum ad Chloroſim V. G. curandam, aliaſve tollendas ipſius ſanguinis ſtagnationes aſſumitur; de quibus vide late Therapeut. meam a pag. 19. uſque ad 21. Verum hiſtorias potius Febrium Syncopalium, Lethargicarum quoque, ſi lubeat; ſed præ cæteris Algidarum, Peruviano Cortice ſanatarum, ubi marmoreum frigus, & micatio pulſuum jam ferme abolita, ſtagnationem, aut fixationem fere omnimodam cruoris, atque ſpirituum aperte prodebat, luſtrare ſufficit, eamque ſignate, quam proprio teſtimonio firmare poteſt, ni rennat, ipſe Cl. Auctoris Nepos pag. 195. recenſitam. Ex ſubita namque eorundem pulſuum elatione, ex calore quaquaverſum ad exteriora diffuſo &c. facile erit dignoſcere, an China China illis caſibus *Cruoris, Spirituum, & Fluidorum omnium fixationem* induxerit.

Per hoc vero, quod Febrifugum iſtud de more *alvum denſiorem faciat* (quod facile admiſerim, etſi non paucis quoque identidem ſolvat, reddatque laxiorem) nolim deduci a Viro tam docto, eadem ratione figi *Spiritus*, & denſari *Sanguinem*, qua denſantur feces alvinæ. Pudet hæc ulterius perſequi: proinde liceat tantum reponere, Vina generoſa, & meraca, ſi auſteriora ſint, ut auſteriuſculus eſt Chinæ Chinæ ſapor, alvum adſtrictam facere: interim tamen ſanguinem, aut ſpiritus non figere; ſed in ebrietatem magis quam Vina tenuia, dulcia licet, ac alvum laxantia compellere.

(*b*) (*Gedeon Harveus &c.*) Gedeonis Harvei auctoritate fortaſſe ſubſcriberem, niſi oppoſita, diuturna & multiplex a me retraheret experientia, Evacuationes Sudoris, Urinæ (cujus excretionem depulſis Febribus China

China peculiariter promovet) Menſtruorum pariter, ac Lochiorum, imo & ipſius Diarrheæ, dummodo *Criticas*, nunquam ab hoc Febrifugo ſuppreſſas vidi, ut in Therapeut. mea pag. 38. innui : pag. vero 206. exemplis confirmavi ; atque magis adhuc poſui ob oculos caſu recenti, in reſponſione mea nupera ad §. 38. hujuſce Diſſertationis allato lit. a. *Symptomaticas* equidem a Febre pendentes indirecte, ſive *per accidens* ſupprimit, ſiſtendo Febres, quæ immaturas hujuſmodi excretiones producunt ; non vero *per ſe*, ſive per vim propriam, ipſique peculiariter inſitam. Proinde nonnihil allucinatus eſt (ſi hoc vocabulo uti liceat ſine crimine) Vir quidam doctus, qui commendari a me in Therapeut. mea Peruvianum Corticem pro curatione Dyſenteriæ ſuis in Scriptis promulgavit ; fortaſſe quia Febres quaſdam Pernicioſas, quas ratione adjuncti dyſenterici cujuſpiam Symptomatis *Dyſentericas* appellavi Lib. 3. cap. 1. eo facile remedio ſanari protulerim : quod tamen de *Dyſenteria* vera, & eſſentiali, quæ *Morbus* eſt, non Symptoma, nequaquam intelligendum, ut expreſſe monui pag. 167. ejuſdem Operis. Sed alterutro forſitan loco, haud ſatis clare memetipſum explicui. Antifebrilis ergo ſolum, non antidyſenterica eſt China China : neque idcirco prædictam, aut ullam aliam evacuationem, præſertim Criticam, ſeu quæ febrilis ſymptomatis rationem non habeat, figit ; aut ſiſtit per ſe, directe, ex natura ſua, ut falſo autumat Gedeon Harveus.

Ubi experientia loquitur, auctoritates ſilent ; ſi tamen ulla arrideat, ea nunc deſumatur a Scriptore in uſu Remedii plurimum exercitato, qualis eſt Morton, cujus teſtimonium crebra, & longa praxi credibilius redditum, poterit citra injuriam cuilibet alteri opponi ; maxime cum a Mortono ratiocinium confirmetur ea ipſa experientia, quæ ab Harveo aliter ſe habere creditur ex vi ratiocinii. Inquit itaque *De Peruviani Corticis Virtute Febrifuga* Exercit. 1. Cap. 7. laudatus Auctor, *figentem* hanc, atque *obſtruentem* vim Cortici objectam explodens. *Quo pacto Pharmacum, quod in Puerperio* (nulla certe evacuatio magis ſolicite ſervanda, quam iſthæc) *ſalubriter miniſtratur, inter obſtruentia numerari poteſt* ? At ſuſpectus ſemper habebitur Morton. Vertamus nos ad Ettmullerum, a Cl. Auctore in hac materia tanti habitum, & videamus, an Scriptor iſte, ubi Chinæ Chinæ facultates ex profeſſo recenſet, *figentem* illi, & *condenſantem* attribuat. Inquit ergo ille in Phytologia Schroderi dilucidati pag. mihi 43. edit. Lugdunen. in Fol. -- *China China calida ; & ſicca eſt, vim habens aperiendi* (en primo ſtatim loco vis *aperiens*, non *figens*) *diſcutiendi, attenuandi, reſolvendi, putredinem arcendi, roborandi*. An hæc omnia cum ſuppoſita virtute *figente*, & Fluida quæque *cogente* conveniant, vel rudes judicent Pharmacopæi. Quod ſi de hac celebri figendi vi auctoritatem ratiocinantis quis optet, in promptu eſt Sententia Villiſii, a Cl. Auctore pluries pro ſua Cauſa citati, & *de Febribus* cap. 6. ſcribentis. *Annotetur, quod hoc remedium, non quemadmodum vulgaria Febrifuga ſanguinem figendo &c. acceſſiones febriles ſiſtit &c.* Suum ergo ſequatur novum Scriptorem Vir Cl. Ego meos, utut veridicos, præciſe non ſequor ; ſed ratione manuducente experientiam.

§. XLII.

Nunc autem quando uſus, *quem penes arbitrium, jus eſt & norma medendi*, ita Mutinæ obtinuit, ut tanto in honore Febrifugum iſtud ſit, ut nullibi magis, expectandum num ad longum tempus duratura ſit illius fortuna, habent enim ſua fata medicamenta ſicuti cætera omnia. Radix Chinæ ab Indiis Orientalibus in Europam devecta, olim inter Medicamenta ad morbos chronicos, & contumaces propulſandos principatum obtinuit, ac tantam affinitatem cum natura humana habere credita, ut cum cibariis ipſis locum obtineret ; modo pene obſolevit illius uſus, ac in Officinis carioſa reperitur. Quali ſors Quinquinam maneat, impoſterum decernet tempus.

(*Nunc autem &c.*) Etſi uſus ita obtinuerit Mutinæ, ut hic non minus, quam alibi in præſcribendo Peruviano Cortice *Ars Medica, non ſecus ac militari, ſuos Fabios habeat*, ſuos *Marcellos*?, fortem nihilominus fauſtam, quam intra univerſæ jam Europæ confinia China China fortitur, conſque duraturam crediderim, quouſque illa germana, ſincera, & minime adulterata ad nos devehetur. *Radix Chinæ*, quæ a Viro Cl. confidenter hic loci traducitur velut inutilis, plus forſan ac vere mereatur, ab eo contemnitur. Si tamen illa de more beneficia præſtaret in morbis Chronicis, quæ *Chinæ Chi-*

næ Chinæ Cortex perpetuo præſtat in Febribus, non tam facile in Officinis cariem contraheret. Quemadmodum vero Peruvianum Febrifugum tandiu plurimi habitum eſt apud nos, quandiu in ſcriptis Viri Clariſs. *habitum eſt in tanto honore & pretio, ut nullibi magis*; ita fortaſſis poſthac in minore habebitur, poſtquam ſcilicet adeo ſiniſtre de ipſo *locutus eſt* varius pro re nata, & verſatilior ginglymo Cl. Auctor.

Quem penes arbitrium, jus eſt, & norma loquendi.

§. XLIII.

VErum hic mirari ſubit quomodo (*a*) *intra Scultennam, & Gabellum* tam altas radices egerit Planta hæc Peruviana, non ita vero in ſolo Bononienſi finitimo. Certe (*b*) *apud Bononienſem Scholam*, quæ cæteris pro Regula Polycleti eſſe poteſt, ſatis moderatus ſemper fuit, eſtque etiamnum, ut audio, hujus febrifugi uſus. (*c*) *Qu anta cautione* Peruvianum Corticem præſcriberet Celeberrimus Malpighius, ſatis patet ex Centuria Conſiliorum hujus Auctoris Patavii impreſſa Conſilio 97. in quo Vir iſte Sapientiſſimus in Febre lenta cum tenſione abdominis poſt uſum Aperientium, Diureticorum, Chinam Chinam proponit ad ſcrupulum unum ſingulo mane, ſive alternis diebus per quindecim dies. Itidem in Opere ejuſdem poſthumo, Londini impreſſo, hæc de China China leguntur verba! (*d*) *Remedia, quæ vulgariter inventa creduntur a caſu, & fortuito, & a ſola Empirica, egent pariter, ut examinentur a ratiocinante, & reducantur ad tutam operandi naturam; Id experimur in uſu Chinæ, quo ſine arte adhibita, non ſolum eſt cauſo recidivarum, ſed etiam fixationum, & ut plurimum cachexiæ.* (e) *Hinc neceſſe fuit pro illius uſu ab eadem elicere tincturam in pauca doſi, & paulatim, & aliis cautionibus, a priori erutis, eam exhibere.* Omittam referre, quæ de hujus remedii (*f*) *malo uſu* Scripta extant (*g*) *apud Georgium Baglivum* in Libro de Fibra Motrice, (*b*) *Nicolaum Lemeri* in curſu Chimico, (*i*) *Theophilum Bonetum* iu Medicina Septentrionali, Mercurio Compitalitio, apud Polialthem.

(*a*) (*Intra Scultennam, &c.*) NON intra Scultennam tantum, & Gabellum altas radices egit Planta hæc Peruviana; verum eas quaquaverſum diffudit, totque ſaltem in Regionibus jecit, quot ſunt natales loci Scriptorum omnium, quos recenſere cœpi §. 35. lit. d. & quorum ſeriem ulteriorem nunc perſequi hæc ipſa me cogit uni *Scultennæ*, atque *Gabello* adſcripta fertilitas: cum alioqui ab imo trunco ad elatiores uſque ramos ſatis conſpicua pateat hæc Planta ad Arnum, ad Padum, ad Sebetum, ad Tyberim. Tam latæ propagationis ampla hinc illius ſpecimina exhibent Viri Cl. Hieronymus Bardi, Jo: Nardius Vincentius Protoſpatarius, Hieronymus Sanctaſoffia, Franciſcus Redius, Antonius Valliſnerius, Lucas Tozzius, Ioſeph, & Thomas Donzellus, Joſeph Lanzonus, Pompejus Sacchus &c. Sed has in Solo tantum Italico. Quas vero in Tranſalpinis Provinciis, Exteriſque Nationibus non egit illa radices? Eam ſcilicet, præter allegatos citato Paragrapho Auctores Celeberrimos, excoluere inſuper ad ripas Iberi, Tameſis, Sequanæ, Rhodani, & Rheni, Gaſpar kaldera, Joſeph Villerobel, Thomas Vilis, Robertus Bradyus, Dionyſius Jonquet, Digbæus Hœferus, Rolfincius, Glantzius, Zuvelferus, Thomas, & Eraſmus Bartholinus, & Martinus Liſter, Andreas Nicolus, Moyſes Charas, Fridericus Illmer, Joannes Dolæus, aliique adhuc non pauci ad tædium evitandum reticendi.

Prope alia ergo Flumina, a Noſtratibus etiam longe diſſita, firmiſſimas radices egit, & ramos expandit Orbi toti ſpectabiles exotica hæc Planta; magis quidem, & minus pro varia Soli, & Cultorum ratione; ſed centum in locis longe majores, atque altiores, quam Mutinæ. Præter Cultores vero, ſeu Scriptores, quos retuli, ſuis Operibus notos (quibus addere quis poſſet omnes a Viro Cl. pro ſuæ Cauſæ teſtibus adductos, & infra adducendos) quot Medici tacite in Hortulo ſuo domeſtico, ad privatam ſcilicet praxim, hanc alunt, aut excolunt Plantam, etſi omnium oculis non exhibeant palam? Horum numerum novit, qui ſtella dinumerat ſolus,

& arenas Maris. Primis certe temporibus, quibus usui cœpit esse Febrifugum istud, quinquaginta saltem Illustrium Medicorum testimonia de illius innocentia, & vi ad Febres quascunque Periodicas, nonnunquam etiam Continuas, Scriptis mandavit Sebastianus Badus nunquam satis laudatus. Modo quot millia possint haberi, conjiciat quisque: ut proinde prorsus immerito mihi, cui forsan nonnullam quis alius tribueret utilioris administrationis laudem, culpam liberalioris, imo & turpe abusus crimen fidenter, etsi dissimulanter objiciat Auctor Clarissimus.

Nolim tamen hic me quispiam redarguat verbis illius §. 49. quod *communium errorum reprehensionem in propriam calumniam referam*, cum de Cortice Peruviano *Mutinæ* non scripserim solus: extat siquidem in Diario, quod vocant Italice *Galleria di Minerva* Venetiis edito, Tom. 6. pag. 119. Dissertatio quædam Anonymi *De Chinæ Chinæ in Febribus utilitate, & de vana quorundam methodo &c.* sub dat. *Mutinæ* die 5. Novembris 1699. in qua Lucubratione non parum erudita, & eleganti, cum plurimus, & latus admodum suadeatur Chinæ Chinæ usus, huic potius, quam meæ Therapeuticæ in hoc castigatiori, videtur adaptari posse, atque congruere Cl. Auctoris Censura. Verum patent nimium peculiares illius in Opus meum sugillationes: & dato etiam, quod utrique nostrum plectendo idem intendatur Arcus; tutelam saltem meam in damnum bonæ praxeos renuo negligere, aut in detrimentum veritatis. Alienæ quidem Lucubrationis sensa, a sensibus præsertim meis non parum aliena, tueri meum non est: sed nec silentio prætereundum, quod sicuti Dissertatio illa *Academica* inscribitur, non *Medica*; ita Auctor illius (quod certo scio) longe aliter ac ediderit in eo Scripto, Corticem Peruvianum præscribit in praxi.

(*b*) (*Apud Bononiensem Scholam &c.*) Scholæ Medicæ Mutinensi, cujus partem sat debilem ago ipse, *pro Regula Polycleti esse posse Bononiensem*, Patavinam, Pisanam, Ticinensem, aliasque inclytas Universitates, tam meo, quam meorum Collegarum & Comprofessorum nomine minime cunctabor fateri. Quænam sit illarum inter se ipsas proportio, res esset audaciæ plena velle decernere. Utcunque de ea re sit, certum est, illas omnes usum Peruviani Corticis admittere longe lariorem, ac in sua Dissertatione sanciverit Cl. Auctor. Et quo ad Bononiensem Scholam, ipse quoque nedum audio, sed & scio, *moderatum*, ut decet, apud eam *semper fuisse*, *ac etiamnum esse hujus Febrifugi usum* (quis enim ullius immoderantiæ velit arguere prudens illud, ac celeberrimum Athenæum) sed æque scio, moderatum illum usum longe transcendere cancellos angustissimos, a Cl. Auctore constitutos; meamque praxim, quæ apud eum audit *abusus* nomine, haud ita audire *in solo Bononiensi finitimo*.

Hujusce rei fidem manifestam facit Dissertatio lucubratissima circa hanc materiam anno 1711. a Clarissimo Viro, in praxi æque, ac in Exedra exercitatissimo D. Francisco Simonio conscripta, & a Clarissimo pariter, Scriptisque suis doctissimis Orbi jam noto, D. Jacobo Sandrio subscripta, & approbata. In ea siquidem responsoria ad aliam Dissertationem e Pisauro missam ad duos hosce Viros Celebres Bononiensis Universitatis, de suo circa usum Quinquinæ judicio requisitos, occasione cujusdam Epidemicæ Constitutionis, in Urbe Pisaurensi grassantis, responsa hæc sapientissima, & vere practica expressa leguntur. *Plane asserimus, Febrem quamcumque Peruviano Cortice curabilem, quantum quidem nobis observare licuit, de natura Intermittentium esse oportere, licet sæpenumero continuo Ægros vexet. Præsupponendum enim hic est, quod optime docet Sylvius de le Boe in Appendice Prax. Med. Tract. 9. aliud esse continue febricitare, aliud Febre continua laborare: atque hæc duo non tam a plebeis, verum Medicis quoque haud raro male confundi* (& hoc est, quod ego explicare, & distinguere totis viribus conatus sum in Therapeutice mea a pag. 277. usque 281.) *cum de facto possint Ægri continue Febribus affligi, sed Intermittentibus, quæ idcirco neutiquam pro Continuis habenda &c. Reliqua, quotquot sunt, quæ Febres istas comitantur Symptomata, sive benigna, sive maligna appellata, nihil ad præfatam Diagnosim spectant, nihilque de Speciali earum natura mox indicata detrahunt &c. Quare neque ab istorum præsenti malignitate, & pernicie Corticis Peruviani usum frustrari, tum ratione, tum experientia didicimus.* Tandem exclusis a ditione ejusdem Corticis Febribus ab essentia Continuis, Symptomaticis quoque omnibus, Inflammatoriis &c. (quod & ipse in eodem Opere meo plane decerno) sic in ea Dissertatione concluditur. *Omnibus hisce conditionibus ex parte Febrium rite perpensis, atque servatis, nos quoque divinam plane, & admirabilem hujus Corticis utilitatem ultro asserimus, atque iis omnibus elogiis libenter subscribimus quibus ejus famam condecorarunt Celeberrimi Scriptores plurimi. Quin imo facile id etiam largimur, quod . . . . . D. Franciscus Torti jampridem se ostensurum promisit in suo, quem propediem avide expectamus, de re ista Tractatu; Pernicioſas scilicet, & Malignas Febres* (*modo indicatæ naturæ sint*) *ejus usu tuto curari posse &c.*

Hæc sunt sensa duorum inclytæ Scholæ Bononiensis luminum, quibus vel præibat, quoniam præibat ætate, vel saltem astipulabatur in praxi, cum viveret, Cl. *Livizzanus*, Famigeratissimi Malpighii amicissimus; astipulaturque hodie eidem veritati, sibi & usu, & dogmate plane compertæ, Cl. quoque *Albertinus* ejusdem Celeberrimi Malpighii Propinquus, aliique sat noti. Imo, si liceat addere, quæ ex ore ipso eorundem Professorum nuper accepi, dicam, Cl. Simonium perplures casus mihi narrasse *Nobilium*

lium Virorum *Perniciosis* Intermittentibus laborantium, & China China *liberaliter* oblata ab eodem felicissime sanatorum: Cl. vero Albertinum mihi pariter exposuisse, se non modo in vulgaribus Intermittentibus eo Febrifugo familiariter uti consueviſse; sed & illud celebri cuidam Pharmacopolæ, *Perniciosa* Tertiana detento, præscripsisse *ad drachmas sex*, tempore inter tertiam, & quartam accessionem medio, partite oblatas; calculum suum libenter apponentibus Viris Eximiis, D. D. Livizzano, & Salano, in consilium vocatis. Quo præsidio adhibito, Æger cæteroqui moriturus facile restitutus fuit, atque etiamnum vivit incolumis. Male itaque praxi meæ objicit Vir Cl. praxim Bononiensis Scholæ, cujus usum saltem recentiorem, cum suam Dissertationem conscripsit, haud satis callebat.

De aliarum Scholarum ritu non loquor, cum nec loquatur Auctor Cl. & cum de illo satis superque loquantur nedum Scriptores, verum & fama universalis. Jam notum quippe quinam generaliter Italiæ nostræ, quinam Galliæ, quinam Angliæ, quinam Hispaniæ mos sit. Accepi nuper a Sacerdote Aragonensi inclytæ Soc. Jesu, Viro fide dignissimo, Scholam Cæsarauguſtanam in usu adeo frequenti Febrifugum hoc habere, ut nihil magis; neminemque cui præsto sit illud, quod immediate a P. P. ipsis beneficæ illius Societatis ab Indiis asportatur, Febres unquam recidivas pati. Sed nimium distant a Cœlo nostro, ut Viri Cl. assensum mereantur, aut fidem, istiusmodi Scholæ. Cæterum si Paravinam suam Orbi tam celebrem, sibi (uni forsan, qui de Cortice tam male sentiat) vel modice faventem noviſſet ille, non reticuisset profecto.

Sed quoniam cuncta, quæ sibi quoquo modo favorabilia tantummodo immaginabatur, in medium tam facile adduxit, cur non licebit & mihi Scriptorum qualiumcunque meorum sortem, modeste ut decuit hucusque suppressam, approbationemque commodam, quam a permultis insignibus nostri Sæculi Professoribus (una quidem suadente materia) Scripta eadem sortita sunt a cavillationibus Viri Cl. saltem ad defensionem opponere? Cur inquam non liceat, cum idipsum non me tantum respiciat, sed & publicum Bonum, cui in primis servando mea hæc instituta est Apologia? Sane apud Homines a partium studiis liberos magno momento erit, ut ab illis Methodus mea in beneficum usum adoptetur, si ea doctissimis ævi nostris Professoribus probata compareat. Inter tot tamen, tantosque Viros laboribus meis propitios unus sit instar omnium Celeberrimus *Lancisius*, *Vir*, *si quis alius*, *omnigenæ eruditionis*, *Archiaterque Pontificius vere dignissimus*, & effectuum Chinæ Chinæ utilissimorum Observator neutiquam recens, ut ex Therapeut. mea pag. 115. Illius ergo Epistolam perelegantem (innumeras aliunde acceptas supprimo, ne jactare videar, vel ostentare) exuberante licet erga me humanitate refertam; cum primo Opus meum recepit, excepitque, liceat proferre; eo saltem titulo, ut Romanæ Scholæ, quam non immerito repræsentat unus, haud male acceptum probem Tractatum meum: cujus omnia quotquot sunt, satis ab Opponentium sophismatis tuta, imo & sarta tecta, in eadem Epistola, ipso Judice, reputantur. Unum autem ex integra Romana Academia Lancisium seligo, quod hic illius est Caput, non quod aliis ea careat Viris Illustribus ob egregia scripta Orbi jam notis, & de Opere meo humaniter æque sentientibus. Excipe tamen (quod auspicatissimum mihi) Excellentissimum Barnabam Ciccolinum, Romæ scriptitantem, atque in Libello suo novissimo, cui titulus -- *La Filosofia e Medicina de' Savj* -- acriter incandescentem adversus non me unum quidem, sed Neotericos omnes, vel minime lectos, vel perperam intellectos, atque Atomistarum nomine illis affixo, confidenter traductos; eo tamen ingenii acumine, ac robore, ut verear, ne (quod ajebat Cic. 1. de Orat.) *aliis miserandus*, *aliis irridendus esse videatur*. Et hoc illi responsum; nec unquam aliud.

Quia vero quadam veluti pietatis, ac religionis specie Vir iste bonus ea ineptiit Magistrali securitate, ut ideo a probabilitate minime alienum sit suspicari, quod Religiosiores saltem Viri, sapientia quidem, zeloque pollentes, sed rei Medicæ haud satis gnari, nonnullam illi fortasse adhibituri sint fidem, quippe facile metuentes, ne doctrina, quam tradidit Renatus des-Cartes, etiam castigata, nimium nihilominus accedat adhuc ad errores Democriticos: quam vero tradidit Petrus Gassendus, ad Epicureos (quibus Sectis, Cartesianæ præsertim, necessario addictos Recentiores Medicos, quotquot sunt, satis absurde arbitrabatur, blateratque Excellentissimus Ciccolinus) idcirco, non ut illi quicquam reponam, sed ad tollenda, si qua fuerint, super hac re Pusillorum scandala, pauca hæc raptim liceat addere, tum Medicos omnes Neotericos universim tum memetipsum peculiariter a futilibus hisce facillime vindicantia.

Notum sit itaque, hodiernam solidiorem Medicinam, qua Theoricam, qua Practicam, pro suo stabili fundamento unice agnoscere Structuram organicam humani Corporis, postremo tantum ævo nostro melius detectam, oculo judice: adeoque in Viscerum, Glandularum, Ductuum &c. compage, textura, dispositione, ac usu, item in varia Fluidorum natura, motu, commistione, fermentatione, secretione &c. hic evidenter, illic probabiliter cognitis, omnes fundari Hypotheses, & omnia Systemata Recentiorum Theoretica; sive deinde cuncta hæc Scholastice considerata, vel more Peripatetico, vel Cartesiano, vel quovis alio (quod perinde Medico est) explicentur, pro vario scilicet Philosophantium, & Scholarum totius Orbis arbitrio, aut ritu: eandem vero Medicinam Recentiorem, quo ad exercendam Praxim, Sisti, velut in basi sat firma, partim in Inventis itidem

Anatomicis, partim in obſervatione experimentali; quia identidem non modo remediorum fere omnium, etſi ex arte adminiſtratorum, incertitudo perſpicitur, quam præſeferunt tum ratione ſui, tum ratione Subjecti ſuapte natura mutabilis; verum etiam certa quotidie viſitur nonnullorum, a Veteribus in magno pretio habitorum, inefficacia; clareque dignoſcitur, Priſcam, quæ ad noviter detectorum normam minime correcta ſit, medendi Methodum, nec cohærere principiis conſtituentibus humanum Corpus, nec reſpondere expectationi Medentium in morbis curandis, peritiorum judicio, & conſenſu unanimi. Utinam tam perſpicue didiciſſemus, quæ feligenda ſint, ac utilia, quemadmodum didicimus, quæ vana, vel noxia ſunt, atque vitanda. Hinc emerſit Galenicæ nonnunquam, vel Galeno ſaltem adſcriptæ Methodi caſtigatio in nonnullis; in nonnullis aliis approbatio; prout detecta veritas identidem ſuadet, propriumque munus exigit, & quæſita præcæteris Ægrotantium ſalus.

Cæterum nec Priſcorum Medicina probos, pioſve facit Homines, niſi aliunde ſint tales, nec Recentiorum impios, aut improbos. Sic potius conſcientiæ ſuæ non deeſſent quandoque, qui nova medici ordinis minime ponderata, aut examinata cæco quodam inſtinctu contemnunt. Hac de re vide Therapeuticem meam pag. 26. 27. Nihil ergo rei magis habet Neotericorum Medicina cum Philoſophia Carteſii, vel Gaſſendi, quam cum Philoſophia Ariſtotelis: a quibus etiam omnibus Scholis, ſi libeat, poteſt illa præſcindere. Hanc idcirco praxim, non minus quam vetuſtiorem, potis eſt exercere citra religionis detrimentum Chriſtianus quilibet Medicus, ac ſumme pius, non ſecus ac illam exerceat Judæus, vel Scytha., *Phyſicam Ariſtotelis*, *& Galeni Ignoram* longe ante hoc Sæculum promulgavit, ſuamque *Novam Medicinam*, novamque Sectam fundavit Jo: Baptiſta Van-Helmont; necdum tamen in Scholis ortum habuerat Carteſii, vel Gaſſendi Philoſophia.

Quod eſt ad me, nulli me Factioni profiteor ſerviliter deditum, ſive de rebus Medicis ſermo ſit, ſive de Philoſophicis: neque ideo Remedia, quæ Hippocrate duce, incerta protuli, ſive *periculoſo* identidem *experimento* obnoxia (cujuſmodi ſunt eorum non pauca) plane ob idipſum proſcribenda cenſeo; iis ſiquidem utor & ipſe defectu certiorum, ut patet undique ex Tractatu meo; ea tamen utor fiducia, & cautela, quæ incertitudini nunc majori, nunc minori æquum eſt ut reſpondeat. Incerta ſolummodo, & inutilia, quæ nempe talia deprehenderim, quantumvis magnifica, conſtanter rejicio: contra vero, efficacia, quæ ſcilicet longo uſu expertus ſim talia (ſunt autem hæc numero non multa quidem: ſed nec tam pauca, quin ſatis) conſtanter quoque adhibenda ſuſtineo, ut abunde jam in eadem Therapeutice mea. Hanc ſane ſi luſtraſſet, ut cæteroqui par erat, Excellentiſſimus Cicolinus ſolis paginis 11. 12. 13. ab eodem citatis, vel etiam pag. 110. & 111. magiſque attente conſideraſſet quæ a me ſunt abſolute, quæ tantum comparative, aut cum aliqua limitatione prolata, quæque pariter in tota Hiſtoriarum inibi narratarum praxi mihi uſui fuere remedia, vel denique ſi Lexicographos, ubi illi opus erat, conſulere non erubuiſſet; profecte nec tam facile pro Bajulis a me fortuito alicubi memoratis Apparitores, aut Lictores intellexiſſet, nec tot abſona, falſa, & vana, quæ puderet hic recenſere, æque inaniter quidem ac illepide obtruſiſſet.

Sed quoniam ex Opere meo latine conſcripto laborare noluit, ut ſatis perciperet quid obiter ſaltem de Carteſii doctrina ſenſerim pag. 133. commodius certe poterat, atque etiamnum poſſet idipſum ediſcere ex Diſſertatione quadam mea Epiſtolari anno 1706. vernaculo ſermone exarata ad Doctiſſimum D. Marchionem Urſium, & ab eo edita in Eruditiſſimo Libro tuo, cui titulus -- *Lettere di diverſi Autori in propoſito delle Conſiderazioni del Marcheſe Gio: Gioſeffo Orſi &c.* a pag. 287. uſque ad 330. ejuſdem Operis: ibinamque, ubi fuſe de Carteſio, nec non de Gaſſendo, & Ariſtotele ſermonem habui, me nullius in verba Magiſtri quo ad res Philoſophicas unquam juraſſe, aperte viſitur. Ea ſiquidem ſemper, quæ tam in Sententia ejuſdem Ariſtotelis, quam Carteſii, Gaſſendi, aliorumve ſaniora, & meliora credidi, ni mea me fefellit electio, conatus ſum hinc inde excerpere, & pro ingenii viribus etiam connectere: quæ vero deteriora, plane rejicere: id perpetuo præ omnibus ratum habens, in hiſce videlicet rebus, perſæpe etiam vanis, veritatem in puteo latere, nulli hominum in hac vita unquam ſe prodituram. Jam vero unde digreſſus ſum denuo revertor. Epiſtola itaque Famigeratiſſimi Lanciſii ſic habet.

Viro . . . . . .

D. FRANCISCO TORTO

Med. Doct. & Mutinenſis Academiæ Profeſſori longe . . . . .

JO: MARIA LANCISIO

S. P. D.

VIX librum, Therapeutices ſpecialis ad Febres quaſdam perniciоſas, quam aviditſime præſtolabar, Clariſſimus Parochianus noſter abs te mihi reddidit, cum ſtatim aperire illum, atque evolvere cœpi, tametſi nondum compactum, & conglutinatum. Nec ſane Titulus ipſe citra admirationem modeſtiæ tuæ occurrit: rem enim ſummis dignam ingeniis, & in arte medica exercitatiſſimis tractandam aggreſ-

aggreſſus , Junierum , & Candidatorum propoſitam tibi utilitatem profiteri . Tum itaque , ad Principem nempe , atque ad Lectorem epiſtola ſingularem animi tui moderationem , ac eruditionem nobis exhibuit . Subinde Librorum ſingula Capita percurrimus , ex iiſque , perſpicua methodo diſpoſitis , ſpecimen prodire conſpeximus pulcherrimorum undique argumentorum , quæ varietate ſimul , & varietate , procul a faſtidio , atque offenſione , mirifice blandiuntur . Deinceps attentiſſimè legimus primum , & ſecundum Librum , in quibus , ut experimenta de Chinæ uſu tanquam pretioſam Recentiorum mercem extollis , ita Priſcorum , ac Mercati præſertim animadverſiones circa perniciоſarum Febrium diſcrimen aureum veluti pulverem agitare non prætermittis , æquiſſimus ſemper Judex , verique amantiſſimus . Ex reliquis autem tribus Libris tot , tantaque , omnia tamen tuo ab ingenio cum fructu jucunditatis , atque utilitatis , deprompſimus , ut , quemadmodum tu ſine plena rerum Phyſico Mecanico Anatomicarum ſcientia , ac longo uſu , ſcriptis illa tradere nequiſſes ; ſic neminem , qui eadem penitius perſequi velit , abſque magno ſuorum ſtudiorum emolumento a lectione receſſurum exiſtimamus . Placuerunt , fateor , inter cætera , quæ Libr. 3. Cap. 2. nervoſe , ac doctiſſime a te proponuntur : etenim inſequeris eo loci perniciоſarum Febrium fermentum , aut ſubſiſtens , aut fugiens a primis in ſecundas chyli vias , atque ab iis in tertias circulantis ſanguinis , quartaſque excurrentis ſucci nervei ſemitas , itaut , quocunque ſe hoſtis recipiat , turbas faciat , claſſicumque canat ; armata ſemper Peruviano Cortice manu feliciter profliges , atque proſternas . Quid? quod Arborem immortalitate dignam , in calce libri delineatam . Studioſorum in gratiam poſuiſti . Scilicet ut ab ejus ſingulis ramis , ut ſcribis , non decorticatis (modo memoriæ committantur) totidem quaſi haſtæ ad confodiendas febres , plerumque exitiales parari facillime poſſint . Hæc autem omnia eo quidem judicio ubique rimatus es , ut nihil a ſtylo tuo (ſatis alioquin robuſto , atque eleganti) excidere videatur , quod non ſit vel graviſſimorum Virorum auctoritate , vel longo tuo experimento confirmatum . Quamobrem ſi forte imprudens quiſpiam (caveat hic ſibi Excellentiſſimus Ciccolinus) carpere aliquid tuis in Scriptis auſus fuerit , latrabit ſemper ille , non mordebit . Meque vero præterii ſine grata humanitatis tuæ commendatione loco illos , quibus me , meoſque labores officioſe commemoras . Hoc ſane faciet , ut jure multo majori meis in Commentariis æternorum tuorum Operum debeam meminiſſe . Vale Vir .... Amicis pariter , & Reipublicæ .

Datum Romæ XIII. Kalend. Martii MDCCXII.

(*c*) (*Quanta cautione &c.*) Tanta cautione , remotioribus præſertim temporibus , Corticem Peruvianum , ut & alia ferme omnia remedia , præſcribere conſueverat oculatiſſimus Malpighius , ut fuerim auſus in Therapeutice mea pag. 13. proferre , *ſuam illi in hoc condenandam eſſe cautelam* , quippe eidem in more quidem familiarem , ſed circa uſum hujuſce Febrifugi forte nimiam . In citato tamen per Cl. Auctorem Conſilio nihil illi condonandum duxerim ; neque enim eo caſu valde ancipiti quicquam amplius ipſe propoſuiſſem . Habebit fortaſſe quid donet illi , aut potius quid parcat , ſed de exceſſu , idem Cl. Auctor , qui duas tantum Chinæ Chinæ drachmas exhibere conſuevit ; neque tamen repetere : cum contra hic Malpighius drachmas quinque *ad quindecim dies* partitis vicibus offerendas proponat . Atque hanc ipſam & mihi iis nonnunquam caſibus Lentarum , & Diuturniorum febrium , ex Intermittentium tamen radice , eſſe Methodum præſcribendi Peruvianum Corticem , poteſt quilibet intueri pag. 56. , & 57. , imo & a pagin. 290. ad 293. ejuſdem Therapeutices meæ .

(*d*) (*Remedia &c.*) Ad hunc Textum petitum ab Opere Poſthumo ejuſdem Malpighii , & ſignate ad primam illius partem reſpondeo , hic improbari a Viro illo circumſpectiſſimo Chinam Chinam tanquam recenſitorum malorum productricem , ſi ea , ut clare inquit , fuerit *ſine arte adhibita* . Adhibeatur itaque ex arte , ut in Tractatu meo ſum conatus explicare pro viribus ; atque ita non modo evitabuntur *Recidivæ* , *Fixationes* , & *Cachexiæ* , quas *arte non adhibita* metuit (fortaſſis & ſupra modum metuit) famigeratiſſimus Malpighius ; ſed hæc ipſiſſima mala , *Fixationes* nempe , & *Cachexiæ* , ſi præextiterint , a Febribus diuturnis invectæ , eodem Febrifugo una , & eadem opera ſanabuntur . Audiamus in hanc rem , præter Reſtaurandum , Monginotium , alioſque plures ſuper hac materia citatos in Therapeuticæ meæ pag. 84. 85. & pariter hiſtorias a me ipſo allatas , tum ibidem , tum pag. 82. hiſtor. 13. & pag. 83. hiſtor. 14. audiamus inquam ſex Medicos Inſignes , ex Inclyto Collegio Mediolanenſi videlicet Joan: Horatium Caſtillioneum , Joan: Paulum Cambiagun. , Hieronymum Cardanum , Franciſcum Guadignanum , Sebaſtianum Calvum , & Criſtophorum Palavicinum , apud Badum lib. 3. pagin. 205. hæc atteſtantes ab anno 1658. quo tempore novus adhuc erat in Europa Peruvianus Cortex , illorum verba ſunt hæc . *Facta igitur a nobis per decem continuos annos* (non per decem dies , aut menſes) *multiplici experientia , omnibus , quibus ex præſcripto exhibitus fuit , profuit . Aut enim eos omnino a Febre immunes reddidit unica vice aſſumptus , aut ſi ex delictis in victus ratione , vel ex alia cauſa* adderem , ſi bene ferret Cl. Auctor , *qui ſapiebat* plurimum , *ex non continuato illius uſu*) *Febris rediit , denuo eo aſſumpto liberi evaſere . Mirum dictu ! Lienoſi , Cachectici , extincta Febri , nullis aliis aſſumptis remediis , a Cachexia , & Lienis infarctibus liberati ſunt &c. Nullis quod ſciamus , nocumentum attulit &c.* En ergo quomodo de Chi-

na

na China ex arte illorum ſolummodo temporum præſcripta, & repetita *Recidivas* facile tollebat, & *Fixationes* intra Lienem, & *Cachexias* ipſas curabat. Idem confirmat ſeriotibus hiſce temporibus famigeratiſſimus Joan. Jacobus Mangetus Biblioth. Medico Pract. libr. 6. a. 20. pag. mihi 239. his verbis. *Cortex non tantum Febrem, ſed nonnunquam etiam Hydropem inde ortum depellit:* & quidem in ſubſtantia ipſa exhibitus, non *Tincturæ* ſpecie; etenim ex eodem Auct. ibidem §. 16. *In Subſtantia ſumptus efficacior eſt: certius enim, & citius paroxyſmos ſiſtit &c.*

(e) (*Hinc neceſſe fuit &c.*) Quemadmodum prima pars hujus Textus reſpicit uſum Chinæ Chinæ *ſine arte adhibitæ*, hoc eſt adhibitæ, vel *Ubi*, vel *Quando* non convenit (qua de re jam pluries ad faſtidium uſque) ita ſecunda hæc pars reſpicit *Modum* eadem utendi rationalem. Atque hic animadvertat Lector, quam parum caute, quam parum appoſite Cl. Ramazzinus Chinæ Chinæ uſum *quemcunque* §. 6. mere empiricum, irrationalem, & amethodicum prædicans, utatur hoc Textu, quem Malpighius, ut ſatis patet, protulit in eum præciſe finem, ut ejuſdem Febrifugi uſum, non mere empiricum, ſed methodicum, rationalem, & plane jam *tutum*, mediis præparationibus variis, apud Medicos factum oſtenderet. Adeoque nil aliud hinc poſſet inferre noſter Auctor, niſi ad ſummum, neceſſarias eſſe præparationes a Malpighio allegatas, ut *tuto* poſſit China China adhiberi ad eas Febres, ad quas illius actionem pertingere docet experientia, cum in ſubſtantia nuda exhibetur.

Licet autem quo ad iſtas Remedii præparationes ego experientia multiplici ductus poſſim aſſerere denuo, quod & aſſerui in Therapeut. mea pag. 58. cum Mortono, & Blegnyo; Efficaciorem ſcilicet eſſe ſubſtantiam ſimplicem hujuſce Febrifugi, quam Extracta, & Tincturas illius, ut ſentit quoque Lemerys in curſu Chymico, a Cl. Auctore infra citatus, & in Bibliotheca Medico -- practica, ut annotavimus nuperrime, Jo: Jacobus Mangerus, aliique; nihilominus neque tenuo rurſus admittere, quod in obſequium Viri tamen celebris admiſi pag. 57. ejuſdem Therapeut. poſſe videlicet *Tincturam* potius, quam *ſubſtantiam* ligneam Corticis, eamque *paulatim* potius, quam *cumulatim* exhiberi, ubi non magna urgeat neceſſitas, vel ſolicitudo citioris, aut certioris eventus: uno verbo, in *diuturnis*, & *benignioribus* Intermittentibus. In *Perniciioſis* ſiquidem, tam intervallatis, quam Subcontinuis, etſi quandoque Extracta, & Tincturæ ex uſu eſſe poſſint, nec inutiliter; haud tamen vereor affirmare, *certiorem*, ſemper eſſe *citiorem*, *nec* propterea *minus tutam* curationem, quæ *Subſtantia* Corticis aſſumpta obtinetur, quam quæ obtinetur, ope *Tincturæ*, aut *Extracti*: quemadmodum in Libro, cui Titulus, *Oculorum*, & *Mentis vigiliæ*, pag. 274. auctoritate Mortoni, & propria experientia fretus, huic eidem Malpighianæ animadverſioni reſpondet Cl. Sbaragli, ejuſdem pariter Scholæ Bononienſis Profeſſor, & (quantum ex ejus Scriptis licet conjicere) Peruviani Corticis adminiſtrator neutiquam ſcrupuloſus. Sed & his miſſis, Malpighius certe temporibus ſuis ne cogitavit quidem de Febribus hujuſmodi lethalibus China China curandis, vel de tam valida illius virtute in extremo etiam earundem Febrium exitio; imo in angustiis *proximæ certæque* jam necis. Neque enim metum *Recidivarum*, nec *Fixationum*, nec *Cachexiæ*, nec aliorum quorumvis morborum, ſervato tunc Ægrotante ſubinde facile curabilium, in tam gravibus circumſtantiis objeciſſet, ſatis conſcius aurei effati, quod habet Celſus lib. 8. cap. ult. *Nihil intereſt, an ſatis tutum præſidium ſit, quod unicum eſt.*

His omnibus de cauſis, *ſuam* in Therapeut. mea, loco citato, *cautelam* dixi *condonandam Malpighio*, Viro ſane, quem libenter & ipſe fateor *Sapientiſſimum*, qualem modo prædicat, qui ſibi favorabilem putat Cl. Ramazzinus. Neque ego propterea tanto Viro, velut crimen aliquod unquam objecerim, quod ille populari, crebræque praxi minus addictus, ſæpius etiam in otio rurali Sectionibus Anatomicis, præſertim minutioribus, occupatiſſimus (quibus ſtudiis, utilitate ſua nequaquam carentibus, longe a Medentium, & Ægrotantium turba eminenter inclaruit, inacceſſa peragrans loca, & *nullius antea Tritæ pede*) humilioribus hiſce, quantumvis æque ſaltem utilibus, minus vacare potuerit, aut potius voluerit. Nullus enim dubito, quin pro ſua ingenuitate, ſi vixiſſet in hæc uſque tempora, alienæ ſaltem praxi eam fidem in hoc fuiſſet adhibiturus, quam anatomicæ illius dexteritati alii adhibere conſueverunt. Nec proinde illius ego *curioſam diligentiam ſalibus Ariſtophanis perfricuerim*, ut ſatis manifeſte, diſſimulanter licet, olim perfricare viſus eſt Cl. noſter Auctor: & quidem acrioribus, ac unquam perfricuerit illam iiſdem temporibus Auctor Diſſertationis *De Recentiorum Medicorum ſtudio*. Videſis curioſe Lector Diſſertationem Cl. Ramazzini de Conſtitutionibus trium annorum 1692. 93. & 94. §. 58. & 59. pag. 193. Edit. Patavin. ibique Manriſſam hanc illi Diſſertationi, etſi jam plane abſolutæ, pruriente nihilominus calamo eleganter aſſutam reperies.

(f) (*Male uſu &c.*) Quis quæſo de *malo uſu*, nedum Peruviani Corticis, ſed & aliorum remediorum, puta Phlebotomiæ, Purgationis &c. acria non ſcribat? Contra *malum* hujuſce Febrifugi *uſum* ſcripſi & ego, qui tamen dicor alicubi a Cl. Auctore, *Magnus Chinæ Chinæ virtutem aſſertor*; ſcripſere Sydenhamius, imo & Mortonus ipſe, aliique fere omnes, qui innoxii cæteroqui, & ſaluberrimi Remedii Fautores, ut paſſim videre eſt, tam in Scriptis eorum, quam in ipſa Therapeutice mea. Sed quid inde? Opus eſſet oſtendere, *malum* uſum, quem damnant

innant auctoritates omnes, tum hoc, tum aliis Criticæ hujus Dissertationis locis adductæ, esse illum *eundem*, quem specie recti usus exercent *Mutinenses Medici*; sive, ut citra fucum loquamur, quem titulo *peculiaris*, ac perutilis *Methodi* proponit, ac laudat eadem Therapeutice mea; *rectum* vero usum illum esse *tantummodo*, quem limitibus artissimis conclusum ferme ad nihilum tandem redegit Cl. Auctor. Ad hæc oporteret (ut vim probationis haberent eædem auctoritates) oporteret, inquam, ut Scriptores illi *Methodum* ipsam *meam*, in circunstantiis præsertim, in quibus eam *peculiariter* proposui, nedum præcise damnarent, sed & damnarent *experti*, non ratiociniis tantum innixi; meque *re ipsa* falsitatis evincerent, aut vaniloquentiæ. Sed quis, Mortono excepto, aliisve perpaucis, Peruvianum Corticem in Perniciosis Febribus a Mercato descriptis, methodice, ac ex arte fuit unquam, saltem constanter expertus, ante vulgationem Tractatus mei, specialem Methodum, nondumque notam tradentis, ut praxi meæ suam in iisdem Febribus, & circumstantiis æqualiter exercitam, queat opponere experientiam?

Quæ igitur de *malo* hujusce Corticis *usu* generaliter scripta extare dicuntur apud Georgium Baglivum, Nicolaum Lemery, & Theophilum Bonetum in variis Operibus suis, nil probant adversum me, nilque adversus Peruvianum Corticem: cum vix aliquid per transennam apud ipsos legatur de *abusu Antifebrilium omnium* in genere, ut & de *usu* Chinæ Chinæ nonnunquam, ut ajunt explicite, *intempestivo*; quem quoque *intempestivum* nihilominus etiam admittunt *in curatione coacta*. Contra vero reperio plurima apud eosdem Auctores de vi, certitudine, & securitate hujusce remedii, quæ aciem legentis Clariss. Ramazzini fortasse subterfugerunt, quæque facile a curiosis Lectoribus possunt adinveniri, ut in sequentibus.

(*g*) (*Apud Georgium Baglivum &c.*) Georgius ergo Baglivus, ut aliquid obiter innuam de singulis, Lib. 2. Prax. Med. Cap. 3. pag. mihi 165. hæc habet. *China China est Remedium profecto herculeum in curatione Intermittentium; dummodo tamen* (quæ peritorum omnium cautela est) *non detur suspicio inflammationis alicujus visceris, vel abscessus interni; neque in principio, crudis adhuc existentibus humoribus &c.* Item lib. eod. pag. 234. de inutili, ac noxia locutus bilis evacuatione in Tertianis. *Evincit id*, inquit, *nuperrima Corticis Peruviani, aliorumque Febrifugorum artificialium detectio, quibus prudenter, & tempestive datis, & Febres omnes Intermittentes, a quibuslibet demum causis productæ felicissime eliminantur, nullus in medium productis Quæstionibus præparationis, aut evacuationis humorum*. De Remediis denique Specificis agens pag. 242. principem statim locum tribuit Peruviano Cortici, inquiens. *Sint constantia*, videlicet Remedia specifica, *methodo præscribendi munita, & morbo specifice, ac ferme infallibiliter respondentia, prout est in Intermittentibus Cortice Peruvianus &c.*

Quod si in Tractatu de Fibra Motrice, & morbosa identidem succenset usui Chinæ Chinæ, perpetuo loquitur cohærenter ad superius relata, tum de illius oblatione ante sublatam, ut clare semetipsum explicat, *Cacochyliam*, tum de abusu ejusdem in Febribus *Mesentericis Romanorum*, ut vocat, ex vitio illius visceris non levi proficiscentibus, ac proinde *Symptomaticis*; adversus quas nil posse Peruvianum Corticem, communiter notum est, & a me pariter, nedum annotatum, sed & fusiori explicatione declaratum pag. 269. & 270. Tractatus mei. Oportet ergo probe dignoscere Febrium species, differentias, & transmutationes, ut pluribus aliis in locis Tyrones docui. Sed hoc (ut ajebam pag. 93. ejusdem Tractatus) quod maxime oporteret docere, idipsum est, quod nequit satis doceri. Qui ergo omnes hasce Febrium vicissitudines exacte, quantum licet per observationes, & experimenta, non callet, nunquam erit Corticis opportunus administrator, remediumque a perito Medico fere nunquam incassum adhibitum, si forte bis, aut ter cum successu, quater aut quinquies sine successu exhibebit. In hos scopulos, in has Syrtes forsitan impegere Scriptores nonnulli, Chinæ Chinæ usus frigidiuscule tantum plaudentes.

(*h*) (*Nicolaum Lemery &c.*) Nicolaus vero Lemeryus in cursu Chymico Part. 2. Cap. 6. de Quinquina pag. mihi 454. ait -- *Hoc est Remedium tutius, quod usque adhuc repertum sit adversus Febrium Intermittentium fermentum &c.* Usum illius *prima* oblatione *liberalem* præcipit, *continuatque* diminuta dosi bis in die *per octiduum*, & semel in die *per aliud octiduum*; asseritque *constantem* illius *repetitionem* impedire Febrium *recursum*, dummodo Æger fuerit antea rite purgatus; impurgato enim corpore Chinam Chinam exhibere, minime tutum existimat. Hac de re vide Therapeut. meam lib. 1. Cap. 9.

(*i*) (*Theophilum Bonetum &c.*) Quo ad Theophilum denique Bonetum, in variis hujus Auctoris Operibus tot sunt, quæ favent usui Peruviani Corticis, ut cuncta recensere non vacet; siquidem apud vastorum hujusmodi Collectaneorum Scriptores qui aliena diversorum generum acervatim referunt in Studentium commodum, quisque reperit facile quod sibi congruit. In Polyalthe itaque suo Bonetus Tom. 1. Lib. 1. de Febr. Tit. 5. Cap. 1. de Intermitt. in gen. §. 59. de China China hæc habet ex Sponio pag. mihi 221. *Omnium usitatissimum, & certissimum omnium est Febrifugum &c.*, suadetque ex eodem ad præcavendum Febrium *recursum* dosim *liberalem* ad uncias usque *duas* §. 61. item ex Saccho hæc addit eodem §. 59. *In his Febribus China Chinæ valde salutaris ab experientia probatur &c. & si revertatur paroxysmus, nova Chinæ exhibitione sup-*

primi-

primitur. Ex Villiſio quoque §. 60. ſic loquitur pag. 222. *Uſus pulveris Corticis Peruviani hunc morbum* (hic intellige Quartanam) *certiſſime curare perhibetur &c.* Denique (ut plura alia omittam loca tam vaſti Operis) ibidem ex Boyle ſic concludit. *Si credendum erit in magno Digbeo, culpandus potius Medicus, quam nobilis hæc Medicina, ſi poſt hujus exhibitionem unquam revertatur Febris; nam cum illum conſulerem ſuper hac re, ſancte mihi aſſeveravit, ex 30. aut 40. circiter Quartana detentis, quos hoc ſolo remedio curavit, ne vel duos relapſos fuiſſe*: neque tamen inde crediderim, Cachecticos illos paulo poſt obiiſſe, aut Hydropicos. Sed citati Auctores de inhibendo relapſu adeo ſoliciti, neſciebant adhuc Theorema practicum Cl. Ramazzini: videlicet, *Optandum eſſe, ut Febris redeat remedii loco: Medicoſque Chinam Chinam præſcribentes interdum eludi Febre amplius non redeunte; ſed tacite corpus depaſcente.*

Idem Bonetus in Mercurio Compitalitio, ubi de China China ſermonem habens nihil edit de proprio, ſed tantum Villiſii verba tranſcribit, ſcilicet lib. 6. de Febre Intermittente in genere, pag. 207. hæc nobis innuit. *Qui ea ratione* (videlicet uſu Peruviani Corticis repetito) *crebras inducias Quartanæ procurabant, alacres, & vividi ad negotia quæque expediti degebant, cum ſecus enerves, & pallidi in languorem, & vitioſum corporis habitum redigerentur. Vix unus e centum hoc remedium incaſſum tentavit*: *nec tantum in Febre Quartana; verum in aliis Intermittentium Speciebus cum fructu adhibetur &c.*

Tandem in Medicina Septentrionali feliciſſimas adducit idem Bonetus Febrium curationes, ope Chinæ Chinæ abſolutas. Harum tres juvat recenſere. Prima legitur Volum. 2. Lib. 5. De Febribus Sect. 1. De Medicam. Antifebr. Obſerv. 5. pag. mihi 177. eſtque obſervatio Eraſmi Bartholini, qui primo in ſe ipſo anno 1679., mox in aliis felix de illa periculum fecit, ejuſque famam illis in Regionibus antea obſcuram illuſtravit; imo & rationibus validis uſum ejuſdem ea ipſa obſervatione confirmavit. Et quaſi Regionibus illis indecorum putaſſet, apud alienigenas credi minus excultum ibidem eſſe remedium illud, quod non multo ante Europæ innotuerat, hæc addidit. *Celeberrimus Vir Villiſius multis experimentis edoctus ſtatuit lib. de Febr., eximias eſſe hujus pulveris vires in Febri Quartana debellanda; id, quod & Nobiliſſimus Robertus Boyle teſtatur in diverſis editis a ſe Scriptis. Quare neque nos decuit uſum ejus in terris hiſce Septentrionalibus ſalutarem fuiſſe ſilentio prætermittere, ut optimis rebus bonos inprimis habeatur, neque in Medicamentorum cognitione confeſſa cum anticipitibus, & obſcuris confundamus.* Et paulo poſt. *Adeout veriſſimum eſſe deprehenderim quicquid laudati Auctores* (alios enim antea citaverat, præſertim Antymum Conygium, ſive Honoratum Fabri (*de hoc pulvere bono publico divulgarunt; neque in hiſce terris minorem eſſe ejus in nobilitatem, quam in Meridionalibus.*

Obſervatio altera habeant eadem Part. 2. Medicin. Septentr. lib. 7. Paraleipomen. ad lib. 3. Sect. 3. de Febribus Intermittent. pag. mihi 550. Obſervat. 19., eſtque illa obſervatio Ferdinandi Friderici Illmer, pariter digna, quæ luſtretur; licet hic ob ſuam prolixitatem omittatur. Ex ea ſiquidem non minus Peruviani Corticis efficacia, quam inefficacia *potius* vulgaris Methodi, aliorumque *Antifebrilium* ferme *omnium*, eo caſu inutiliter uſurpatorum, clare deprehenditur.

Sed tertia Obſervatio, quæ hanc immediate antecedit pag. 549., eſtque Obſerv. 18. rem plane conficit. Exhibet hæc Auctorem ipſum, qui eam deſcribit, Theophilum Bonetum Quartana laborantem, & in ipſo morbi principio, poſt ſextum videlicet Paroxyſmum, China China intra biduum ad drachmas, *non duas* tantum pro more, *ſed ſex* aſſumpta, perfecte tantum, atque ad calcem Obſervationis p. 550. plura de hoc Febrifugo egregie locutum; inter quæ nonnulla hæc curſim excepta. *Circa uſum iſtius Febrifugi, notandum, quo ſimplicius exhibetur, eo efficaciorem ejus vim deprehendi; neque conſortium aliorum medicamentorum expoſcere. Nam neque adjuvante indiget, quod vim illius intendat, cum hactenus nullum adeo efficax antipyreton innotuerit, hinc ut quicquid in ſocietatem illius venerit, infirmus ſit, & inutile: neque corrigente, cum nullum ab ejus uſu ex arte exhibiti, experientia teſte, damnum emergat &c. Si Recidiva ſuccedit, ea vel Ægri intemperantiæ adſcribenda, aut quia intempeſtive, vel coacte id aſſumptum eſt &c.* Quid clarius? Quid Cortici favorabilius? Itane illum auctoritatibus Baglivii, Lemerii, & Boneti mulctat Cl. Auctor? Certe & hac vice *Carpathius teſtem*.

Quid vero ii ego, præter reſponſionem hanc ab iiſdem petitam, retaliarem Virum Cl. auctoritatibus quinquaginta forſan Scriptorum ſupra enumeratorum, tot, & tanta eidem adverſa canentium? Quid, ſi unius Langii Diſſertationem? Quid, ſi ſolam Mangeti Bibliothecam, vel Medico-practicam, vel Pharmaceutico-medicam cum Auctoribus in eadem, præter a nobis expoſitos, recenſitis, Rajo, Courtine, Goodall, Hulſe, Robinſon &c. opponerem? Sed puderet, ubi de praxi lis agitur, alio uti teſte, quam experientia: maxime cum non de primæva vulgari Methodo, nec de Febribus tantum diuturnis, de quibus ſolummodo paſſim loquuntur Auctores, inter nos ſit Quæſtio ſuborta; ſed de Methodo *recenti*, & de uſu Pauciſſimis noto, cujus Judicium penes Seculum iſtud deinceps erit, ſeroſque Nepotes, non penes prægreſſum. Id unum liceat a Mangeto ſupra laudato in rem noſtram excerpere, Bibliot. Pharmaceutico-med. lib. 17. pag. mihi 697., quod ſic habet. *Pro ejus vi febrifuga* (loquitur de China China) *quidam acriter militarunt, dum alii nobile hoc medi-*

camen-

camentum totis impugnarunt viribus, (en igitur quam facile sit, & simul quam vanum, notas jam, sed effœtas, atque hodie inanes contra illud congerere auctoritates) *donec tandem ultimis hisce annis ab omnibus prope Medicinæ Cultoribus, Ægrorum suorum solatium vere expetentibus, non tantum amice excipitur* (en ex adverso quam facilius sit, sed simul quam æquius, potiore auctoritate, & experientia firmatas, condere pro eodem *Pandectas*) *sed etiam pro Panaceæ quadam quasi specie non immerito salutatur*. Cur ergo *ultimis hisce annis* desit salubertimam hujusmodi Medicinam ita salutare, qui ante paucos annos, imo ante paucos menses tam humaniter, tamque benigne salutaverat Cl. Auctor?

§. XLIV.

SEd forte quis dicet ignotam fuisse novam hanc Methodum Chinam Chinam exhibendi in larga dosi ad uncias, & pluries in die, ac in illius usu persistere donec febris extincta fuerit. At ista Methodus nova non est, (*a*) *licet pro nova venditetur*, jamdiu in Germania usui esse cœpit, ut videre est in Epistola responsiva Roberti Bradi ad Thomam Sydenham, ibi enim verba hæc scripta reperio. *Equidem scio quosdam haud infimi subsellii Medicos, qui in magna quantitate, & dosi sæpius repetita eum exhibent; alios item qui ex eodem extracta, infusiones, & ex infusionibus julapia, & emulsiones conficiunt, quibus modis se non tantum intermittentes, sed & continuas quasdam certo curare affirmant*. Profecto hac in re (*b*) *nil inausum*, nil intentatum reliquit Medicorum industria, ut etiam excogitarit ex Chinæ Chinæ decocto Clysteres Febrifugos.

(*a*) *Licet pro nova &c.*) PRO *nova* certe venditatur a me Methodus mea, quam patior libenter, ut appellet quisque pro arbitrio, vel meam, vel alienam, vel ad imitationem alienarum consarcinatam, quemadmodum in Therapeut. mea lib. 3. Cap. 4. pag. 154. & seq. Posse nihilominus, forsan & debere, novam vocari, habito ad circumstantias quasdam respectu, quæ se tenent tum ex parte Febrium curandarum, tum maxime ex parte modi exhibendi Peruvianum Corticem, illumve industri quadam, & inæquali partitione distribuendi, pro ratione angustiæ temporis, & imminentis exitii, ne inutiliter administretur, ex eodem Cap. 4. lib. 3. a pag. 154. usque ad 159. luce meridiana clarius apparet.

Sed hæc novitas, seu, quod refert, peculiaris utilitas Methodi meæ non consistit in exhibenda, ut hic inquit Cl. Auctor, China China *in larga dosi ad uncias, & pluries in die &c.* hujusmodi enim lata nimium, & *indeterminata* loquendi forma satis a me exhibilata est pag. 149. Tractatus mei; sed consistit ad summum, ut alias recensui, & ut patet ex eodem Opere meo pag. 149. in duabus plus minus unciis Chinæ Chinæ, intra tres hebdomadas assumptis, una ex illis ad curationem, altera ad præcautionem præscripta, in casibus Febrium Pernicioſarum, ac summe lethalium, ubi major necessario, quam in benignioribus impenditur copia Febrifugi. Dosim ista copiosiorem, quæ scilicet pro una Ægritudine curanda, uncias duas longe transcendat Peruviani Corticis, tamquam abusum a me damnatam vide pag. 151. & 152. ejusdem pariter Tractatus mei. Distributio autem istiusmodi dosis liberalior est mihi tantummodo in primo Cyatho, sive in prima Remedii oblatione, in casibus tamen solum maxime urgentibus, & deficiente tempore lentius agendi: tunc siquidem semunciam de more, paulo etiam plus, aut paulo minus, pro affectus, ac temporis exigentia præscribo. Atque ita sufflamine statim imposito Febri præcipiti, reliquum Corticis ad alteram usque unciam, lentiore sensim pro re nata progressu, consumptum volo. De his omnibus fuse, & ordinate in eodem Opere meo a pag. 144. usque ad 159. ubi totum Corticis impendium, & tota simul meæ Methodi novitas abunde perspicitur. Novum quippe revera est, propinare hoc pharmacum in iis circumstantiis, in quibus nulla amplius pharmaca locum habent, magis novum, propinare tam utiliter, & maxime novum, hanc utilitatem pendere ab industri quadam modicæ potius, quam exuberantis tandem quantitatis distributione.

Sed si *Methodus ista nova non est, & si jamdiu in Germania*, ut inquit, *usui cœpit esse*, cur illam soli *Mutinæ* sequaci imputat, non vero *Germaniæ*, ut asserit, præeunti Cl. Auctor? Ast hallucinatur ille non parum, dum in asserti sui probationem adducit Epistolam Bradii (fallitur & in hoc, quod *responsivam* vocat, cum sit scisciratoriam ad Sydenham) Robertus enim

enim Bradyus, ut patet ex eadem Epiſtola, & ex Reſponſoria annexa Sydenhamii ad ipſum Bradyum pag. 332. & ſeq. in Operibus præcitati Sydenhamii, Edit. Patav. 1700., eſt Profeſſor *Cantabrigienſis*; verbaque a Cl. Ramazzino hic recenſita ſcripſit idem Bradyus e *Cantabrigia*, Urbe, non *Germaniæ*, ſed *Angliæ* celeberrima, ut videre eſt loco citato. Crebro nimis profecto labitur vel inter plana hæc cæſpitans Vir Cl., ut queam ipſe tam crebro diſſimulanter connivere. Quod ille §. 31. *Franciſcum* pro *Antonio* extinctum, ſive occiſum voluerit: quod §. 32. alium quempiam de *Marchione Comitem* fecerit: quod §. 33. Fernelii Libros De abditis non *Rerum*, ſed *Morborum* Cauſis inſcriptos dixerit; quod denique hoc ipſo Paragrapho Epiſtolam Bradii *Sciſcitatoriam* pro *Reſponſoria* ſumpſerit, & Nationum Medicinam confundens, *Germanicam* Scholam citarit loco *Anglicæ*, vel Germaniam ipſam ad Tameſim, & Camum pro Anglia collocarit; id omne illi facile condonandum dixerim; quamvis idipſum alii non ita facile laturi ſint Medici, neque Geographi. Sed quod morem ejuſdem Anglicæ Scholæ, quam mihi tunc licet inſcio, præeuntem in liberaliori Chinæ Chinæ uſu ad Pernicioſas Intermittentes pluries aſſerui in Opere meo, velit ille adſcribere inſuper Scholæ Germanicæ in contumeliam Methodi meæ, ut ſcilicet omne illi adimat novitatis decus; id certe non æque facile ferendum mihi: quemadmodum nec bene tuli, nec unquam feram, venditatum falſo ab eodem (puto quidem ſine crimine) pro infauſte alicubi exhibito, nullatenus exhibitum, aut propoſitum Peruvianum Corticem.

Sed quoniam Germanum effinxit invita Natura Robertum Bradyum, cur ſaltem illius germana ſenſa noſtro Cortici adeo favorabilia, & ex immediato ejuſdem contextu clare patentia non ſubdidit Vir integerrimus? Subdam ego de more prolixior quod de induſtria omiſit ille, cum maxime ipſum juvabat brevitati ſtudens; imo totum, prout jacet, Bradii Textum, a Cl. Ramazzino partim allatum, & partim omiſſum integre huc reddam. Sic ergo Thomæ Sydenham Londinenſi ſub die 30. Decembris anni 1679. ſcripſit e *Cantabrigia* Robertus Bradyus. *In Sectione prima Cap. 5. Libri tui paucis egiſti de uſu Corticis Indici, & ejuſdem exhibendi Methodo. Equidem ſcio quoſdam haud infimi ſubſellii Medicos, qui in magna quantitate, & doſi ſæpius repetita eum exhibent; alios item, qui ex eodem extracta, infuſiones, & ex infuſionibus julapia, & emulſiones conficiunt: quibus modis ſe non tantum intermittentes, ſed & Continuas quaſdam certo curare affirmant. Magnum procul omni dubio in curandis Intermittentibus eſt remedium. Ego quidem per 20. plus minus annos dictum Corticem varia forma, & multiplici præparatione maximo cum ſucceſſu exhibendam curavi. Si vero peculiare quippiam de uſu hujuſce Corticis noſti, vel quid melius progrediente experientia fueris edoctus, id ne graveris, precor, in lucem proferre.* Hæc omnia e Cantabrigia Bradyus. In *Anglia* ergo, non in *Germania*, (penes Mortonum ſaltem, & Sydenhamium) uſitata erat Methodus, non quidem eadem, ſed nec longe abſimilis a mea, præſcribendi Peruvianum Corticem, ut candide faſſus ſum in Therapeutice mea locis citatis, & alibi. Quodnam autem Bradyo reſponſum dederit Sydenham, & qua Methodo ſe uſum dixerit in miniſtrando Ægrotis Peruviano Febrifugo, ſatis patet ex Textibus illius a me tranſcriptis, tum olim in Tractatu meo, tum denuo in hiſce Reſponſionibus Jatro apologeticis. Quod ſi inſuper particulam quamdam finalem Reſponſionibus ejuſdem Sydenhamii ad Bradyum, pro melius dignoſcenda eximia vi Corticis ex arte adhibita, meorumque inſimul dictorum exploranda fide, luſtrare libeat; quoniam hæc ipſa Sydenhamii concluſio rebus quoque meis tam bene congruit, ut mihi fortaſſis hodie idem de Opere meo liceat affirmare, quod de ſuo quondam Sydenhamius aſſeruit; hæc illius verba ſummatim huc translata haud piget ſubdere. *Si placuiſſet ad ea animum advertere, quæ annis abhinc quatuor tradideram; quo pacto ſcilicet Cortex debuerit miniſtrari, tum poſtea repeti, Ægro convaleſcente, viverent fortaſſis haud pauci eorum, quos jam terra tegit; utut homines vilipendant tenues ſane illos conatus noſtros, communi omnium bono dicatos, & monita ſpreverint ibidem dictata.* Hæc eadem itaque mihi ſors obtigit a Cl. Ramazzino, cui mea minime placuerunt vel dono miſſa. Nullo igitur pretio mercem hanc *venditavi*, quæ tantum abeſt, ne illum emptorem habere meruerit, quin potius habuerit contemptorem.

(*b*) (*Nil inauſu &c.*) Auſus iſte tam inſolens præſcribendi *Clyſteres ex Chinæ Chinæ decocto*, ſi apud Cl. Auctorem male audiat ut enervis aut parum efficax, eadem quoque ratione non admodum glorioſe audit apud me pag. 302. Tractatus mei; quamvis non ſemel & hac via mihi uſui fuerit idem Peruvianus Cortex. Si vero male audiat alio nomine; ſciat idem noſter Auctor, ad uſum hujuſmodi, præter Helvetium Facinoris Auctorem, perveniſſe quoque e *Schola* inclyta *Bononienſi* (*quæ cæteris* ipſo Judice, *pro regula Polyclett eſſe poteſt*) Clariſſimum Sbaragli, per ſuperiora, & per inferiora Febrifugum hoc pro caſuum exigentia in Ægrotantium corpus immittere non renuentem, ut in *Oculorum*, & *Mentis Vigiliis* pag. 273. Sciat inſuper, ad eumdem auſum nedum perveniſſe in curatione aſpicatiſſima Pueri quinquennis, remedia quævis per os reſpuentis, ſed [illegible] Practicis ſtimulos addidiſſe ad idem tentamen Georgium Baglivum, quem §. antecedenti citavit Cl. Auctor tamquam Scriptorem uſui Chinæ Chinæ adverſantem. Legatur Caſus apud eumdem Baglivum lib. 1. Prax. Med. Cap. 13. pag. mihi 128. Quid ergo miratur adeo Vir. Cl. de *Clyſteribus Febrifugis* ex China China paratis, qui Moniali cuidam nihil per os aſſumenti, ad 66. dies per ſolum Clyſterem *Nutrientem*, ſingulis diebus injectum, vitam ſe protogaſſe refert in ſuis Conſtitutionibus Epidemicis Mutinenſibus, a pag. 107. uſque ad totam pag. 109.? Metuitne forſan,

ſan, ne qui parantur ex China China Clyſteres, *Cachexiam* pariant, aut *Hydropem*, eadem, qua *Nutrientes* illi alimentum intrudebant via? Certe ſi crebro, & copioſe repetantur, inflabunt Abdomen: cujuſmodi infortunium forte contigit quadringentis illis militibus prope Manhemium æſtiva caſtra ſortitis.

§. XLV.

JAn multa habita ſunt experimenta permiſcendo Chinam cum variis ſpiritibus, cum ſuccis corporis animalium, cum ſucco pancreatico, cum bile, cum ſanguine recenter extracto, ad obſervandum, num aliqua fiat effervescentia, & colorum mutatio. Hujuſmodi tentamina, quæcumque ea ſint, non improbo, ſed dico hac in re non paucas contingere hallucinationes; in Stomacho etenim ex ſucco acido, qui inibi ex naturæ lege hoſpitatur, & alchali fixo Chinæ Chinæ fit lucta, & exinde novum concretum, quod ad alias partes demiſſum, diverſas habet vires, quod permixtum cum ſucco pancreatico, cum bile, cum ſanguine, quid operetur ſcit Deus. Quantum in rerum natura poſſit mixtio, ex nitri, ſulphuris, & carbonis permixtione, unde emergit pulveris pyrii tantarum virium compoſitio, jam ſatis notum. Sat celebre eſt illud Auſonii de Muliere mœcha, quæ Marito zelotypo toxicum dedit, ac poſtea ut illius vim geminaret, Argentum vivum porrexit, ſed antidotum prioris veneni exhibuit.

(*Jam multa &c.*) NE quis poſſit ambigere, utrum ipſe petar, & an ventiletur Opus meum in hac Diſſertatione Critica univerſa, placuit Cl. illius Auctori in ipſa quoque Specialia experimenta mea, ſeu potius tentamina quædam, ad explorandam febrifugam virtutem Corticis aliquando inſtituta, & pag. 21. mei Operis expoſita, nonnihil animadvertere. Et licet ex iis me nihil ſolidi elicuiſſe ſim faſſus; imo licet in iis nil improbandum ſe reperiſſe quodammodo fateatur Vir ipſe Cl. nihilominus aliquid tandem expiſcatur, quod carpat, generaliter inquiens, *Hac etiam in re non paucas contingere hallucinationes*: quaſi fallax fuiſſet regula inveſtigandi per hæc tentamina virtutem Corticis, quotieſcumque etiam per illa phænomenon aliquod ſpeciale, ac novum innotuiſſet. Sed, bona ejus venia, hallucinatur ille non parum, ordinem philoſophandi experimentalem invertens. Ex actione quidem cujuſpiam Remedii quid peculiare agentis extra corpus humanum, haud ſatis certo poteſt elici conjectura, quod idem pariter acturum ſit intra corpus humanum, ob tot aliorum, diverſorumque ſuccorum commiſtionem, quibus inficitur, ut pag. quoque 306. Tractatus mei minime ſum veritus confiteri. At vero ſi illud idem Remedium, nempe in caſu noſtro China China, *certo* agat quid peculiare intra corpus humanum; ſcilicet Fermentum febrile nobis occultum *certo* corrigat, ut *certo* corrigit; ſubinde autem per experimenta extra corpus habita nobis conſtet (quod tamen nequivit conſtare) illam ſuccos V. G. inſigniter acidos, amaros, aut ſalſos retundere, eoſque omni acrimonia Naturæ modum excedente ſpoliatos, ad dulcedinem quandam reducere; plurima certe probabilitate, ne dicam evidentia, inferri poterit, tum quod China China humores noſtri corporis præter naturam acidos, amaros, aut ſalſos redditos, vi ſua cogat dulceſcere, tum maxime quod ipſum febrile fermentum ab eadem retuſum, acidum revera ſit, amarum, aut ſalſum.

Aliud ergo eſt, quærere per experimenta extra corpus inſtituta Remedium febrifugum; aliud eſt, Remedii febrifugi jam reperti quærere vim intra corpus exercitam, per experimenta illam demonſtrantia extra ipſum corpus. Si ex Toxici, Hydrargyri, & humanæ ſimul Salivæ permiſtione, Toxicum ipſum extra corpus humanum dulceſcere, ſuaque acrimonia ſpoliari, aliquando obſervare potuiſſet Mulier Mœcha, ab hujuſmodi commiſtione intra corpus Mariti Zelotypi dubio procul abſtinuiſſet, aliterque ceciniſſet Auſonius. Sed & aliter caneret hodie, ſi Medicos quoſdam noſſet in uſu Chinæ Chinæ parum verſatos, qui hoc Febrium *Alexipharmaco* propinato, & Febre depulſa, aliud paulo poſt *Pharmacum purgans* exhibent, quo Febrem ſtatim revocant, dum arcere conrendunt: exclamaret quippe; nec forſitan lepide minus.

Et cum Fata volunt, Pharmaca *bina* nocent.

§. XLVI.

§. XLVI.

(*a*) EX *permixtione* ſolutionis Vitrioli cum ſolutione Chinæ Chinæ obſervavi ſpeciem quamdam atramenti, unde ſuborta mihi ſuſpicio idem fieri in Stomacho ex potione Chinæ Chinæ dum acido permiſcetur, ſicque fermenti febrilis craſim inverti, ac impotentem fieri ad novos motus febriles excitandos. Neque novum intermittentes febres æſtate pervagantes pendere a ſalſo-acido fermento, licet, ut plurimum opinio ſit (*b*) *a luxuriante bile* progigni. Æſtate acida quæquæ avide appetimus ac utimur, & fructus hujuſce naturæ exquirimus, unde Ventriculi acidum tunc temporis abundare non alienum eſt credere, quamvis enim in principio febrium intermittentium rejici ſoleat multa bilis, irritamentum prius in Stomacho factum ab acido turgente, vaſa cholidoca trahere poteſt in conſenſum, veluti fit in nephritica paſſione; puto ergo Chinam Chinam totam vim ſuam in Ventriculo exerere, quia video in febre intermittente, alterum paroxyſmum, qui expectabatur, omnino ſiſti, quod certe admirationem facit; in aliis autem locis extra Ventrieulum, aut parum, aut nihil operari, ſeu quia illius virtus ſit infracta, ſeu quia contrarietatem non reperiat, nam ubi febris (*c*) *primo periodica, poſtea continua* facta fuerit, nihil admirandi obſervo, quod Chinæ Chinæ, licet larga doſi aſſumptæ, mereatur adſcribi, febris enim ad plures dies perſtat & paulatim ſolvitur.

(*a*) (*Ex permixtione &c.*) Experimenta omnia ad Chinæ Chinæ virtutem indagandam tentata, per commiſtionem illius cum aliis Succis extra humanum corpus, reputat fallacia Cl. Auctor; *in Stomacho etenim*, ajebat ille Paragrapho antecedenti, *ex ſucco acido, qui inibi ex naturæ lege hoſpitatur, & alcbali fixo Chinæ Chinæ fit lucta, & exinde novum concretum, quod ad alias partes demiſſum diverſas habet vires, permiſtam cum ſucco pancreatico, cum bile, cum ſanguine, quid operetur ſcit Deus*. Statim tamen in præſenti Paragrapho horum omnium oblitus, ſuum ille Experimentum, pari penitus modo inſtitutum adducit, *ſolutionem* nempe *Vitrioli cum ſolutione* (rectius dixiſſet, *cum infuſione*) *Chinæ Chinæ permiſcens*; ſuamque inde fidenter deducit hypotheſim, qua modo vult, *Chinam Chinam totam vim ſuam egerere*, non amplius in ſanguine, ut immediate dixerat, ſed *in ventriculo*: *in aliis autem locis extra ventriculum, aut parum, aut nihil operari*. Illi ergo uni datum ſit per contrarias undique ſemitas adire Corinthum, & quomodolibet propriam ſententiam proferre, ac proprium experimentum. Verum quid proprium illius experimentum dixi, quod ab Ettmullero, Langio, & aliis fuit ille mutuatus; quodque omnibus *ex infuſione Gallarum, & ſolutione Vitrioli* atramenta conficientibus, ut olim in ſuis Conſtitutionibus Epidemicis pag. 121. annotavit Vir ipſe Cl. quotidie eſt obvium? Cum ergo (ut hinc æſtimetur pondus experimentorum illius) cum, inquam, tam ex permiſtione infuſionis *Gallarum*, *Cinamomi*; aliarumque rerum poroſarum, colore quandatenus his ſimilium, quam ex permiſtione infuſionis *Chinæ Chinæ* cum una ſemper ſolutione Vitrioli, eadem ſuboriatur Atramenti ſpecies (ut facto experimento obſervavi) eodem quoque pacto deberet a *Gallarum*, *Cinamomi &c.* pulvere *Fermenti febrilis craſis inverti, & impotens reddi ad novos motus febriles excitandos*, ut redditur a China China, ſecundum hypotheſim Viri Cl. quod tamen inde ſperare foret ridiculum.

(*b*) (*A luxuriante bile &c.*) Tertianas *Febres Æſtate pervagantes a luxuriante bile progigni*, opinabatur Paragrapho 16. hujus Diſſertationis ipſe Cl. Auctor, ut vidimus: modo non illi arridet amplius, quæ tunc placuit opinio: fortaſſe quia ſimilem quoque me fovere ſit ſuſpicatus. Cum enim experimenta mea, pro inveſtiganda Chinæ Chinæ actione quondam inſtituta, ad trutinam revocaſſet ille Paragrapho antecedenti, ut ea parvi penderet; ex iiſque longe faciliorem deduci ipſius Chinæ Chinæ nexum cum Bile, quam cum Limpha, Saliva, Urina, aliiſque diverſis fluidis, ut reor, conſideraſſet; aliqua hinc mihi occaſio ſuſpicandi, Virum Cl. me propenſum ſaltem putaſſe ad ſtatuendam pro

Inter-

intermittentium Cauſa eandem Bilem, maxime cum pag. 14. Operis mei hæc verba protulerim. *Quod de Bile, & Oleo conſtat per experientiam* (ſermo ibi eſt de facili abſorptione Chinæ Chinæ intra Bilem, & Oleum obſervata) *poteſt fortaſſe per conjecturam credi de Fermento febrili: ſive ad illud conſtituendum Bilis concurrat, ſive aliud Fluidum oleoſæ forſitan naturæ particeps*. Sed facile poterat certior fieri, me nuſquam *determinate* adſtruxiſſe Bilem, ut Cauſam Intermittentium, ſi animadvertiſſet fere ibidem hæc alia verba, pag. 22. ejuſdem Tractatus exarata. *Parum refert obſervare quid China China operetur intra Bilem qualemcumque, cum nos lateat quinam ſit, vel eſſe poſſit, ad Cauſam Intermittentium conſtituendam Bilis concurſus.*

Multo magis id poterat ille dignoſcere, ſi Conjecturas meas omnes de Intermittentium Cauſis, toto ferme Cap. 6. nec non etiam 8. Libri primi prolatas, & pro imperfectis a me ipſo habitas, legere non renuiſſet; ubi nempe me in generalibus tantum quibuſdam Theorematis firmum, in peculiaribus ſumme hæſitantem deprehendiſſet. Et jure quidem merito quemadmodum enim in meo Tractatu, anno 1712. publici juris facto, occultam plane protuli ad ea uſque tempora *veram*, & germanam Intermittentium Cauſam; ita minime verebor fateri, idem contigiſſe in hanc uſque diem; æque conſcius, Naturam ulli nondum Medicorum liberaliorem, ſed æque avaram ac antea ſe præbuiſſe, in pandendo hujuſmodi arcano. Tantum abeſt, ut *Bilem luxuriantem*, aliumve liquorem *determinate* humani corporis (quamquam eorum aliquem certe peccare neceſſe ſit) hujuſmodi criminis reum audeam proferre. In re tam obſcura ſat ſit ſuſpiciones nonnullas in eodem Tractatu cunctanter olim enunciaſſe locis citatis.

Non eſt igitur cur mihi obtrudat Vir Cl. *Intermittentes æſtivas pendere a Salſo-acido Fermento, non a luxuriante bile*, atque (ut in contextu) *Chinam Chinam totam vim ſuam in ventriculo exerere*: ſiquidem revera hanc litem mecum agere ſatagat: mihi enim abunde ſufficit, quod eadem China China Fermentum febrile peſſundet, ſive acidum dicatur illud, ſive ſalſum, ſive amarum, ſive alius ſaporis, aut indolis. Quod vero Febrifugi actio, incipiendo a Ventriculo, non prætergrediatur ſecundas Chyli vias: & quod ſanguis (quem in Intermittentibus mere paſſive ſe habere centies dixi) nullam probabiliter judicio meo ſenſibilem alterationem patiatur ab eodem Febrifugo, jam literis cubitalibus ſcripſi in ipſa Therapeutice mea iiſdem pariter citatis Cap. 6. & 8. Libri primi. Sed quid, ſi ad componendam litem, quam mihi, non ego, quo forſitan cenſuit; modo, de hiſce revera ſentienti, videtur indicere Vir Cl., opinionem Eruditiſſimi D. Zendrini quiſpiam in medium adduceret? Cum enim Profeſſor iſte pro Intermittentium Cauſa Bilem adſtruat, ſed Acidam redditam, & in duodeno præſertim Inteſtino ſuæ dyſcraſiæ vires in Chyli damna exercentem, jam fere ceſſare deberent Cl. Ramazzini querimoniæ contra eamdem Bilem: quatenus in hujuſmodi Hypotheſi Cauſa febrium, & acida eſſet, quamvis conſtituta in ipſa bile, & vix infra Ventriculum (quod illi diſplicere nequit) ſedem haberet.

Scio equidem fore, ſi viveret Vir Cl ut D. Zendrini ſententiam de Febrium Intermittentium ortu, & circuitu minime admitteret, ſaltem ut proficiſcentem a Viro docto quidem, ſed qui de præſtantia, actione, doſi, & uſu Chinæ Chinæ poſt me nuperrime ſcribens, innumera protulit, tum Theorica, tum Practica, Operi meo, ſenſibuſve meis in eodem expoſitis plane conformia: adeoque Scriptore ſibi ſuſpecto: poſſet nihilominus illum a partium quarumlibet ſtudiis immunem ex hoc ſaltem agnoſcere, quod in nonnullis aliis, nec parvi quidem ponderis, pari a me facilitate diſcreparit: licet conſenſus, æque ac diſſenſus ſui, prout liberum Philoſophum decet, nullam omnino rationem habuerit, aut ſcrupuloſam ſolicitudinem. Quod vero in tot aliis mecum coincidat pro tutela, & adminiſtratione Febrifugi optimi, id ejuſdem Remedii præſtantiæ adſcribendum omnibus Profeſſoribus notæ, non literariæ amicitiæ nexui inter nos exinde ſuborto.

Sepoſita itaque illius auctoritate Clariſſimo forſaſſe Ramazzino ſuſpecta, ſeponamus quoque omnem conſiderationem de quovis concurſu Bilis ad Febres Intermittentes, & de quacumque illius dyſcraſia, & motu, tam fermentativo, quam progreſſivo &c. quem progreſſivum laudatus D. Zendrinus Circularem ſtatuit, Venarum Meſaraicarum ope, fretus experientia Reverhoſt, aliorumque nonnullorum Anatomicorum, præeunte Borelli ratiocinantis conjectura. Eos tamen (ut hoc obiter innuam, unde aliquando ſperanda ſolutio non contemnendi Problematis) eos inquam rejecit in ſua Hiſtoria Hepatica anno 1711. edita accuratiſſimus Anatomicus, idem pariter & Amicus D. Jo: Baptiſta Bianchi Part. 1. Cap. 11. §. 11. pag. 52. his verbis -- *Multo minus per venas meſaraicas reſurgitur bilioſus hic humor, ut inde per eas in Portam derivatus, hinc per Hepar rurſus in Ductum excretorium, & Inteſtina confluens, Circulationem habeat & ſuam per viſcera Abdominis, æmulam expoſitæ ſalivariæ circulationi per viſcera, & ſanguinem; quantum ferunt Modernorum aliqualium inſomniæ* (& hic aſteriſco notat in margine Jo. Alphonſum Borellum, Nuck, & Reverhorſt) *Nam præterquamquod in Inteſtinorum cavitatem non hiant Meſeraicæ; nil contra Circuitus leges, & animalem machinam deformius excogitari poteſt bilioſo hoc motu circulari; ut vel Medicina initiatis patet.* Hæc citatus D. Bianchi. Amicus ille mihi, Amicus D. Zendrinus; nec dubito, quin utrique, non minus quam mihi, amica futura ſit Veritas, quotieſcumque eorum alterutri contingat, illam e tenui, qua etiamnum obvolvitur caligine, educere. His ergo dimiſſis omnibus, mihi potius eſſet e re, Hypotheſim ipſam Cl. Ramazzini de ſalſo acido

Fermento febrili propius examinare. Eam nihilominus in pluribus quidem fortaſſe non contemnendam, ſed quæ ſuos in plurimis aliis patitur Manes, ego hic in obſequium Defuncti minime vellicabo; ne videar, ut ab exordio jam dixi, velle me luctari cum Larvis.

Id unum rurſus diſquiram, ſi liceat; quo nempe jure dicatur hic China China corrigere Fermentum *acidum*, aut *falſo acidum*, tamquam *Cauſam* Intermittentium Febrium, cum ex adverſo §. 14. dictum fuerit a Viro Cl. *humorem atrabilarem*, *ſeu melancholicum* (qui dubio procul ſtatuitur *acidus* ab admittentibus hæc, & ſimilia Veterum commenta) *non auſculsate huic Febrifugo*. Quod ſi vere China China agat in Febres Intermittentes, eaſque depellat, in quantum *Fermenti febrilis ſalſo-acidi morboſam craſim invertit, & ad novos motus febriles excitandos impotentem reddit, totamque vim ſuam exerit intra ventriculum* (quem nullo pacto irritat, aut lædit, ſed præ amatore ſuo potius roborat) *parum vero, aut nihil operatur in aliis locis extra ventriculum*, ut modo conjicit Vir idem Cl. profecto nescio, quo pacto ea per modum operandi tam blandum, tamque tutum, cujuſmodi eſt ſimplex immutatio Craſis Fermenti febrilis ventriculo inexiſtentis, poſſit de tot noxis alibi recenſitis ſuſpecta reddi, ac dici *ſanguinem figere*, viſcerumque *Obſtructiones*, & *Cachexias* inducere; cum *ad loca extra Ventriculum* ſita non extendatur, ex ejuſdem Viri Cl. effato, illius activitas.

(*c*) (*Primo Periodica, poſtea Continua &c.* Quotieſcumque Febris primo Intermittens, mox Continua *recenter* facta (de illa enim quæ continuitatem eſſentialem adepta jam ſit, mihi ſermo non eſt) quotieſcumque, inquam, Febris hujuſmodi poſt aſſumptam doſim congruam Chinæ Chinæ, *ad plures adhuc dies perſtet, & tantum paulatim ſolvatur*; ultro concedo, ne quicquam admirandi contingere in curatione illius hoc pacto peracta, nec Chinam Chinam mereri, ut illi adſcribatur ſanationis gloria, tamquam iners, & effœta ea fuerit; quemadmodum pluries protuli in Tractatu meo, videlicet pag. 247. 566. 280. & 281. Aſt in hiſce Febribus, *continue* quidem (ut nuper ajebat ex Sylvio Cl. Simonius) Ægrum vexantibus, ſed non ideo vere *Continuis*; in quibus nempe viget adhuc primæva Intermittentium conditio, ipſumque adhuc prævalet Periodicarum ſpeciale Fermentum, etſi paroxyſmorum confuſio veram continuitatem ſimulet; in hiſce inquam Febribus, ſive mortem proximam, ratione cujuſdam adjuncti pernicioſi Symptomatis, ſive acutam, malignamve metamorphoſim, hinc & mortem quoque, ſeriuſcule ſaltem, minitantibus, exhibito, ut decet pro varia caſuum exigentia, Peruviano Cortice, non *paulatim*, ſed *illico*, nempe intra biduum, aut triduum ſuccedit ſalus, æque ac ſit in veris Intermittentibus, ut late dixi in reſponſione ad §. 53. lit. c.

Id autem evenit (ut me rurſum nonnihil explicem) quia in iſtiuſmodi febribus per accidens tantum, hoc eſt per productiones, aut intempeſtivas renovationes, & communicationes paroxyſmorum *Continuis* redditis, non fermentum quoddam ſanguini *ingenitum*, quod Cortici refractarium eſt, peccat, ut in *Continuis* ab origine talibus; ſed illud tantummodo, quod eidem ſanguini per crebras, & repetitas vices aliunde accedit, nec tamen qualibet vice integre abſumitur, ſed ſecundum quaſdam ſui portiones haudquaquam ſubactas paulatim in ipſo cruore contubernales agit radices, minime tamen indigenas; unde aſſidua, ſed præter ordinem incidens, febrium protractio. Hujuſmodi idcirco radices nondum firmæ, ſive iſtæ fermenti *extranei* reliquiæ ſenſim aggeſtæ, haud difficulter evelluntur ope Corticis, etſi fortaſſe in illas non immediate amplius agat ipſemet Cortex, ſed ſolum mediate, quatenus nempe ſuppetias, unde alimentum trahunt, & quo per interceptionem paroxyſmorum ſublato areſcunt illæ, omnino prohibet, arcet, ac deſtruit: adeoque conſecutione quadam ipſam febrium etiam exitialium *fortuitam* continuitatem quam cito, ac plane admirabiliter delet, ut fuſe, ſatiſque, ut reor, dilucide explicare hæc omnia conatus ſum pluribus in locis Therapeut. meæ, præſertim Cap. 6. & 8. Lib. 1. Cap. 3. Lib. 5. & alibi.

Quod ſi miranda hæc non obſervavit Cl. Auctor; neque mirum mihi, ea non fuiſſe illi obſervata: ſi enim in ſaniori ætate nullo pacto in Febribus quamcumque continuitatem adeptis, exhibuit unquam Peruvianum Corticem; in juvenili vero nondum mos invaluerat, præſertim apud nos, uti Febrifugo hujuſmodi, aut hiſce *caſibus* aut hiſce *modis*; quandonam quæſo potuit ille quicquam *admirandi* obſervare in hac materia? Si tamen non obſervavit, aut ſe obſervaſſe non meminit, ne in Curationibus quidem eo mihi ſocio abſolutis; id ſaltem facile poterat in Hiſtoriis meis obſervare, toto ferme Libro quarto deſcriptis, ipſoſque reſtitutos Ægrotantes etiamnum bene valentes interrogando pro libito, de *citiſſima* illorum poſt aſſumptionem Corticis ſanitate acquiſita, ore ipſo tenus certior fieri.

§. XLVII.

DUM hæc ad Te scriberem (*a*) *allata est mihi Epistola*, quæ funestum casum Comitis Torricini, Serenissimi Ducis Guastallæ Ministri, referebat. Vir iste parva febre laborare cœpit, ut vix annotationem sensibilem haberet; modico Cassiæ a Medico familiari purgatus est, ac alterantibus ad universalem purgationem disponebatur. Medicus alter majoris auctoritatis accessit, qui Chinam Chinam proposuit, ut ægrum ad solitum ministerium, quam primum remitteret, reposuit alter sibi non satis tutum videri impurgato Corpore hanc febrem velle abolere, sed prævaluit consilium, quod citam sanationem pollicebatur. Exhibita China China, modo in tota substantia, modo in vino infusa, sed parum fausto successu, augebatur enim febris in dies, facta manifeste continua, sed die 20 nequitiam suam aperte prodidit: vocati illico e vicinis regionibus alii Medici, sed Vir ille inter Medicorum controversias misere oppetiit. Casus hujusmodi, hic & illic identidem occurrentes, (*b*) *sive ob remedii* improprium usum, sive ob ejusdem occultam malitiam, in causa sunt, ut Peruvianus Cortex a Doctis Scriptoribus, veluti (*c*) *Vvillisio*, *Ettmullero*, titulis parum honorificis vocitetur.

(*a*) (*Allata est mihi &c.*) UT Mutinam corrigat Cl. noster Auctor, Guastallam plectit; parcitque nemini, ne parcat Cortici. Mihi quoque allata fuit haud absimilis Epistola, funestum videlicet eundem eventum apportans, data sub die 17. Novembris anni 1713., octo nempe vix elapsis diebus ab obitu Nob. illius Viri. Annexa insuper aderat historia Morbi, quotidianum tum Febris, tum Curæ progressum describens, & quatuor Assidentium Medicorum nomine firmata: quæ quidem in pluribus non exigui ponderis circumstantiis discrepat a narratione summaria Viri Cl.. Meum non est hic inquirere (mihi etenim, etsi super hac ipsa re expresse requisito, semper a munere Judicis abstinendum duxi) meum, inquam, non est inquirere solerti indagine intimam naturam, aut speciem illius Febris, neque accidentia omnia eam concomitantia, quæ oblationi Corticis ansam, ut reor, rationalem præbuere. Hujusmodi enim examine minime prævio, culpa semper vocare dixerim Corticem etiam inutiliter oblatum; quin & præscribentes Medicos, qui auxilium suapte natura tutum, quamvis incassum (ut persæpe aliis remediis adhibita fieri solet) rationabiliter tamen tentavere, præeunte Mortono, aliisque Scriptoribus, præsertim in circumstantiis prævisi forsan exitus, cæteroqui etiam funesti: qua de re Apologeticam propediem edendam esse ab iisdem curantibus Medicis, vel eorum saltem nonnullis, Responsionem ad hæc ipsa Cl. Ramazzini objecta, haud obscure subaudio. Quæ cum ita sint, nequeo non admirari in Cl. Auctore rem confidentiæ, & animositatis plenam dum ipsum tam lubrice, tamque præcipiti lapsu irruere intueor in damnationem illud judicium suum adversus Viros illos egregios curatione functos, quos aperte redarguere videtur imperitiæ, aut ignorantiæ: quasi ex ipsa Corticis oblatione mors Ægrotantis emerserit, nempe, *vel ob remedii*, ut subdit in contextu, *improprium usum*: en imperitia Praxeos; *vel ob occultam ejusdem malitiam*: en ignorantia Botanices; vi cujus eos fefellit *occulta malitia* Peruvianæ Plantæ, Cl. Auctori, quippe doctiori aprime nota.

At (bone Deus!) culpari equidem quandoque solet de morte Ægrotantium, etsi sæpius etiam immerito, Remedium aliquod ex se tumultuosum, & magnum, videlicet in corpora nostra sensibiliter, ac fortiter agens. V. G. Purgatio, aut Venæ sectio, tunc cum Æger, cæteroqui haud multum graviter habens, statim a Purgatione, aut Venæ sectione ruit in præceps ac moritur. Sed cum ab assumpto remedio nullam molestiam, aut turbationem sensibilem inferente, morbus stadium suum ad plures, & plures dies pro more absolvit, donec Ægrum sensim tabescentem conficiat, ut in casu, de quo agitur; magna profecto confidentia est asserere, ejusmodi remedii culpa Ægrum periisse: quasi, ut ajebam in Therapeut. mea, idem sit mori post assumptum, imo longe post assumptum, ac propter assumptum remedium.

Cœpit autem hic offerri China China in

ſubſtantia ad drachmam tantum nona morbi die : cum ſcilicet Febris jam ſenſibiliter ingraveſcebat , adeout vererentur Medici , ne oneri diutius ferendo par eſſet Ægrotus ; impoſuitque terminum remedio in ſubſtantia oblato die duodecima . Subſtituta equidem fuit die 13. tinctura ejuſdem Chinæ Chinæ ; ſed & hæc ſtatim omiſſa . Interim circa undecimam Febris mitescere viſa fuerat , apparentibus in urina coctionis ſignis ; iraut in fine duodecimæ Medicus noviſſime ſuperaccitus Ægrum a Febre immunem aſſeruerit . Subinde tamen ſenſim recruduit morbus , qui vigeſima tandem die Patientem gravi ſenio , laboribuſque confectum ſuſtulit .

Hæc omnia me docuit recenſita curantium Medicorum *omnium* Relatio . Cur igitur lentus , ac ſerior Ægrotantium interitus Cortici imputatur antea exhibito , cum eidem Cortici recenter oblato non adſcribatur unquam , me quoque conſentiente , lenta , ſeriorque ſanatio ? Cur illi potius hæc culpa tribuitur , quam Mannæ (fuit enim *Manna* oblata , non *Caſſia*) vel ſanguinis miſſioni , aut omiſſioni illius , quoniam de hoc præſidio Narratio ſilet , vel Confectionibus , aut Elixiribus calidioribus , vel Bezoartico Lapidi , vel Vino , vel Aquæ , quorum utrumque controvertebatur , vel aliis omnibus , quæ uſui fuere , inſontibus quidem , ut reor , ſingulis ; ſed jure potiori a rigido quopiam Cenſore culpabilibus ? Memini me dixiſſe alias , Corticem Peruvianum tunc ſolum forſan obeſſe poſſe , cum ſuas exerit vires , & Febrem ſiſtit , ſed *depuratricem* ; quam nempe ſatius eſſet protrahi diutius . At cum Febrem nequit ſiſtere , ut nequivit hoc caſu , cur eam dicamus detteriorem feciſſe ? Anne meliorem feciſſet , quæ Chinæ Chinæ in augmento morbi , abſentibus coctionis ſignis , & tendente ad urinæ vias excretorum motu , præferebatur , aut illi præmittenda proponebatur nova purgatio ? Minime gentium certe . Cortex ergo nec Febrem , nec Ægrum ſuſtulit . Si Febrem fugaſſet , Cl. Auctor *illam optaſſet rurſus , ſed fortiorem , remedii loco* . Non fugavit , nec prohibuit , quin paulo poſt fortior fieret . Voti ergo compos abunde factus , quid Cortici iraſcitur , qui & Cardiacis , & Bezoarticis , & Febrifugis Veterum , & Febri ipſi medicatrici locum , ac tempus de more ad curationem ſufficiens conceſſit , forſan & impetravit ?

Hæc contigere dum ſcriberet Vir Clariſſimus : dum autem ipſe hæc referiberem ; imo potius dum anceps adhuc hærerem , an ſcripta hæc ante ſpatium trimeſtre jam condita promulgarem , *allata eſt mihi Epiſtola* , quæ caſum , nedum periculoſum , ſed & præcipitem D. Auguſtini Tomaſii , Plebis Maſſæ Finalenſis Archipresbyteri referebat . Vir iſte die 21. Junii 1715. Tertiana Febre laborare cœpit ; quæ primo acceſſu *vix ſenſibilem frigoris annotationem habuit* , eademque penitus caruit acceſſibus ſubſequentibus . Tertio paroxyſmo brevem , quam antea præſetulerat , apyrexiam amiſit , continua duplex jam reddita , cum anxietate , & inquietudine maxima , ſiti inexplebili , lingua ſcabra , urina crocea ; craſſa , pauca , & lixiviali ; uſque tamen periodum ſervans , exacerbationemque , ac remiſſionem , quantumvis obſcuriſſimam . Admonitus ego , ut ſupra , per litteras D. Morandi Medici curantis de periculo Decumbentis Viri mihi conjunctiſſimi , illuc confeſtim transferor die 29. ejuſdem menſis , hora ipſa invadentis , ſeu potius recrudeſcentis quinti paroxyſmi .

Tam gravis fuit hujuſmodi exacerbatio , ut inde vita Ægrotantis in manifeſtum diſcrimen fuerit adducta : ſiquidem præter Symptomata prænarrata ſupervenit ſudor circa brachia , collum , & frontem ſubfrigidus , copioſus , virefque ſumme dejiciens , qui licet ad femora tandem nonnihil pertingeret ; nihilominus Febrem quam minimum levabat . Pulſus tuno temporis parvus factus eſt , & inæqualis , reſpiratio anheloſa , urina ferme nulla , ſubortuſque tandem Singultus . Priuſquam tamen is patenter ſe proderet , quod mox contigit Corticis Peruviani drachmas tres ex Aqua Card. b. potandas exhibui hora quinta pomeridiana . Sex horis elapſis , miction copia inſignis , colore vero , & conſiſtentia laudabilis ſubſecuta eſt ; quod animum addidit ad duas iterum drachmas ejuſdem Corticis ſtatim ex Vino tenuiore offerendas ; horas nempe noctis tertia . Mane hora undecima , nova drachma oblata eſt pariter ex Vino tenui ; & hora vigeſima , alia iterum drachma : tandemque , poſt adminiſtratum Euchariſticum Sacramentum , conſimilis alia mane diluculo ſequenti die , quæ majoris afflictionis dies eſſe debuerat . Sed dum in uſum duceretur remedium , res omnes horridam , quam præſetulerant , faciem adeo inſigniter mutavere , ut intra triduum , ea ſcilicet ipſa die , qua id futurum prædixeram , Febris abierit , circa ſimul erumpente urinæ copia . Repetitum eſt nihilominus , poſt biduum vacationis omnimodæ , idem Febrifugum ad præcautionem (ſi dicere liceat ſine Cl. Auctoris ſtomacho) ad *prophylaxim* , quandoquidem omnis jam Febris evanuerat ; primo quidem ad drachmas duas , die tertia Julii ; poſtmodum ad drachmam tantum , duobus ſubſequentibus diebus : tandemque , interjecto octo dierum ſpatio , rurſus oblatum eſt Remedium ad drachmas duas die 15. ejuſdem menſis , deinde ad Semidrachmam per quatuor dies ſucceſſivos . Atque ita conſumptis trium hebdomadarum curriculo unciis duabus Chinæ Chinæ , Æger , tum ſtatim ab omni Febre liberatus eſt , tum paulatim ab omni relapſu præſervatus .

Cuncta hæc teſtari poſſunt Viri Docti , & ingenui Finalenſes Medici , D. nempe Morandus curans , & D. Manfredus , qui pro ſua humanitate me ibidem inviſit officii cauſa , ipſumque Ægrotantem graviſſime habentem , ſocio ſibi adjuncto D. Ignatio de

Groſ-

Groſſis, Viro nedum literato, & pluribus nominibus ſpectabilis: ſed & Medicinæ Theoricæ, ac Practicæ haud parum gnaro. An Scriptis Clariſs. Ramazzini circa hiſtoriam Comitis Torricini calculum facile ſint addituri unanimes Guaſtallenſes Medici, ut mea circa hunc Caſum aſſerta prompte roboraturi ſunt, ſi res exigat, Finalenſes; non longa, ut teor, dies oſtendet.

(*b*) (*Sive ob remedii &c.*) Hic pedetentim quæſo. Duplex hæc fovea, -- *Sive ob remedii improprium uſum, ſive ob ejuſdem occultam malitiam*, -- eo non eſt, ut uno ſaltu queat tam facile tranſigi: diſtant enim non parum hæc duo ab invicem. Oportet ergo omnino diſtinguere inter *malum uſum*, & *malam occulte naturam*. Primum, quod ex præſcribentis imperitia procedit, conceditur obeſſe poſſe; debitis tamen additis limitationibus, ut pluries effatus ſum. Secundum gratis omnino, etſi dubitative, hic prolatum, minime admittitur: nec niſi cum aliquo propriæ exiſtimationis, ac ingenuitatis detrimento, poteſt quiſquam viriliter aſſerere, quod clam, & occulte noceat id, quod evidenter, etiam quandoque cum minus appoſite uſurpatur, prodeſt. Innocentiam intrinſecam Chinæ Chinæ ſatis me probaſſe puto toto ferme Libro primo Therapeutices meæ. Sed, & poſt eam edictam ſancte teſtari poſſum, me in nonnullis caſibus plane incurabilibus Morborum quorumdam, non febrilium quidem, ſed periodo nihilominus aliqua recurrentium, aut recrudeſcentium, præſertim de genere convulſivo) experiundi cauſa quod a pluribus Claſſicis Auctoribus ſuadetur (etſi mihi minus credulo minus pariter probaretur) præſcripſiſſe Corticem Peruvianum ad plures dies quotidie, modo ad drachmas duas, modo ad ſeſquidrachmam, modo ad drachmam, aut ſemidrachmam; ita ut tractu temporis modici, puta duarum hebdomadarum, conſumptæ fuerint unciæ duæ, aut tres ejuſdem Corticis; nihilque incomodi, aut damni Ægrotantes hujuſmodi fuiſſe paſſos, etſi fuerint imbecilles, conſumpti, & ad maraſmum uſque perducti: imo potius eorum nonnullos, non omnes inſignem, & immediatam opem reportaſſe præter ipſam expectationem meam. Et quamvis, fateor, haud diutinum fuerit levamen iſtiuſmodi, cæteroqui conſpicuum; deinceps tamen longe levior, & tolerabilior evaſit conſueta morbi recrudeſcentia: eaque ipſa, cum recurreret, novo ſemper uſu Corticis miteſcebat.

Quid ſimile pluries contigit *D. Comitiſſæ Barbaræ de Stoffis*, cujus infrequentem æque ac diuturnam ægritudinem hic per tranſennam innuere, haud inopportunum crediderim. Laboravit hæc ad duos annos, nec dum tamen laborare deſiit peculiari quodam convulſivo Aſthmate, cujus paroxyſmus ſtatis horis *quotidie* a prandio recurrebat, per octo circiter horas ferociter perſeverans, cum ferina, ſiccaque tuſſi, interceptione loquelæ omnimoda, contractis digitis, convulſis oculis, tenuique, brevi, ac interciſo ducto, erecta licet perpetuo cervice, difficulter ſpiritu, In vigore paroxyſmi attonita, & ferme immobilis evadebat, poſt ejuſdem paroxyſmi ſolutionem qualemcumque actorum circa eam immemor, quippe omni fere ſenſu tunc deſtituta. Macilenta proinde reddita erat inſigniter (præter morem obeſi cæteroqui plurimum habitus ſui) quo ad partes omnes ſupra abdomen, cum articulorum dolore, ac duritie, imo & oſſium pectoris nonnullorum diſtorſione inæquali: tumida æque inſigniter, ut aſſolent leucophlegmatis affecti, quo ad inferiores. A ſolo ferme uſu Corticis admodum liberali, cum amplius par non eſſet ferendis paroxyſmis, in ipſo mortis agone illam conſtituere ſæpe viſis, auxilium præſentaneum incantamenti ad inſtar, ut Galenus loqui conſueverat, retulit ea non ſemel. Redibat tamen, ſed admodum mitior, poſt modicum temporis morbus, irrita remedii repetitione, a cujus uſu propterea, ceſſante ſenſim inſimul occaſione, congruo parto aliis quoque remediis loco, jamdudum ceſſavit; eo uſura tantum in majoribus; ſi forte redirent, anguſtiis. Nunc temporis, in ſtatu licet valetudinario verſetur jugiter, atque nonnihil ægrius ſit illi ad veſperas quo ad tuſſim, & quo ad ſpirandi modum, nec niſi elata cervice queat decumbere in lecto, & quidem ad aliquot tantum horas; illam tamen, quantumvis adhuc excarnem, ſed in artubus pariter inferioribus talem, nec amplius tumidam, revixiſſe dicunt quotquot laborantem videre: quod & ipſa late fatetur teſtaturque cunctis domi, & non raro extra, matutino tamen tempore, ac feſto quoque die, illam inviſentibus. Sic citra omnem noxam, imo non citra levamen evidens in circumſtantiis adeo difficilibus liberaliter uſurpatus eſt Cortex: ut ſileam exuberantem hujuſce remedii conſumptionem, quam in nonnullis Europæ provinciis fieri notum eſt abſque eo quod ulla, quod ſciamus, reclamet inſignis, quæque famam excitent adverſam, experientia.

Et ne longe ab hac Urbe recedam, recens aliud hic proſtat exemplum in Sene jam ferme nonagenario, *D. Sebaſtiano de Gherardis*, qui ante biennium Quartana Febre correptus epoto Peruviano Cortice, brevi, & facile ſanatus eſt. Admiratus ille hujuſmodi Pharmacothejon, ſponte ſua deinceps, & abſque Medici præſcripto, identidem cœpit idem remedium aſſumere: quo in hanc uſque diem (parum abeſt, quin aſſidue) uſus, & in poſterum conſtanter, ut aſſerit, ſemper uſurus, firmiorem ſibi

ſibi ſuadet ſe comparaſſe, & poſthac comparaturum valetudinem. Tantum abeſt, ut noxam ullam ex *occulta*, quam metuit Vir Clariſs. illius *malitia* perſentiat. Noxa igitur omnis, quæ huic Febrifugo poſſit attribui, ſola erit Febrium *immatura* ſuppreſſio; quas ſi ideo nunquam ſupprimendas velit, niſi cum periculum, ne anceps quidem, ſed certum, & inevitabile imminet, parum refert: neque enim quicquam plus a Medico exegerim ex debito officii ſui, etſi quid amplius conſulam ex abundanti cautela.

Hujuſmodi ergo eſt, quam hucuſque ſum perſecutus, & quæ toties objicitur Peruviani Corticis *malitia occulta*, *& pernicialis noxa*. Sed abigatur tandem muſca hæc importuna,

Quæ quamvis de pelle Viri ſit ſæpe repulſa:
Aſſultat morſura tamen, --------

ut cecinit Homerus; turpiſque demum hæc, & malitiam habens minime occultam (loquor de malitia phyſica, nempe de falſitate, non de morali) diluatur objectio, paritate ineluctabili adducta, ſique judicium apud ipſos Peruviani Corticis Obtrectatores. Eja, ſit hoc Febrifugum, vel poſſit eſſe *nevium*, tum ob *improprium uſum*, tum ob *occultam* ſimul *malitiam*, credaturque illi ineſſe hæc ipſa malitia, & hæc noxa, quæ nobis occulta eſt, cum vere nulla ſit, ſoliſque forſan appareat Adverſantibus. Quid inde? Illam certe non ſemper exerit; mille enim ſaltem homines in una hac Urbe, quæ Criticæ hujus Diſſertationis ſubjectum eſt, & ubi a duodecim annis præſertim, Deo dante, perfectiſſima, & inculpata viget univerſalis ſalubritas; mille inquam ad minus homines in una hac Urbe videre eſt, ex variis Febribus periodicis, a variis itidem Medicis una China China curatos, modo a duobus, modo ſeptem, modo a quindecim, modo a viginti retro annis; & quidem diverſi inter ſe ſe temperamenti, ætatis, & ſexus, omnes vero etiamnum penitus incolumes: pluresque etiam illorum ab ea curatione nullo amplius morbo tentatos: argumento ſatis firmo, & cuicumque ſocium interroganti facile obvio, quod remedium iſtud ſæpe ſæpius *occultam*, quam dicitur habere, *malitiam*, non exerit; imo quod illam (datis etiam vanis probationibus ex adverſo allata) exerit rariſſime, ſi a ſeptem luſtris in hanc uſque diem Clariſs. Ramazzinus, omnia callens hujuſce Civitatis in hac materia, vix ſex, aut ſeptem fallaciſſimos Caſus, minus, ut autumat, felices, novit colligere, aut explicari, ſed ea ſorte, qua quis Anguillas prehenſas ſibi a manibus præ lubricitate elabi mox videt. Ergo, infero (etſi paritas hæc ſit prorſus injuria Chinæ Chinæ longe magis inſonti) infero inquam: ergo ad ſummum noxia eſt China China, *& ob improprium uſum*, *& ob occultam malitiam*, ſolummodo ut noxia ſunt, & propter *improprium uſum*, & propter *malitiam occultam*, ſeu mavis *patentem*, inter Chirurgica quidem Remedia *Venæ ſectio*, inter Pharmaceutica vero *Purgatio*; imo & præter hæc, *Narcotica* omnia, *Diaphoretica* vere talia &c. ut & inter extrinſecus appoſita, *Veſſicantia*, *Cauſtica* &c. Ecquis enim tam perfricatæ frontis erit uſpiam profeſſor Medicus, qui huc audeat inficiari, & Chinam Chinam hiſce remediis magis ſuſpectam, aut periculoſam aſſerere?

Si liceret ſubducere calculum Ægrotantium omnium, quibus obfuit Venæ ſectio, & Purgatio, remedia adeo decantata, ſed in Morbis quibuſdam, præſertim Acutis, adeo controverſa, puta in Variolis, in Febribus Particularibus, & tot aliis, ubi agitur immediate de Corio humano; præponderaretne, quæſo, ratione inita, illorum clades, quos Chirurgi Plebotomon, vel Crater Pharmacopolæ, vel etiam obductus auro ſoporifer Bolus de medio ſuſtullere: an eorum, quos China China inique dicitur interemiſſe? Certe pauci occumbunt, quibus ægrotantibus præſcripta non fuerit Venæ ſectio, aut Purgatio, quamvis ſæpiſſime non ob id vere obierint; nonnumquam tamen ob idipſum quoque. Paucos vero ex iis interire obſervamus, quibus China China exhibetur; nec unquam profecto ob eam aſſumptam. Patet hoc ſatis ex Therapeutice mea, in qua candide eorum hiſtorias expoſui, qui toto Vitæ meæ decurſu in difficillimis jam, graviſſimiſque circumſtantiis poſiti, eoque remedio, fruſtra illud me præſcribente, tractati obiere, cum contra mille ſubticuerim feliciter eodem ſanatos in circumſtantiis facilibus: patetque adhuc magis ex Diſſertatione ipſius Clar. Ramazzini, tot propitiis caſibus a me allatis nil in ea valentis reponere; res enim ipſa loquitur: tam paucos vero, quodque magis refert, tam vanos adverſi exitus opponentis. Cur ergo uni Cortici imputabitur mors paucorum graviſſime certe jam habentium; non ita vero Phlebotomiæ, Purgationi, aut Narcoſi mors innumerorum ſæpe non tam graviter affectorum? Sed infauſtos eventus, quos peperit *Phlebotomia*, aut *Purgatio*, propter aſſuetudinem *ſine rumore terra obtegit*.

Anne vero, ob fortuitos hujuſmodi funeſtos caſus, contra Cathartica, Venæ ſectionem, Opium &c. Invectivæ acerbiores erunt ejaculandæ, quam contra Piſonem, Verrem, aut Catilinam vibrarit Cicero? Et tamen non longe abſimiles in hac Diſſertatione vibrantur contra Corticem Peruvianum; qui nihilominus (etiamſi tractu temporis illum nocere poſſe pertinaciter quiſpiam contendat) prodeſt certe ſtatim ac uſurpatur:

tor: cum ex adverso Phlebotomia, & Purgatio, quæ ex Clariss. Auctore *humani corporis machinam infirmant potius quam confirmant*, statim certo debilitent: sitque in ancipiti semper, an in posterum sint profuturæ. Quocumque ergo modo noxia dicatur, aut suspecta China China; cum tamen semper minus noxia, & suspecta illa sit, aut saltem non magis, quam Purgatio, & Venæ sectio; sitque ea sæpius, atque etiam magis, quam Purgatio, & Venæ sectio proficua (Febres enim quamplurimas pernicioſas sæpissime sanat, quas minime novit sanare Catharsis, aut phlebotomia) eadem saltem fiducia, imo longe majore, debet illa in usum posse revocari, ac revocantur quotidie, secundum rationem quidem, atque utplurimum citra dissidium, celeberrima illa duo, & alia quævis methodica Artis præsidia.

(c) (*Villisio, Ettmullero &c.*) Quam decenter, quam candide virtutem febrifugam, utilitatemque Peruviani Corticis a septem jam lustris fassus sit Ettmullerus pluribus in locis (pro ratione saltem eorum temporum, & proprii usus non adhuc plane completi) vidimus nuper §. 35. Cunctatio illius alicubi nonnulla; tum ob suspicionem *intempestivæ* oblationis, ac præcise eo quia minus tuto offeratur remedium *invadente*, quam *recedente* Accessione; tum ob metum recursus Febrium, ignorata posteriorum temporum methodo tunc vere frequentioris: condonanda penitus Ætati, Tempori, Regioni, & Consuetudini haud satis liberaliter introductæ.

Quam vero favorabiliter de eodem Cortice Villisius scripserit, etsi ante annos abhinc quadraginta desierit vivere; non est cur per extensum referam, cum non paucos illius textus, ab Erasmo Bartholino, & Theophilo Boneto §. 43. lit. f. in laudem ejusdem Corticis citatos, nuper viderimus. Revera nullus forsan Scriptor primis illis temporibus æquius sensit de hujusmodi febrifugo, quam Thomas Villis, unicum tantummodo Febrium reditum, quem nondum inhibere quis norat, hic illic obtrudens. Interim tamen apertis notis testatur Lib. 6. de Febribus, illud esse *unicum adhuc repertum Febris Quartanæ alexiterion; quod nimirum ipsius, aliarumque Intermittentium paroxysmos, saltem pro tempore, inhibet &c. quod fere in omnibus paroxysmos tollit &c. ita ut vix unus e centum hoc remedium incassum tentarit &c. quod non tantum in Febre Quartana, verum in aliis Intermittentium Speciebus, quibuscumque nimirum apyrexia quadam intercedit, cum fructu adhibetur &c. quod in quibusdam valde imbecillis, & lecto affixis sine prævia pharmacia solitarie sumptum effectus laudabiles procuravit &c. quo denique usi non pauci Quartana laborantes, alacres, & vividi ad negotia quævis expediti degebant, cum secus enervos, & pallidi in languorem, & vitiosum corporis habitum redigerentur*: in quem vitiosum corporis habitum hodie redigi eos autumat noster Auctor, qui hoc Febrifugo in iisdem Quartanis utuntur. Quod si ergo, ut ajebam paulo ante, tum Villisius, tum Ettmullerus de Febrium recursu perpetuo suspicantes, hujusmodi nihilominus curationem, tunc temporis veluti *palliativam* ab ipsis creditam, non modo non respuebant, sed admittebant libenter, & laudibus prosequebantur, ubi tantum *morbi diuturnitas, fractæ vires, appetitus dejectus*, & ad genus alia idipsum suasissent; quanto libentius hodie, si essent in vivis ipsius Febrifugi usum feliciorem admitterent ad Febres, tum *Intermittentes*, tum *Subcontinuas*, vel *Malignantes*, vel jam *Malignas*, & *pernicioſas*, nullaque alia tandem arte, aliove remedio sanabiles?

§. XLVIII.

(a) *Sed ex his*, quæ hactenus de Peruviano Cortice diximus, nolim quis inferat, velle me ex albo Medicaminum Chinam expungere; absit hoc, habeat suos usus remedium istud, beneficium quod afferre potest, ab illo excipiamus, & malo, quod interdum ex illo consequitur, bene uti discamus; periti Nautæ ventis etiam adversis aliquando portum fortiter occupare norunt. Illius usus sit qualis est Opii, quod magnum est dolorum sedativum: in doloribus nephriticis, colicis, podagricis, aliisque similibus singularem beneficium ab Opiatis habemus, non quod morbi causam tollant, sed quia gravia symptomata compescant, vigilias scilicet contumaces, & spirituum dissipationem, interim reparatis per somnum viribus, morbi causa auferenda propriis remediis. At quia scimus, quod ubi vis Opii expiravit, redi-

turos priſtinos dolores, an rurſus altera die repetenda opiata ad prophylaxim ? Nemo prudens Medicus id aget, ſed ægro petenti, & inſtanti denuo idem remedium offerri, reluctabitur, ne morbi cauſam figat, & contumaciorem reddat, Opiata enim ea cautione ſunt exhibenda, ut e ſomno excitare poſſimus, quem obdormire volumus. Mehercle ſi papaveris virtus nobis ignota eſſet, aut Plantam hujuſmodi Europa non aleret, ac ex Indiis ad nos deferretur ſuccus concretus, cujus grana tria vel quatuor paucarum horarum ſpatio doloris quoſcumque graviſſimos ſedarent, ut poſt aliquem ſomnum ad analgyſiam devenirent, majori certe admirationi eſſet talis planta, ex qua haberetur tantarum virium ſuccus, quam Cortex Chinæ Chinæ, quæ exhibita præſentem febrem non tollit, ſed eam quæ altera die erat reditura. Sicuti ergo compoſita ex Opio a prudenti Medico non exhibentur in vehementia dolorum, niſi ad obtinendum aliquod intervallum pro virium reparatione, ita ut diximus, ad eumdem finem obtinendum admittendus, & laudandus Chinæ Chinæ uſus in febribus præſertim intervallatis. (*b*) *Aſt quotidie*, ac plures in die larga doſi, ut iſtic fieri ſolet, in febribus, quæ maligni aliquid præferant, amaris potionibus Chinæ Chinæ in vino infuſæ, miſerum ægrum conficere, (*c*) *id eſt quod periculoſum*, & omnino empiricum exiſtimo.

(*a*) (*Sed ex his &c.*) Poſt præmiſſam Rhetoricam Præfatiunculam, concludit tandem medice Clariſs. Auctor, omnem uſum Chinæ Chinæ, cujus doſim taxavit jam §. 8. ad drach. unam, vel duas, ad unicam quoque oblationem reſtringi debere : neque repetendum eſſe ad prophylaxim remedium ; quemadmodum ſedatis per Opium doloribus, *altera die rurſus repetenda non ſunt ad prophylaxim Opiata*. Hac occaſione virtutem ejuſdem Opii admirabiliorem, & præſtantiorem prædicant, ac ſit Chinæ Chinæ virtus : cum tamen §. 4. virtutem Opii tantummodo *ephemeram* dixerit ; *beneficium vero Chinæ Chinæ non tam paucis diebus claudi*. Inſuper haud ignotam hic nobis ſupponit virtutem Opii, quippe *Europæi* Papaveris ſobolem ; ignotam vero virtutem Chinæ Chinæ, quippe Plantæ *Americanæ* ; cum tamen æque ignotus, aut controverſus ſit modus, quo agit Opium, ac modus, quo agit China China ; & æque notum ſit, Chinæ Chinæ virtutem eſſe Febrifugam, ac eſſe narcoticam Opii virtutem. Hæc quidem leviora ſunt ; ſed ſibi de more contraria. Contrarium nihilominus huic aſſertioni de non repetendo ad prophylaxim Febrifugo magis eſt, quod Orat. 3. Jatrici Argum. docuit idem Clariſs. Auctor, ubi in Collatione Textuum lit. K. L. M. ubi nempe longe meliorem factam eſſe ait *Febrium doctrinam, illaſque curandi methodum, poſtquam hujus Febrifugi uſus innotuit ; nec ſemel tantum, ut olim, ſed plures ad dies illud exhiberi cœptum, donec febrile miaſma ſit penitus exantlatum*. Sed tunc cum ita ſcripſit, annum licet agens 75. & *Dogmata hæc Theorica, & Practica ſtudioſa ſuggerens Juventuti*, in juvenili tamen adhuc ætate forſan & ſemetipſum conſtitutum dicet ; quo tempore *Chinam Chinam*, ut alibi vidimus, *habebat in magno pretio, & in eam affectu ſuo nimis effuſe ferebatur*. Miſſa ergo faciamus, & ut fructus immaturos præfervidæ juventutis ſeponamus quæcumque favens Peruviano Febrifugo ſcripſit ille ad annum uſque 79. ætatis ſuæ ; ſitque nobis hæc ultima Diſſertatio Prototypus unicus opinionis acceptabilioris Viri Cl. in hac materia.

Inquit itaque ille in hoc Paragrapho, *laudandum, & admittendum eſſe Chinæ Chinæ uſum in Febribus præſertim intervallatis, dummodo ea Opii more ſemel oblata non repetatur ad prophylaxim ; ſed tantum ad obtinendum aliquod intervallum pro virium reparatione, unica vice uſurpetur*. Sed neque hoc ſufficit : alia namque ad rectum illius uſum requiritur neceſſaria conditio ex paragrapho 27. depromenda ; ut ſcilicet Medicus, priuſquam *doloſum* illud Febrifugum præſcribat ad intervallum illud temporis obtinendum, *certitudinem* habeat, vel eam ſibi comparet, de novo poſt aliquot dies Febris reditu, alias graviſſime erraret. *Hic nimirum Medicorum eſt error* (ſcripſit ille antedicto §. 27.) *ut ſi Chinam Chinam in hunc ſolum finem præſcribant* (in hunc autem ſolum finem licere Chinam Chinam præſcribere con-

ten-

tendit ille in tota Dissertatione, ut vidimus, & paulo infra videbimus) *ut paucos a paroxysmis dies liberos obtineant, interdum eludantur, Febre amplius non redeunte, sed* (en damnum gravissimum) *tacite corpus depascente*. Id sibi quondam in Nobili Virgini, quæ nonnisi ægre, ac serio a diutino morbo convaluit, contigisse refert §. 26. subdens statim citato §. 27. hæc verba -- *Non absimiles casus alias mihi contigere, ut me pœnituerit hoc remedio usum fuisse*.

Crediderim autem hæc, & similia illi contigisse eo tantum tempore, quo *nimis effuse ferebatur affectu suo in Peruvianum Corticem*: exinde tamen ita profeciisse, ut *in saniori ætate* didicerit modum præscribendi remedium istud cum *certitudine* reditus Febris: secus, deficiente hujusmodi *certitudine*, caro nimis quis emere aggrederetur breves aliquot dierum inducias, si subesset periculum, ne *corpus tacite depastum iret, Febre amplius non redeunte*. Quod autem ita exinde profecerit Clariss. Auctor, ut nonnisi cum *certitudine* reditus Febris Chinam Chinam *in saniori ætate* præscripserit, palam faciunt hæc illius verba, ex §. 8. huc iterum revocata -- *In provectiori ergo ætate experientia edoctus, & observatis noxis a China China prognatis, cautius in illius usus processi, & mediocri solum dosi præscripsi ad drachmam unam, vel duas in Febribus Intermittentibus, quando nimis protractæ ægros fatigarent; in hunc præcipuum finem, ut aliquot dierum induciis impetratis æger recrearetur, & vires resumeret, non sine spe, imo cum certitudine* (hic enim est cardo rei) *Febrem redituram &c. Hæc mea est Methodus, qua in ætate saniori sum usus*. Et ex hac Methodo, atque ex hoc dogmate colligo ego, cæteros Medicos, qui de futuro rursus Febris reditu *certitudinem* non habeant (cujusmodi sunt quotquot in hoc Orbe sunt) etiamsi semel tantum, & dosi unius, vel duarum drachmarum præscribant Peruvianum Corticem, adhuc eo remedio uti non posse sine trepidatione, & suspicione, ne *corpora Ægrotantium tacite depascat Febris latens, nec in apertam flammam forsan amplius eruptura*.

Atque ut in epilogum hac occasione contrahatur universa Clariss. viri Sententia, etsi scripserit ille §. 4. & in præsenti confirmarit, se nec contemptui habere, nec parvi facere Peruvianum Corticem, utpote qui non vulgaria commoda præstat in Medicina; attamen sensim usum illius ad eas redigit angustias, ut tandem ferme penitus feriantem velit. Etenim, ut ordine recenseam, illum neque proficuum censet in *Pueris*, neque in *Adolescentibus* (en pars Virorum non infima) neque in *Mulieribus* (quæ medietatem saltem constituunt humani generis) præsertim vero *Monialibus*, nec in *Puellis*, quæ apud ipsas educantur, nec in *Nobilibus*, aut *Potentibus Viris*, multoque minus in *Principibus*. Item nec in *Temperamentis Melancholicis*, nec in *Pituitosis*, nec in *Hominibus corpulentis, aut habitu propinqui præditis*, nec in *Regionibus humidis, aut aere crasso refertis*, sicut nec *Hyberno tempore*, aut alia quavis *Humida, Australi, ac Pluviosa Constitutione*. His demum omnibus exclusis, *unam* tantum, vel *duas* ad summum illius *drachmas* concedit alicubi; non quidem innoxie, sed *minori damno* usurpandas: at *semel* dumtaxat; cavendo a *repetitione* remedii; easque tandem, ut modo annotavimus, salva conditione *certitudinis* de novo Febris reditu; secus nonnisi cum *damno*, vel saltem nonnisi cum *periculo* exhiberentur. Adeoque (si velimus citra fucum sincere loqui) æque pro Febrium curatione, ac pro earumdem præcautione locum habere poterit, imo & debebit, gravissimum effatum Viri Clariss. Paragrapho finali ab eodem prolatum; videlicet -- *Consilium tandem magis sanum esse, remedium istud natura sua dolosum prorsus omittere*. Hæc est germana Conclusio totius Operis, ut ex supradictis patet; quantumvis *Ex albo Medicaminum se minime expungere velle Peruvianum Corticem*, hoc ipso Paragrapho profiteatur verbo tenus idem Clarissimus Auctor.

Quod si revera aberat ab illius animo inauspicatum istud propositum, quemadmodum tam in præsenti, quam in quarto Paragrapho abunde testatus est; imo si *Beneficium, quod China China potest offerre, ab eadem libenter est excepturus, & male, quod interdum ex illa* (sic ait ipse) *consequitur, bene uti discere etiamnum satagit*, ut in hoc contextu: cur postea beneficium istud, coarctato supra modum usu remedii ad nihilum redigit, & quæ largiore usu parta sunt experimenta felicia, tamquam male, aut temere parta contemnit? Notum est, Artem Medicam consuevisse ex rebus, quæ nullius suapte natura sunt usus; imo & ex deleteriis ipsis Venenis, industri præparationum, & correctionum magisterio salubria identidem medicamenta, quæ Dracones subinde mitigatos vocant, conficere, potius quam illa, etsi vel mutilia, vel absolute nocentia, plane rejicere. Si ergo Viro Clariss. cordi erat *publica solum utilitas*, ut sequenti Paragrapho late asserit, cur quæso medicamentum istud, magna saltem (quod negari nequit) ex parte saluberrimum, ea demum parte, qua noxium reputat, non est conatus ita præparare, atque corrigere, ut dein sine metu, & suspicione posset ad notos saltem, & non etiam meliores usus adhiberi? Atque ut ad specialia descendam; censebatne Vir Clariss. Cortici huic *certe Febrifugo* inesse ulterius vim

quam-

quamdam *figentem*, qua Obſtructiones, & Cachexias tractu temporis poſſet inducere? Cur igitur hanc vim ſibi notam præparatione aliqua delere non ſtuduit, intacta Febrifuga, ſibi, ut fatetur, ignota, adeoque ſecundum illius hypotheſim a figente diverſa? Si vero modum eam vim delendi non norat, cur ſaltem non docuit illam infringere per remedia, volatilitatem aliquam ſubſtantiæ Corticis impertiri apta, vel per aperientia peculiaria commiſta, vel per hujuſce generis alia?

Mehercule ſi iſthæc addere, aut commiſcere fortaſſis erubuit, vel hujuſmodi correctionem tentare, ne Remedium ſuapte natura egregium temerare videretur, memor eorum, quæ protuleràt in Orat. Jatr. argum. ut in Collatione lit. E. F. G. nempe. *Solum Peruvianum Corticem, nobis a divina beneficentia munus conceſſum, ſine alterius rei mixtura, in qualibet Regione, quocunque anni tempore, ætate, ſexu, temperamento Febres ſaltem recurrentes, atque intervallatas fugare, & exterminare, quamquam non defuerint, qui Hieron. hoc picron ex Arbore Vitæ decerptum temerare pertentarit Opio, aliiſque rebus adjectis, ut ſolitis mangonitis vulgo imponerent* -- ſi inquam ob hæc tam clara effata ſua fortaſſis erubuit, Chinæ Chinæ correctionem per hujuſcemodi additamenta tentare, facile ſemetipſum excuſare poterat titulo junioris ætatis; nonniſi enim, ut & nuper innui, 75. annum agebat, cum iſthæc conſcripſit. *In provectiori* ergo *& ſaniori* ultima *ætate* longe aliter ſentiens, libere quoque poterat addere, & Orbi pandere quicquid *malitiam* remedii ſerius detectam valeret infringere. In hoc feraciſſimo Campo ſuam longe melius, & in majorem proximi utilitatem poterat Minervam exercere; innocuiſque experimentis ſedulo inſtitutis, docere nos uſum Corticis ſaniorem adhuc, atque certiorem, aut, ſi ita libeat, etiam tutiorem, potius quam hucuſque repertum, tamque utiliter exercitum, inviſo Abuſus nomine falſo traducere. Satius namque fuiſſet, Remedium ſimpliciter bonum, etſi quadantenus, ut modo autumat, imperfectum perficere, quam ex toto proſcribere; imo & proſcribere, quia nimis efficax, & bonum, nempe quia ſæpe non ad *tempus tantum*, ſed *perpetuo* valet Febrim depellere. Felicia venena Correctorem nacta. Infelix Remedium ultra venena exulare juſſum. Sed magis infelix hominum conditio, quos media China China morti eripere nefas eſt in morbis exitialibus, ob metum ſuperſtitis obſtructionis; cum tamen, eodem metu minime obſtante, liceat paſſim eodem remedio ex præſcripto ipſius Cl. Auctoris, aliquot tantum dierum inducias impetrare in morbis ben ignioribus.

(*b*) (*Aſt quotidie &c.*) Omne igitur crimen, *admiſſo, & laudato* per Cl. Auctorem *Chinæ Chinæ uſu pro virium reparatione*, omne inquam crimen, ſi quod eſt, conſiſtit *in larga doſi ejuſdem Chinæ Chinæ, quotidie ac pluries in die in Febribus, quæ maligni aliquid præferant, exhibita*: quaſi ad libras conſueſcat illa præſcribi (quod tamen liceret, ubi nulla alia proſtaret ſalutis via) & quaſi inter libras illius, & inter drachmas ad ſummum duas, quas ſemel tantum concedit Vir Clar. non detur medium. Alibi, nempe §. 32. & 33. magis determinate locutus ille, improbat *potionem Chinæ Chinæ ad uncias integras in Vino infuſæ pluries in die exhibitam*; quo nomine magis in Methodum Talbotii, vere Corticis uncias in copioſa Vini quantitate acervatim, cumulatimque infundentis animadverteret, quam in meam, vel in Mortoni, aut Sydenhamii Methodum, qui eam tantummodo, qua tunc uti opus eſt, Febrifugi doſim qualibet vice præſcribimus. Sed quemcumque petat ſagillatio iſthæc, vanus eſt ictus; ea ſiquidem, quæ ſubeſt æquivocatio, *apud mulieres tantum, & imperitam plebeculam locum habere poteſt: non apud eos, qui ſapiunt*. Aliunde eſt infundere in Vino, aliove liquore unciam integram, vel etiam uncias integras (ſi ita velit) Chinæ Chinæ, & pluries in die portionem debitam, ac modicam illius exhibere: aliud eſt, uncias eaſdem integras plures in die; ſeu qualibet doſi propinare. Providus Pater Familias plures Vini Congios infundit in Dolio; illud tamen Familiæ diſtribuit ſolum ad Lagenas, & Cotylas, ebrietatem cavens.

Hujuſmodi tamen Methodum, qua nimirum una, vel duæ Peruviani pulveris unciæ, in phiala vino plena infuſæ, partitis hauſtibus exhibentur, quæque in vulgaribus Caſibus, & quandoque etiam in arduis, ſed nonnihil lentioribus, haud inutiliter ſolet adminiſtrari, neque mihi, ut verum fatear, univerſaliter loquendo plane probatur, præſertim in Caſibus præcipitis exitii: non quidem ob inanes haſce Viri Cl. declamationes, molem univerſam hyperbolice commenſas; ſed ob rationes, quas olim innui in Therapeut. mea, tum Lib. 1. cap. 7. tum Lib. 3. cap. 3. præſertim a pag. 146. ad pag. uſque 148. Id enim eſt ſæpe *ad Sacram Chinæ Chinæ anchoram vere nonnihil tumultuarie confugere*, quod plurimi perpetuo hic illic factitant exemplo Talbotii, & aliorum, quodque ſolis nihilominus Empiricis, aliiſve parum expertis vix condonandum, doſi per vices quodammodo fortuita utentibus. Hinc namque identidem fit, ut tunc cum res magis urget, haud ſatis valida ſit; nimis vero, cum minus res poſtulat, doſis remedii.

Hæc

Hæc ipsa dosis magis adhuc incerta redditur, & fortuita ex Mulercularum utplurimum assidentium socordia, liquorem scilicet modo magis, modo minus turbidum (quicquid clamet Medicus) offerentium; adeoque remedii particulis modo magis, modo minus imprægnatum. Ex qua sola inæqualitate, inverso nonnunquam ordine instituta, cum labitur occasio præceps, periclitatur non raro, nonnunquam & perditur, quæ cæteroqui servari poterat, hominis vita; tumque incassum solummodo dicitur oblatum remedium, cum potius dici deberet oblatum & perperam. Medicus ergo Navis hujusce Palinurus, præscribat quoties, & prout opus est, dosim certam, certis quoque temporibus exhibendam, ea adhibita partitione inæquali, & industri, quæ morbi, & temporis exigentiæ respondeat, ut fuse Tyrones docui in Therapeut. mea eodem cap. 3. imo & 4. Libri 3.

Ad me igitur, Methodumque meam quod attinet, repeto quod centies dixi; nimirum sesquiunciam circiter, vel uncias duas Chinæ Chinæ, spatio trium hebdomadarum epotas, pro curatione simul, & præservatione sufficere; sive sermo sit de *Subcontinuis Malignantibus*, ubi lenior; sive de *Perniciosis Intermittentibus*, ubi validior requiritur Methodus. Licet enim in Tractatu meo, maxime vero in historiis, identidem de *Methodo validissima*, *de dosi liberali &c.* indefinite sermonem habeam; attamen non alia determinate uspiam legitur dosis, nec alia debet, aut potest intelligi, quam supra recensita. Id satis patet vel ipso *Indice* ejusdem Tractatus, ubi sub litera C. hæc prostant. *Curatio præsentanea Febris Perniciosæ non minus exigit regulariter, quam drachmas sex Corticis, nec plus quam unciam unam, pag.* 141. *Integra vero, ac universalis Curatio duabus plus minus unciis perficitur*, pag. 149. Me legat ergo locis ibidem citatis curiosus quilibet, ac insuper etiam pag. 146. ipsiusmet Operis. Totum dosis augmentum penes me, in Casibus tamen solummodo urgentissimis, quando nimirum præ foribus mors est, altera die hominem interemptura, totum inquam augmentum dosis tunc consistit in prima oblatione, a futuro accessu magis remota: illam etenim ex quatuor ut plurimum drachmis Febrifugi conflatam volo; & pluribus etiam, si minor; paucioribus, si major sit ab eodem paroxysmo distantia. Hoc jacto curationis fundamento, rem totam per drachmas deinceps, ac mox etiam per semidrachmas absolvo, usquequo duæ circiter unciæ pulveris, trium saltem hebdomadarum decursu, compleantur. Hac una Methodo sanati sunt, & ab Orci faucibus erepti *amaris Chinæ Chinæ potionibus*, minime vero *confecti*, quotquot in historiis retuli.

(*c*) (*Id est quod periculosum &c.*) Res *periculosa* profecto, & valde insalubris est mors. Amara pariter, etsi a Cratete dulci, & ab incruento Medici calamo illa proficiscatur, quocumque tandem modo ab eodem Medico *conficiatur Ægrotus miser*. Sed nec dulce sonat nostratium Medicorum auribus crebrum modulamen illius *Isthic*, quo Mutinæ ita de more fieri intonat Clariss. Auctor, summa nobis confidentia crimen alienæ internecionis attribuens. Verum mittamus isthæc, & pacificum nunc Senem in veritatis gremio placide quiescentem sinamus. Hoc unum liceat reponere, *amaris Chinæ Chinæ potionibus non modo non confici Mutinæ miseros Ægrotantes*, seu, quod idem est, non modo Methodum meam revera nec *periculosam* esse, nec mere *empiricam*; sed potius mirum esse, quod ea tam confidenter, vel a Viro Cl. vel ab ejus Nepote abusus Relatore diffametur ut talis, & velut merx plane improba, cum nullam unquam quisquam eorum inde prognatam noxam me curante observarit. Sexies illis videre me contigit illam exercentem. Ter vidit Patruus, ut ex Therapeut. mea pag. 83. histor. 16. pag. 184. hist. 1. & pag. 250. histor. 1. Ter quoque vidit Nepos, ut pag. 181. histor. 11. pag. 192. histor. 9., & pag. 205. histor. 2. Quam felices, & simul quam arduæ fuerint illiusmodi curationes, ipsi norunt. Ne unam quidem præter illas, sive faustam, sive infelicem inspexere; imo unam ambo inspexere, ipsis quidem assidentibus me vero superaccito, ob id solum infaustam, quia ibi Methodus mea nequivit, ut proposueram, administrari, quemadmodum visitur in eadem Therapeut. pag. 259. histor. 2. Quo ergo pacto ut malam redarguunt Methodum, quam quoties viderunt in usum deductam, semper proficuam novere, nunquam vero frustraneam, aut noxiam? Quod si aliarum quoque curationum, quas recensui in Opere meo, & quibus ipsi minime interfuere, exitum omnem investigassent curiosi, nil pariter carpendum reperissent; nec probabiliter reperere, cum non carpserint.

Quos enim in tota Dissertatione sua retulit ex adverso Cl. Auctor Casus patum felices; ii nec sibi constant, nec meis ullo pacto opponuntur; quatenus videlicet nonnulli ex illis Ægrotis a morbo tandem evasere; alii vero vita functi Corticem nullatenus potaverunt; & alii pariter tandem obitum passi (fuere autem duo intra septem lustra) potaverunt methodo tantum vulgari, non mea, de qua agitur, quippe ex Quartanis Intermittentibus laborantes; atque unus quidem ex his, post septennium inculpatæ valetudinis a China China epota, obiit demum ex alio morbo acuto ab origine, mox in Chronicum conversо: al-

ter

ter vero ex Chronico pariter, nempe ex Hydrope, ante epotam Chinam Chinam inchoato; præscribente tamen illam Frassono ante annos 37. non me, ut retuli in Therapeut. mea; ubi *unicum* hunc casum antequam Viri Cl. Dissertatio mente illius conciperetur, rigidiuscule examinavi pag. 82. hist. 15.

Septem ergo, ut rem minutius persequar, vel octo sunt Casus, per Virum Clar. a septem lustris ostiatim quæsiti, & nominatim oppositi, dempto casu D. Co: Torricini Guastallæ defuncti, qui me nullatenus tangit, & de quo jam satis §. 47. Duo ex iis Ægrotis, ut nuper ajebam, a morbo convaluere, ipso fatente, nempe Virgo in Monasterio S. Mariæ Magdalenæ Mutinæ educata, de qua in Dissert. sua §. 26. & insignis Jurisconsultus, de quo §. 34. ipso pariter fatente restitutus: quibus si tertium Casum addere velit ille sibi, ut inquit §. 9. Visum Patavii in Puellis illis, quarum nomen minime protulit, quibusque etsi Chinam Chinam exhibuerit Mater, febres nihilominus (non continuato, ut reor, Febrifugo) *usque ad Veris principium perdurarunt*; nil officit, quandoquidem & illæ pariter sanitatem demum sunt assecutæ, & eam frustra ab aliis remediis citiorem quæsiverunt. Atque ita jam tres ex adductis a Viro Clar. Ægrotis (*multas puellas unius familiæ* pro uno tantum Casu numerando) sanitatem tandem integram sunt sortiti. Tres alii, qui vere decesserunt e vivis, decessere prorsus jejuni Peruviano Cortice; nempe D. Antonius Guidonius de quo §. 31. & D. Marchio Fortunatus Cortesinus, Dominusque Jo. Altimanus, de quibus §. 32. Duo ergo tantum supersunt, videlicet D. Comes de Marsciano, de quo §. 21. per septennium ab hausto Cortice strenue valens, ac tandem ex aliis evidentibus morbis confectus; & D. Co. Jo: Carolus Morandus, de quo §. 20. qui vere post fugatam Cortice Quartanam, in Hydropem antea incœptum ultro progredi minime desiit: sed ad interitum, quo jam tendebat, pertigit anno, ni fallor, 1678. vel circiter, me hæsitantem semper relinquens, ut candide fassus sum in Therapeut. mea, num hoc casu intra annos nunc quidem 37. *singulari*, minus fausto, fuerit ad leges circumspectioris Praxeos præscriptus idem Cortex, minime adeo profuturus Hydropi a Quartana nequaquam producto, sed ab aliis peculiaribus causis. Hi omnes sunt Ægroti, Viro Cl. nedum referente, sed pene dixerim flente, China China confecti. Atque ne unus quidem ex recensitis, ex iis scilicet, qui vere Chinam Chinam hausere; illam hausit *Methodo mea*: quam tamen unam in fine hujus Paragraphi, quem modo expendimus, tamquam in totius Dissertationis epilogo, manifeste tradu-

cere satagit Clariss. Auctor; sed *Methodo* tantum *Vulgari*. Ut proinde hisce exemplis quibuscumque, non mihi uni, sed omnibus vel religiosissimis Chinæ Chinæ fautoribus bellum, inane quidem, nil tale putans indixerit. Sic dum *Fullonem adoritur* Vir Cl. *percutit Fabrum*.

Sed quod majorem ultimo tandem loco incutit admirationem illud est, quod omnes hosce Casus vere nihili umquam fecerit, aut usui Corticis quicquam officientes putarit ipse, qui modo tanti facere ostentat, Clariss. Ramazzinus. Licet enim asseruerit §. 8. hujusce Criticæ Dissertationis, *se in provectiori ætate experientia edoctum, & observatis noxis a China China prognatis, cautius in illius usu processisse*, ac subinde has omnes historias in asserti sui probationem attexuerit; nihilominus hæ ipsæ historiæ, de quarum veritate satis sibi conscius extiterat, minime obstiterunt, quo minus in maximas Chinæ Chinæ laudes fuerit effusus in Orationibus Jatr. argum. pluries citatis; imo nec obstiterunt, quo minus ad ultimos usque annos incolatus sui in hac Urbe, quæ idcirco miratur adhuc novissima illius effata, fuerit usus eodem Febrifugo: & quidem semper fidentius, ac liberalius, quam antea.

Atque ut clarius eluceat hæc veritas, & cuncta ordinatim enucleem, sciat Lector, Virginem in Monasterio S. Magdalenæ educatam ægrotasse, & convaluisse (neque enim obiit) anno 1690. Jurisconsultum insignem, Dominum nempe Nicolaum de Sanctis, a Secretis Sereniss. Ducis Mutinæ, ægrotasse pariter, & convaluisse anno 1704. Eodem anno 1704. ex Perniciosis Tertianis Febribus, *China China nequaquam epota*, Fatis cesserunt D. Antonius Guidonius, D. Marchio Cortesius, & D. Jo: Altimanus. Anno 1703. occubuit D. Comes de Marsciano & circa annum 1678. vel 79. D. Comes Morandus. Clariss. autem Ramazzinus post hos morbos, & post hæc funera gressu nedum pari, sed & firmiore in eadem semper praxi procedens, ut Urbi huic universæ notissimum est, Orationes suas Jatrici argumenti, quas Peruviani Corticis quisque diceret Panegyricas, conjunctim edidit anno 1708. Dissertationem vero *De Contagiosa Boum Epidemia*, anno 1712. immediate ante editionem Tractatus mei; longe vero *post editionem Synopsis* ejusdem Tractatus, in qua Dissertatione sua ferme sibi adoptare visus est argumentum ipsius Therapeutices meæ, sub Prelo tunc existentis. Atque ita quidem, ut ideo putarint nonnulli (temere tamen) Virum Clariss. in ea Dissertatione, dum meus cuderetur Tractatus edita, indicare voluisse semetipsum ante me conscium Methodi, quam propediem eram

eram promulgaturus ; exploſa vero a me pag. 187. & ſequent. Operis mei omni ſuſpicione , quod illi Methodus hujuſmodi innotuiſſet priuſquam mihi , ipſum in oppoſitam partem animum convertiſſe , acriter impugnando quod ſibi amplius nequibat aſciſcere . Sed falluntur quotquot de tam perſpectæ dignitatis Viro tam ſiniſtre opinantur , Scripſit ille tunc quæ ſentiebat de admiranda Corticis virtute , ut veritati ſubſcriberet ſibi cognitæ , mihique plauderet illam promulgaturo . Mox illum facti pœnituit ; neque tamen mentem mutavit , ſed cor .

Mentem igitur ſuam (ut revertar unde receſſi) ingenue patefecit ille in prædicta Diſſertatione De *Contagioſa Boum Epidemia* anno 1712. longe ſcilicet poſt ſiniſtros Caſus nuperrime memoratos , patefecit inquam textu illo inſigni alias recenſito , videlicet -- *Equidem hoc præſidii genus* (loquitur de China China) *in Febribus periodicis miranda præſtat , ac præſertim in Tertianis Intermittentibus Malignis ; quæ in ipſo impetu acceſſionis ægros interdum necant &c. hoc enim Febrifugum Fermentum illud malignum ſive penitus reſtinguit , ſive ita enervat , ut periculum illud tollatur , ne æger in ipſo Febris acceſſu intereat* . Cui textui (ne vel hoc ſubticeam (haud ſatis percipio quomodo quadret textus finalis hujuſce Paragraphi , nempe , -- *omnino periculoſum eſſe , amaris Chinæ Chinæ potionibus uti in Febribus quæ Maligni aliquid præferant* , quaſi benignitas , vel malignitas Fermenti febrilis , contra id quod exprimitur , reddat Febrem , etſi Intermittentem , Subintrantem , aut Subcontinuam in primo caſu curabilem Cortice , inſanabilem in ſecundo : & quaſi non liceat in ſecundo : & quaſi non liceat in extremo Vitæ periculo uti China China more Opii , & pro Curatione etiam palliativa perperam credita (qua ſimilitudine , ab Opio nimirum , aliiſque Narcoticis deſumpta , ipſe quoque ſum uſus in Therapeutic. mea pag. 14. 159. & alibi) cum tamen *ad impetrandas* in Febribus minime periculoſis *aliquot dierum inducias* , ex Viri Clariſs. effato in hoc ipſo Paragrapho , *admittendus ſit , & laudandus Chinæ Chinæ uſus ;* imo cum ex eodem contextu *uſus illius eſſe debeat qualis eſt Opii* . Sed redeamus in Viam . Alias ergo noxas ſibi obſervatas poſt annum 1708. imo poſt 1732. opus erat recenſere Viro Clariſs. non Hiſtorias inanes , longe ante edita Corticis encomia ſibi notas , quæ tamen encomiis ſubinde prolatis non obſtitere . Rumor itaque omnis tandem deſinet , partim in Puellas Patavinas , quibus anno 1713. empirice prorſus Chinam Chinam obtulit Mater , & quarum *ſanatio* in ſubſequens Ver dilata fuit , partim in Hiſtoriam Co: Torricini eodem anno Guaſtallæ extincti , Auctori noſtro , dum hæc ſcriberet , communicatam per literas ; ſed illi ſatius fuiſſet , ut reor , hanc quoque Cicadam ala nequaquam cortipuiſſe .

Sunt hæc , a Viro Cl. objecta , ſeptem , vel octo Corticis facinora , quæ deprædicantur infauſta . Prodeant ergo in apertum neceſſe eſt , non quidem ad oſtentationem , nec meæ tantum defenſionis habita ratione , ſed & publicæ utilitatis , quæ fuere præclara . Verum hæc jam ſatis prodiere in Therapeutice mea Ægrotantium reſtitutorum ſeries (non hic eſt ſermo de Ægrotis citra grave periculum febricitantibus , qui ſorent innumeri , ſed de *letbaliter* decumbentibus) facta ſuppuratione omnium hic illic cumulatim deſcriptorum , ſecluſis etiam Hiſtoriis ab aliis communicatis , numerum implet 74. Horum 64. cujuslibet ſexus , temperamenti , ac ætatis , incolumes vivunt adhuc , ſuntque vivi teſtes virtutis eximiæ , quam Deus indidit huic remedio . Reliqui ab eo , quo deſiit ſcribere , tempore (agitur jam quintus annus , etſi ſegnior proceſſerit impreſſio completa totius Operis) objerunt : quatuor quidem jam octogenarii deſcripti olim , cum convaluerunt ope Corticis , in eodem Opere pag. 78. hiſt. 8. pag. 79. hiſt. 9. pag. 80. hiſt. 10. & pag. 207. hiſt. 4. ſex alii virilis , aut inclinantis ætatis , & ex cauſis plane evidentibus , ſive , ut ajunt , procatharticis , in varios demum morbos delapſi , deſcriptique paritcr quondam , cum China China fuere ſervati , pag. 178. hiſtor. 5. pag. 179. hiſt. 8. pag. 191. hiſtor. 6. pag. 201. hiſt. 18. pag. 205. hiſt. 3. & pag. 214. hiſt. 12. omnes vero , tam primo ſcilicet , quam ſecundo loco recenſiti , poſt annos , modo *ſeptem* , modo *octo* , modo *ſex* , & ad minimum *duos* ab epota China China , e vivis ſublati , neque illa in poſtremis , quibus ſuccubuere , ægritudinibus uſi .

Unum tamen excipiam , & aliis addam , memoratum olim in citata Therapeutice mea pag. 82. hiſt. 16. qui *viginti* ab hinc annis præſentaneo Corticis auxilio a periculoſa Febre feliciter evaſerat ; ſed nuperrime dum hæc ſcribere jamdudum deſiiſſem , occubit , eodem remedio rurſus , ſed incaſſum , adhibito . Ne itaque ab ingenuo more meo unquam deflectam , quemadmodum in eo Tractatu lib. 3. cap. 5. & lib. 5. cap. 4. hiſtorias omnes defunctorum , quos China China ſervare nequivit , ſum fideliter perſecutus ; in modo hunc ejuſdem ſortis eventum , imminente harum Reſponſionum evulgatione præter expectationem mihi obſervatum (quandoquidem ,

Multa cadunt inter calicem , ſupremaque labra)

candide recenſere , meum exiſtimo . Idem igitur Vir Nobilis D. Geminianus Levizzanus ,

zanus, de quo jam loco citato, paulo ante Æquinoctium Autumnale hujuſce anni 1715. duplici Tertiana Subcontinua ruri correptus, in Urbem ſe tranſtulit; ubi methodice a me, ut loqui mos eſt, ab initio tractatus, non modo nil opus ab Arte retulit, ſed acceſſionibus, quæ ſe mutuo excipiebant, obſcurioribus redditis, & ingraveſcentibus in dies ſymptomatis, e Subcontinua periodica ad Acutam, & Continentem febrem jam properanter tendebat. Uſque tamen motum levem exacerbationis, & remiſſionis haud plane contemnendæ ſervabat eadem Febris: ut proinde Peruviani Corticis uſum, non plena quidem, ſed nec minima fiducia, fore proficuum crediderim. Illum itaque præſcripſi parciore tantum doſi, ut morbi, remediique vires ſenſim explorarem; ad drachmam nempe unam per dies quatuor quolibet mane in Aqua Cardiaca. Me interim alio migrante, ad inviſendum ſcilicet Ægrotum Nobiliſſimum ruri graviter decumbentem, cum poſtridie reverterer, actionem aliquam Febrifugi ſalutarem probabiliter percepturus, non ſine admiratione quadam oppoſitum deprehendi, æqualem videlicet, imo & fortiorem, ut ſuapte natura ferebat progreſſus morbi, Febris quoque progreſſum agnoſcens, perinde ac ſi Chinam Chinam nullateuus Æger potaſſet; quem ideirco in noviſſima exacerbatione inſigniter ſoporoſa, & gravi Sacris celeriter muniendum putavere Medici, qui vicem meam brevi eo tempore ſuppleverunt. Admonitus interim ego de levi quidem, ſed perceptibili motu, quem Febris adhuc ſervabat, recolenſque memoria, quod mihi narratum fuerat contigiſſe primis morbi diebus (niſi me fefellere adſtantes decepti & ipſi) Febrim ſcilicet, dum ruri ageret Nobilis Patiens, claros Tertianæ duplicis, Subcontinuis licet, paroxyſmos præ ſe tuliſſe, facile perſuaſum habui, illam etiamnum de *Subintrantis* potius, etſi gravioris, atque contumacioris, quam de *ſimpliciter Remittentis* natura participare; adeoque Cortice juſta doſi exhibito curationem illius (quam non aliunde licebat ſperare, quoniam fruſtranea videbantur alia, quæ ſimul ex uſu erant Artis præſidia) eſſe tentandam. Duas itaque Chinæ Chinæ drachmas ſummo mane in forma boli ſumendas ſtatim præſcripſi, & totidem mane ſequenti: quibus oblatis, non modica facta eſt morbi remiſſio, & conſuetarum exacerbationum abolitio omnimoda, ſuperſtite tantum leviore Febricula vix perceptibili. Hæc tamen cum intra duos, aut tres dies minime ſolveretur, ut cæteroqui aſſolet hiſce caſibus; imo pertinaciter perſtaret, comitantem illam voce exili, & facillima etiamnum ad ſomnum, placidum licet, propenſione; maximum mihi terrorem incuſſit; præcipue cum ſimul de pondere quodam in regione thoracis toto morbi decurſu conqueſtus fuerit Æger, quamvis ſine ulla unquam difficili reſpiratione. Fuit autem ejuſmodi, qui me tunc corripuit timor, ut actum eſſe probabiliter de vita Ægrotantis facile pronunciaverim, latentem aliquam in præcordiis labem ſuſpicatus, quæ decumbentem Virum ſenſim eſſet confectura. Intermiſſo idcirco ad aliquot dies Febrifugo, in hiſce circumſtantiis inutili a me credito, & continuatis tantummodo reliquis remediis vulgaribus, pari adhuc paſſu procedebat ſuperſtes Febricula, ſed cum tolerantia adeo facili, ut jam non parum ſpei Adſtantes omnes conciperent, & Conſanguinei; me tamen apertis notis jugiter reluctante.

Ne vero Febrifugo plane poſthabito violenter iterum recandeſceret Febres, & reviviſcerent Exacerbationes, facile illis poſtliminium præſtituto foco ſuperſtite: & cum inania ex alia parte experirer quotquot ad omnimodam Febris extinctionem adminiſtrabantur remedia, ad ejuſdem Corticis uſum iterum tranſitum feci, præſcribendo ad drachmas tres in formam Opiatæ, intra tres tamen dies partite abſumendæ. Quæcunque fuerit eventus cauſa, ab eo certe tempore levius ſe habere cœpit Ægrotus quo ad omnia, & quo ad ipſam quoque Febriculam; quæ tamen nunquam integre obliterabatur. Vox illius cœpit ſe exerere, & ſonora evadere; ſputum quoddam craſſum, nonnunquam ſubcruentum, ac identidem ferme ſemipurulentum facile excerni; ſomnus de more placidus levamen ferre; urina antea craſſa laudabilis fieri; appetitus non modice redire, ac fere dixerim nimis: itaut ſolidos cibos appeteret Æger, & e lecto ſurgere ſibi permitti conſtanter efflagitaret. In hac rerum tranquillitate cum tamen nunquam plane recederet obſtinata Febricula, jamque inſtaret vigeſima morbi dies, Conſanguineis, & Amicis illius, qui inter ſanos eum plane referebant, mihique, nedum non fidenti, ſed & omnino malum exitum metuenti, parum aberat quin illuderent, aperte dixi, me adduci non poſſe, ut unquam crederem, Ægrotum ab eo morbo evaſurum, etſi illum domi ambulantem cernerem: quandoquidem laticæ illiuſmodi Febres me vel prope quadrageſimum diem alias decepere. Nihilominus ne forte, ut aliis videbatur, propria abuterer, Corticem ad ſemidrachmam in forma boli ad quatuor adhuc dies continuandam præcepi, tredecim ſic illius drachmis toto morbi tempore partite conſumptis. Quod quidem eo fructu viſum eſt fieri, ut vigeſima quinta morbi die Æger mihi cubiculum mane ingredienti nuntiare potuerit, ſe nocte prægreſſa a Febre omnino liberum ſemetipſum dignoviſſe, & etiamnum talem ſe mihi perhibere, ac perfecte jam ſanum. Immunem vere tunc a Febre & ipſe deprehendi,

hendi, pronuntiavi, & metum libenter depoſui; ſubdens tamen Uxori ſolicite, me reapſe non reputare levamen illud pro ultimo morbi termino, cum ſolutionem ſeriuſcule protrahendam etiamnum cenſebam; attamen deprehenſam febris carentiam tanti ponderis eſſe apud me, ut jam jam Ægrum in tuto poſitum crederem, neque amplius eum tentari poſſe, niſi febriculis forſan levioribus, & paulatim facile receſſuris. Revera veſpere motu nonnihil ſenſibili novus acceſſit febrilis inſultus; quo ſtatim terrefactus Æger, ſe de vita deſperare palam fatetur, cibum, quem antea bene apperebat, averſans, me tamen illum redarguente de puſillanimitate intempeſtiva. Sed heu vana quam ſunt hominum judicia: Mane ſequenti graviſſime habentem invenio, & faucibus quaſi ſtertentem, quem pridie tutum putaram. Præſcribo tumultuario plura, ſed incaſſum; nec Cortici locus, aut tempus eſt, nec ulla mihi amplius fiducia. Poſt meridiem exacerbatur febris cum ſopore, & gravi anhelitu. Animæ idcirco iterum conſulit, & poſtridie mane, vigeſima nempe ſeptima morbi die dum levius habere creditur ab Adſtantibus, me ideo ſtatim acciri curantibus, ſub eorum oculis ſpe rurſus concepta lætantium, ſine ſtertore, ſine labore ullo placide expirat.

Recentem hunc eventum, qui minime ſucceſſit ex voto, tanquam quid infrequens in hac Praxi (*Omnibus* namque *Malis Punicis ineſt aliquod granum putre*) excipe prudens Lector; & ex numeroſa, quæ ſupereſt fauſtorum ſerie, & ex perſpecta, etiam cum plane tollere morbum nequit, ſed tantum mulcere, innocentia remedii, conjice quam ſæpe fidendum ſit, quam raro cunctandum in uſu Peruviani Corticis, ubi præſertim ſatis patens Febrium indoles, & imminens periculum illius adminiſtrationem rationabiliter ſuadeant. At vero quid hic immoror, librando Caſus felices olim relatos, ut eos huic uni, ubi remedium diſtulit tantum, non prohibuit cladem, vel paucis quibuſdam commentitiis, & vanis, a Viro Cl. adductis, longe præponderantes oſtendam? Nonne præter ſexaginta quatuor in Therapeutice memoratos Ægrotos adhuc ſuperſtites, nonne, inquam, ſeptem alios, quaſi in defunctorum locum ſuffectos (neque enim China China ſemel curati immortales fiunt) & ſeptem famoſis Caſibus a Cl. Auctore oppoſitis jure merito præferendos, in harum Reſponſionum decurſu recenſui, quippe qui poſt editam eandem Therapeuticen, decubuere, & feliciſſimam in periculoſiſſimis circumſtantiis ſanationem unius Chinæ Chinæ ope fuere ſortiti? Ut omnes ſimul colligam, fuere hi Viri Nobiliſſimi. D. D. *Dux Limatulæ* Neapolitanus, *Marchio Borda* Hiſpanus, *Marchio Gonzaga* Mantuanus: item D. D. *Jo: Baptiſta de Carandinis*, *Paulus Æmilius de Bignardis*, *Antonius de Zanellis* Mutinenſes, & Archipresbyter Mallæ Finalenſis paulo ante deſcriptis.

Quod ſi alios addere lubeat admirabili hoc Febrifugo recens curatos, quorum nulla hactenus facta eſt mentio; in promptu erunt Viri pariter Nobiliſſimi, *DD. Marchio Thomas de Obiciis*, & *Comes Fulvius de Rangonis*, ambo ex Tertiana duplici Subcontinua cum ſymptomata non parum gravibus, & priora minitantibus ægrotantes; *Monialis* ferme octogenaria e Cœnobio S. Claræ lecto fere ſemper affixa, quæ a Tertiana intermittente convaleſcens, poſt nonnullos ſubinde menſes e Subcontinua, iterum longe graviore decubuit; *D. Lucretia Ferraria* ejuſdem pariter ætatis, ex Pernicioſa Lethargica ad ferreum mortis ſoporem properans; *D. Claudius de Donnolinis* ex Subcontinua Tertiana in Algidam converſa ad extremum vitæ plane redactus. *D. Dejanira de Raynaldis Rovighia*, quæ ex Quartana triplici Subintrante in Continuam demum ſoporoſam ruebat gradu præcipiti; *D. Alphonſus Tonanus* ex Quartana itidem, primo ſimplici, mox duplici, ac demum continua, cum aſſiduis vomitibus, ſingultibus, & animi deliquiis graviſſime habens; *D. Joannes Amoroſi* jam ſenex, & ex Algida Tertiana Lipyriam æmulante quam maxime, & quam proxime periclitans; *D. Margarita Vaccaria* prope nonagenaria, quæ unoquoque poſt tertium Febris Tertianæ paroxyſmum acceſſu, in profundiſſimum ſoporem cum renovatione Paralyſis, quam ante aliquot menſes ex Apoplexia contraxerat, & a qua demum evaſerat, denuo labebatur, itaut alternis diebus novum veluti levis Apoplexiæ inſultum experiri videretur, una cum febrili paroxyſmo invadentem; tandemque *D. Lavinia de Speramanis* in domo Camporea moram trahens, cui Tertiana primo ſimplex, mox duplex in Pernicioſam migravit ex Catarrho, ut vocant, ſuffocativo, in vigore acceſſionis ſtertorem plane mortiferum intra bronchia pulmonis excitante; ita ut recurrente bis, aut ter, ſemperque ferocius, cum paroxyſmis febrilibus horrendo hoc ſymptomate, Ægra brevi pro conclamata habita fuerit a ſacris ipſis Miniſtris, ſpiritus exitum quam mox expectantibus. Quam quidem Pernicioſæ Tertianæ ſpeciem a Mercato deſcriptam, mihi vere nunquam contigit obſervare, ut in Therapeutice dixi; hanc tamen obſervavit, curavitque unus ex *Junioribus illis Medicis*, *quem* Cl. Auctor diceret *recens ex Academia veniſſe*, Corticem præſcribens *doſi liberali* (drachmas tamen ſex partite oblatas non excedente) *ea ſecuritate*, *qua Magiſtrum ſuum operari vidit*, eademque pariter

ter ſecuritate Febrim inſimul, & exitiale illud Symptoma ſuſtulit, omnibus quotquot aderant, poſſuntque cuncta teſtari, non parum ſtupentibus.

His Ægrotis alii accedere poſſent inferioris notæ, cujuſmodi fuere neſcio quis de Famulitio D. Ducisſæ Maſſenſis, nunc Mutinæ commorantis, nomine *Jacobus*, ex duplici Tertiana Subcontinua Malignante quam graviter habens: *Jacobus Antonius Corghius* miniſter in Xenodochio, ex Tertiana duplici in Subcontinuam acutam permutata non modico poſitus in diſcrimine: *Chriſtophorus Ricciolius* ex Tertiana duplici Subcontinua cum Diarrhœa immani ſingultuoſus factus, frigidus, & omnimodæ aſphyxiæ propinquus; *Antonia Pini* ex Cardiaca Tertiana duplici ad Continuam properante cum delirio, luctuoſis ſuſpiriis, & voce exili ad obitum vergens. *Ludovica de Manzeriis* in quarto Tertianæ Syncopalis paroxyſmo ſua cæteroqui proxima prænoſcens funera: *Dominicus Doricius* ſeptuagenarius, ex Lethargica Pernicioſa Catalepticus jam redditus; & *Bernardinus de Floranis*, ex Algida pariter Tertiana ad interitum ruens: quos omnes Ægrotos unum hoc Alexiterium ex arte adhibitum prompte reſtituit; non me uno quidem, ſed & aliis quoque Medicis illud præſcribentibus; iis nempe, qui *ſui* jamdudum facti *ſunt juris*, nec vere dici queunt amplius recens ab Academia veniſſe.

Scio equidem, *Pauperis eſſe numerare pecus*. At ſi ſeptem tantum pecudes, & macras, & vetulas pro integro ſuo grege hucuſque oſtentavit Cl. Auctor, qui ſe nobis perhibebat tam divitem; cur centum pinguiſſimas, pluresque ex iis adhuc tenellas e grege meo ſeligere ipſe non poſſim, & digito commonſtrare, nec tamen haberi pauperculus; Quid vero ſi Febricitantes omnes Viri Cl. ut fine parabolis loquar, perſequi vellem China China fortaſſe curabiles, quibus tandem ea poſthabita, vel neglecta, non Galenus, non Hippocrates, non Celſus, non Ballonius, ſed ſolus *Aceſtas medicatus eſt?* Abſit, hoc tamen ut unquam mediter. Hoc igitur, quo nuperrime recenſui, pacto *Mutinæ amaris Chinæ Chinæ potionibus quotidie, ac pluries in die larga doſi oblatis, in Febribus, quæ maligni aliquid præferat, Ægri miſeri conficiuntur*. Clamet, pugnet, obſtrepat, verbis, cavillationibus, ſophiſmatis, auctoritatibus Vir Cl. Philologia ipſa, & Arte Rhetorica in ſubſidium vocata, ceu qui motum *progreſſivum* dari penegabat: ego interim ſilens, ſed eandem ſemitam calcans, *eodemque jugiter paſſu pergens*, reſponſum faciam.

§. XLIX.

§. XLIX.

HÆc *habe mi Nepos* pro reſponſione ad primum tuum quæſitum, de quo multa alia haberem dicenda, provocante materia. Scio me hac Diſſertatione non multum gratiæ reperturum apud eos, qui communium errorum reprehenſionem in propriam calumniam referunt, ſed neminem hic nominavi, nec veteris Comœdiæ more volui qpemquam perſtringere. Mens mihi ad publicum beneficium ſolum fuit iſthæc conſcribere, non laudes quærere, eas potiſſimum, quibus uti ſolent Scriptores in re Medica, cum aliis Scriptoribus ampulloſis titulis laudes cumulando, quæ nec ipſis Medicinæ Parentibus vix convenirent, ut alias ſimiles ab iis exigant. Revera novum non eſt hoc vitium, ſed ad ſummum devenit. Suppetit mihi egregium dictum D. Hieronymi in Epiſtola ad Celantiam, quæ Epiſtola creditur D. Paulini. *Eſt ſane grande, & ſubtile artificium, laudare alterum in commendationem ſui, & decipiendo, animum ſibi obligare decepti.*

(*Hæc habe mi Nepos &c.*) SEra *in fundo parſimoniæ*. In calce Diſſertationis ceſſatio Viri Cl. a profuſe adhibita hucuſque libertate, ſeu mavis licentia, ubi præſertim officioſas proteſtationes ipſum deſtruit Factum, haud plane ſatisfacit iis, in quos peculiariter hæc etiamnum cuditur Faba, Communis namque in Republica Medica perperam vocatur error, qui non modo uni tantum Mutinenſi Scholæ, ſed uni duntaxat adſcribitur, imputaturque illius parti; ne uni dicam Scholæ meæ, cui forte largiuſcula illa haud male aptatur appellatio *numeroſioris Mutinenſium Medicorum partis*, de immodico Chinæ Chinæ uſu apud Cl. Auctorem §. 1. notatæ. Apud hoſce igitur omnes Urbis Mutinenſis Profeſſores ſi multum *gratiæ* fortaſſe *non reperit* Vir Cenſorius, nec plurimum ob id certe meruit reperiſſe. *Neminem* quidem ex his *nominavit* ille; ſed injurius ſibimet ipſi Pictor (reſpice Paragraphum undecimum Ramazzinianæ Diſſertationis Lector, qui ſupine non dormis) ſi cur nec varo, nec valgo, diſtortis tamen de induſtria cruribus a ſe depicto, nomen addere neceſſum putet, ut notum faciat. Me ſaltem noluit perſtringere, qui *veteris Comœdiæ more noluit perſtringere quemquam*. Ita pie credendum cineribus Viri Cl. Verum ut quid *cineribus* dixi? Ipſi viventi credendum; meque jam meæ pœniteat præconceptæ ſuſpicionis: mihi ſiquidem ipſi de Opere meo, cum illud primum ex me recepit humaniter, hæc ſub die 12. Septembris 1712. reſcripſit lingua vernacula, niſi & hic (quod ægre admiſerim) *non idem ſint Scriptura, & Leucæus. -- Ho ſempre avuto ſomma venerazione alle coſe di V. S. . . . . sì in voce, come in iſcritto, e l' averò ſempre* uſque ad cineres &c. *Non ho dubbio, che queſt' opera non ſia per eſſer ricevuta ſe non con lode da gli Uomini dotti, molto più, che quelle leggende, che ſono . . . . . colle quali taluno ſi crede d' immortalare il ſuo nome. Mi rallegro con V. S. . . . . che ſia entrata nella Claſſe de' Veri Scrittori con un' Opera, che merita nome di Libro, e le rendo per un tal favore infinite grazie &c.* Officioſis hiſce verbis, quamvis ſupra merita commendatus, minime tamen contra honeſtatem a Viro ingenuo me deceptum credam, qui nec illum unquam decepi, cum laudibus promeritis ſum proſecutus, neque ab eo antehac recipi unquam, unde me ſic deceptum ſuſpicari potuerim.

Ut igitur & huic, & cuicunque graviori notæ defunctum Virum tandem eximamus, dicamus etiamnum, *iſthæc*, quæ in præſenti Diſſertatione proſtant, *ab eo fuiſſe conſcripta* exercendi ingenii, ſive, ut dici ſolet, arguendi gratia (qui nobis olim quoque mos fuit in Diſputationibus, cum in hoc Mutinenſi Lycæo Medicinam ambo pari munere profiteremur) imo *ad publicum ſolum*, ut aſſerit, *beneficium*: illud beneficium ſcilicet, quod ex mutua ingeniorum colliſione ſolet emergere, eruto inde claro lumine veritatis. Convellendum dubio procul aſſumpſit ille (quis non videt?) Tractatum meum; non eo tamen fortaſſis animo, ut everteret, cum vere ſentiret, quæ ſentio; ſed ut *functus* quodammodo *vice*

cotis vomerem mihi raſtrum, & marram acueret, ad detegendam facilius, effodiendam & expugnandam ab inquinamentis omnibus veritatem. Ita mentem illius modo lubet interpretari. Suadeamus inſuper nobis (ut Nepotem quoque ſubtrahamus a nota Relatoris minus ſinceri) eundem Cl. Auctorem, ut hæc lepidius nobis obtruderet, Diſſertationem ſuam inſcripſiſſe Nepoti forſitan inſcio, nec de China China quicquam locuto, nec reſponſum ullum per literas unquam quærenti. Juvat hoc credere, tum quia tantum in Viro modeſto, cujuſmodi eſt Nepos defuncti Auctoris, non libet fiduciam arguere, ut numeroſiori, forſan & digniori, Mutinenſium Medicorum parti, Peruviano Febrifugo liberaliter, ut decet, utenti, tam facile ſuccenſuerit; tum maxime quia abunde jam conſtat, ipſum longe aliter ac olim de China China ſentire cœpiſſe, ſuamque laudabilem mutationem ſententiæ uſu ipſo practico prodidiſſe non ſemel.

Exemplum recens hujuſce metamorphoſeos ipſe nuper aliud acturus ex inopinato deprehendi: cum enim quiſpiam de Familia D. Caroli Foreſti a ſeptem circiter diebus febricitaret, illique Cl. Auctoris Nepos Medicinam faceret; mihi conſtitit ex inſpectione fortuita Adverſariorum Pharmacopæi, dum ſcilicet meæ cujuſdam Schedulæ rationem quærerem, hujuſmodi Ægrotanti præſcriptam fuiſſe ſub die 16. Julii labentis anni 1715. a memorato curante Viro unciam unam Chinæ Chinæ in vino infuſam, & immediate poſtridie drachmas tres ejuſdem medicaminis in forma boli, quæ doſis poſtrema quater renovata fuit in morbi decurſu: atque ita unciis duabus, & ſemis Chinæ Chinæ larga ſatis manu, etiam ſupra morem meum, adminiſtratæ, convaluit Æger. Magis adhuc recens Exemplum nuperrime ſum intuitus apud Aulicum Pharmacopolam in Tabula & Schedularum Medicatum, pro R. R. P. P. Capuccinis ab ipſo pariter conſcriptarum, ibi enim, ſub die 30. Julii proxime elapſi, primo ſemunciam Chinæ Chinæ deſcriptam vidi, dein (& quidem immediate poſt) unciam unam, quæ ſubinde fuit pluries repetita. Subſequentibus poſtmodum menſibus eadem proportione rem proceſſiſſe, admonent Schedulæ peculiares: ut omittam, quæ inſuper ex Amicorum, & Pharmacopæorum relatu hac occaſione mihi certo innotuere de crebra, & liberali oblatione ejuſdem Febrifugi, quæ hodie citra ullam hæſitantiam, aut frugalitatem in uſu eſt eidem Cl. Auctoris Nepoti. An ergo cenſendus ille doſim parciorem, majori urgente periculo aliis uſitatam, abuſus nomine apud Patrum traduxiſſe? Saltem ſi ante biennium cum nondum Collega noſter evaſerat, tam ſiniſtre opinabatur; eo exacto, meliuſque perſpecta utilitate remedii, in meliorem quoque ſententiam, prout hominem ingenuum decebat, tandem devenit. Quod illi quidem glorioſum plane, & ad delendas admiſſi olim præjudicii notas abunde ſufficiens.

Quod ſi nimis officioſæ, adeoque affectatæ cuipiam videantur piæ iſtiuſmodi erga Defunctum Virum, & erga Superſtitem meditationes meæ, ut affectatæ viſæ ſunt mihi proteſtationes illius in principio hujuſce Paragraphi, eaſque idcirco ingenuitati meæ minus cohærentes putet; is, ne candori meo quicquam detrahat, poſthabitis quibuſcunque meis, aut ſemotis, quæ præſtare ſum conatus, officiis; expenſis vero æqua utrinque lance totius Cauſæ momentis: prout illi videbitur concedens, Cl. Auctore, de me, ac de integra tandem controverſia noſtra judicium ferat.

§. L.

Alterum quæſitum, num ſcilicet ſalubre foret pertentare Corticis Peruviani uſum ad prophylaxim, paucis abſolvam. Suppono Te pro remedio prophylactico non intelligere hujus remedii uſum, profligata febre, ne amplius redeat, licet etenim a Medicis in hoc ſenſu communiter accipiatur, proprius tamen non eſt illius ſenſus, nam ut Joannes Gorræus in ſuis Definitionibus medicis, nomine prophylaxeos intelligendum eſt remedium illud, quod potius operetur ne morbus aliquis accedat, quam quod jam profligatus redeat, ſed hoc multo ante ſcripſerat Galenus in Commento Aphoriſmi 22. Sectionis ſecundæ, puto igitur ſecundum rationem licere experiri Febrifugum Peruvianum, ſed modica doſi ad aliquod tempus quolibet mane, antequam febrium periodi-

riodicarum, & continuarum quoque per æſtatem, & autumnum ingruat tempeſtas, nam ex Hippocrate, *Quæ facta tollunt, ante facta fieri prohibent*, quem locum primo adſpectu obſcuriorem egregie exponit Valleſius, purgationes, Venæ ſectiones, ſolita morborum remedia antefacta, ut primo vere, fieri prohibent morbos æſtate, & autumno. *Quibus convenit Venæ ſectio, vel purgatio, hos Vere purgare, vel Venam ſecare oportet*, ajebat Hippocrates Aphoriſmo 47. 6. Sectionis, in cujus Aphoriſmi expoſitione ajebat Galenus ſe hiſce remediis multos præſervaſſe graviſſimis morbis per autumnum laborare ſolitos, hujus tamen remedii ad prophylaxim uſum, ſi quis velit experiri, exhibendum exiſtimo in iis, qui commodo fruantur ſanitatis ſtatu, nam ſi quid noxii Chinæ inſit, convenienti corporis exercitio facile excutient. At forſan conſilium magis ſanum erit remedium iſtud, natura ſua doloſum omittere, nam ex Celſi monitu *cavendum ne in ſecunda valetudine adverſæ præſidia conſumantur*. Vale.

Dabam Patavii die 20. Julii 1714.

(*Alterum Quæſitum &c.*) Mihi *iſtic nec ſeritur, nec metitur*, ajebat apud Plautum Epidicus. Sed neque hic forſitan metet Nepos ipſe Viri Cl. aut alius quiſpiam. Non metam ego, qui nomine *Prophylaxeos* uſus ſum in Opere meo, intelligendo præcautionem a novo quoque morbi præteriti, ſed facile reccurentis inſultu; ſive proprius hic ſit vocis illius ſenſus, ſive communiter adoptatus etiam ut talis. Nihil inquam emolumenti hinc referam, omnium fere Medicinæ Scriptorum veſtigia ſecutus, & poſthac pariter ſecuturus; hi enim de inhibendo Aſthmatis, Epilepſiæ, aut alterius Morbi intervallati recurſu locuti, hujuſmodi verbum perpetuo uſurpavere. Me tamen uſque magis firmabit in poſterum exemplum ipſum Cl. Auctoris, in hac ipſa Diſſertatione vocem *Prophylaxeos* ſub eadem ſignificatione *bis* uſurpantis, nempe nuperrime §. 48. circa medium & §. 12. circa finem. Sic & in minimis ſibi adverſatur, miliumque torno inaniter ſculpit Vir cæteroqui doctiſſimus. Denique nec metet, aut manipulos colliget Nepos ipſe Viri Cl. aut quiſpiam alius, ob dogmatis incertitudinem, ubi hæc ipſius verba perpendat. *Puto igitur, ſecundum rationem licere experiri Febrifugum Peruvianum quolibet mane* (nota hic facilem citra exigentiam repetitionem remedii *malitiam occultam* habentis §. 48. *altera die prophylaxim minime repetendi*) *quolibet*, inquam *mane modica doſi, ad aliquod tempus &c.* & paulo poſt perpendat hæc alia verba, palinodiam de more canentia, -- *At forſan conſilium magis ſanum erit, Remedium iſtud natura ſua doloſum omittere*. Hæc ille. *Remedia* tamen *natura ſua doloſa*, qualem contumelioſe vocat Chinam Chinam Vir Cl. ad extrema redactus ſuæ Antifebrifugæ Diſſertationis, nuſquam legitur in Geneſi, Deum, qui Medicinam condidit, unquam creaſſe.

Hæc habe mi Lector pro reſponſione ad objecta Cl. Ramazzini, cujus animadverſiones, quantumvis futiles, tacite negligendas minime credidi; non me quidem perturbante Scripto, acriore licet, Viri, qui in vivis non eſt, ſed ſola, ut inquit ipſe, *provocante materia*. Non alia tamen hujus ingenii ex me fortaſſe poſthac habiturus eſt quiſpiam, ſi vel dilaceretur a Cynicis Opus meum, aut aliquam ſimultatem foventibus. Cum enim nullum amplius ex illius propugnatione commodum Reipublicæ queat emergere; ipſe vero nihil faciam labores meos, niſi quatenus ceſſuri ſint in bonum ejuſdem Reipublicæ; non eſt, quod in poſterum commoveat tam facile, animo potius pacato deinceps laturus.

------ *rhoncos, & ludibria turbæ*
Naſutæ, & quicquid fingere livor amat.

Id unum vix potis eſſet animi fortaſſe mei firmitatem nonnihil inflectere; ſi nempe utiliorem, atque potiſſimam Tractatus partem, Methodum videlicet Specialem curandi Pernicioſas Febres a Mercato deſcriptas (quæ ſumma Operis eſt) quiſquam arte clarus refutandam ſuſciperet. Sed quis unquam, qui artem calleat, nudam obſervationem meam, non ratiociniis ſuapte natura fallacibus, ſed conſtanti innixam experimento, ubi præſertim nullum aliud pro *Curatione* pereuntis hominis plane *coacta*, ſed nihilominus plane tuta proſtat auxilium, aggrediatur refellere? Et quandocunque id etiam contingeret, qua neceſſitate cogente aggrederer ipſe, obſervationem, & experientiam meam argumentis, rationibuſve tueri, aut auctoritatibus etiam fulcire, cum ſatis ea ſemetipſam tueatur, & fulciat? Cætera ejuſdem Tractatus, utut non prorſus inania,

cuilibet tamen Sophistæ pro arbitrio ventilanda tacitus, & lubens relinquo. Solo diutius vivente, & novissima Scripta sua pro eximio, quo pollebat, ingenii acumine, etiamnum defensitare volente Cl. Ramazzino, potuisset perennare, lis nostra: tunc enim publicæ utilitati, quæ stimulos addidisset, accessisset quoque voluptas mea, ab amœnitate styli resultans Eruditissimi Antagonistæ: cujus aculeos, suo semper melle consperso, pluries experiri, mihi haud injucundum fuisset; & cui propterea minime hæsitassem aptare, quod Joannes Franciscus Picus *De Imitatione* disputans cum Petro Bembo, scriptum reliquit; videlicet -- *Tantum suavis acrimoniæ præseferunt illi ipsi aculei, tantumque me* Viri Clarissimi *simul & pupugit, & oblectavit oratio; ut iterum pungi cupiam, quo possim iterum oblectari*. Istiusmodi conditione semota, præstat silere.

Hucusque igitur per me satis actum in hac materia; forsan & nimis: neque idcirco lubet amplius per eandem lineam Serram reciprocare. Etsi vero quæ Stylo Apologetico hactenus reponenda censui, ferme invitus, quippe coactus, & lacessitus addiderim; nihilominus haud plane inutiliter tempus me trivisse rebor, si vel ex Disceptatione hujusmodi, vel ex Therapeutice ipsa jampridem edita nonnemo forsan pro exitialium saltem Febrium, de quibus præcipue sermo est, curatione rectius instituenda, quicquam profecerit; etsi per quem profecerit; etiam dissimulet: vel si quis alius, me viam præmonstrante, hanc mox arenam ingressus, sed materiam felicius *exhauriens*, præcipuam exinde sibi comparet famam: vel denique si paucis male feriatis invisus, bene merear tandem de pluribus, & bene cordatis. Adeoque, ut Doctissimi Vvillisii verbis utar, ex Pharmaceut. Rational. Præfat. ad Lection. depromptis, -- *Si leves hi conatus alios ad Studium istud melius excolendum instigarint, quicquid ab invidis, ac malevolis opprobrii metiar* (*metam* potius, vel *patiar* legendum puto) *operæ me meæ neutiquam pœnitebit*.

FINIS.

DISSER-

DISSERTATIO EPISTOLARIS

Prima circa Mercurii motiones in Barometro.

ORNATISSIMO VIRO AMICO SUMME COLENDO Domino BERNARDINO RAMAZZINO in Mutinensi Lycco Publico Medicinæ Professori, nec non Cæsareo-Leopoldinæ Academiæ Curiosorum Naturæ Collegæ Meritissimo

FRANCISCUS TORTUS S. P.

Vir ornatissime; Amice summe colende.

SOpitum jam penes nos suscitas denuo, Vir Eruditissime, amœnum Problema, quod nostram alias Minervam exercuit ipso coram Sereniſſimo Francisco Secundo Duce quondam nostro Clementissimo, dum convalescens adhuc a gravi morbo decumberet, ejusque curationi de more interessemus, in quam nempe causam refundenda sit *Hydrargyri* intra Fistulam Torricellianam inconstans libratio, illiusve saltem vicissitudo constantior, ut nimirum sicco, & sereno Cœlo *Mercurius* nonnihil altius, humido vero, ac pluvio demissius externo prementi aeri æquilibretur. Quid circa implexum Phænomenon istud opiner, etsi pensum solutionis in me nequaquam suscipiam, eo tamen ingenuo, quo vicissim utimur, animi candore, tibi pluries id ipsum scitanti haud hæsitanter aperiam, ut qui non meum tandem, sed Famigeratissimi Viri Jo: Alphonsi Borelli votum præcise

sum prolaturus: neque enim (ut fatear) in disquirenda hujusce effectus ratione, si recta velimus incedere, aliam viam calcandam censeo præter eam, quam scientifico lumine prævio indigitavit, & stravit idem Vir Præclarissimus.

Enim vero quid umquam lumini naturæ consentaneum magis possumus imaginari, nisi quod dum elevatur *Mercurius*, augeturque, ut inde patet, aeris pondus, & pressio, id fiat, quia idem aer toto tempore pluviam antecedente (esto nobis sereno) intra suas sublimiores porositates, seu intermedia inania spatiola perennem, & disgregatam aqueorum vaporum una cum cæteris exhalantibus particulis sursum, ac sursum protrusorum affluentiam, & hospitale contubernium admittit, ut fieri posse per additionem novæ materiæ, ipsoque aere præexistente nequaquam depulso, Borellus autumat lib. de Motionibus Naturalibus a gravitate pendentibus, prop. 274. his verbis: *Nec a veritate omnino alienum est, ut particulæ minimæ aquæ tam minutæ sint* (& loquitur hic de crassioribus,

non de vaporosis) *ut possint intra vacuas capacitates aerearum particularium , scilicet intra tubulos illos contineri , & ideo ab aliqua vi possint ibidem insinuari ;* quod idem postea expresse , & in terminis statuit prop. 259. definiens , positis licet ab eo intra aerem vacuitatibus , *Non tamen esse necessarium , ut universum spatium intra aeris particulas contentum sit prorsus inane ; possunt enim ibidem innumeræ particulæ corporeæ , ramosæ , & solutæ existere , & vagari , ut sunt exhalationes aqueæ , terreæ , igneæ , & innumeræ aliæ* , quibus intra tales vacuitates congruam sedem assignat ? E contra vero dum deprimitur idem *Mercurius* , imminuiturque , ut similiter patet , aeris pondus , & pressio , quid pariter verosimilius conjectandum occurrit , nisi quod hoc ipsum contingat , quia eadem pluviæ materia ad turgentiam antecedenter aggesta , tempore demum actu pluvioso ab aeris latibulis , quasi ex spongia , sensim exprimitur , cum ex eodem Borello prop. 113. *Aer habeat consistentiam veluti spongiosam* , unde idem aer , qui prægnans antea , ac successive superfœtans majorem pro sui æquipondio *Hydrargyri* molem sustinebat , erumpente postmodum , vel integre excluso fœtu , aqueas illas recenter enixus particulas , minorem quoque *Mercurii* molem sibi patitur contraniti , donec paulo post redeunte undecumque , pro ejusdem aeris ad propinquum aerem æquilibrio , per subsequentem serenitatem nova vaporum illuvie , prægnans denuo , denuoque ponderosior , in novam rursus *Hydrargyrum* urgeat altitudinem ; præcipue cum doceat Borellus prop. 170. indiscriminatim , & absque ulla serenitatis , vel pluviæ limitatione , *aqueas particulas perpetuo intra aerem insinuari* , & paulo post subdat , quod *revera numquam reperiri potest Aer omnino aridus , & absque ulla admixtione aquæ , sed est veluti spongia quædam* , qualem nos quoque modo retulimus ?

Qua equidem alterna particularum aquearum perpetuo commeatu poros aeris subeuntium inclusione , & exclusione , luculenter explicari videtur , tum serena , tum pluviosa constitutio , simulque in imbrifero aere imminutum pondus , auctum vero in sereno , cujus idcirco cum ad summum devenerit Athletica plenitudo , & ad summum proinde altitudo *Mercurii* , vix fieri potest , quin intra modicum temporis intervallum pluvia suboriatur ; quemadmodum ex prægnanti ventre immaniter turgido , & gravi , parum distare exclusionem fœtus quælibet , vel rudis , novit muliercula . Hanc ob causam longam serenitatem longa regulariter excipit pluvia , qua etiam perseverante , si antecedenter pluviali materia quaquaversum intumerit Aer , non modo secundum altitudinem , verum etiam secundum vastissimam latitudinem , in ipso pluviæ descensu vix , ac ne vix quidem , *Mercurius* deprimitur ; statim vero per brevissima alternatim sicciora intervalla , pertinaciter iterum attollitur , recurrente videlicet in subsidium per copias auxiliarias a lateralibus partibus eodem aerei Cylindri aqueo pondere , usquequo depleta undequaque immodicis imbribus Atmosphæra , Cylindro tandem leviore (cui scilicet novus non succedat desuper , hinc , & inde aqueorum vaporum affluxus) in novissimæ pluviæ finali descensu *Mercurium* premat ; cujusmodi exemplum in proxime elapso Decembri supra modum pluvioso palam conspeximus , in quo insuper illud animadversione dignum extitit , quod excussa tandem penitus pluvia , ac subsequente postmodum nova plurium dierum serenitate , proindeque novis , sed modicis , imbuto vaporibus aere , nihilominus ad tantam numquam pervenit *Mercurius* altitudinem , ad quantam ob exuberantem vaporum aggestionem pertigit non modo ante pluviam , sed & in ipsa pluvia actuali , cui longiores idcirco totius anni serenitates , quo ad elevandum *Mercurium* , præter morem cessere . Huc propterea respiciens Borellus ipse , ex solertissimis duorum annorum observationibus simul collatis , hunc inter tot Anomalos *Mercurii* ritus stabiliorem videri cautissime protulit in expositione prop. „ 113. inquiens : *Videtur deduci posse* „ *quod multoties* (non tamen perpetuo , ut salvet incrementum *Mercurii* flantibus , citra pluviæ suspicionem , ventis Septentrionalibus , aliasque excipiat , ut suo loco fatetur , supremæ Atmosphæræ „ agitationes (*cum imminet aliqua diu-* „ *turna , & continuata pluvia in illa Re-* „ *gione* (& quidem diaphana non raro apud nos adhuc vigente , non tamen diu-

„ tina ,

„ tina, ſerenitate (*tunc Mercurius in fi-*
„ *ſtula per aliquos gradus ſupra conſuetam*
„ *altitudinem elevatur*, quaſi hic ſit ſum-
mæ repletionis, ſupra notatæ, non du-
rabilis ſtatus, pluviam imminentem, hoc
eſt non longe diſtantem, prænuncians,
cum videlicet elevatur *Mercurius* exceſſu
ſupra morem ſatis inſigni, ut conſtat ex
illius verbis, nam in conſueta circiter,
vel paulo majori altitudine conſtitutus,
cum modicam ſolummodo denotet vapo-
rum copiam, ultro tamen etiam augen-
dam, congeri, licet in aere aliquod aug-
mentum ponderis indicet, diuturnæ ni-
hilominus etiamnum ſerenitatis potius,
quam pluviæ ſignum eſſe conſuevit: *E*
„ *contra* (ſubjungit idem Borellus) *plu-*
„ *via jam actu cadente Mercurius in præ-*
„ *dicta fiſtula deprimi ſolet*, decreſcente
videlicet per excretionem pluviæ incum-
bentis aeris preſſione, & pondere. Quare
inferius eadem cautione, & circumſpectione adhibita concludit: *Fieri poteſt*
„ *ob aeris preſſionem ſupra Mercurium ſta-*
„ *gnantem in fiſtula, ut ante pluviam*
„ (ly *ante pluviam*; totum, ſerenum
„ etiam tempus, omnem penitus plu-
„ viam vere antecedens connotante) *aer*
„ *multo magis gravitet, & comprimat,*
„ *quam in ipſo pluviæ* (etiam vaporoſæ,
„ ut infra) *deſcenſu*. Neque per hoc
quod in magna *Mercurii* elevatione dica-
tur pluvia imminere, audiendus eſt tex-
tus de immediatiſſima pluviæ propinqui-
tate, ſed tantummodo de morali; quan-
doquidem clare circa hoc ſe ipſum ex-
plicat laudatus Auctor prop. 115. in-
„ quiens, Quod *per aliquod tempus, an-*
„ *tequam pluvia deſcendat fieri poteſt, ut*
„ *Mercurius ſupremam illam altitudinem*
„ *pertingat, in eaque etiam permaneat*,
ex quo notabile aliquod temporis inter-
vallum ante pluviam intelligi debere,
neminem latet; uſquequo enim in ea al-
titudine ſuſtinetur *Mercurius*, poteſt qui-
dem non longe diſtans pluvia, utplurimum, præmonſtrari, minime tamen po-
teſt tunc ea contingere, cum *ipſa jam*
„ *actu cadente Mercurium abſolute depri-*
mi, nuperrime protulerit.

Jamque duobus expoſitis, præviæ nempe ſerenitatis, & ſubſequentis pluviæ temporibus, nodus difficultatis coarctatur ad reliqua duo tempora, quorum unum eſt illud nubilum aqueis particulis abunde ſcatens, quod pluviam ſenſibilem proxime inſtantem immediate antecedit, & quo (ſi ſenſui ſit danda fides) cum major quam ſereno appareat ex nubibus vaporum copia, *Mercurius* deberet altius attolli, cum tamen per experientiam humilius ſubſidat: Alterum vero tempus eſt ſerenum illud, quod pluviam delapſam immediate ſubſequitur, quo vice verſa *Mercurius* attollitur, cum tamen potius decrementum ejuſdem deberet inducere abſoluta jam penitus aquearum particularum excretio.

Pro nodi utriuſque integra ſolutione, diſtinguere oportet diverſos vaporum pluvioſorum in nubes proxime deſcenſuras concreſcentium modos, ac motus, juxta quod omnes aer nubilus ſereno quidem gravior dici poteſt, facta comparatione cum ſereno ſubſequente, & aqueis jam particulis expurgato, ſed non ſemper cum ſereno antecedente, aqueiſque vaporibus jamdudum referto; iſto enim ſolummodo magis gravitabit nebuloſus aer; ſi talis evadat per ſupervenientiam novæ ſupra jam congeſtam materiæ, & inſuper ſi talem materiam additam in ſe ſuſtineat, nec ullo pacto in terram dimittat, quæ ſanæ duæ conditiones cum adſunt, tunc vere per nubiloſum etiam tempus, experientia teſte, elevatur *Mercurius*, ut omnino deſtinguendum ſit tempus nubilum, quod pluvioſum nullo pacto futurum eſt, ab eo, quod eſt proſſime ceſſurum in pluviam, cum in primo caſu reſtitantibus intra aerem iiſdem ponderoſis vaporibus, numquam deprimatur *Mercurius*; in ſecundo vero utique: Quia ergo nubilo tempore non modo non ſemper attollitur, ſed utplurimum, vel ibidem permanet, vel, quod frequentius eſt, etiam ſubdit idem *Mercurius* (& hæc eſt potiſſima difficultas) ideo tunc vel alterutram, vel utramque allatam conditionem deeſſe neceſſe eſt; quapropter in hiſce caſibus nubilus aer pluviam præcedens (ut iſtius prima ratio habeatur) non modo ſereno prægreſſo gravior non eſt, ſed aliquando æque tantummodo gravis, & aliquando inſuper poſitive levior, ut mox ſingillatim oſtendetur; Quod æqualem ſereno nubilus aer quandoque ſervet gravitatem, uſquedum videlicet æqualem adhuc ſervat *Mercurius* altitudinem, duplici potiſſimum ratione contingere poſſe credendum eſt, vel quatenus abunde jam ſaturo aqueis

particulis cæruleo, fuscove aere (talis quippe color est sereni aeris altis vaporibus repleti) illi iidem vapores, qui ipsum serenum aerem disgregatim sublimius imbuebant, per majorem postea, glomerosumque contactum, & exclusionem materiæ levioris intercluſæ, mutata solum textura, & situ, densiores fiunt, atque e poris aereæ compagis expressi (ubi eos, ut diximus, collocavit Borellus prop. 259.) in quoddam quasi velum crassius coalescunt, & lentissimo nisu recta paululum descendentes, diaphaneitate deperdita, ob umbram mutuam diversimode refracti luminis, opacum aerem reddunt, absque ullo, ut patet, novæ materiæ, aut aerei ponderis incremento; vel potest hujusmodi opaci, & nubilosi aeris pondus manere idem, ac antea cum serenus erat, quatenus vapores sub longinquo Cœlo in nubes coagmentati, aliisque ventorum transversaliter vecti, non autem intra poros illius ipsissimi aeris divisim recondiri, eundem aerem præexistentem deturbant, depulsa videlicet non proprio conatu, sed per violentum ventorum impetum æquali portione, & mole ipsiusmet aeris eundem præcise locum, & situm antecedenter occupantis; ac proinde iisdem nubibus succedentibus æqualiter, vel fere æqualiter ponderosi; in quo pariter secundo casu nec ullum sensibile fieri potest in aere sic permutato augmentum ponderis, opacitate nil in contrarium probante, cum cæteroqui aere nitido levior sit fumus ater, oleumque minus gravitet, ac gravitet aqua, qua tamen longe est opacius. Quod vero sæpissime ipsius nubilosi aeris gravitas minor adhuc positive fiat ingruente pluvia, & paulo ante deciduas guttas, ut ideo tunc temporis deprimatur *Mercurius*, licet, si non tota moles, plurimæ saltem magmatis aerei particulæ concrescentes in imbrem ponderosiores fiant, facile erit conjicere; si hoc ipsum considerare non pigeat, quod ob illud idem, quod plures particulæ fiunt graviores reliquis, ob id præcise debent ab illis statim secedere, & subsidere, molemque idcirco universam allevare: idque de facto imminente proxime pluvia contingere satis constabit, si experientia duce, lubeat animum adjicere præcoci illi ante crassiorem pluviam vaporum aqueorum præcipitationi, & dimissioni ab aere in terram, quæ apud nos nomine aeris humidioris communiter audit, & sic pluviam ipsam distinguere in sensibilem, & insensibilem; istam namque nobis vel insciis; vel negligentibus perpetuo illi præcedere, & sarcinam aeris diminuere, quoties decrescente *Mercurio* aer ipse ad pluviam sensibilem proximus disponitur, haud ægre sibi suadebit quisquis attendet, ipsa, quod magis est, inculpata serenitate, Rorem, & Pruinam, etsi post casum sensibiliores, inconspicuo descensu, discreto tamen, interpolato, & minimo in terram delabi: Id ipsum tamen validius adhuc evincit prævia illa eadem universalis humiditas, cujus causa frustra licet sæpius oculis quæsita dum perpluit, acutam tamen quandoque ipsorum aciem (quippe crassiuscula) non penitus subterfugit; per quam propterea, & occulte delabentem, & manifeste delapsam capilli sensibiliter humectantur, vel saltem flaccescunt; silices, & marmora madescunt lubrica superficie; sal sponte liquescit, atque dissolvitur; lucernæ accensæ crepitant, ac si ellychnium aqua conspergeretur, & extinctæ fœtent; membra incuneato intus madore perfusa tument, ac dolent; funes fidesque supra modum tensæ, & inflatæ disrumpuntur; ligna cæteroqui siccissima novo humore quasi revirescentia, ut aquis immersa, & obruta excrescunt, in tantum ut ostia, & fenestræ intra consuetos limites ægre adaptentur, vitreæ fistulæ tenuissimæ, atque terssissimæ aperto tunc aeri, ut & flantibus Austris expositæ, satis jucundo spectaculo paulo post aqua sensibili intus perfusa deprehenduntur; & sexcenta hujusmodi contingunt Phænomena, quæ, ut instantem pluviam sensibilem vel rudioribus de more prænunciant; ita actualem insensibilem accusant Philosophis; Vix enim concipere possumus, quod dum nubes ante pluviam sensibilem proxime secuturam, oculo judice, ad terram magis appropinquant (secus enim pluvia sequi non consuevit) jure pari eædem nubes secundum aliquam inchoative portionem sui, prævio insensibili influxu terram non assequantur, & enucleatos edant effectus: Neque enim in vapores ab humo exhalantes id potest refundi; ut qui a marmoreis saltem, & imis Urbium compitis, molaribusve Platearum lapi-

lapidibus ante pluviam ocularitèr madescentibus exprimi nequeunt; & quotiescunque etiam a capaci minera, & tempore idoneo eos elevari contingat, tunc non proprio, sed alieno potissimum pressionis nisu protrusi; vim longe minorem possidet in ascensu, utpote ad vacuum tendentes, & omni impetu cassi, quam ut aerem intra funium, lignorum, fidiumve spatiola latitantem possint depellere, & multo minus intra talium corporum poros incuneari, eosque ultro etiam distendere, adeoque culpari nequeunt ut causa talis humectationis, in solos ideo jam condensatos vapores acquisito semper gravitatis impetu ab alto decidentes omnino refundendæ: quippe cum istæ jam condensatæ, & deciduæ *Minimæ particulæ aquam componentes* ex Borello prop. 274. *minores sint particulis aerem componentibus, adeoque per corium, vasa fictilia, & ligna aeri impervia exudantes*, altius in ista corpora, ac assurgentes vapores, & aer ipse, quem proinde trudunt, per auctum successivo descensu gravitatis impetum poterunt implantari, eorumque porositates in morem cunei violentius distendere, & ultro ampliare; ut in funibus ingentia pondera sustinentibus ab aqua fieri eleganter explicuit Borellus ipse de Vi Percussionis. Quod si crassiusculi hujusce madoris ascendentes vapores criminari quis vellet, profecto a volantibus, ut notum est, Veris tempore, & prima Æstate indesinenter a Terraqueo Globo humidiore, & vim acrioris caloris jam persentiente copiosissimis vaporibus, necessario cuncta assidue madescerent, cum tamen præ siccitate incipiant ligna retrahi, & scissuras contrahere, omniaque sensui patere intensioris siccitatis inditia; Vapores etenim ascendentes, cum ad ulteriorem, ut mox explicabimus, rarefactionem tendant, semper magis redduntur ad humectanda corpora inertes; secus vero decidentes, cum ad majorem densitatem vergant, & in aqueam simpliciter redeant naturam, humectandis iisdem corporibus aptiores fiunt. Hinc non parum labefactur opinio alterius Borelli Gallici Chymici, quam obiter innuit Philosophia Burgundica Physicæ generalis tract. 2. cap. ultimo: *Pluvio nempe tempore magnam vaporum copiam e terra ascendere, qui propter impenetrationis necessitatem, aerem graviorem alio trudentes, Atmosphæram reddant leviorem*; nam præterdicta superius, & præter quam quod in hac Plenistarum hypothesi videntur vel vacuitates omnes ab aere ablegari, vel supponi vapores magna vi propria (ac si daretur levitas positiva) aerem prementem repulsare, cum tamen & ipsi graves, minus licet, ab illius pressione coacti sursum urgeantur, ut in fumo probavit Borellus noster prop. 66. difficile est insuper intelligere, quod eo tempore, quo graviores vapores, appropinquante saltem, si non inchoata jam pluvia, descensum moliuntur, immo non raro visibiliter etiam depluunt; minusque graves ab humo copia uberiore (mere suppositа) assurgant, & per motum oppositum quasi victores incumbentis aeris repercutiant pondus, cui sedem pacificam, qua data porta aufugientes, atque detrusi debent concedere salvis etiam quæ ab Italo Borello dicuntur prop. 168. de quibus obiter suo loco. Haud equidem inficior, aqueos vapores pro diverso eorum statu esse reliquo aere modo leviores, modo graviores; leviores quidem, dum sursum aguntur halitus tenujoris specie, graviores vero. dum infra ipsum aerem suo pondere conantur delabi; sed in utroque statu semper aeris gravitatem ab iis intendi extra dubium videtur: siquidem Ascendentes, licet aerem leviores, ipsi aeri minime deturbatorintime adjiciuntur, nec propterea Cylindrum, quem augent, priore leviorem possunt constituere, maxime cum doceat experientia, ipsis etiam manifeste in nubes aeri simpliciter innatantes, non vero cadentes; vel unquam casuras, coagmentatis; *Mercurium* nullatenus deprimi, cum ex oppositо absentibus nubibus deprimatur ab humido tantum Austrorum afflatu, inditio manifesto non quamlibet vaporum existentiam in aere, minorem illius gravitatem inducere (oppositum enim vaporosa primæ æstatis serenitate observamus) sed eam solum, quæ inconspicuum saltem eorundem delapsum in terram includit; Descendentes vero vapores, etiamsi eundem aerem loco depellant, cum tamen graviores sint portione depulsa (secus non descenderent) Cylindrum pariter per sui morulas graviorem ex parte constituunt Cylindro simpliciter aereo. Cum ergo vapores in regione infima pluviam præcedentes de genere descendentium, vel

descen-

deſcenſum molientium eſſe ſatis conſtiterit, etſi ab iis etiam ſupponatur aer ipſe detrudi, ſemper tamen dicendi ſunt, antequam terram irrorent, aereum pondus augere; nec alia ratione dicuntur a nobis tale pondus ab iiſdem antecedenter adauctum inſtante tandem proxime pluvia imminuere, & *Mercurii* depreſſionem inducere, niſi quia tunc temporis incipiunt ab aere excuti, & ab humo excipi, ac ſuſtentari, quatenus nempe tunc infimum iſtum aerem continuato defluxu quaquaverſum inebriant, & ampli, lentique inviſibilis adinſtar fluminis in terram delabuntur, quam dum latenter attingunt, ejuſque ſuperficiem humectant, neceſſario portio ponderis non contemnenda ab aere demitur, quod præclare in prop. 115. expreſſit Borellus hoc ſenſu: *Si poſtea a qualibet cauſa nebula* „ *impellatur, ut terram paulatim attin-* „ *gat, & eam humectet, patet illam non* „ *amplius aeris gravitatem augere; ſed* „ *imminuere, &c.* ut formalibus verbis ſuo loco exponemus; unde eodem alleviato, nobis licet non percipientibus, aere, *Mercurius* paulo ante pluviam ipſam ſenſibilem manifeſte deprimitur, niſi aliunde ex reliqua Atmoſphæra nova ſuppeditetur materia priori æquiponderans, & *Hydrargyrum* ibidem ſuſtinens, ut in diuturnis pluviis quandoque aſſolet, ac quemadmodum in proxime elapſo Decembri pertinaciter imbrifero obſervaſſe retulimus. Quod ſi aliquando contingat nullam prorſus inſenſibilem pluviam ſenſibili viam ſternere, ut in repentinis, atque nimboſis pluviis identidem ſuccedit, iſtis nec ullum ſenſibile *Mercurii* decrementum præcedet, quemadmodum non ſuccedente poſt inſenſibilem pluvia ſenſibili, ut fit non raro propter ventorum afflatus, ipſa tunc contingens *Mercurii* depreſſio expectatæ ſenſibili pluviæ falſo præludit, ut ideo longe verius valeat ſtatuere, eamdem *Mercurii* depreſſionem actuali jam pluviæ (ſaltem vaporoſæ) regulariter aſſociari, ſicuti ex duorum annorum exactiſſimis obſervationibus expreſſe Borellus tradidit citatis verbis prop. „ 113. *Pluvia jam actu cadente Mercu-* „ *rius in prædicta fiſtula deprimi ſolet.*

Ad id vero, quod pro alio ſereno tempore pluviam immediante ſubſequente addebatur (& erat alter difficultatis nodus) nimirum, quod aere tunc per pluviam ſenſibilem exonerato, deberet *Mercurius* deprimi potius, quam elevari ipſa reſponſum ſuggerit experientia, cum vere evacuata aqueorum vaporum ſaburra *Mercurius* ex quotidiana obſervatione ad aliquod tempus depreſſus maneat, modo quidem magis, modo minus, pro ut magis, vel minus, citius, vel tardius a Terraqueo Globo, vel a circumſtante Atmoſphæra, nova ſucceſſive ſubminiſtratur propinquo aeri magis inani vaporoſa materia, intra relictas vacuitates, ubi minor eſt reſiſtentia, per mechanicam preſſionis neceſſitatem ſubintrans in ſupplementum deperditæ; ex quo novum ſubinde *Hydrargyro* paulatim redditur incrementum. Atque ita his omnibus modis ſufficienter explicatos reor ſenſibiliores quacumque tempeſtate, & conſtitutione *Mercurii* motus, ipſo quidem per ſerenum tempus tum diſtante, tum appropinquante pluvia, per gradus elevato, per nubiloſum inchoata pluvia, & per pluvioſum adaucta, depreſſo, ac per ſerenum rurſus delapſa jam pluvia, ſubſidente nonnihil, iterumque ſucceſſive elevato: quas omnes *Hydrargyri* pro ratione temporum varietates allata hucuſque explicatio integre comprehendit.

Juxta hanc rationem a Celeberrimi Borelli Itali fundamentis reſultantem ſatis patere arbitror nequaquam in hoc experimentum hallucinatum eſſe ipſum Borellum, cujus dignitatem, ne minimum quidem, lædit ejuſdem experimenti ſimpliciſſima veritas, ſi modo cum eo doctiſſima illius ſcripta conferantur: quod eo libentius me impræſentiarum pro viribus aggreſſurum polliceor, quo certior ſum hac in re de te ipſo, Vir humaniſſime, qui cæteroqui ſumme perſpectam ſcio Borelli famam, non minus ac de literalia Republica benemereri, ſi Virum Clariſſimum a quacumque, vel levi, incuriæ, aut deceptionis umbra vindicaverim.

Inquit itaque laudatus Vir lib. eodem de Mot. natural. a gravitate pendentibus „ prop. 115. *Mercurius in fiſtula Torricel-* „ *liana altius elevabitur, dum aer nebulis* „ *pluvioſis impregnatur.* At quandonam magis impregnatur, quam cum ſerenus eſt, totoque tempore omnem pluviam antecedente, quo pluvia ipſa, ut ita dicam, in aerem aſcendit? Hic ergo animadvertendum eſt ſermonem procedere de Ne-

de Nebulis pluvioſis, non de Pluviis nebuloſis; immo nec de Nubibus ipſis, quarum nuſquam ulla fuit mentio, cum ſint mere accidentales, & ex varia vaporum textura pendentes, adeoque tum cum depreſſione, tum cum elevatione *Mercurii* compoſſibiles, juxta varium pondus, quod vel ſimpliciter innatando, vel ad terram uſque deſcendendo, poſſunt intra aerem exercere: Cum igitur de Nebulis pluvioſis loquatur Borellus audiendus eſt de nebulis potiſſimum aſcendentibus vaporis ſpecie, quibus videlicet ſolis aer poteſt dici imprægnari, & in morem ſpongiæ imbui: nt eidem pariter Borello placet, cum terminus iſte tendentiam ſurſum importet; non vero de deſcendentibus ad terram uſque, quibus ſic prodeuntibus aer deſinit imprægnari, & incipit parere. Quas nebulas aſcendentes ſolos aqueos vapores eſſe per ſerenitatem exhalantes colligitur ex ipſo Borello prop. 64. ubi nebulæ aſcendentis ſtructuram aſſimilat ſtructuræ fumi, qui procul dubio vaporoſus aſſurgit, dicens; *Fumum eſſe agravatum ex particulis miminis ab invicem ſeparatis, ut præclare in nebula obſervatur, & in aliis aqueis vaporibus*; in quo textu nebulas, & vapores aqueos ſub eadem promiſcue appellatione comprehendit, & paulo poſt ſubdit: *Illa nebula, quæ repræſentabatur continua* (& loquitur ſemper de aſcendente, quam fumo proinde comparat,) *apparet eſſe conflata ex immenſa multitudine exiguorum granulorum aquæ, quæ lento quodam motu per aerem agitantur*, quales pariter iſtas nebulas, quas in caſu noſtro nomine pluvioſarum indigitat, adamuſſim deſcribit, & in altiſſimis aeris partibus reponit in contextu: Vocat autem Pluvioſas, ſeu, ut idem explicat, aqua gravidas, non quia actu depluant, ſed quia remota cum ſint pluviæ materia, in pluviam tandem ſunt reverſuræ, ad differentiam terreſtrium, ſiccarumque nebularum, quæ cum late diſſipentur abeuntes in aerem, nec pondus illius notabiliter augent (nec pluvioſæ queunt ſtricto modo appellari: *At poſtquam pluvia*) ſequitur Borellus (*delapſa eſt*) vel ſecundum partem, vel ſecundum totum) *de-* „ *nuo Mercurius in fiſtula deprimitur*; proportionaliter videlicet ad pondus decidens, & ante novum vaporum reditum, quibus reccurrentibus, recurrit iterum prima pars ejuſdem propoſitionis.

Sed ne videamur ludere in verbis, jam palam evidentiſſime fiat genuinus ſenſus allatæ propoſitionis, qui profecto non alius eſſe poteſt ab eo, quem ſemel atque iterum retulit immediate ante Borellus ipſe prop. 113. ut alias notavi- „ mus, ſcilicet, quod *appropinquante* „ *pluvia Mercurius ſoleat elevari, plu-* „ *via vero jam tactu cadente, depri-* „ *mi*, & quod *aer magis graviter ante* „ *pluviam, quam in ipſo pluviæ deſcen-* „ *ſu*; Quare cohærenter ad iſtos clariſſimos textus, idem prorſus terminis univerſalioribus, ideoque diverſis, concludit in prop. 115. quam tamen, priuſquam ſtatuat, evidentiſſimo experimento (quod accuratiſſime inſtitutum ſuppono) antecedenter demonſtrat in prop. 114. quæ pro tranſcripta ad literam integre hic habeatur, utpote quæ ſecundum omnia ſua membra 115. in cujus gratiam præmittitur, exacte reſpondet. Facta itaque ſeria horum omnium collatione, ſenſus iſte indubitanter ex controverſa propoſitione reſultat, nempe, quod * Dum aqueæ particulæ intra aerem ſimpliciter degunt ſupra ſuperficiem *Mercurii* ſtagnantis, idem *Mercurius* ab addito iſto pondere elevatur, dum vero infra illius ſuperficiem concidunt, & terram incipiunt attingere, ab iſto demoto pondere per gradus deprimitur. * quemadmodum immerſo intra puteum oleoſum Barometro, citata prop. 114. additoque inſuper Vaſe arena, vel aqua pleno) ut adduntur in aere aquæ nebulæ) *Mercurius* elevatur; eodem vero revoluto Vaſe, quandiu arena, vel aqua deſcendens *Mercurii* ſuperficiem non prætergreditur (ut cum nebulæ remotiſſimo deſcenſu lente deorſum vergentes nondum delabuntur infra *Mercurium*) tandiu præciſe Mercurius ibidem ſiſtitur; at ſtatim ac infra *Mercurii* ſuperficiem delapſa arena, vel aqua purei fundum perreptat (ut nebulæ ipſæ, cum terram paulatim attingunt) *Mercurius* quoque proportionaliter ſenſim deprimitur. Quibus dubio procul ad mentem Borelli ſic ſtantibus non poteſt ullo pacto intelligi in allata prop. 115. pro nebula pluvioſa *Mercurium* attollente nebula perpluens, & decidens in terram, ut eam aſſequatur cum „ *pluvia jam actu cadente*, ut videmus

„ *ter-*

„ *terramque premente, ac propterea ſe-*
„ *cundum aliquam portionem ſui delapſa,*
„ *deprimatur Mercurius*; ſed debet conſtanter intelligi quilibet aeris ſtatus ante vaporum translationem in terram, ſive deinde (ut crebrius aſſolet) ſerenus ſit aer, & vapores congerat, aut diſcretos aſſervet, ſive nubilus, & eos opaciores citra deſcenſum ſuſtineat, ſive denique ſit in tali diſpoſitione, ut vel nnbilus, vel leviter ſolum turbatus eoſdem etiam incipiat remote (præciſo ſemper terræ contactu) deorſum dirigere; quarum omnium varietatum reſpicientium Prognoſim temporum, in fundando ſuo univerſali Theoremate, aeris pondus, non temperiem explicante, minime ſolicitus fuit Borellus Philoſophum agens, non Aſtronomum.

Et huc revocanda ſunt, quæ ſupra firmavimus de Pluvia vaporoſa, & inſenſibili tot rationibus, & effectibus ſenſibilibus manifeſta, qua ſola rite examinata, nulla poteſt eſſe in Borelli propoſitionibus, & Experimentis dubietas; ſiquidem ex alias enumeratis Phænomenis, quæ apud omnes audiunt a ſæculo pro ſignis futuræ pluviæ, patet, vapores aqueos terram imbuere, atque comprimere, & in aere infimo nobiſcum cohabitare quandoque longe ante pluviam ſenſibilem, & ipſa aliquando etiam non ſuccedente, immo in ipſa ſerenitate paululum turbida; quare etſi motis etiam ab alto cum lenta directione ad terram vaporibus, *Mercurius* adhuc altus ſuſtineatur, ante eorum contactum cum ſuperficie Terræ, talis tamen vaporum tranſitoria ſuſpenſio, & brevis eſt, & nobis occulta, ac cum ſereno tempore plerumque confuſa, eo enim ipſo, quod vel leve illius inditium nobis apparet, jam vapores noſtram infimam regionem, & terram ipſam aſſequuntur; quare tempus omne deſcenſus illorum ante contactum terræ, a prævio tempore ſimplicis innatationis nequit diſtingui, ſed cum eo prorſus coincidit, tum quo ad premendum æqualiter *Mercurium*, tum quo ad nullos adhuc pluvioſos producendos effectus nobis ſenſibiles. Cardo igitur difficultatis verſatur in dignoſcendo præciſæ tempore, quo vapores iſti terram premunt, vel non; cum vere non raro apud nos perpluant, & per quandam veluti præcipitationem quaſi e ſpongia exprimantur, ob inexplicabiles ſuperioris Atmoſphæræ agitationes, tunc cum minus videntur perpluere, quod flantibus in ipſa, qualicunque, ſerenitate Auſtris, & Euronotis eſt manifeſtum, ut ideo quotieſcunque craſſior quædam humiditas, & mador in infimis corporibus, puta ſaxis, lignis, aliiſque recenſitis deprehenditur, ſive id per nebuloſam, nubiloſam, turbatam, vel etiam ſerenam (eo quo poteſt modo) tempeſtatem contingat, toties infallibiliter (& alias etiam cum minus ſenſibilis eſt mador iſte) actualem aqueorum vaporum deſcenſum in terram liceat ſtatuere. Unde mirum non eſt, ſi per aliquot horas, immo per diem quandoque integrum ante pluviam ſenſibilem conſpicua reddatur *Mercurii* depreſſio, ab imminuto per vaporoſam pluviam aeris pondere, atque diſcerpta ſubſtantia procedens, quam propterea depreſſionem falſo quis vaporibus ſimpliciter innatantibus: vel terram nondum aſſecutis adſcribet. Quamobrem inconcuſſum adhuc Doctiſſimi Bo-
„ relli ſtat Theorema, quod *Dum aer*
„ *nebulis pluvioſis imprægnatur*, & ipſis gravidus manet in quacunque ſui parte (dummodo fœtus terram non premat, ſecus non amplius prægnaret aer)
„ *tunc Mercurius elevatur. At poſtquam*
„ *pluvia delapſa eſt*, ſeu poſtquam nebulæ, & vapores illi terram attigerunt (alleviato ſic, vel partialiter, vel totaliter, vel ſenſibiliter, vel inſenſibi-
„ liter aeris pondere) *Mercurius in fiſtula denuo deprimitur*, proportionaliter ad deſcenſum vaporum, & antequam recentibus iterum, quod paulo poſt ſolet contingere, Aer imprægnetur. Atque ita quamlibet pluvioſam humiditatem comprehendendo Torricelliana fiſtula, in qua *Mercurius* per ſiccitatem creſcit, & per humiditatem decreſcit, ſibi non minus (ac forte univerſalius) Hygrometri, quam Barometri nomen poterit in poſterum vindicare.

His in hunc modum ſtatutis, progreditur ad demonſtrandam Propoſitionem ſuam Vir Peſpicaciſſimus ſubnectens:
„ *Ab hoc evidentiſſimo experimento* (videlicet in antecedente prop. 114. enun-
„ ciato) *problema noſtrum ſolvi poſſe*
„ *cenſeo*; *quandoquidem quid aliud ſunt*
„ *nebulæ pluvioſæ, ſcilicet aqua gravi-*
„ *dæ, quam aggregatum ex innumeris*
„ *gra-*

„ *granulis minutiſſimis aqueis* ? (quam bene concordat hic textus cum nuperrime allato propoſ. 64. nebulam aſcendentem, & fumo comparatam deſcribente!) „ *Et cum prædicta nebula in altiſſimis* „ *aeris partibus innatat* (en explicita aeris inferioris ſerenitas per expreſſam innatationem rarioris, & diaphanæ nebulæ, & per ſitum altiſſimum, in quo „ eadem ſuſtinetur (*vel lentiſſimo motu* „ *aqueæ particulæ ejus deſcendunt*) en aliqua non nunquam ſerenitatis turba- „ tio, quatenus ex eadem prop. 64. *præ-* „ *dicta granula aquea copioſiſſima vagan-* „ *tia per aerem non facile viſibilia ſunt* „ *ſigillatim ob eorum exiguitatem, ſed poſ-* „ *ſunt, quandoque magis, quandoque* „ *minus, pro varia raritate, vel den-* „ *ſitate, tranſitum luci impedire* : Cum inquam lentiſſimo motu deſcendunt aqueæ altiſſimarum nebularum particulæ, hoc eſt errabundo, & tortuoſo progreſſu obvios aere texturæ mæandros cæſpitanter, ac oblique pervadunt, ibidemque immorantes, & ab ipſo adhuc aere ſuſtentatæ varie, & lente admodum circumaguntur ad centrum, nondum tamen, ut infra ex contextu, terram attingunt, eamve uſque adhuc humectando aſſequuntur). „ *procul dubio ſuo pondere naturali au-* „ *gent aeris gravitatem* (quatenus intra illius vacuitates, ut alibi, ſuperauditæ reconduntur; atque nonnihil „ immorando vagantur) *ideoque majori* „ *niſu Globum Terraqueum comprimunt,* „ *quam aer purus, & aqueis guttulis* „ *omnino privatus conſtringere eum poſſit;* „ *& ideo fiſtula Mercurialis A. B. C. in* „ *infimo prædicto conſtituta comprimitur,* „ *nedum a pondere ſuperſtantis aeris, ſed* „ *præterea a pondere totius aquæ nebu-* „ *lam ſupremam componentis* (vocando hanc ipſam aquam nomine iterum ſupremæ, & altiſſimæ nebulæ, nunquam vero Nubis, ut ipſam comitem ſerenitatem includeret.)

Hic autem conſiderat Auctor aqueam vaporum naturam, in quam ſunt reſolvendi, & incrementum aeri ponderis per additionem eorum, ſive ipſi innatent aeri, ſive intra eum longe a terra deſcendant, ac denique ejuſdem aeris ponderis decrementum per hujuſmodi vaporum (non ſine terreis etiam particulis) ablegationem, & translationem in terram; juxta quas omnes itus, & reditus viciſſitudines, alterna quoque ſuccedit ſecundum diverſas Atmoſpheræ partes, & ſecundum diverſa itidem tempora, ſerenitatis, & pluviæ perpetuitas. Hinc haud difficulter poteſt elici conjectura excelſi, atque mirandi vaporum aſcenſus, & expreſſionis eorundem a Globo Terraqueo, cum enim innumeras aeris vacuitates per totum Cap. 12. abunde probatas (quas etiamſi ſupponamus æthere perfuſas, parum refert) hoc loco ſupponat Borellus, facile eſt intelligere ad ſeriem doctrinæ illius, quod ubi aer ſecundum notabilem portionem fuit, ſive ob pluvias antecedentes, ſive ob quamlibet cauſam vaporoſis aqueis guttulis interpoſitis magis privatus, atque inanis extiterit, aer reliquus circumjacens, magiſque plenus, ac denſus Globi Terraquei ſuperficiem (ut ejuſdem, ut ſupra, Borelli verbis utar) majori niſu conſtringet, ac illam conſtringat, & comprimat antedicta portio majoribus vacuitatibus ſcatens, in eaſque propterea vacuitates, & capacia inania ſpatiola, ubi nulla eſt reſiſtentia, neceſſe erit ſurſum urgeri particulas aqueas uſque ad propinqui aeris æquilibrium, quemadmodum in Vacuo Torricelliano. Aqua per hujuſmodi preſſionem ad trigintaduorum pedum altitudinem elevatur. Sed quia ſicuti de fumo notat idem Borellus prop. 66. quod *abſque exhalationibus igneis non poſſent ad inſignem altitudinem fumi particulæ elevari*; & concludit *ab igneis particulis fumum rarefactum elevari poſtea ab impulſu gravioris aeris ambientis per expreſſionem*; ita de Aqua animadvertit prop. 275. *certum eſſe ignis particulas ſeu exhalationes, perpetuo diſcurrere, fluereque per omnia corpora tam denſa, quam fluida, & quo major erit copia diſcurrentium igniculorum, eo magis corpora inertia, ut ſunt aquæ particulæ intra aquam equilibratæ, agitari, impellique poſſe, & perſeverante præſertim Aqua in ſtatu fluido, per eam procul dubio inſignem copiam igniculorum diffundi, & agitari*; & in progreſſu fidentius infert, *probabile eſſe, ut in ſtatu præſertim fluiditatis magna copia igniculorum, vel exhalationum ignearum impellere poſſit minimas Aquæ particulas, eaſque inſinuare intra vacua ſpatia tabulorum aereorum*; eſto etiam quod per tranſennam in prop. 168.

aqueis

aqueis vaporibus non modo conceſſerit, præter vacuitatum repletionem, particulas ipſas aereas e ſuis quandoque loculis nonnihil dimovere, & eas perterebrare, ut viam ſibi parent ad vacuum (non ita tamen ut procul abeant aereæ, ſed tantummodo ut cedant in ſe ipſas, ſuaſque intimas vacuitates receptæ) verum etiam eoſdem vapores ab aqua hyemis tempore motu placido diflari protulerit abſque adjumento ignis (intelligendo tamen defectum ignis ſenſibilioris, ad differentiam vaporum ferventis aquæ) aut alterius, ut inquit, rapidæ violentiæ: cujus textus, etſi occaſionalis, ſenſum cum dogmaticis ſuper allatis poteſt conciliare quilibet intentionem Auctoris in diverſis hiſce caſibus accuratius attendet: in quo inſuper textu, ut & in aliis infra adducendis, licet vapores aqueos, atque nebulas nil aliud eſſe, quam congeriem exiliſſimarum particularum aquæ prodiderit, attamen hoc tantummodo relate ad potiorem partem concretum vaporis conſtituentem, & denominationem aquei illi tribuentem intellexit, cum cæteroqui in ipſis vaporibus incluſos perpetuo, ut ſupra, ſimul igniculos, ubique comprehendat, atque ſupponat, quod una hic pro pluribus vice admonuiſſe ſufficiat: Quia inquam indubitanter ex Borelli mente intra ipſam aquam (idem dico proportionaliter de terreis exhalationibus) aliqua degit ſubtilior materia, ſive a Sole, ſive ab Æthere, ſive ab Ignibus ſubterraneis, aliove quolibet calore Terræ concentrico derivata, quæ jugi ſuo motu particulas ejuſdem aquæ indeſinenter evolvit, hinc fit, ut eædem halituoſæ particulæ intra aeris ſpatiola aſſurgentes) dato etiam, quod ſimplex aqua ad extremam tenuitatem quacunque vi cum plurima ſuperficie redacta poſſit ſe ſola aeri innatare, ut ipſi aquæ auri folia ſupernatant) cum non niſi a ſuſceptis igniculis queant attenuari, & dividi, ipſis ideirco intime immixtis, vel alia qualibet leviore intercluſa veroſimiliter turgeant materia (quæ propter ſummam tenuitatem ultra omnia corpuſcula ponderoſiora, etiam, ſi lubeat, ob eorum preſſionem ſuperaſſurgit) adeoque avolantes vapores hujuſmodi non ſint, rigoroſe loquendo, ſimpliciſſima aqua, ſed adjunctam habeant tantam leviorem materiam, ut cum ea concretum quoddam rarius, ſeu moleculam quandam ex majori aquæ, & minimo alterius materiæ pondere conflatam conſtituant (ut in bullis puerilibus ex aquæ, ſapone, & ſpiritu inſuflato confectis fieri obſervat Borellus citata prop. 259.) quæ rara, inanis, & expanſa molecula ſic contexta abſolute æque ſolum, vel minus etiam gravitet, ac gravitat aer data paritate molis, ac proinde ſupra ſortem, & Libellam Aquæ intra Vacuum aſcendentis aſſurgat, repletiſque diſgregato agmine plurimis ejuſdem aeris ſpatiolis (quæ ex propoſitionibus 259. & 274. ingentia valde ſunt comparative ad molem aeris denſam) auctoque ſemper per ſui additionem novo pondere, in ipſum etiam aerem, a quo ſurſum exprimitur, nonnunquam fateſcat, ut in vaporibus effluviis ab aqua fervente elevatis quotidie cernimus. Intra elatiorem ergo aeris regionem tandiu ſpatiantur moleculæ, ſeu, ut cum alia de cauſa turmatim agitatæ, motæ, & confuſæ ulteriorem denſitatem, & opacitatem acquirant, ac per majorem tandem contactum ad invicem diffringantur, avoletque illico in ſupremam regionem contentus halitus, ipſæque effœtæ, ac in aqueam nativam ſimplicitatem redeuntes, molem, & corpus reinduant pari mole ſubjecti aeris gravius, non alia quidem via acquiſito pondere, niſi ob variatam, acquiſitamve molem denſiorem, & ob materiæ ſubtilioris exclusionem, ut in diſtillationibus artificialibus, earumque primo vaporoſis nebulis, poſtmodum ſucceſſivis concretis imbribus palam deprehendimus. In hac autem vaporoſa metamorphoſi in aquea primæva natalia iterum redeunte, talis ut plurimum ſervatur progreſſus, & ordo, ut antecedenter ad pluviam ſenſibilem, ac ſucceſſive perſeverante pluvia, exiles, & inviſibiles (denſiores quippe) vapores aquei paululum graviores aere, ut ſupra, redditi, prævio, & durabili influxu per inſignem loci tractum, infimum ipſum aerem clandeſtino madore imbuant, terramque ſimul lente, occulte, ac prorſus inſenſibiliter conſpergendo ejuſdem aeris clam ſe exonerantis pondus, ac preſſionem imminuant, poſtmodum unitis per majorem adhuc contactum craſſioribus diſtruptarum moleculariarum particulis, in guttas tandem concre-

creſcant, pluviam ſenſibilem efformantes, præcipiti niſu, feſtinanter (medio videlicet ſubterfugiente, & impetum ruentis molis minime ſubſtinente) inferius reducem.

Ex his omnibus varium Atmoſphæræ ſtatum pro diverſa tempeſtatum habitudine ſatis exprimentibus, rationabiliter colligi poteſt, ſerenum aerem, ſerenitate potiſſimum pluviam antecedente, etſi in inferiore ſui parte rutilans ſit, magna tamen vaporum copia turgere in ſuprema, & altiſſima (ut ſupra verbis Borelli retulimus) ad quam cum inſuper clare non pertingat humanus oculus, qui vix veræ ſerenitatis eſt Judex competens ad modicum Atmoſphæræ intervallum, atro-cœruleum longinqui aeris colorem (diaphanum quippe) ſerenum judicat, præcipue cum nebulæ ibidem degentes ſint in morem corpuſculorum in Solis radiis conſpicuorum intra cubicula, nec propterea aeris ſerenitatem rigoroſe tollentes, ſimilitudinem adducente Borello in citata pr. 64. E contra quando vapores, vel nubium ſpecie, vel turbidiore ſolum influxu deſcendendo infimum aerem, terramque ipſam inficiunt (quod dum inſenſibiliter perpluunt, ſolet contingere) tunc aerem, qui vere pluvioſus eſt, nubilum, & caligantem tantummodo judicat oculus, delapſo vero univerſo vaporum cumulo, nitidiorem ſatis, perſpicuam, pellucidam, minuſque luteam priore ſerenitatem intueri certius ſuademur, cœruleo colore, & glaſteo (qualis fere nubibus quandoque fulmineis per æſtatem competit) in vividiorem, & ſplendidiorem converſo; Nec prorſus injuria ſenſuum fidem videtur eludere Borelliana hæc hypotheſis tot vapores ſereno, & luminoſo aeri tribuens, quot nubiloſo, & opaco: quandoquidem notum eſt plus vaporum, & materiæ craſſioris ineſſe candelæ accenſæ, cujus e lumine lumen carpimus, quam recens extinctæ, cujus fumo cæcutimus. Quibus ita ſe habentibus, & ad regulam ponderis intra aerem creſcentis, & decreſcentis, creſcente quoque, & decreſcente intra fiſtulam Torricellianam *Mercurio*, cohærenter ſubjungit Borellus: *Itaque per aliqnod tem-* „ *pus, antequam pluvia deſcendat*, (non vero dum Nebulæ jam ſpecie deſcendit; immo nec immediate ante, ſed per aliquod tempus antequam pluvia, etiam inſenſilis, deſcendat, ut ſerena ſemper magis, nec ullo pacto pluvioſa innuatur conſtitutio) „ *fieri poteſt* „ *ut Mercurius in fiſtula ſupremam il-* „ *lam* (non ſolum modicam) *altitu-* „ *dinem M. pertingat, in eaque perma-* „ *neat* (ut per hanc inſignem elevationem permanentem, non immediatam, ſed tardiuſculam, & uſque ad depreſſionem *Mercurii* protrahendam pluviam „ rurſus inſinuet) *Et hoc nedum* „ *a nebulis, ſed a quacunque alia cauſa* „ *gravitante effici poteſt; Si enim terre-* „ *ſtris pluvia a Vento, vel alia com-* „ *motione ſurſum impellatur* (quemadmodum ſurſum impelluntur Nebulæ pluvioſæ) „ *atque per aerem diſſipetur*, „ *ſpargaturque* (ut illum ibidem diſpergi, & diu ſuſpenſum retineri pr. 65. notat idem Borellus) „ *tunc nemo dubi-* „ *tat aerem graviori niſu ſuperficiem Or-* „ *bis Terraquei comprimere. Si poſtea a* „ *qualibet cauſa nebula impellatur* (ſermo adhuc eſt principaliter de nebula inſenſili, quod idem eſt de vaporibus, & non præciſe de pluvia ſenſibili) „ *ut nimirum terram attingat, ſcili-* „ *cet pluvia paulatim* (hoc eſt lente, & „ inſenſibiliter) *terram æquatur, eam-* „ *que humectet* (inquit ſolum *humectet*, non perluat, inundet, vel ſaturet, ut ſimplicem etiam humectationem, qualem citra pluviam ſenſibilem ſenſibiliter obſervari retulimus, ex vi iſtius textus comprehendat) „ *tunc patet innu-* „ *mera aquæ granula terræ inniti, ne-* „ *que amplius aeris gravitatem* (dica- „ mus & graviditatem) *& compreſſio-* „ *nem augere* (ad differentiam lentiſſimi illius motus, quo deſcendentes aqueas nebularum particulas aeris gravitatem augere ſupra dicebat idem Borellus, omnem tunc penitus terræ contactum excludens, aeremque propterea nebulis pluvioſis adhuc prægnantem appellans; qui ſane duo textus de eadem nebula deſcendente, atque aeris gravitatem augente ante contactum terræ, poſt contactum vero minuente, ad invicem ſunt conferendi, & clare diſtin- „ guendi pro noſtra, & Borelli ipſius „ indemnitate) *Et quia a terra ſubjecta* „ *ſuſtentantur, non poſſunt ut prius ſue*

„ *natu-*

„ *naturali pondere comprimere ſuperficiem*
„ *infimam Mercurii ſtagnantis , & pro-*
„ *pterea ſemper a minori pondere Mercu-*
„ *rius in C. comprimitur , prout magis*
„ *pluvia ad terram perducitur , & prout*
„ *magis aer illo pondere alleviatur* (quæ omnia *Mercurii* depreſſionem , & aeris expurgationem per gradus apprime explicant , quia pluviam ſimul inſenſilem ſenſibilis Prodromam ex antedictis ſup-
„ ponunt) *Et propterea ſuperficies ejus*
„ *in ſuprema fiſtulæ parte ſenſim deprimi-*
„ *tur uſque ad infimum ſitum F.* Atque hic eſt terminus depreſſionis . Poſt pluviæ vero delapſum , quemadmodum per aliquod breve tempus hujuſmodi depreſſio perdurat , ſic paulo poſt per gradus iterum *Mercurius* incipit elevari ad calculum , & menſuram novi vaporum aſcenſus .

Hæc de ſicco , & pluvioſo aere dicta , proportionaliter Ventis Septentrionalibus , & Meridionalibus poſſunt applicari , quatenus Auſtrales Venti aqueam humiditatem , qua abunde ſcatent , ab aere in terram aſportant , ut eorum flatus ſit quædam abortiva pluvia , cum eoſdem , qui pluviam vaporoſam comitantur , experiamur effectus , ut cuilibet obvium eſt ; Aquilonares vero ſicco flamine aerem verberantes , in ipſum aerem , quem propterea denſiorem , & ſtrictiorem reddunt , eoſdem vapores , una cum novis terreis , quibus ſunt referti , particulis magis incuneant , adeoque per Septentrionales Ventos (per quos proinde ſerenitas ſtabilior inducitur , etſi augeatur aereum pondus) elevatur *Mercurius* , per Auſtrales vero deprimitur . A quibus pariter ventis Atmoſphæram varie confundentibus , & nonnunquam evertentibus contingere poteſt id , quod Corollarii loco opportune monet laudatus Vir , nem-
„ pe : *Licet hoc verum ſit* (ſcilicet per
„ excretionem pluviæ cujuslibet *Mercu-*
„ *rium* deprimi) *non tamen inde elici*
„ *poteſt converſa regula generalis , ut ni-*
„ *mirum quotieſcunque Mercurius in fiſtu-*
„ *la elevatur , debeat pluvia expectari*
(nam præter quamquod ad hoc prænoſcendum inſignis requiritur , & non quæcunque , ut alibi diximus , *Mercurii* elevatio , univerſalior etiam aliis nominibus regula eſt de pluvia actuali inſenſili in decremento *Mercurii* ſenſibilem proxime diſpoſitam regulariter præmonſtrante , quam de eadem ſenſibili futura in incremento ejuſdem ; quod ſane , ut ex prop. 113. cum Borello circumſpecte notavimus , ſalvat *Mercurii* elevationem per ventos Septentrionales diuturnioris ſerenitatis auctores , & per nubes quandoque ipſas non deſcenſuras , ſed diſſipandas , vel alio tranſportandas inductam , ut infra ex contextu ; multoque magis ſalvat , & ultro confirmat expoſitionem noſtram in propoſ. 115. quod nempe aliud ſit aerem imprægnari nebulis pluvioſis , aliud nebulas pluvioſas ab aere in terram præcipitari ; ſiquidem in elevatione *Mercurii* primum contingere abſolute decrevit , ſecundum vero non modo actualiter non ſuccedere , ſed nec univerſaliter inde expectandum eſſe velut aliquid neceſſario conſequens , hoc loco , ubi de tempeſtatum temperie ex profeſſo verba facit , prudenter admo-
„ net) *quandoquidem* (immediate ſub-
„ jungit) *poteſt hujuſmodi augmentum*
„ *compreſſionis produci ab aliqua ingenti*
„ *agitatione ſupremæ Atmoſpheræ . Et ſi*
„ *forte a particulis aqueis , & terreis ſub-*
„ *levatis major gravitas aeris producitur ,*
„ *fieri poteſt , ut a violentia Ventorum ali-*
„ *bi tranſportentur nebulæ , & ſic pluvia*
„ *alibi translata non decidat in eo loco*
„ *ubi originem habuit ;* (unde idem nonnunquam ventus uni regioni ſerenitatem , alteri pluviam adducit) Quare ſi ad normam ipſius experimenti , & cohærenter ſimul ad Borelli principia , aliqua frequentius contingens quoad prognoſim tempeſtatum ſtatuenda ſit obſervatio , hæc potiſſimum eſſe poterit , ut in modica *Mercurii* altitudine Aer ut plurimum ſerenus exiſtat cum probabili duratione ; in inſigni , aut immodica altitudine ſerenitas ipſa pluviam non longe diſtantem prænunciet ; in depreſſione vero huic altitudini ſuccedanea , pluvia actualis inſenſilis , & hinc ſenſibilis futura , vel eadem ſenſibilis jam præſens , aut immediate prægreſſa indigitetur , adeoque elevatio modica *Mercurii* ſit ſerenitatis ſignum ſimpliciter diagnoſticum , inſignis vero ſit pluviæ prognoſticum , ac tandem depreſſio ſit ipſius pluviæ tum inſenſilis , tum ſenſibilis , vel præſentis vel immediate futuræ , vel immediate

præ-

prægreſſæ ſignum reſpective diagnoſticum, atque prognoſticum, ſalvis tamen reliquis, notante Borello, Ventorum ut ſupra ſpirantium motionibus; In qua pariter recte inſtituenda Prognoſi, illud ſumme notandum, non eſſe conſiderandam ſimpliciter, vel abſtrahendam ab integro anni curſu majorem indiſcriminatim, vel minorem *Mercurii* altitudinem, cum pro diverſa anni temporum ratione Aer etiam purus, & fere vaporibus craſſus propter variam, quam tunc ſuapte natura ſortitur, denſitatem, vel raritatem, ſit quoque diverſimode ponderoſus, adeoque aliqua *Mercurii* altitudo, quæ uno tempore ſerenitatis eſt index, altero ſit index pluviæ, ut quilibet ex re ipſa poteſt dignoſcere, ſed eſſe conſiderandam diverſitatem altitudinum eadem ipſiſſima tempeſtate ſibi invicem proxime ſuccedentium, & reſpective ſemper, ac indiſpenſabiliter ad conſtitutionem aeris immediate antecedentem. Quæ omnia, & ſingula tum cum veritate experimentali, tum cum ſolidis Borelli Propoſitionibus, earumque rationibus exactiſſime congruunt, ut propterea idem rationabiliter ſic inferat: *Atque ex his omnibus concludi poteſt aerem revera ſuo pondere, & vi elaſtica comprimere Mercurium in fiſtula contentum, eumque ad illam determinatam altitudinem elevare;* hoc eſt, ut in epilogum omnia contrahantur, * Aerem ipſum tandiu graviorem reddi, & *Mercurium* altius urgere, quamdiu intra ejuſdem ſpatiola ſuſpenduntur vapores aquei, quod in ipſa ſerenitate ſuccedit; eumdem vero aerem minus gravitare, & *Mercurium* in minori altitudine ſuſtinere, quamdiu illi iidem vapores incipiunt ab aere excuti, & terræ inniti, quod in ipſa pluvia, & paulo ante pluviam ſenſibilem ſolet contingere. * In hoc autem finali Theoremate ſatis provide nudo, & ignavo ponderi vim inſuper aeris elaſticam hucuſque ſemper ſuppoſitam, & prop. 122. jam luculenter probatam explicite adjungit, ut quæ in exercendo preſſionis niſu, aucto viciſſim, & imminuto ſuperiori ponderi juſtiſſima ſemper proportione reſpondet: Qui equidem conatus elaſticus quantum conferre poſſit ad variandam librationem *Mercurii* in fiſtula Torricelliana, vel ex hoc conſtare poterit, quod etſi non conſueſcat, notante Borello, ab aeris calore, vel frigore eadem libratio notabiliter variari, quoties idem Aer calidus, vel frigidus cum aere ſibi proximo, vel cum reliqua Atmoſphæra poteſt æquilibrari, nihilominus, ſi immiſſo, ut pluries expertus ſum, intra Vas aliquod exacte clauſum, & externo aeri impervium, Barometro, eminente extra Vas ſufficienti portione fiſtulæ, Vas idem calefiat, aerque ibidem concluſus, & rarefactus in majorem elaſticitatem cieatur, ſtatim *Mercurius* alipes celerrime volans aſſurgit, iterumque refrigerato Vaſe ſponte ſubſidit: quare quid analogum forte contingere poſſe in aere libero non modo per proprium pondus, ſed & per aliquam vim ſuperiorem intra conſtitutos limites naturaliter detento, atque nonnihil coercito, & in ſicca magis, quam in humida conſtitutione quoad partes ſuas rigidoflexiles reſilienti, & elaſtico (igneo quippe, terreove, non aqueo) magiſque propterea prementi (ut accideret maſſæ crinium criſpatæ intra cotylam per vim concluſæ, & in ejuſdem latera ad menſuram alternæ ſiccitatis, vel humiditatis vario niſu impingenti) aliquis forte conjecturæ locus eſſet; nec pauca ſuppeterent pro firmanda, ac dilucidanda hujuſmodi hypotheſi, quæ tamen modo enucleare non vacat.

Ab ipſo autem abſolute prementis aeris conatu *Mercurium* in diverſa altitudine ſuſtineri, eodem *Mercurio* præter ſui ponderis exercitium huic operi nihil præſtante, facile conjicere poſſumus ex hoc, quod duobus aſſumptis Barometris, & altero eorum utrinque probe obturato, ut omne tollatur externi aeris commercium, iſtud ad varias alterius, ut mos eſt, aperti mutationes minime alteratur; reſtituto vero eidem externi iterum aeris commeatu, illico alteri non occluſo, ſive in ſtatu elevationis, ſive depreſſionis exiſtenti adamuſſim æquatur; illudque inſuper hac occaſione non prorſus incurioſe omittendum, quod dum *Mercurius* altius adigitur (quo ſuccedente, ex altera extremitate decreſcit, & e converſo) ſuperficie, qui aerem prementem, ipſumque fugantem reſpicit concavus eſt, præter morem ſuæ ſuperficiei; dum vero deſcendens, quaſi victor, aerem

rem auget, parte eadem, qua aerem fugat, convexus est, ut vel ex hoc tantum possit unico intuitu dignosci, an *Mercurius* sit in via ad ascensum, an ad descensum; quia vero spatium supremum deserit, ubi nullam sensibilem pressionem patitur, nec ullam pariter sensibilem, sive in ascensu, sive in descensu pariter superficiei mutationem, nisi fistula in parte superiore sit ad horizontem nonnihil inflexa, in quo casu dum *Mercurius* suo tantum pondere labitur, aliquot granula sphærica per tubi asperitates consuevit relinquere. Quare plurimis adhuc speculationibus occasio supereſt in perscrutando intimius hoc Mercuriali, Aereoque Phænomeno, cujus ulteriorem indaginem citra ullius injuriam philosophica libertate hactenus tentavere non pauci, nec alio nomine posthabitis omnibus, quæ crassior Minerva mea forsan suggereret cogitatis, vulg. D. Borelli rationem amplector ipse, nisi quia de meo curtæ supellectilis penu magis idoneam depromere non suppetit, alienamque sequor, meliore carens, quam nihilominus a perspicacissima Pallade tua juvat expectare.

Attende interim, Vir Solertissime, cui se tota lubenter pandit Natura, num quæ retuli sedulis tuis Barometricis Ephemeridibus quam proxime cudendis consonent; sin minus, in id animum intende, ut quidquid lima rigidiore indiguerit, priusquam publici Juris facias, amica saltem severitate castiges; idque constanter credas, fore numquam, ut vel istius, vel cujuspiam alterius literariæ rei mihi complaceam, nisi simul illa eadem tibi placuerit, cui cuncta placere sum anxius, quæ summam de re existimationem meam valeant testatam facere: hanc ipsam vero humanitati tuæ satis acceptam rebor, si tantumdem retribuas amoris, quantum tibi amicissimi obsequii præstare studet

Tui semper Nominis

Mutinæ die Januarii 1695.

Officiosissimus Cultor

Franciscus Tortus.

DISSERTATIO EPISTOLARIS

Altera Triceps.

CIRCA MERCURII MOTIONES IN BAROMETRO in qua Clariss. Virorum *D. Rudolphi Jacobi Camerarii P. D. Cajetani Fontanæ* & D. G. C. *Schlhameri* Quæsita, Objecta, Cogitata Explentur, Diluuntur, Expenduntur a *Francisco Torto* M. P. ad Virum Ornatiss. & Amiciss. *D. Bernardinum Ramazzinum* Pub. Med. Prof. & inter Acad. Nat. Curios. Hipp. III.

Vir ornatissime; *Amice summe colende*.

QUæcumque post editas, Vir Eruditissime, Barometricas Ephemerides tuas, meamque itidem te evulgante adjectam Epistolam, huc usque in lucem prodiere circa eamdem materiam aliorum Scripta, in duas considerationes, quæ prius aliud agenti minime occurrerant, animum subinde meum traxere. Harum una est, quod his, qui semel sive otio, sive genio, sive aliis indulgens, etiam perfunctorie scripserit, porro, ut sibi, si non indulgeat, saltem consulat, volens, nolens, iterum cogatur rescribere; altera vero, quod ea humani captus est imbecillitas, eaque rerum naturalium obscura profunditas, ut in illarum penitiori indagine mens nostra deficiat, & dum alter alterum carpit, materiam non raro suppeditet ipse, quam reliqui carpant. Duo sane valida scribendi, & non scribendi argumenta.

Priori considerationi ansam primitus dedit salita quædam Epistola, festive tamen (ut juvat interpretari de communi Amico nostrate apud Exteros, quos rei authores indigitat, degente) tibi inscripta, quæ tuam in primis ac dein hypothesim meam jocose vellicabat: Secundo

loco

loco se nobis obtulere Solertissimi Viri D. Rudolphi Jacobi Camerarii Prof. Med. Tubing. & Acad. Curios. in suis Ephemeridibus Meteorologicis solidæ quædam animadversiones, non sine aliquali, eoque humanissimo, a conjecturis nostris dissensu, cui nihilominus (providum modestiæ specimen injunctam licuit observare in apertione proprii sensus parcissimam temperantiam: Tertio tandem erupit P. D. Cajetani Fontanæ Cler. Regul. vulgo Theatini Mutinensis nostri in sua institutione Physico-Astron. candida sugillatio, quæ citra omnem assentationis aleam aperte statuit, tua prius, ac D. Boccabadati rejecta sententia, *Tanta inter meum, & sensum Borelli* (cujus Prop. 115. lib. de Mot. Natural. a Gravitate factis debili quidem patrocinio tuebar) *intercedere diversitatem, quanta*, ut inquit ipse, *intercedit inter duo Contradictoria*.

Hæc porro, si non omnia, saltem eorum pleraque, licet aliquam cohærenter ad primam ex meis meditationibus rescribendi titillationem incuterent, me tamen aliis intentum ad resumendum calamum neutiquam compulere, ut qui ludo quodam ingenii potius, quam seria soliditate tunc temporis scripsisse jam fassus, Literatorum assensum, vel plausum minime quæritaverim: Nec ulli sane placere mens fuit; mihimetipsi namque cum placere non suffecerim, tertium quidpiam edere satius duxi, ad modificandam saltem severam vulgo nimis in Borellum censuram, & extenuandam crassissimi suppositi erroris notam in Viro tam celebri, quem proinde apud Eruditos si non plane defensum, saltem plusquam excusatum crediderim; idque a me eo lubentius tentatum, quo tutior interim sic fiebam, ne meum, etsi pluries a te requisitus, nec tamen habens quo satisfierem, sensum eniterer: quod sane cum expresse ad calcem Epistolæ meæ fusius edixerim, sensatis omnibus haud vereor quin satis constiterit. Ne tamen rerum mearum minime solicitus videar, neve ut incuriosus omnino supinæ socordiæ nimium insimuler, ea scilicet ipsa negligendo, vel ignorando, quæ mecum, & domi, ut ita dicam, aguntur, maxime tunc cum amplus vindiciis est locus, paucula hæc pacato animo, & cum integro moderamine inculpatæ tutelæ, denuo exarare congruum duxi, eaque tibi rursus inscribere, ut qui primus hisce altercationibus ansam, licet insons, præbuisti, earum quoque nugas ferendo, & pœnam luas, & patiaris incommoda.

Cæterum in hoc non frivolæ Unius sugillationes me terrent, sed res ipsa antecedenter difficilis jam cognita, ipsæque superstites meæ, quæ mentem medullitus torquent, esto ab aliis hactenus fere intactæ, difficultates; Nam quoad peregrinam illam, quam nosti Epistolam, ut aculeis, & salibus abunde respersam, ac saturam, sic respectu saltem Hypothesis meæ rationibus, & argumentis, (consulto quidem id factum puto) prorsus jejunam, in promptu essent ex Juvenali, aliisque Satyricis, Comicisve Poetis acuta dicteria, quæ parem ad reponendum, & retaliandum suggererent lubricitatem; sed absit ut Amico privatim, & jocose scribenti, publice, & serio mordicus responderem, eo saltem nomine, ne nobis tandem contingeret, quod inter Bacchanalia antiquitus contigisse carminibus hisce notavit Horatius.

Libertasque recurrentes accepta per annos
Lusit amabiliter, donec jam sævus apertam
In rabiem verti cæpit jocus.....

quod quidem ab instituto meo, genio, & vivendi norma nimis alienum: Eam namque sortem Amicorum Scriptis libet concedere, quam non semper licet accipere, eandem scilicet, quam suis ab Amico Neoterio sibi ominabatur Symmachus *Qui Amico nugas suas, & deliramenta committit, non debet formidare judicium; commendatum enim religione quicquid culpari posset examine*.

PErvenere post hæc in Italiam nostram mihi a te liberaliter communicatæ Ephemerides Meteoro-logicæ Tubingenses laudati D. Camerarii, Viri profecto, quem fateri æquum est, non minus quam colere ingenuum Veritatis sectatorem, adeoque nihil controversiæ mihi cum illo, utpote quod non paucas ipse præviderim, quas & idem adnotat difficultates in Borelliana Hypothesi, etiam quomodolibet explicata, cui Factum ipsum & ex Facto oriunda phænomena haud ita exacte videntur accommodari.

Tres autem potiores placidiſſime obtrudit Vir Humaniſſimus, duas quidem in ordine ad obſervationes experimentales, tertiam vero in ordine ad rationem eidem Experimento minus conſonam. Priores duas Factum reſpicientes, mite inſimul, & ſenſatum Epiſtolæ meæ ſuſcipiens examen, laudeſque identidem ſibi magis, quam mihi congruas prodigus interſpergens, his demum verbis abſolvit. *Idem qui Borelli Propoſitionem Mercurius in fiſtula Torricelliana altius elevabitur, dum aer nebulis pluvioſis imprægnatur; at poſtquam pluvia delapſa eſt, denuo Mercurius in fiſtula deprimitur a dubiis, & difficultatibus, queis laborat docte vindicare ſatagit D. Tortus, motus Mercuriales pag.* 106. *in hoc compendio exhibet Mercurium per ſerenum tempus, tum diſtante, tum appropinquante pluvia per gradus elevari, per nubiloſum inchoata pluvia, & per pluvioſum adaucta deprimi, ac per ſerenum rurſus delapſa jam pluvia ſubſidere nonnihil, iterumque ſucceſſive elevari* -- quibus ex me habitis, immediate ſubnectit pag. ſua 30. & 31. *Mihi Mercurius potius cum principio ſerenitatis maxime altus videtur, adeoque ſi t. t. novi uſque vapores adveniunt, aer acceſſu illorum non fit gravior; quod ſi diutius duret ſerenitas, Mercurius non tam ulterius elevabitur, quam vel in ſtatione illa aliquamdiu conſervabitur, vel, & ſæpius quidem, ſenſim demittetur, per multos dies, ſicco aere interdum, & nulla adhuc inſtante, vel inchoata pluvia &c.* & paulo poſt. *Ulterius quando Mercurius poſt pluviam, vel nivem porro deſcendit, tum pro novæ inſtantis pluviæ ſigno cum Lana ipſum agnoſco; alias autem, & ordinarie ſtatim poſt pluviam plane non eſt humilior, quam in pluvia, aut immediate ante ipſam.*

Duabus hiſce obſervationibus haud difficilis videtur Reſponſio: ſiquidem quoad Primam fateor me aliquoties idem cum D. Camerario obſervaſſe, videlicet in principio ſerenitatis quandoque Mercurium ſatis attolli, ſed & ſæpius obſervaſſe contrarium, ſcilicet Mercurium non illico in prima ſerenitate ſupremam ſedem attingere, ſed ſucceſſive, & per gradus, ac perſeverante eadem ſerenitate, ultro adhuc, & altius urgeri, quemadmodum dum hæc ſcriberem perbelle contigit obſervare; redeunte namque poſt diutinam pluviam circa Vernale Æquinoctium ſerenitate, per tres, vel quatuor dies Mercurius ut antea depreſſus manſit, poſtmodum ſenſim, ac ſenſim cæpit elevari, donec flante Auſtro iterum in præceps ruerit; Nec longe abſimilem progreſſum Mercurii ſupponere videtur idem D. Camer. in ſua Regula decima divinatoria pag. 21. ubi plures etiam anomalias circa Mercurii motiones contingere animadvertit, ut proinde difficile ſit certam regulam, certumve prognoſticum inde elicere. Unum hoc minime negaverim, quod aſcendente ſenſim per ſerenum tempus Mercurio, vere in tali incremento non ſemper ſervetur proportio prioris aſcenſus, unde ſi prima, vel altera die Mercurius unum ſcandat gradum, aliquando per tres, quatuor, vel quinque dies vix ſcandet alterum, ſicut & pluries ibidem ſiſtetur quaſi immobilis, donec appropinquante pluvia, ſeu, quod idem eſt, vaporoſa ſuccedente, vel flantibus in perturbata ſerenitate Auſtris humidioribus, ſucceſſive deprimatur, ut hiſce modo temporibus frequenter experimur, dum

Vere madent udo terræ, & pluvialibus Auſtris.

Id autem omne quomodocumque contigerit, ſive tardius, ſive celerius (quod parum refert) ſemper ad regulam, & proportionem intromiſſionis, & extromiſſionis vaporum contigiſſe in aere poteſt explicari? Quandoque etenim evecto ſtatim ſublimiter in prima ſerenitate Mercurio, citiſſime poſt pluviam vapores copioſiſſimi a Terra veluti fermenteſcente ſurſum traduntur, qui poſtquam aerem affatim inebriando, quaſi perpendiculariter aſſurgentes, Cylindri Mercurium prementis pondus auxere, non amplius eadem proportione, immo vix, ac ne vix quidem, ſenſibiliter ejuſdem jam ſaturi pondus ſupra eumdem Mercurium adaugent, ſed potius lateraliter diffunduntur, vel alios præexiſtentes vapores diffundi cogunt; quos pellunt, & deturbant in tranſitu, quem habent ad inania ſpatiola; unde non intruſo in eumdem uſque cylindrum, ſed diffuſo ad latera, & æquilibrium tantummodo in reliqua Atmoſphæra faciente novo pondere, Mercurium in tali caſu jam celeriter elevatum, parum vel nihil ultro attolli neceſ-

ſe eſt;

se est ; quodsi positive deprimatur constante serenitate, tunc vel in ipsa (certe impuriore) fiet insensibilis crassiorum vaporum præcipitatio alibi statuta, qualem in rore, & pruina sereno Cælo sensibiliter observamus, vel, ut dicebamus, flabunt Australes Venti, aliæve aderunt causæ alias per extensum adductæ.

Ad Secundam vero observationem omnis dubietatis nebulas discutit sola terminorum explicatio, quatenus & D. Camerarii, & mea observatio coincidunt, dum enim protuli, *Per serenum rursus tempus delapsa jam pluvia Mercurium subsidere nonnihil, iterumque successive elevari*, sensus non est, quod post pluviam Mercurius magis deprimatur, quam in ipsa pluvia; hoc enim ego quoque pro novæ pluviæ signo regulariter deprehendi; sed sensus est, quod per aliquod breve tempus maneat in sua depressione usque ad novum ascensum vaporum, qui ascensus aliquando citius, aliquando tardius absolvitur, vel inchoatur; licet enim non sit culpandus D. Camerarius referens ly *Rursus* ad verbum *Subsidere*, & verbum ipsum *Subsidendi* intelligens pro ulteriore descensu ad inferiorem locum, ut vere potest intelligi, attamen juxta mentem meam *Rursus* eo loco refertur ad tempus serenum, ejusdem serenitatis reversionem connotans, & *Subsidere* ibi significat subsistere, seu commorari, ut subsidentem in Sicilia Cecin. dicebat Cic. & fæces, aut amurcas in fundo diu subsidentes dixit Columella.

Tertiam denique difficultatem ortam ex collatione Facti, & insensibilis pluviæ a me adductæ in Borellianæ Propositionis explicationem paucis adumbrat laudatus Vir, post pluviæ illius insensilis considerationem obiter subdens: *In unum ultra jam dicta disquirerem, quod mihi minus vero simile videtur, an pluvia illa insensilis aeris pondus in tantum diminuere possit, quantum observationes requirunt, quantum ne sensibilis unquam procurasse legitur, ut ut ipsam mole multoties necessario excedat.*

Huic Quæsito non exigui ponderis videtur tamen posse satisfieri, ad primum dicendo, quod vere pluvia illa insensilis absolute loquendo possit aeris pondus in tantum diminuere, quantum observationes requirunt, quia tunc decrescente regulariter Mercurio in tubo perpendiculari ad tantam plus longitudinem, quanta tredecies, cum semisse multiplicata (ista namque est proportio ponderis Aquæ ad Mercurium) vix transversum pollicem excederet, debet per consequens ex toto Cylindro aereo correspondente tanta aqua disgregata decessisse, quanta congregata, & simul juncta transversi pollicis longitudinem æquaret, immo satis minorem, propter aliarum partium ponderosiorum, terrestrium nempe, aliarumque insignem, & simultaneam cum vaporibus aqueis præcipitationem, ut pag. 113. epistolæ meæ scriptum est: Quæ sane quantitas aquæ, detracta insuper materia terrestri, non videtur improportionata, sive observationibus, quæ fieri possunt circa molem materialem coacervatam pluviæ insensibilis, sive illis, quæ fieri solent circa decrementum Mercurii: Quantulum enim est quæso pondus istud aqueum decedens ab aere?

Quod vero sit improportionata, & parum respondens eventui comparative, seu relate ad pluviam sensibilem majorem, a cujus descensu vix ultro deprimitur Mercurius, nec ita facile admiserim, cum iste idem effectus ad regulam Hypothesis Borellianæ vere nedum possit, sed & debeat ita contingere, quia videlicet in tali casu tantundem ponderis Atmosphæra illico restituitur; quantum per pluviam sensibilem demitur, quod non contingit insensibili: In illa namque fit solummodo lenis, & minime tumultuaria e poris aeris expressio subtilissimorum granulorum aquæ continuato defluxu ita in terram delabentium, ut ex istius, fere dixerim, conatus excretorii existentis in aere, nec sinant tam facile vapores tunc temporis parcos, (quosque si adessent repellerent) e terra directione opposita sursum trudi, nec a partibus Atmosphæræ lateralibus insinuari, maxime cum spatiola derelicta successive impleantur a novis granulis decidentibus, & illa eadem granula decidendo, motum in aere lentum quidem, sed turbinosum, ac veluti vorticalem necessario excitent, vi cujus quodammodo arcentur partes ipsæ lateralis Atmosphæræ: In pluvia vero sensibili, facta per guttarum crassiorum concrescentium, & turmatium decidentium insigni aeris divulsione, & resultante per depluentes affatim

nubilosos globos notabili spatio inani intra aerem, unde decesserunt, statim quoque, dictum factum, ex circumstante Atmosphæra tantundem materiæ recurrere necesse est, quantum requiritur ad æquilibrium faciendum, ut pag. 94. prioris Epistolæ alia occasione notavi.

Quod autem pro Atmosphæræ æquilibrio recurrens pondus aereum sit æquale circiter ponderi aqueo, quod recessit, licet paradoxum videatur, facile tamen est ex alibi dictis deducere; si enim probabile est ex hypothesi alias per me firmata pag. 98. quod idem serenus aer cum eadem vaporum disgregatorum quantitate, & mole possit permutari in nubilum, variata solum vaporum eorundem mox congregatorum textura, situ, & contactu, invariato vero pondere (sicut invariatum remanet pondus Cylindri aquei simul, & arenosi, notante Borello, supra immersum Barometrum prementis, sive per eundem Cylindrum disgregatim spatientur superius arenulæ subtilissimæ, sive coacervatim in glomeres actæ hæreant in medio, sive supra eundem Mercurium in humiliore loco immediate subsistant, ut omittam, quæ de Urinis in hanc rem eleganter prodidit idem D. Camerarius) quod mirum pariter, quod postquam per expressionem pluviæ insensilis, absque ullo notabili materiæ recursu, minus ponderosus factus est aer, demum cum excluſa sensibiliter aquea saburra crassiore, novarum particularum, aquearum præcipue, terrestrium, salinarumve statim ob æquilibrii necessitatem recurrentium contubernium irruente repletur, fiat æque ponderosus, ac ante sensibilem pluviam, & paulo post novæ usque materiæ adventu adhuc gravior, ut proinde non solum parum, delabente sensibili pluvia, & nihil ultro, penitus delapsa, subsidat Mercurius, sed etiam non multo post vaporibus usque crescentibus attollatur? Addo, quod quemadmodum in pluvia insensibiliter delabente cessat necessitas, ut novum statim pondus lateraliter saltem, vel inferne sursum se insinuet intra spatiola derelicta, quæ in statu naturali citra ullam violentiam inania morantur, ita neque in sensibili ulla necessitas est, quod recurrat pondus omnino æquale ad sustinendum ibidem, vel fere ibidem Mercurium in fistula, quia nempe in hoc casu, etiamsi pondus minus intra spatium a pluvia crassiore relictum subintret, cum tamen totus ponderis redeuntis defectus dividi debeat, atque distribui proportionaliter admodum late per insignem tractum Atmosphæræ uniformiter æquilibratæ, hinc est quod imminutio talis ponderis vix, ac ne vix quidem, possit esse sensibilis Mercurio, qui propterea intra tubum ibidem, vel fere adhuc consistit.

Hac data proinde occasione, liceat ad illustrandam magis Borelli Propositionem cohærenter adjungere, posse non sine aliqua probabilitate contingere, quod ea Mercurii depressio, quæ pluviam sensibilem actualem paulo antecedit, vere succedat ob aquas etiam sensibiles ad mentem ejusdem Borelli actu in terram decidentes, non quidem ibidem loci præcise, ubi fit ipsa Mercurii depressio, cum pluvia non semper decidat, ut idem Bor. inquit, in eo loco, ubi originem habuit, sed ad modicam loci distantiam, ubi ea incipiat sensibiliter descendere pluvia, quæ sensim postea, & paucis horis elapsis propaganda est ad Regionem ipsam, & locum, ubi degit Barometrum pluviam prænuncians; cum enim, ut supra dicebamus, decidentibus pluviis, & inanito per consequens ab earundem casu insigniter aere, novus recurrat e lateribus circumquaque aer ad æquilibrandam per notabile saltem spatium loci exactissime Atmosphæram, necesse est ob modicam locorum distantiam, quod dum alibi, modice longe, pluvia contingit, Regio ipsa, in qua Barometrum residet, suum vectigal solvat, & portionem sui ponderis, ac materiæ contribuat, ad replendum pro rata spatium distans a pluviæ descensu inane redditum, adeoque necesse est aerem talis Regionis nondum sensibiliter pluviosum a sua densitate, & constrictione nonnihil recedere, & secundum sui particulas aliquantisper laxari, resilire, ac extendi, & sic aliquid, etiam ob hanc causam, de proprio pondere deperdere, & consequenter Mercurium ipsum minus comprimere, ut aeri reliquo non distantissimo æquilibretur; quapropter ad hoc, ut posset concludenter redargui Borellus, præterquam quod deberet esse

insub-

insubsistens quidquid de pluvia vaporosa dictum est diu, deberet insuper evinci, quod dum Mercurius inflante pluvia descendit, tunc nulla contingeret pluvia; non solum in eo loco, ubi degit Barometrum, sed neque intra tantam loci distantiam, intra quantam communicabilis est ad invicem variatio accidentalis ponderis diversarum partium Atmosphæræ.

Quæ quidem conjectura omnem Mercurii depressionem cum pluvia actuali (intra notabilem rationabiliter Atmosphæræ extensionem) non modo insensibiliter perpetuo concilians, non paucis explicandis Experimenti hujusce vicissitudinibus aditum præbet: Namque peti potest ratio

Primo cur non semper pluviam præcedat depressio Mercurii, cum scilicet eadem pluvia vel in ea illa sola Regione, ubi Barometrum asservatur contingit, vel saltem ab ea incipit, ut dein propagetur in alias, quod forte pluries potuit contigisse ipsi Borello in Urbibus montanis, ubi pluviarum potius est origo, quam meta, tunc cum phænomenon istud exploravit, degenti;

Secundo cur in pluviis diuturnioribus aliquando Mercurius pertinacius attollatur, quia videlicet incipiente forsan, & perseverante ibidem pluvia, potest diu nova, & major hinc inde suppeditari ejusdem pluviæ materia, quæ Mercurium potius ibidem attollat, deprimat vero viceversa (ut credi potest) solum in Regionibus remotioribus, unde talis materia derivatur.

Tertio denique reddi potest ratio, cur imminens pluvia, non modo Mercurium deprimat, sed & deprimat proportionaliter magis quam ipsa pluvia actualis ejusdem loci; quia si res attente explicetur, dicendum videtur potius, quod pluvia imminens alicubi, ibi Mercurium deprimat, non quidem ut imminens ibi, sed ut decidens alibi, ob rationem imminuti aeri ponderis in eo ipso loco, ubi nondum cadit, sed probabiliter ob viciniam paulo post itidem casura est; iste namque regulariter est successivus pluviarum maturiorum progressus: Ubi vero actualiter pluvia decidit, non ultro sensibiliter deprimitur idem Mercurius, ac deprimatur ubi ea solummodo imminet, ob recursum æqualis circiter ponderis advenientis, & inde statim uniformiter propagati, ut supra explicuimus. Hæc tamen conjectura præcipiti calamo, ac hæsitanter prolata, novis, & exactis (quas ut fatear nequaquam instituí) indiget observationibus, ut magis vel confirmetur, vel infirmetur, quam Spartam curiosis ingeniis, & cuilibet otium hoc suppetat, tantum indigito, ad ingenuæ veritatis indaginem, quamque assequi haud difficulter poterunt, si ad distantiam viginti V. G., vel triginta Millariorum circulariter abeant, & excitent Amicos observatores, qui omnes unanimiter pluries in die Mercurii motiones, & pluviæ casum suis in Urbibus, & Regionibus adnotent horis præcisis, ut sic ad invicem conferendo, ex collatione fideliter facta, possit absolvi exacte calculus, an ea hora, qua depressus est Mercurius Mutinæ V. G., pluvia deciderit Bononiæ, & sic deinceps.

Hæc quidem, vel similia videntur excogitari posse, & adduci pro dilucidanda & sustinenda, si non ut plane adæquata, saltem ut non adæquate improbabili Borelliana Hypothesi. Cæterum suis quælibet laborat nodis, cum hujusce Phænomeni excitatio involvat acervum, & cumulum rerum summe disparatarum, ac Meteororum plerumque variabilium, & occultorum, ut idem D. Camerarius prudenter animadvertit; In cujus demum Viri Solertissimi Cogitatis, etsi doctissimis, ac præcipue in Causarum Motus Mercurialis indagine, nubeculas nonnullas menti quoque meæ observari haud vereor ingenue fateri; quas tamen, ut intellectus mei nebulas, & umbras malo conniventibus oculis declinare, quam curioso lumine perscrutari.

QUO vero ad P. Fontanæ Votum quasi Dictatorie prolatum, esto minime inficier me in explicanda controversa Borelli Propositione 115. *Cum Aer nebulis pluviosis imprægnatur, Mercurius elevabitur; ac postquam pluvia delapsa est, Mercurius in fistula denuo deprimitur*, rigide nimis a nonnullis damnata, eandem extendisse ad salvandam depressionem Mercurii paulo ante pluvias observari solitam, probando videlicet tunc quoque pluviam aliquam, saltem

tem vaporoſam, decidere, iſtamque circumſtantiam a Borello quidem non expreſſam, ſed neque illi reluctantem, quandocumque non penitus improbabilis ſit, vere, ac rigoroſe cohærere intentioni, & ſenſui genuino ejuſdem Authoris; & licet ultro fatear ipſam Borelli Propoſitionem, atque Hypotheſim etiam ſic explicatam, mihimetipſi non quidem arridere ut patenter veram, ſed ut non patenter erroneam, adeoque ut ſaltem probabilem (ſicuti multo minus arridet ea, quam fidenter adducit idem P. Fontana, quamque rejicere nec vacat, nec omnino congruit, ſed ſat eſt eam ſibi relinquere;) attamen nec explicationem meam ipſi Borellianæ Propoſitioni Oppoſitam, vel Contradictoriam, nec Borellum ipſum funditus, vel in Facto, vel in Theoremate aberrante facillimum eſt demonſtrare, repetito iterum allatæ Propoſitionis examine, & facta collatione illius cum interpretatione mea, ut inde conſtet, quod nullo prorſus jure, non minus quam Te, & D. Boccabadatum, me quoque Philoſophica libertate ſugillaverit, & erecto quaſi Tribunali hanc Definitoriam Sententiam, quaſi Aphoriſtice, tulerit Inſtit. Sua Phyſico-Aſtronom. pag. 180. Vir iſte Laconicus: *Demum D. Tortus Borelli nimius Cultor in ipſius verba jurare vult; ſed profecto diverſiſſimum, immo oppoſitum ſonant verba Borellii Propoſ. 115. ab eo quod intelligit Vir iſte Eloquentiſſimus:* & nota in Jy *Eloquentiſſimus*, quantum differat Votum P. Fontanæ a Voto D. Camerarii de me dicentis, *Paucis multa complectitur D. Tortus &c.* Vel uterque ludit, vel uterque favet, vel alteruter agit alterutrum.

Evolvatur ideo, ſi lubet, a fronte ad calcem tota Dicti, & facti Borelliana diſpoſitio tribus ſucceſſivis Propoſitionibus 113. 114. 115. comprehenſa: Sane nil aliud unquam medullitus eruere datum eſt, niſi, ut alias ſcripſi, atque iterum conſtanter repeto) quod quandiu granula aquea, ſeu aqueæ pluvioſarum nebularum particulæ ita innatant aeri, ut ſupra ſuperficiem apertam Mercurii ſtagnantis ſint conſtitutæ, aer ipſe tunc magis gravitet, magiſque Mercurium premat, ac altius urgeat in fiſtulam, ſive in Vacuum; quandiu vero eadem aquea granula infra ſuperficiem eandem Mercurii præterlabuntur, & terram incipiunt attingere, aer ipſe proportionaliter ad pondus infra Mercurium deſcendens minus gravitet ſupra eundem Mercurium, ipſumque minus elevatum detineat in fiſtula: Quod quidem a me jam pluries, & ad literam exaratum tam clare expreſſit Borellus (eſto in verbo Nebularum pluvioſarum, & imprægnationis aeris prop. 115. æquivocent plurimi, & præ cæteris P. Fontana, ſonum potius verborum, quam ſenſum genuinum conſiderans) ut pro fundamento ejuſdem prop. 115. præmittat 114. in qua adamuſſim demonſtrare ſatagit quidquid a me tum alias, tum modo ad unguem exponitur.

In citata itaque Propoſitione 114. (pudet toties dicta repetere) tale inſtituit experimentum Borellus. Infundit in fundo Putei, ſeu Vaſis vitrei cylindrici totius altitudinis factibilis, oleoque repleti Barometrum, & notat altitudinem Mercurii a Cylindro Aeris, & Olei inductam, poſtmodum addit ſupra oleum Vas aliquod capax innatas, aqua, vel arena ſemiplenum, & obſervat ab addito iſto pondere preſſionem, & pondus Cylindri Mercurio impoſiti augeri, ita ut Mercurium rurſus urgeat uſque ad determinatam majorem altitudinem. Hoc facto revolvit ipſum Vas, ut aqua vel arena contenta poſſit, ut inquit ipſe, *ad modum pluviæ, deorſum fluere per ſpatium oleoſum*, & obſervat quandiu aqua, vel arena deſcendens adhuc latitur intra oleum, ſed ſupra ſuperficiem Mercurii ſtagnantis, nec tamen eam adhuc prætergreditur, eandem uſque ſervari a Mercurio altitudinem intra fiſtulam; Statim vero ac *aquea*, ut ait, *vel arenoſa pluvia incipit infra Mercurium præterlabi, & fundum putei attingere*, tunc decreſcente Cylindri prementis pondere Mercurium in fiſtula deprimi. Atque ex hoc experimento (cujus fides ſit penes Authorem) tamquam ex unico, & firmo fundamento concludit, eadem quoque ratione Mercurium in fiſtula attolli cum nebulis pluvioſis ita imprægnatur aer, ut iſtæ ſupra Mercurii ſuperficiem conſiſtant, hac enim ſolum ſuppoſita conditione, Propoſitionem ſuam 115. ſtatuit; eundem vero Mercurium in fiſtula deprimi, cum eædem pluvioſæ nebulæ, & aquea granula infra Mercu-

rii

rii ſuperficiem concidunt, *ut paulatim terram aſſequantur, eamque humectent*, ut verbis ejuſdem Borelli ſe per extenſum explicantis utar; & ideo, ut inquit idem Author, *Pluvia jam actu cadente* prop. 113., ac etiam *poſtquam eſt delapſa* prop. 115. *Mercurius in fiſtula denuo deprimitur*; ſumendo ly *poſtquam* pro *paulo poſt*, non vero pro *jampridem*, quia tunc recurreret prima pars, non vero amplius ſecunda Borellianæ propoſitionis, eo quod aer non multo poſt delapſam pluviam incipiat iterum novis vaporibus imprægnari.

Ex iſtis ergo evidenter conſtat, quod ſecundum Borellum, pluvia actu cadente, & pluvia immediate delapſa, aqueis ſcilicet vaporibus infra Mercurii ſuperficiem concidentibus, & aerei Cylindri pondus minuentibus, antequam in illum novi redeant, Mercurius ipſe reperitur in ſtatu depreſſionis, quod utique verum eſt, & experientiæ clare reſpondet; ſi enim in eo ſtatu eſt pluvia cadente, ut norunt omnes, neceſſario in eodem erit etiam ea delapſa, ſaltem quatenus dum pluvia ſucceſſive delabitur, portio illius eſt jam lapſa, & ſecundum portionem delapſam ſucceſſive, ac ſucceſſive verificatur Propoſitio, quæ etiam abſolute vera eſt, dummodo intelligatur, ut monui, per breve temporis intervallum poſt pluviam delapſam, antequam ſcilicet tempus illud poſt pluviam, fiat tempus, quo novæ, etſi diſtantis, futuræ tamen aliquando pluviæ materia congregatur. Suppoſito ergo, Mercurium in ſententia Borelli deprimi pluvia tum cadente, tum delapſa, eo ſaltem quo explicuimus modo, ex Contrariorum regula ſequitur per conſequens, Mercurium ex oppoſito elevari, quando nec pluvia actu delabitur, nec nuperrime delapſa eſt; ergo ſupereſt quod ſecundum iſtum Authorem Mercurius elevetur tempore inter unam, & alteram pluviam intermedio (niſi aliter evenire cogat Ventorum aſſlatus ipſo monente Borello) incipiendo non multo poſt unam pluviam, & continuando uſque ad alteram pluviam excluſive: Tunc autem vel ſerenus eſt Aer, vel nubilus, & in utroque hoc caſu relate ad Propoſitionem verum eſt quod aer impregnatur, vel imprægnatus eſt Nebulis in pluviam tandem ceſſuris, ſeu ut Borellus ait, Pluvioſis, talibus ſcilicet in actu primo, non in actu ſecundo, (ut cum P. Fontana ſcholaſtice philoſophemur) Nebulis enim in actu ſecundo pluvioſis, ſeu decidentibus, quod idem eſt ac dicere, *pluvia jam actu cadente*, Borellus apertæ iſtius contradictionis incapax, Mercurium non attolli, inquit, ſed deprimi; Nec illum forte, nec me criminaretur adeo P. Fontana, ſi pro *Nebulis pluvioſis*, *Vaporibus*, quod idem eſt, in ſua Propoſitione uſus eſſet Borellus: & in utroque hoc pariter caſu relate etiam ad Experimentum, verum eſt, quod Mercurius attollitur, videlicet dum ſerenus, & dum nubilus eſt aer, dummodo nubes ſupra Mercurii ſuperficiem ſe ipſas, aqueamve materiam ſuſtineant citra deſcenſum, hoc eſt, vel longe a pluvia, vel ea abſolute non ſecutura, ut mecum obſervat Acuratiſſimus Camerarius, ipſe quidem pag. 24. in ſuis Ephemerid. Meteorolog. dicens: *Solet Mercurius minus urgeri a nubibus ante pluviam, vel in ipſa verſus terram deſcendentibus, quam ab illis altioribus, quæ pluviam non æque ferunt, & cum quibus etiam altus ſolet manere Mercurius* (quamquam ratio ex paritate Naviculæ gravioris in aqua natantis deducta, & conjecturaliter tantum prolata ſit minus nervoſa) Ego vero antecedenter in Epiſtolam a pag. 97. dicendo, *quod ſi Aer materiam nubiloſam in ſe ſuſtineat, nec ullo pacto in terram dimittat, tunc vere per nubiloſum etiam tempus, experientia teſte elevatur Mercurius, ut omnino diſtinguendum ſit tempus nubilum, quod pluvioſum actu nullo pacto futurum eſt, ab eo quod eſt proxime ceſſurum in pluviam, cum in primo caſu reſtitantibus intra aerem iiſdem ponderoſis vaporibus nunquam deprimatur Mercurius, in ſecundo vero utique*, ut proinde omnino mirari ſubeat tam confidenter P. Fontanam mihi abſolute affixiſſe pro mea iſtam propoſitionem, nempe *vapores in ſtatu, in quo ſerenitatem impediunt, & nubes jam efformatæ, minus pondus Aeri conferre*, quod in his terminis neque per ſomnium cogitavi, ut fuſius infra. Conſtat ergo per Borellum elevari poſſe Mercurium, non quidem tempore pluviæ, nec immediate poſt, ſed vel ſereno tempore, vel nubilo, vel utroque. De ſereno, & de nu-

de nubilo longe ante pluviam res clara eſt, tum ex parte Experimenti, tum ex parte Propoſitionis, ut ſenſate huc uſque probatum puto.

Supereſt ſolummodo examinandum tempus nubilum paulo ante pluviam, in quo nec pluvia delabi videtur, nec immediate ante delapſa eſt, ſed potius Aer vaporibus iiſdem, ne dicam pluribus, adhuc imprægnatus apparet, & tamen tunc Mercurius deprimi ſolet, experientia ipſa reluctante Propoſitioni Borelli. Hæc autem una fuit libertas; quam mihi uſurpavi in explicanda Borelli propoſitione (cohærenter tamen ad illius fundamenta, nec incohærenter prorſus ad illius verba in decurſu propriæ expoſitionis) dicendo tunc temporis, eſto tantummodo nubiloſi quoad primam apparentiam, nec adhuc actu pluvioſi, pluviam tamen (inſenſibilem quidem, & vaporoſam, tot vulgaribus experimentis, atque rationibus ſuffultam, ut ibi fuſe pag. 99. & ſeq.) actu eſſe cadentem, & conſequenter tempus illud nubilum (quod unum forte, ſi quod aliud, minus exacte viſus eſt obſervaſſe Borellus) ut actualiter pluvium, comprehendi ſub ea parte Borellianæ propoſitionis, qua ſtatuitur, pluviam *tum nuperrime delapſam*, *tum actu cadentem* Mercurii depreſſionem inducere.

Non ergo quærenda erat Contradictio verbalis, & parum decora, infeliciter æquivocando in verbo *Pluvioſarum Nebularum*, quaſi per illas intelligendæ eſſent Nebulæ illæ perpluentes, quas perſpiciendo loca nonnihil opaca oculariter cadentes ad terram uſque intuemur, & quaſi illis dixiſſet Borellus Aerem imprægnari, ac ponderoſiorem effici, dum *in tempeſtate* (ut inquit P. Fontana) actu *pluvioſa* in terram decidunt, manifeſta, & immediata ejuſdem Borelli contradictione, qui potius in contextu eaſdem Nebulas Clariſſime explicuit ut ſurſum aſcendentes, & Aeri ſimpliciter innatantes, ſimilitudine deducta ex pulvere terreſtri per Ventos ſurſum acto, cum ad oſtendendam majorem ejuſdem Aeris gravitatem a Nebulis illis inductam ſubdidit: *Et hoc nedum a Nebulis, ſed a quacumque alia cauſa gravitante effici poteſt: Si enim terreſtris pulvis a Vento, vel alia commotione ſurſum impellatur, atque per Aerem diſſipetur, ſpargaturque; tunc nemo dubitat Aerem graviori niſi ſuperficiem Orbis Terraquei comprimere: Si poſtea a qualibet cauſa nebula impellatur, ut nimirum terram attingat, ſcilicet pluvia paulatim terram aſſequatur, eamque humectet, tunc patet innumera aquæ granula terræ inniti, neque amplius Aeris gravitatem, & compreſſionem augere.* Quid clarius? Diſquirendum itaque potius erat, num vere quoties Mercurius attollitur, & Aer ſiccus, ac ſerenus eſt, vere particulæ aqueæ intra poros Aeris ſupra Mercurii ſuperficiem copioſius aſſerventur, & gravitent, & num quoties deprimitur idem Mercurius, & pluvia proxime imminet, vere infra Mercurii ſuperficiem ſint ſitæ, adeoque ſaltem contra pluviam iſtam inſenſibilem a Borello minus explicite expreſſam, & circa quam tot, & tantas ego ipſe, & novi, & fateor difficultates ad ſalvanda ſufficienter Barometri Phænomena erat acuendus calamus. Hoc ſane diſputatione dignius aderat Argumentum, quod adhuc relinquitur cujuslibet impugnantis arbitrio: Sed quis poſthac reſpondebit? Non ego ſane: Non ſemper ſuppetit otium ludendi, nimiumque ab inſtituto recedere, ſi longe gravioribus, quæ me urgent, neglectis hæc inania proſequerer. Unum hoc ſubit mirari, P. Fontanam Virum Oculatiſſimum, Pluviam hanc, & phyſice & moraliter quidem levem, ſed quæ meæ (leviſſimæ per conſequens) hypotheſis unicum fundamentum erat, demiſſo lumine, & ſicco, ut ajunt, pede, ſeu mavis, quoniam de pluvia agitur; ſicco pileo pertranſiiſſe, tamque alto comprehendiſſe ſilentio, ut de ea (ſive ſufficiens ſit, ſive non, ad omnia ſalvanda, quæ ſalvari debent) ne verbum quidem fecerit, ut omnino fas ſit credere, quod eam nullatenus ob ejus tenuitatem inſpexerit, dum tot mihi objicit hoc uno fundamento, priuſquam obtruderentur rejecta; Sed ſorte meo, quod eleganter ſuis laudibus corripit, obtrutus multiloquio, & ſatietate creditæ Contradictionis exuberans, de minimis hiſce non curavit, licet ſtantibus illis, tum ſarta tecta Borellianæ Propoſitionis ſubſtantia, tum Contradictio mihi gratis objecta plane ſalvetur.

Non aliud etenim profecto ſonat Epiſtola mea (ut comparationem proſequamur

mur in Borellianæ Propositionis explicationem, quam quod huc usque ex ipso Borello repetere fuit opus, ut pluribus in locis Asteriſco etiam ſignatis ibidem cuique occulato, velut ad Lydium lapidem recurrenti pag. 109. & 124. potest apparere; Fallax namque est primo, & nullius efficaciæ, quod citata pag. 180. mihi adnectit P. Fontana, dum statuit me putare *Vapores in statu, in quo serenitatem non impediunt majus pondus aeris conferre, secus autem in statu, in quo impediunt, & nubes jam efformatæ;* Hoc enim, ut supra retuli, tantummodo conditionaliter, & cum distinctione a me prolatum est, non absolutè; scilicet verum esse Vapores, sive serenitatem impedientes, sive non (quod mere accidentaliter se habet) majus pondus aeri supra Mercurium conferre, si supra superficiem ejusdem Mercurii consistant, secus vero si infra illam incipiant descendere; hic enim duplex status Vaporum oppositus præcisè consideratur a me ex mente ipsius Borelli, præscindendo ab hoc, num per aeris imprægnationem factam a Nebulis pluviosis, seu, quod idem est, a Vaporibus ascendentibus, intelligat vapores impedientes serenitatem, vel non impedientes. Mihi sufficit, quod non intelligat Nebulas actu depluentes, quas intelligi non posse, jam satis, superque probatum est. Lubrice itaque nimis ultro procedit idem P. Fontana, subjungens. *Quid autem dicat Borellius in citata Propositione videamus, ait enim Mercurius in fistula Torricelliana altius elevatur dum aer nebulis pluviosis impregnatur &c. Dicit ergo Borellius tunc aerem esse graviorem, cum nebulis pluviosis imprægnatur; sed nebulæ pluviosæ non sunt vapores serenitatem non impedientes, sed impedientes in tempestate pluviosa,* (& nota ly *pluviosa tempestate* quæ perperam confunditur cum *pluviosis nebulis*) *Ergo tanta est diversitas inter sensum Borelli, & sensum D. Torti, quanta est inter duo Contradictoria, videlicet vapores impedientes serenitatem, & non impedientes serenitatem.* Corruente Supposito, quod mihi favet adjungere P. Fontana de Vaporibus serenitatem impedientibus, seu de Nubibus semper, ut falso putat; pondus aeris imminuentibus, corruit & moles superstructi Argumenti, cujus etiam Propositio minor, (siquidem Syllogismus sit ille, quod Deus avertat) partim manifestæ falsitatis, partim confusionis, & implicationis terminorum Rea potest evinci, ex eo quod dictum est millies, ut proinde in hisce Logicis cavillationibus pudeat amplius immorari, & crambem pluries recoctam denuo recoquere.

Reliquum Censuræ, quam mihi adaptare prosequitur idem P. Fontana, iisdem semper laborat suppositis, & ideo ex se ipsa labefactatur, ut mirum sit tantum Virum adeo patenter æquivocasse, ac si vix unam, vel alteram paginam Epistolæ meæ perlustrasset; si enim passus esset cuncta, licet prolixa, (non tamen quantum opus erat, ut video, ad mei sensus explicationem) legere, saltem ut impugnaturus, profecto minus emphatice subdidisset: *Ut quid ergo intelligit D. Tortus de Massa vaporum collecta, quæ utique non in terra est sed in aere, quo tempore deprimitur Mercurius?* (At quando nam concessum est a me massam vaporum esse collectam adhuc in aere, dum Mercurius deprimitur, si potius eam latenter in terram ex parte didicisse statutum est?) *cum enim est in terra, & delapsa est pluvia, falsum est deprimi tunc Mercurium* (cautius quidem, ut infra, & minus absolute hoc prolatum velim) *Afferenda igitur ratio, cur Massa vaporum in Aere collecta minus pondus eidem conferat, & cur fœtum* (*ut eadem utar phrasi*) *nondum ut prius in interspersis latibulis divisum, sed integrum,* (& nota ly integrum) *suis ferens ulnis Aer non magis gravitet &c.* Quæ omnia clare demonstrant P. Fontanam nullo pacto Aeris exonerationem occultam, & copiosam a me adductam, & ab eo priusquam hæc diceret, vel impugnandam, vel saltem exsibilandam, considerasse: Quare cum perpetuo a me statutum sit, omnem Mercurii depressionem contingere ob delapsam portionem vaporum aqueorum, & similium in terram, etiam tunc cum nulla adhuc pluvia sensibilis observatur, p. autem Fontana me interpretetur, ac si dixissem omnem Massam vaporum adhuc esse integre collectam in Aere tunc cum ante pluviam sensibilem deprimitur Mercurius, vere sequitur inter illius explicationem, & sensum meum potius quam inter explicationem meam, & sensum Borelli tantam intercedere diversitatem, quanta intercedit inter Duo Contradi-

tradictoria : quod jam , ut reor , luce clarius apparuit .

Hoc uno iterum eum monitum volo pro integra reſponſione , minus caute ſcilicet , ut ſupra innui , ab eodem dici , *quod cum delapſa eſt pluvia falſum ſit deprimi tunc Mercurium* ; deprimitur enim vere , ut patet , & ut Borellus intelligit , cum delapſa eſt pluvia reſpective ad altitudinem , in qua conſtitutus erat longe ante pluviam , dum Aer vaporibus abunde ſcatebat ; ac inſuper , ut alias protuli , dici poteſt deprimi Mercurius delapſa pluvia , ut dicitur deprimi pluvia cadente , eadem ſcilicet delapſa ſucceſſive per gradus , & partes ; neque enim delabi poteſt , quin ſit per partes ſucceſſive delapſa , ut tandem tota integre evacuata ibidem deprimatur Mercurius , ſeu rigoroſius loquendo depreſſus maneat , donec brevi vaporibus redeuntibus Aer iterum ſive ſenſim , ſive celeriter impræ gnetur , eademque proportione elevetur Mercurius , ut abſolute in hoc ſenſu delapſa pluvia , poſt aliquod modicum plus minus tempus , omnino verum evadat , Mercurium non deprimi , ſed elevari , ut aſſerit P. Fontana, in primam tamen interim Borellianæ Propoſitionis partem paulatim impingens , quemadmodum explicui jam in Epiſtola mea pag. 108.

Non tamen ideo ſibi idem P. Fontana me ut plane irreprehenſibilem ſuſtinere , etiam ſi qua melior ſe prodat , Sententiam Borelli , cujus equidem ſi Cultor dicar , licet plus habeam unde glorier , quam unde erubeſcam , attamen Nimium Cultorem dici non æque tulerim , neque in illius verba credi juraſſe magis , quam in verba Veritatis . Mihi ſat ſit ejus Opinionem in hac materia in cæterarum concurſu non eſſe ſeponendam , vel minime audiendam , quaſi fundo tenus erroneam ; quotieſcumque etenim non improbabile ſit ſerenum aerem multo vaporoſarum particularum diſgregato pondere , ſaltem in ſublimi ſcatere , & eundem nubilum paulo ante pluviam iiſdem vaporoſis particulis , ſive inſenſibiliter , ſive etiam (per pluviam non procul contingentem) ſenſibiliter exonerari , eo ipſo , Propoſitio Borelli , ſi non ad certitudinem , ſaltem ad probabilitatem nulli reliquarum opinionum ſecundam redacta eſt . Cum ergo iſta Poſitio non repugnet verbis , vel rationibus ipſius Borelli , ſed illis & accommodetur , & cohæreat , nequit unquam conſtare , Borellum illam non ſuppoſuiſſe ; & cum per eam ſalventur intra probabilitatis limites omnia ſalvanda , concludendum videtur , non modo a me ſine fuco explicatum Borellum , ſed & Virum iſtum Clariſſimum nequaquam erraſſe , & Sententiam non minus probabilem protuliſſe , ac Tot poſt eum protulerint , qui eandem ex præcipiti præjuditio forte pluſquam par erat neglexere . Et hæc curſim pro mea , ipſiuſque Borelli tutela iterum exarata volui ad tollendam ſimpliciter æquivocationem ejuſdem P. Fontanæ , Tanti cæteroqui Viri Habitum , Natalia , & Virtutem ſumme perſpecta , ſemper habiturus.

Quod ſi cuipiam (ut hoc addam coronidis loco) minus arrideat , quod ante pluviam ſenſibilem præcipitentur inſenſibiliter vapores aquei , vel quod (ut innuebam Doctiſſimo Camerario) contingat in propinquis Regionibus pluvia ſenſibilis actualis pondus Atmoſphæræ intra inſigne ſpatium , etiam , ubi nondum pluvia decidat , æqualiter allevians , adeoque minus exactam quis adhuc credat per nubiloſum tempus inſtante pluvia Obſervationem Borelli , cui forte pluries potuit contingere , quod modo mihi dum hæc ſcribo contingit circa anomalos , & inconſtantes præter conſuetudinem Mercurii motus , in tali caſu de ſola omiſſione , non de poſitivo errore culpandus eſſet Borellus , adducens in conſiderationem Facti ſolum tempus repletionis , & depletionis Aeris , nempe aſcenſus , & deſcenſus , ſeu accretionis , & excretionis vaporum , omittendo forſan reſpective ad alias Mercurii motiones craſſiuſcule obſervatas ſtatum , vel habitudinem vaporum , dum proxime deſcenſuri ſunt , pro cujus ſtatus mirabili phænomeno (licet non perpetuo) aliam inſuper rationem requiri cognoviſſet ; quæ tamen quandocumque (ut fas eſt credere de tam ſublimi Intellectu) reperta fuiſſet , vel adhuc ab aliis reperiretur , forte non deſtrueret primam , ſed cohæreret eidem reliqua phænomena luculenter explicanti : Neque enim repugnat , Experimentum etiam rigoroſe conſideratum , & ratiotinium Borelli tribuens majus pondus Aeri aqueis vaporibus turgido , quam eidem iiſdem caſſo ſimul conciliari , quotieſcumque detur per hoc explicari tantum-

tummodo partem Experimenti, non Factum integrum; & consequenter potest etiamnum ratio ipsa Borelli subsistere ut vera, licet forte non subsistat ut tota ratio Causalis; neque enim implicat, quod Aer humidus, & aquosus magis gravitet quam siccus, sed sicco minus premat, adeoque nec implicat Mercurium ab aere aqueis vaporibus pleno majorem molis gravitatem pati, sed minorem pressionem, ac patiatur ab aere talibus vaporibus viduato; Vis enim pressionis potest haberi major ab impetu, vel conatu extrinseco cum minori molis gravitate, & minor cum majori, & consequenter potest esse verum Factum, & vera Ratio, licet non ob eam præcise Rationem verum sit Factum, unde sic, quantum est ex parte gravitatis, Mercurius deberet attolli magis humido, quam sicco aere, sed propter alias cumcausas vim aeris elasticam plus, vel minus exercentes sequi potest oppositum; Quare non improvide forsan in explicatione suæ propositionis 115. clausit Borellus. *Concludi potest aerem revera suo pondere, & vi elastica comprimere Mercurium in fistula contentum, eumque ad illam determinatam altitudinem elevare.* Sane supra Lanæ cumulum minus gravitat imposita manus mea pondere suo naturali sibi relicta, quam pondus 25. librarum, & tamen addito conatu, manus ipsa mea potest lanam premere magis, ac illam premat pondus 25. librarum. Quid, si quid analogum contingeret in casu nostro? Oppositum quis novit? Certe ex Facto deducitur in aere aquoso minor pressio, non minor gravitas; neque hæc ad invicem convertuntur, nisi quatenus conatus (ubi quis adest a gravitate distinctus) supplet ponderi, & illi tantundem æquivalet in exercenda pressione; quod & obiter tetigi in priore Epistola mea circa finem.

Unde vero deducendus sit iste Conatus ipsi Gravitati hic, & nunc superadditus, & a qua Causa, num scilicet a Ventis, num ab alia vi superioris Atmosphæræ (ut analogico quodam experimento crassiore ibidem per transennam signavi) hoc unum forte superest inquirendum, maxime cum incostans sit adeo Mercurii motio, ut qualibet tempestate contingat quælibet; constantior vero, si qua est, forte potius in ventos, quam in nubes, & serenitatem, seu & in nubes, & in serenitatem, sed propter Ventos possit refundi; idque eo magis, quoniam *Cum nubibus altioribus, quæ*, ut appositè dicebat D. Camerarius, *pluviam non æque ferunt, altus solet manere Mercurius, & cum iisdem nubibus ante pluviam, vel in pluvia versus terram descendentibus humilis*; si autem nubilosi aeris gravitas in uno casu minor est, quam sereni, qui fit, ut utroque tempore æque nubilo, non æque contingat in fistula depressio Mercurii?

Hæc adhuc, fateor, velim a Philosophis Naturalibus clarius exposita, quibus nempe onus hoc plane relinquo. In hanc Arenam suo quilibet Marte descendat, in quam ego ludens irrepsi, & unde alios in posterum spectaturus recedo: Quod si aliquis ictus eruditus sive Borello, sive mihi fortuito inter spectandum obtigerit, parum refert; quippe & istud est aliquod aucupium Famæ: nec plane inglorius moriar, si in Albo Literatorum scribar pluries, etsi ut rejectus semper: scilicet sic & per me compleantur Annales. Hæc cuique data est in scribendo libertas, nec potest vere quisquam lædere non renuentem lædi; ista namque prætereuntem dissidia excusat apud Senecam inutilitas ipsa materiæ, *Operose enim* (inquit ille) *nihil agunt qui in literarum inutilium studiis detinentur, ut quærere quem numerum remigum Ulisses habuisset, prior scripta esset Ilias, an Odyssea, & alia hujus notæ; quæ sive contineas, nihil tacitam conscientiam juvant, sive proferas, non doctior videberis, sed molestior.* Hujusmodi supervacua, vel acriora scribant ad satietatem si qui sunt, quos teneat prurigo, vel *Cacoethes scribendi*, sitque istud illis solamen, & nobis volupe; licet enim (ut idem ait Seneca) *non sit profutura talis scientia; est tamen quæ nos specioſa rerum vanitate detineat.* Neminem ideo posthac in tali materia lubet refellere, etsi vellicantem: Obstrepant illi, & clamitent ad ravim usque

Semper ego Auditor tantum.

HAnc ipsam autem scribendi temperantiam incussit ultro altera meæ Considerationis a primordio expressa, quod nempe hæc eadem in rebus abstrusis

sis scribendi, alioſve corripiendi activa proclivitas sit in scribentem sæpe sæpius passive conversa. Hinc vero Morali Animadversioni occasionem præbuere Scripta in hanc rem recenter edita a D. G. C. Schelhamero Acad. Kilon. Prof. Medic. Primario; mihique pariter a te, ut crebro Scriptis peregrinis favendo assoles, humaniter impertita; ea namque statim emenso, quod pridem calcaveram Stadio Anatomico voraciſſime legi, utpote Virum tandem reperiens Mercurii librationem in Barometro cum Borelliana Propositione conciliantem in hoc, quod pondus aeris majus sit, tunc cum vaporibus aqueis scatet, quam cum iisdem depletur, adeoque quantum ex hoc capite D. Schelhamerus semitam illam primus trivit, quam paulo ante indigitabam: Causam tamen Motuum Mercurialium non in superiore quidem Atmosphæra; sed in infima fluidi aerei statione quæsivit, & inveniſſe gloriatus est; at alio principio profecto diverſiſſimo in morem Demonstrationis, adversus ea, quæ a te peculiariter, Vir Ornatiſſime, & ab aliis omnibus ex sola Aerometria rationem mutuatis huc usque prolata sunt fidenter adducto; sorte tamen, ut verum fatear. parum felici.

Quæ tamen præmittit Vir iste, vel in hoc laudabilis, quod solo Veritatis (talem quippe putavit) amore, non contradicendi libidine percitus scripserit in impugnationem tuæ Hypotheſis (an dicam aliquot conjecturarum a te, ut meæ a me, utque ambo sumus profeſſi, oscitanter prolatarum?) intacta relinquam, ne in tuam messem temeraria falce videar irrepsiſſe, maxime cum validiora quæque Argumentorum tela, quæ aliorum forte Virtutem fatigarent, tuæ tamen Fortitudinis robori oppoſita haud dubitem quin vel ipso

Poſſunt umbone repelli.

Mihi sit itaque ſnmma religio positivam præciſe D. Schelhameri Sententiam, quatenus meæ (si quam haberem) minus consonam, aliisque proinde omnibus, quæ te unice respiciunt posthabitis, obiter expendere. A quo nihilominus examine prorsus caverem, nisi ampla hæc ab ipso Schelhamero foret concessa libertas, & nisi pro demonstrata promulgaretur illius Propositio; quatenus enim intra solius conjecturæ limites diceretur consiſtere, nam, etsi mancam, utique ferrem; neque enim mei moris est aliorum placita, vel opiniones convellere; Quia tamen Opinio sectatores tantum allicit, & Demonstratio compellit, propterea quotiescumque rem aliter se habere sit demonstrabile, ut modo, deceptio non æque sinenda in præjudicium Veritatis, in cujus gratiam veniam eamdem D. Schelhamerus, quam ab aliis exigit, æquius donet.

Procedit ergo Vir iſte Eruditus Methodo, ut putat, & profitetur, Demonstrativa, constanter evulgando Solutionem noti Problematis, & adducendo pro Basi Regulam infallibilem Hydrostaticam, qua notum, & certum est, quod Corpus specifice, ut ajunt, gravius aliquo Fluido, hoc est, ut norunt vel hospites in Hydrostatica, habens sub data mole pari majus pondus, ac habeat sub eadem paritate molis ipsum fluidum, tale corpus in tali fluido mergitur; Corpus vero habens minorem specificam, hoc est sub æquali mole minus ponderis ac habeat fluidum, tale corpus in tali fluido innatat; Corpus vero data paritate molis, seu quantitatis, habens etiam paritatem ponderis, seu æqualem gravitatem specificam, neque emergitur, neque emergit, sed consistit intra fluidum in quocumque loco sistatur, cum non habeat supra se gravitatem specifice majorem, quæ illud detrudat, nec infra se minorem, quæ ab eo trudatur, sed talem, quæ suppleat defectum, & vices illius portionis, seu quantitatis fluidi, quæ si ibi adesset, locum præciſe eumdem a tali corpore æque ponderoso occupatum pacifice possideret.

Hinc postea propter Principium istud evidens, & inconcussum sequitur, quod Corpora, quæ in fluido ipsis specifice minus gravi merguntur, in alio ipsis specifice graviore ascendant, & quod datis duobus Fluidis inæqualis ponderis, & crassitiei, Corpus, quod in fluido minoris ponderis ad certam mensuram immergitur, debeat in altero fluido ponderosiore minus mergi, quod apte illustrat D. Schelhamerus exemplo Navis in aqua dulci leviore, magis, & in salsa graviore, minus se se immergentis: quod idem accidet, si idem Fluidum levius, sed sem-

per

per ſpecifice gravius corpore immerſo, acquirat majus adhuc pondus, majoremque craſſitiem, ut ſi Aqua dulcis, cui innatet Navis, ſoluto in ipſa ſale copioſo fiat ponderoſior, in quo caſu Aqua eadem, modo majorem, modo minorem gravitatem nacta, diverſimode ſuſtinebit eamdem Navim; Atque hæc Regula proportionaliter procedet de omni corpore gravi, reſpectu omnium fluidorum ſuſcipientium magis, & minus craſſitiei, vel ponderis, dummodo non ita varietur illorum pondus, ut evadant leviora corpore illis impoſito, ſed ſemper ſervetur major gravitas ſpecifica in quolibet fluido, cui debet aliquo modo innatare Corpus grave, cum cæteroqui Saxum ſpecifice gravius omni aere & omni aqua, in neutro horum fluidorum natet; e contra vero Lignum, quod in aere ruit, natet in aqua, ob majorem ejuſdem ligni gravitatem ſpecificam reſpectu aeris, minorem vero reſpectu aquæ, non minus ac idem Saxum in aere, & aqua deſcendens natet in Mercurio, ob majorem gravitatem ſpecificam Mercurii ſaxum efferentis, ac ſurſum trudentis. Quam quidem Regulam Hydroſtaticam cum ſuis conditionibus inſeparabilibus comprehendit D. Schelhamerus his verbis: *Primo notum eſt, & apud omnes in confeſſo, immo ſenſibus obvium quædam Corpora Gravia in fluido leviori* (non quidem, ut puto, relate ad corpus in illo innatans, quod abſit, ſed leviori relate ad aliquod aliud fluidum gravius, duobus eorum datis) *aſcendere, & vel in medio, vel ipſa etiam ſuperficie conſiſtere. Secundo id fieri conſtat ad regulam Hydroſtaticam, ſecundum quam ejuſdem quantitatis, ejuſdemque ponderis corpora neque emergunt, neque merguntur; quæ vero majoris ſunt ponderis, ejuſdem vero quantitatis cum aqua ſubjecta, fundum petunt; minoris vero ponderis aſcendunt in ſuperficiem, & ſupernatant.* Quæ omnia ſane in bono ſenſu, ut ea ſupra explicui, ſunt Theoremata perpetuæ veritatis, licet inde minus appoſite deducat D. Schelhamerus, quod ideo *Salinæ particulæ affuſa aqua ubi ſolutæ ſunt in fundo diſpareant, & aquæ poris ſe inſinuent ſponte, quia in minima redactæ leviores ſint aqua, hoc eſt ejuſdem quantitatis, & minoris ponderis*; quam diſſonam illationem hoc loco rimari non vacat.

Juxta regulam itaque modo explicatam contendit D. Schelhamerus ideo Mercurium Barometri in Vaſculo, vel quomodolibet aeri expoſitum intra aerem humidiorem, craſſioremque ut ait, extima ſua ſuperficie ſuccreſcere, decreſcere vero intra fiſtulam, quia eadem aeris humidioris, ac ponderoſioris (talem quippe probare ſatagit, ut Borellus, ob admixtionem aquæ) acquiſita craſſities in cauſa eſt, ut Mercurius in æquilibrio cum aere jam poſitus neceſſario non nihil attollatur in vaſe intra idem fluidum aereum craſſius, & ponderoſius redditum reſpective ad aerem ſiccum (quem putat minus ponderoſum, & aqueis particulis caſſum) intra quem ex oppoſito, ob regulam dictam, ſua extima ſuperficie profundius mergi, & magis deprimi autumat, ut elevetur intra fiſtulam, ea ratione, qua magis attollitur Navis intra Aquam Marinam graviorem, atque craſſiorem, quam intra Fluvialem minus gravem, minuſque craſſam; Supponit ſiquidem Mercurium ſic æquilibratum, etſi longe graviorem omni aere, tum ſicco, tum humido, eſſe tamen redditum ex vi talis æquilibrii de ratione corporum, quæ neque merguntur, neque emergunt in aere, quaſi Vitrum ambiens, & Vacuum ſuperſtans de nihilo ſint, dum inquit; *Eſt enim Mercurius corpus in fluido tenuiore conſiſtens, & quidem ejus habet rationem, quod in medio fluido neque mergitur, neque emergit* (Mirum ſane, quod dicatur conſiſtere in medio Corpus, quod vix tangitur a fluido, ſecundum minimam portionem ſuæ ſuperficiei, ſecundum reliquam vero, vel Vitro adhæreret, vel Vacuum reſpicit, unde ſi mergeretur, deberet mergi in Vaſe, & in Vacuo, in quod terminat, non in aere) Sed audiamus rationem, cur tale corpus neque mergatur, neque emergat; *Nam omnes*, inquit, *fatentur propterea eum non effluere, quia æquiponderat columnæ aeris ejus ſuperficiei incumbentis: unde etiam videmus pro Atmoſphæræ altitudinem eum vel aſcendere, vel deſcendere in tubo, & in Montibus altis longe eſſe depreſſiorem quam in convallibus: Simul igitur illud tenue fluidum mutatur ſitque craſſius, neceſſum eſt eum aſcendere extra tubum, & altiora fluidi incraſſati* (videlicet aeris humidioris) *loca petere, unde neceſſario in tubo deſcendet;*

det: fit enim (inquit alibi) *crassius fluidum humidus aer, quam erat antea siccus, & perinde illi accidit, ac si in aqua dulcem injeceris salem, ex quo crassior redditur, ac ponderosior: Neque enim descendere Mercurius in tubo potest, nisi quia ascendit altius in aerem, qui in subjecto Vasculo illi suppositus est, & cujus superficiem aer tangit.* Atque hæc quidem tam clare deducta supponit, ut *aut falsam Regulam Hydrostaticam, aut vera illius Asserta necessario deprehendenda* concludat: Verum hic priusquam ad ulteriora procedam, unum obiter quæro, cur non æque explicetur descensus Mercurii intra Vasculum, & ascensus in Fistulam aere humido in siccum mutato, ac explicetut ascensus intra vas, & descensus ex fistula, aere sicco in humidiorem converso; Dum enim aer transit a statu humiditatis, ad statum siccitatis, necesse erit ideo Mercurium in Vase deprimi ex principiis D. Schelhameri, quia cum aer tunc fiat fluidum tenujus, Mercurius in eo magis mergatur, atque descendat proprio pondere, & nulla crescente vi impulsive prementis aeris, qui potius minus debet premere, utpote levior factus, ac antea. At quomodo brevissima columna Mercurii (sola namque columna correspondens debet in toto Vase considerari, ut patet si ex recurva solum fistula absque ullo Vase fiat Barometrum) suo pondere potis est longe altiorem columnam intra fistulam sursum pellere, ut scilicet possit ipsa brevior profundius mergi? Sed hæc per transennam.

Jam vero rem ipsam prius aggrediamur, qua equidem rite perpensa, admissaque ut evidenti Regula Hydrostatica nuper allata, non aliud dicendum est, nisi quod propter hanc ipsam Regulam, cui superstruere nititur D. Schelhamerus molem suæ creditæ demonstrationis (summa dixerim pace, & veneratione tanti Viri Scriptis felicioribus, ut audio. Clarissimi) claudicat, & corruit tota Hypothesis inde oblique deducta, ob ommissionem conditionis essentialis in actuali applicatione Principii superius adducti, & cæteroqui infallibilis; nam præterquamquod æque falso dicitur, quod Mercurius specifice gravior omni aere, etiamsi accidentaliter, eo quo notum est modo, æquilibratus, magis vel minus emergat in aere, modo tenujore, modo crassiore, ac diceretur Saxum magis, vel minus emergere, vel immergi in aqua modo dulci modo salsa reddita, cum tamen (celerius quidem, & tardius) semper mergatur, & emergat numquam, propter excessum gravitatis specificæ saxi supra aquam tum dulcem, tum salsam, & præterquam quod nullo umquam pacto admiserim Mercurium Barometri posse dici hærere in medio aere, ut de Corporibus vere in medio fluido hærentibus dici solet, eo quia Mercurius in tali casu & Vitro continente excipitur, & non undequaque circumpremitur ab aere, ut indispensabiliter requireretur, nec proinde potest emergere magis intra aerem crassiorem, quam intra tenujorem, cum idem aer non subeat alteram ejusdem Mercurii superficiem Vacuum respicientem; sicuti multo minus potest, ut falso supponitur, tunc ad emergendum urgeri a pondere columnæ Mercurialis in fistula contentæ, quæ, ut fatetur D. Schelhamerus, stat pro æquilibrio totius cylindri aeri exterius prementis, cui cylindrus aereus, cum, ut idem inquit crassior tunc factus pondus majus acquirat, debet ex oppositio potius reniti, ne columna interior urgeat exteriorem; præter hæc inquam omnia satis absona, & implicata, altera insuper patens æquivocatio, & radix omnium malorum (detur venia veritati) est, quod Mercurius in eo loco situs supponitur Corpus ob sui librationem redditum tale, ut dein non amplius ob totius Cylindri aerei pressionem illud intra Vacuum usque ad æquipondium urgentis, sed suapte ipsa natura, & gravitate (proh transitus !) neque emergat, neque mergatur; idque non aliam ob causam perperam dicitur, nisi quia confunditur gravitas absoluta cum gravitate specifica, hoc est fit comparatio tanti ponderis, posthabita comparatione tantæ molis; dum enim dicitur *apud omnes in confesso esse Mercurium in fistula suspensum detineri a toto Cylindro, seu columna aeris superjacentis vasculo*, ut ad verbum supra relatum est, ommittitur, immo excluditur conditio in ipso Principio essentialiter inclusa, & nuperrime expressa de paritate molis, seu quantitatis inter Aerem, & Mercurium, seu inter Fluidum, & Corpus, quod dici-

dicitur innatare, hærere, vel mergi, & adducitur ſola paritas ponderis cum immenſa molis diſparitate, quanta ſcilicet eſt inter altitudinem cylindri Mercurialis, & columnæ aereæ contranitentis, & æquiponderantis: Ideo enim Mercurius ibi hæret intra fluidum aereum (ſi ita improprie loqui lubeat) ſeu mavis intra Vaſculum, & inter confinia aeris, & vacui, quia ſecundum cylindrum ſuum triginta circiter tranſverſos pollices altum, habet tantum pondus, quantum habet cylindrus aereus æqualis quidem Diametri, ſed altitudinis millies, ac millies majoris. At quis non novit libram paleæ eſſe gravem æqualiter libræ plumbi, ſed cum quanto molis, & quantitatis exceſſu? Ac proinde quis Paleam æque gravem ſpecifice dicet, ac Plumbum?

Hinc eſt ex oppoſito, quod acquirente craſſitiem, & gravitatem, ut dicitur, aere, creſcere debeat preſſio ſupra Mercurium, illumque altius urgere intra fiſtulam (ubi nullum eſt corpus, quod illum repellat, vel aeri eundem prementi contranitatur) niſi tanta evadat aeris craſſities, ut aer ipſe acquirat majorem gravitatem ſpecificam, reſpectu Mercurii; ut ſic idem Mercurius poſſit ſcandere etiam, ſi lubeat, totam Atmoſphæram; Omnia enim corpora, quæ in aliquo fluido demerſa aſcendunt, id non agunt, ut notum eſt, per levitatem abſolutam: quam nullam habent, ſed id patiuntur propter majorem gravitatem ejuſdem fluidi ſe ſe inſinuantis ſubtus ea, ideoque illa ſurſum trudentis, ut eorundem protruſione abſoluta, ſibi tandem æquilibrium reparet; Atque ita non poterit Mercurius Barometri, etiamſi dicatur demerſus in aere, intra eundem aerem craſſiorem exterius magis attolli, niſi idem aer tantum acquirat pondus, ut per illud deſcendendo infra Mercurium, illum ſurſum trudat in Vaſe, maxime cum nequeat amplius, ut dictum eſt, refundi illius aſcenſus in contra preſſionem factam ab alio Mercurio intra fiſtulam degente; qui ſtando, ut fatetur D. Schelhamerus, pro æquilibrio aeris externi gravioris redditi, debet ex hoc capite repelli potius, quam repellere? Nec ob aliam rationem Navis Aqua tum marina, tum fluviali ſpecifice minus gravis, plus tamen emergit in aquis marinis, quam in fluvialibus innatans, niſi quia major cum ſit gravitas ſpecifica Aquæ Marinæ, quam Fluvialis, non ſolum ad invicem, ſed & reſpective ad eandem Navim, Aqua idcirco marina magis quam fluvialis Navim, quam ſubit, ſurſum pellit, ad ſibi æquilibrandum proportionata merſione pondus impoſitum; ac per conſequens minus ſpatium occupat intra Aquam marinam, & mergitur ſecundum minorem ſui portionem, ſeu æquivalet toto ſuo pondere moli minori ejuſdem Aquæ Marinæ Navis, ac occupet intra Fluvialem, intra quam mergitur ſecundum majorem ſui portionem, quia toto ſuo pondere æquivalet moli majori ejuſdem Aquæ fluvialis.

Hinc pariter eſt, quod ſi intra Aquam mergatur Barometrum, elevetur ſenſibiliter, ut pluries expertus ſum, ſupra altitudinem, quam ab aere ſortitus erat, intra fiſtulam Mercurius, ad proportionem aquei ponderis ſuperadditi; quia ſcilicet columna externa miſta ex aere, & aqua (quidquid dicat in contrarium Schelhamerus) magis premit ſuperficiem Mercurii externo ponderi expoſitam, cum tamen juxta hypotheſim hujuſce Viri deberet potius intra aquam: quæ profecto eſt fluidum craſſius aere; excreſcere, ſeu emergere magis ex parte aperta Mercurius æquilibratus, & decreſcere intra tubum, quod eſt contra experientiam ipſius Schelhameri, & omnium quot quot experientur; & ratio majoris aſcenſus Mercurii in aqua eſt, primo quia Mercurius verſus ſummitatem fiſtulæ adactus non invenit reſiſtentiam, vel contactum. Aquæ, quæ illum ibidem firmet (quod eſſet neceſſarium, tum ad hoc, ut in aqua poſſet dici innatare, tum ad hoc, ut ex parte aperta ſuccreſceret, ſi cæteroqui poſſet; ſicuti neceſſarium eſſet adeſſe aerem in ſummitate fiſtulæ, tum ad hoc, ut poſſet exinde ſuccreſcere intra aerem liberum, tum ad hoc ut poſſet dici innatare in eodem aere) ſed in Vacuum minime reſiſtens altius urgetur; ſecundo quia licet Aqua ſit fluidum craſſius aere, non tamen eſt fluidum craſſius Mercurio, quod omnino requiretur ad hoc ut Mercurius, etiam ſi eſſet vere intra aquam, ut corpora ibidem hærentia, æquilibratus, poſſet intra eandem aſcendere: Sed demus pro interim hoc loco bina falſiſſima

ma ejuſdem ſuppoſita, primo ſcilicet quod demerſus intra aquam Mercurius Barometri innatet, vel hæreat in eadem, ut corpora ſpecifice æque gravia herent in illa circum premente, ſecundo quod intra eandem Aquam Mercurius ille patiatur ſolam preſſionem Aquæ ſuper incumbentis, non vero aeris externi; adhuc tamen iſtis datis, ſi tanta ſalis copia, quantam capere poteſt Aqua Putei v. gr., cui mergatur Barometrum, in eadem Aqua ſolvatur, ut aqua iſta fiat fluidum craſſius, ac prius, decreſcetne in tubo Mercurius, ut intra Aquam hanc ſalſam magis aſcendat, an deſcendet intra illam, ut magis aſcendat in tubum? Quæſitum, omnemque litem ſolvat res ipſa, quam oculatis relinquo. Sane ad hoc ut intra aquam ſalſam magis aſſurgeret, opus eſſet, primo quidem, ut ab eadem Aqua undequaque circumvallaretur Mercurius, deinde ut ipſa aqua ſic ſalſa reddita fieret ſpecifice gravior Mercurio; niſi enim talis fiat, nil relevat quod columna Aquæ quatuordecim circiter digitos tranſverſos longa æquiponderet uni digito tranſverſo Columnæ Mercurialis ejuſdem Diametri, ad hoc ut Mercurius hoc pacto æquilibratus, & in Aquis hærens mediis (ut cum Schelhamero improprie loquar) poſſit, vel debeat altius intra aquam ſalſam aſcendere, intra tubum vero (quod nunquam accidet) deprimi.

Aſt nimium verum eſt, quod una ſata Zizania plures ſuboriri neceſſe eſt. Hinc fit propterea, quod facta per D. Schelhamerum immerſione Barometri intra aquam, dein facta minus recte comparatione Mercurii in altera ſui extremitate Vacuo circumſcripti, cum corporibus ſecundum omnem ſuam ſuperficiem in aqua demerſis, in duo impingat abſurda, quorum unum eſt, quod Mercurius ille patiatur ſolam preſſionem Aquæ incumbentis non vero Aeris; Fallaciæ ſane fæcunda, aliiſque prægnans gravioribus in reſolutione Objectionum, quas non leves ſibi conſtituit, cohærenter partis; Alterum vero inconveniens adductum in probationem primi eſt dicere, quod ſi aliter res eſſet, nempe ſi Mercurius Barometri demerſi pateretur preſſionem Aeris ſimul, & Aquæ, ſequeretur, quod Corpora omnia gravia in aquis undequaque merſa (quæ cum Mercurio ſic demerſo perperam comparat) magis gravitarent intra illas, quam intra aerem, quia ſcilicet ſupra ſe ferrent onus, non ſolum totius aeris, ſed & aquæ incumbentis, cum tamen pateat, quodlibet Corpus grave in aqua demerſum, non modo non acquirere majorem gravitatem, ſed & portionem illius poſitive, deperdere: Interim tamen his non obſtantibus. Atque ipſius preſſionem ſupra corpus vere demerſum, non modo non renuit, ſed & eam tranquille concedit, dum poſt allatum Experimentum quoddam a nullo, ut inquit, adhuc Mathematicorum ſolutum de Corpore latioris ſuperficiei aquis illo gravioribus ita immerſo, ut ſubtus illud nulla queat aqua inſinuari, & nihilominus (quod ni viderim ægre crediderim) emergente, ſic ait: *Id tantum interrogabo, qui fiat, quod ſub aqua quodvis Corpus grave longe minus ſit grave, quam in aere corpore leviori, cum ſi expreſſione incumbentis columnæ eſſet pondus illud, multo deprehenderetur gravius, nimirum & aeris, ſeu Atmoſpheræ quod antea ſuſtinebat, & aquæ cui immerſum eſt incumbit pondus* (vera utique eſſet hæc illatio, ſi vera foret Cauſalis, nempe quod gravitas corporis demerſi haberetur a preſſione aeris, & aquæ incumbentis; ſed aliud eſt aerem, & aquam circumpremere corpus demerſum, & aliud eſt ab utriuſque preſſione haberi gravitatem corporis demerſi.) *Ac ſecus fit; Ergo &c. Itaque neceſſario erit concedendum Aquam, cui immergitur corpus grave, ſuſtinere ſolam illam columnam aeris, ſeu Atmoſphæræ incumbentem, itaut corpus in mediis ærens aquis ejus gravitati non amplius ſit obnoxium, ſed aquæ ſolius incumbentis pondere prematur: Id quod adeo certum eſt, ut ipſe etiam Mercurius in Tubo Torricelliano incumbente aqua, vix ad unius digiti altitudinem aſcendat*, intelligo ſupra altitudinem extra aquam præexiſtentem, alias falſum eſſet experimentum) *niſi ultra digitos* 14. *aqua emineat &c. Ex quo ſane manifeſtius eſt nihil, quam remotam interventu aquæ columnam Atmoſphæræ in ſubjectum Mercurium nil amplius habere poteſtatis, quod erat demonſtrandum.* Hæc Schelhamerus.

Hic autem priuſquam reddatur genuina ratio, cur corpora gravia vere demerſa intra aquam, minus gravia ibidem depre-

deprehendantur, ac intra aerem, abſque eo quod illorum minori gravitationi quicquam officiat preſſio ejuſdem aquæ, vel aeris, & cur nihilominus Mercurius in caſu poſito ita patiatur preſſionem utriuſque Elementi, ut ex utraque preſſione vere ſupra illum ſenſibiliter augeatur pondus columnæ incumbentis, quod non fit ſupra corpora undequaque demerſa, hoc ſaltem obiter videtur præmittendum, quod dum D. Schelhamerus admittit preſſionem Aquæ ſupra corpora quævis gravia demerſa, ea ipſa ratione, qua probare ſatagit corum gravitatem intra aquam augendam eſſe, ſi aeris, & aquæ pondus ſuſtineant (pari ſiquidem modo credit premi quævis corpora vere merſa, ac premitur Mercurius immerſi Barometri) eadem quoque ratione cogetur & ipſe dicere talia corpora magis gravitare in aqua, ſi ſuſtineant ejuſdem, etſi ſolius, aquæ impoſitum pondus, ac gravitent in ſe ; immo eo plus in eadem aqua gravitare, quo profundius merguntur, creſcente videlicet Aquæ prementis columna, quod eſt contra omnem experientiam ; Recurrendum itaque erit in hoc caſu ad contranitentiam aquæ tum ſubjacentis, tum lateralis circumprementis, & repellentis preſſionem aquæ ſuperioris : nec male : Sed quid inde pro Mercurio Barometri in aqua quidem abſcondito, ſed in vacuum terminate dicendum? Nil aliud, profecto, niſi quod oculis patet, & quod expertus ſum ipſe, nempe eum a preſſione aeris, & aquæ urgeri ſurſum tantum, quantum requirit utriuſque pondus, & quantum ſinit continens fiſtula; tum quia nequaquam demerſus eſt integre, tum quia ſpecifice magis gravitat, ac omnis Aqua.

His præmiſſis, ut anxio D. Schelhameri Quæſito plene ſatisfiat, cur nempe corpus grave in aqua demerſum minus in ea gravitet, quam in Aere, nec obſtet imminutioni ponderis illius aquæ ejuſdem, vel aeris circumpreſſio, notandum eſt, tantum abeſſe, quod eadem circumpreſſio quidquam valeat ad augendum pondus corporis immerſi, quin potius illi nihil præſtet omnino, quatenus ut dictum eſt, preſſio ſuperior fluidi a preſſionibus inferiori, & laterali ejuſdem fluidi, quaſi a tot potentiis hinc inde & undequaque contranitentibus viciſſim retunditur, & enervatur uſque ad quoddam veluti æquilibrium preſſivi conatus nihil propterea in medium corpus agentis, eo pacto, quo ſi tale corpus a pluribus potentiis æqualibus circulariter illum ambientibus traheretur, in nullam partem moveretur, vel flecteretur ; ſed minuitur intra quodvis fluidum momentum corporum demerſorum, quia cum ibi occupent tantum ſpatii, quantum occuparet moles illis æqualis ipſius fluidi, quæ moles tunc abeſt, cum adeſt corpus, neceſſe eſt tantum ponderis ab eo corpore detrahi, quantum eſt pondus molis abſentis, & æqualis fluidi, in quo Grave demergitur, remanente ſenſibili in corpore merſo, tanto ſolum ponderе, quantus eſt exceſſus ponderis in tali corpore ſupra pondus molis æqualis ipſius fluidi, quod quidem de omni corpore, tam in aere, quam in aquis ad trutinam revocato, perpetuo verificatur ſecundum iſtam proportionem, ſicuti ſecundum eandem tale Grave in tali Fluido deſcendit, videlicet ſecundum exceſſum gravitatis ſpecificæ ſupra ſpecificam gravitatem fluidi, & ſecundum eundem pariter exceſſum, non vero ſecundum totum ſuum pondus in tali fluido penſitatum gravitat.

His vero non obſtantibus, Mercurius Barometri in Aqua demerſi (de hoc namque corpore Aqua non circumpreſſo, ſed in Vacuum terminante unice loquor, ne Propoſitionem univerſalem ab ipſo prolatam de omnibus Corporibus vere demerſis ad trutinam ſtrictius revocem, tritamque Quæſtionem hic ſubeam, an Corpora aquis circumvallantibus realiter merſa vere patiantur ullam preſſionem ejuſdem Aquæ, quod circa expeditiſſimos in Aquis profundioribus Urinatores anſam dat diſputandi, & cujus effectus ratio ſatis elegans, etiam admiſſa gravitatione Aquæ ſupra Aquam, hujus loci non eſt) his inquam ſuperius expoſitis minime obſtantibus, Mercurii Barometri in Aqua demerſi abſolute patitur utramque preſſionem, Aeris videlicet, & Aquæ, tum propter rationes diſpares diverſæ merſionis huc uſque allatas, tum propter aſſertum ejuſdem D. Schelhameri ; ſi enim Aqua, ut ipſe late fatetur, ſuſtinet preſſionem, & pondus totius aeris, & Mercurius Barometri, eo quo poteſt modo, merſus ſuſtinet preſſionem Aquæ incumbentis, qui fit quod Mercurius

curius non patiatur preſſionem Aquæ ut patientis preſſionem Aeris? Forte Aqua Mercurium premens a pondere aeris ſibi impoſito tunc præſcindet in gratiam Mercurii? In hanc rem ſibi hæc fabella: Homuncio quidam modiolum tritici ad Moletrinam delaturus, ne proprio, & triplici pondere ſuum plúſquam par eſſet fatigaret Aſellum, illum quidem conſcendit, ſed triticum ſic equitans propriis aſſumpſit humeris, eodem ſcilicet levamine emergente pro Aſello, quod pro Mercurio Barometri aquis immerſo, poteſt emergere adverſus pondus aeris, dum aqua Mercurium premens aerem eundem ſuſtentat. Sed ipſo hoc lapſu magis adhuc eſt labilis ratio per D. Schelhamerum adducta, quandoquidem hoc nedum probaſſe, ſed & demonſtraſſe contendit per infuſionem Barometri in aquam, in quo caſu Mercurius ultro elevatur in fiſtulam, ut ipſe fatetur cum tamen juxta illius hypotheſim intra fluidum craſſius aere deberet exterius creſcere, & intra fiſtulam deprimi) elevatur inquam ultro, ſed ſolum ad proportionem ponderis aquæ ſimul, & aeris. At Bone Deus, ſi iſtud incrementum Mercurii, ſeu iſta elevatio major in fiſtula habetur ab aqua proportionaliter ad pondus illius, nonne pariter elevatio conſueta antecedens, quæ ante demerſionem habebatur per ipſum a columna aeris, & quæ conſervatur, & augetur intra aquam, ut experientia conſtat, habebitur pariter, & ſtabit pro æquilibrio totius Cylindri aerei correſpondentis, ut ſtabat extra aquam ante immerſionem Barometri? Quid ergo eſt, quod immerſo Barometro non deſcendit Mercurius e fiſtula, ut ſolum tantum illius intra eandem remaneat, quantum ſufficit ad æquandam librationem cum ſola aqua premente?

Nec eſt quod hic ſim nimius in recenſendis Aſſertis hujuſce Viri quamplurimis ab hac una radice abunde poſtulantibus, quæ totius Atmoſpheræ ordinem, & preſſionem videntur funditus pervertere qualia ſunt, quod intra Aerem Nubes, & Aquam ſuam veluti Sphæram, ac Fornicem (illam non integram, iſtum non humc ſuſſultum) conſtituant, & ſupra ſe ſarcinam ſuperſtantis Atmoſphæræ ſuſcipiant, abſque eo quod reliquæ Atmoſphæræ ſubjacenti illud communicent; quod Aer propterea (ex falſo Antecedente illatio deterior) ſub hoc fornice exerceat preſſionem ponderis ſolius molis ſub fornice conſtitutæ, minime vero ſuperioris Atmoſphæræ, vel ſaltem propriæ Elaſticitatis, ad regulam ejuſdem ponderis, quod dicitur ſublatum, & ſuſtentatum a fornice, quaſi aer in cubiculo, vel alibi concluſus non exerceat adhuc particulis ſuis elaſticis in æquali etiamnum compreſſione detentis niſum, & ſuppleat pondus totius Atmoſphæræ, ad nihilum ſuffragante cubiculi fornice, ut notum eſt, utque clariſſime demonſtravit Famigeratiſſimus Borellus, & ſimilia ſatis patientia, quæ ſeorſum examinare non vacat.

Sed caveam quæſo, ne nimium ferar, neve in Viri alias Doctiſſimi Hypotheſim videar minus moderanter invehi, tunc cum communem noſtri lapſus promptitudinem potius quam redarguere, ſubit commiſerari, ut hoc proinde, quod cæteroqui foret incitamentum ſcribendi, mihi præciſe argumentum fiat rebus impoſterum meis cautius conſulendi.

Tu vero; Vir Ornatiſſime, penes quem rerum mearum ſtat omne judicium, vide ſis denuo, num iiſdem per ea, quæ nuperrime raptim protuli, ſatis proſpexerim; Sed quoniam ex uno capite jacta eſt alea irretractabilis, ex alio vero, ut Heſperio ſcribebat Symmachus, *Sæpe fit; ut judicii ſeveritatem frangat affectio, & Amicorum facta, dictaque ea indulgentiæ cenſeamus, qua plerumque ſinguli etiam vitia noſtra diligimus*, propterea mihi tutius cum ſit tuo potius examine, quam humanitate fraudari, ſiquid incomptius ſe ſibi obtulerit, cujus te pigeat, ſuſtine; ſi quid inanius, cujus tædeat, abſtine; meque tot nominibus tibi devinctiſſimum excole, tuique amantiſſimum redama. Vale.

Dabat Mutinæ k. Ap. 1698.

Tui ſemper nominis.

Officioſiſſimus Cultor
Franciſcus Tortus.

FINIS.